# C. CORNELII TACITI
# OPERUM
## TOMUS SECUNDUS.
IN QUO
## LIBRI QUINQUE
# HISTORIARUM,
## DE MORIBUS GERMANORUM,
## VITA JULII AGRICOLÆ,
ET
AUCTORIS INCERTI
## DIALOGUS DE ORATORIBUS.

*TRAJECTI BATAVORUM,*

Apud { JACOBUM à POOLSUM, ET JOHANNEM VISCH. } Bibliop.

CIↃ. IↃ. CCXXI.

# MORS NERONIS ET SUCCESSIO GALBÆ

ex Anglico V. N.

## HENRICI SAVILII.

Nno urbis conditæ 821. Galerio Trachalo & Silio Italico Coss. Cajus Julius Vindex, qui Galliam Lugdunensem Proprætor obtinebat, postquam privatis sæpe insidiis petitum Neronem, irrito semper eventu, vidit, primus extulit publicæ aggressionis signum apertum professus hostem. Vindex domo erat Senatorius, natione Gallus, & priscorum apud eos Regum sanguis, corpore validus, ingenio acer, manu promptus, belli sciens, & præfidentis, quo rapienda inclinaret occasio, animi. Pacata ejus provincia erat, & propterea inermis, nusquam legionis stativa, nusquam præsidium. Sed ut in corpore ægro, & peccantium humorum injuriis obnoxio primus qui undecunque ingruit morbus & dolor, etsi levissimus, facile proximo alterius consortio invalescit, cietque in noxæ societatem latentis mali sentinam; Sic ubi passim laborat Resp. qui primus laxata obedientia insolescit, in omnem turbarum licentiam præit. Neque raro evenit, ut sublato principe malo, unde secundarium defluxit, hoc tamen citra ruinam non subsistat. Vindex ergo, priusquam arma ostentaret, excussis diligenter quæ ad se pertinerent, quod nec imperii capax esset, extraneus scilicet, nec factione validus, neque sibi obstrictam in partibus nobilitatem haberet, decrevit designata animo exequi auspiciis alienis, quo auctoritas & existimatio, quæque auxilii spem faceret necessitudo pluribus innexa, ac potentia vocarent. Corbuloni nuper sicarios immiserat Nero, Vespasianum Judæo bello distinebat. Suetonius Paullinus haud procul agebat, sed sine exercitu, supra reliquos temporis sui duces militari laude florens. Verginius Rufus Germaniæ superiori præerat cum tribus legionibus, Vindici in proximo, sed familiæ ignobilioris. Germaniam inferiorem obtinebat Fontejus Capito cum quatuor legionibus, Africam Clodius Macer cum justo exercitu, uterque, ex sua opinione, impar restaurandis, quæ Nero subverterat. Restabat Servius Sulpitius Galba, cui magnæ opes, vetus in familia nobilitas. octo annis rexe-

rat moderate citeriorem Hispaniam, nunc quoque legione & auxiliis instructus. Vindex agitata secum urgere certus, in Hispaniam & alio clam literas misit, propositi apud legatos sui interpretes. Galba per senium languida ambitione, & cui metus temporum cesserat in lentitiem, ne votis quidem Principatum conceperat, jam ante quietis avidus, & à publicis negotiis retractus intra obscurum vitæ genus. Terrebat scilicet Nero, sub quo cum non impune semper liceret malefacere, certe benefacere nunquam periculo caruit; & nemo rationem otii sui reddere cogeretur. Acceptis literis, perculsus & quid ageret incertus. Induci se pateretur? quid si hoc involucro fraus tegeretur? Proderet ac Neroni mitteret? suspiciones ferret nunquam extricandas, continuo arcessiti periculi metu trepidaturus. Forte nec suberat quicquid opinione sibi confingeret fallaciæ. Ex istis ambiguis, quorum extrema certissimo objiciebant discrimini, medium placuit, suppressisque literis ad ulteriora progredi noluit, exspectaturus dum illas eluctata angustias fortuna rebus porro dirigendis illucesceret. Alii suas ad Neronem literas misere legati, prodito Vindice & flagitio, cui paullo post se obstrinxerunt. Vindex ergo paucis post Calendas Martias diebus, nondum in solido locata spe, quam de Galba & felici porro successu conceperat; advocata concione eorum, quos in provincia sua dignitate & opibus conspicuos habebat, tyrannice à Nerone gesta velut per tabulas recensens, quomodo acerbissime expilasset Galliam, quæque in plurimorum perniciem & florentissimæ regionis ruinam struxerat, suadebat sumptis armis, se, Romanos, & conflictantem cum ista peste orbem assererent. Si vero (quod abominor) invitis hæc Diis molimur, eamus, inquit, audaces, & quem vexatum undique spiritum trahimus, armati pugnantesque profundamus Patriæ vindicem. Nec quærendus procul Princeps (cum omnia in pejus inclinata, & ignota seculo nostro virtus, sperare non patiantur Reip. libertatem) quem familia decora, insignis potentia & spectata ubique virtus tanto fastigio dignum extulerunt. Galba est, Hispaniæ Tarraconensi impositus; quem si admittitis, nihil restat nisi ut habeantur per provinciam delectus; sine quibus nec tanta molitio consistit, & vobis quoque excidium minetur. Secuto assensu, protinus animum adjicit conscribendis & sub signa redigendis hominibus, magna quidem, sed raptim collecta & belli fere militarisque disciplinæ inexperta multitudine. Propositis edictis infamat Neronis imperium, quod publice in Galbam transferebat; scriptis ad eum literis, ut humano generi assertorem se accommodaret in illud Naturæ monstrum, ducemque se præberet armatis centum Gallorum millibus, augendis ubi id posceret necessitas. Sequani, Ædui, Arverni, Remi, Galliæ totius flos, in partibus erant; equis, armis, pecunia & quæ porro expeditio bellica flagitat, collatis Rufinus, Flavius, Asiaticus, alii præfecti, Vienna belli sedes. Sed infesta Lugdunensium vicinia aut adversata ipsis & causæ, aut causæ propter ipsos est. Frequentibus pugnis, crebris velitationibus se fatigabant, animis ita exacerbatis, ut facile quis conjiceret quæsitum ex publico prætextum privatis vindiciis. Lingones quoque, Treveri, urbium aliæ, suis desertis, fœderatæ vicinis legionibus accesserunt. Verginio tres, ut audivimus, parebant legiones earumque auxilia; qui cum videret armatis dissidiis fervere Galliam, & aut faciendas sibi partes, aut in factas transeundum (dato illis rebellium titulo donec prævaluissent) privatim Neroni inimicus ob causas ex publico, nullo in Galbam studio, Vindici iratus, quod, novo exemplo, Provincia obtruderet Principem, nihil agere certus, nisi hoc tantum quod alieno arbitrio versatilem se præbere nollet, statuit defensionis curam habere, contractis undique raptim copiis,

ea

ea perspectæ in bello virtutis fama, ut quocunque se vertissent, imperium translaturæ viderentur.

Ex altera parte legatus Aquitaniæ adversus Galliæ motus imploravit à Galba auxilium, qui tum Nova Carthagine conventus agebat. Sed mox sensit inconsideratius se egisse. Galba enim, acceptis à Vindice literis, & jam certus Procuratoribus mandatam ejus mortem, amicis rem discutiendam denuo proposuit. Qui ex illis se suaque periclitari nollent, rogabant ulterius se non ingereret, sed exspectaret quo Roma novis excita motibus inclinaret. Præveniri posse legatos Provinciarum, & mature armari qui sic moneatur. Titus Vinius, legionis legatus, & in flagranti apud Galbam gratia, tutiora judicabat circumspicienda. Tempori, inquit, hoc da, & in procuratorem unum & alterum intentus copias præsto habe. Sane si vel suspendio paucos istos hic è medio tollere possemus, defuturos putas in necem nostram carnifices? Ferrum in Neronem porrige, stringendum ex occasionis nutu. Forte, inquies, mitiora sequetur, nondum consummata defectione. Sed boni etiam Principes imperii sui majestatem tenerrime fovent, cujuscunque temeritate attentatam severissime vindicant. Quam misere se dederunt, qui affectato improvide regno lacessere ausi sunt Principes, qui diadema suum adversus injuriæ vel suspicionem quamlibet cautissime habuerunt? Germanicus, ut aliqui hic meminerunt, quod pauci ut principem consalutare voluissent, semper invisus fuit, donec morte sua expiasset alienam temeritatem. Corbuloni, isti, inquam, Corbuloni, qui Germaniam pacaverat, Armeniam ad obsequium redegerat, Persici fastus ferociam contuderat, Arsacidarum progeniem Neroni supplicem fecerat, tam gloriose gesta verterunt in perniciem, quod tacite ex quorundam sententia velut aptus Principatui designaretur. Reos nos, ajunt, peragit armata secessio. Ille commiseratione tangeretur, quem nihil unquam pœnituit nisi quid bene fecisset? Exspectet, cuicunque libuerit, Roma (ubi perdita libertas) hominem asserendis aliis in libertatem; quam sola Galbæ & Vindicis arma nobis spondent. Hæc cum aliis antehabenda esse suaderet veri species, & in tantum valida, ut assensum diutius suspendi non paterentur, Galba diem dixit, quo ageretur de manumissione. Ex agris Provinciales ad præstitutum tempus confluunt, suspicionibus facile in alia distracti. Galba propositis ante se damnatorum occisorumque à Nerone quamplurimis imaginibus, & adstante nobili puero, quem exulantem ex proxima insula ob id ipsum acciverat, circumfusos milites sic allocutus est: Adsumus, commilitones, servis libertatem præstituri, ut alii per nos tam ingenti beneficio gaudeant, quod nobis hactenus vix integrum fuit, quibus tamen natura & fortuna illud indulsit. Ex prioris vitæ instituto facile absolvor non ambitiosam fovere spem, adeoque testatur mihi animus, nec per malignitatem quid tentare, & privata etiam posthabere. Dolet exprimi has voces, sed celari negant, quæ in omnium oculis gesta sunt. An sævius unquam habitum vel uno anno mancipium quam nos quatuordecim per annos sub Nerone? quo genere tributi non exhausit, ut extorsionibus male perdita suppleret? qua abstinuit crudelitate? nobis dissimulantibus ipsa clamitarent saxa. Veneno grassatus est in Patris fratrisque necem. Nihil in divexanda matre pensi habuit donec occideret. Uxorem, Præceptorem, & quoscunque ulla virtute notabiles in Senatu, Romæ aut in provinciis sciret, nullo sexus ætatisque discrimine, è medio sustulit. Quid anxia suspiria & lachrymas memorem tot nobilium, quorum ille patres interemit, tot uxorum, quarum maritos, tot insignium virorum, quos in exilium ejecit? fatis in crudelissimum Principem vindictam festinantibus. Prin-

cipem? imo incendiarium, cantorem, citharœdum, histrionem, quadrigarium, præconem, imo ne virum quidem, qui viro, & cui vir denupsit. Monstrum & propudium generis humani. Puto vobis ex fama innotuisse Vindicis in Gallia molitiones. Me quod attinet, indoleo. Prior vita ab omni sejuncta ambitione, captandis dignitatibus abstinuit; & quantum mihi temporis superest, malim placide extraque turbas transigi. Sed cum, nescio quo fato, quod nunquam affectavi, nedum hac ingravescenti ætate, aliorum mihi vota imponant, committere non debeo, si vos habeo assentientes, ut publicæ saluti non impendatur, quo senile corpus animatur spiritus; non Imperator, vel Augustus, adoranda mihi eminus nomina, nec accessu propiore violanda. Sed nondum finitam orationem turbat militum & populi clamor, Imperatorem consalutantium. Galba laudato salutis publicæ studio, accepta re, nomine refutato, legatum se Senatus ac populi Ro: professus est. Proxima cura fuit copiis militaribus se firmare, & invidiosum nomen turbis detrahere. obtulit se Provinciæ plebs, miro undique confluxu. Novæ legiones & Auxilia conscribebantur, juvitque necessitatem casus, qui navem Alexandrinam appulit armis onustam, sine gubernatore, sine nauta, ac vectore ullo. Magnum & hac fortuna accessit ad rei summam momentum; ut nemini dubium esset justum piumque & faventibus diis bellum suscipi. Deinde ex iis circa se, qui prudentia & ætate præstabant, instar Senatus instituit, & Equestris ordinis juvenes delegit, qui excubias circa cubiculum suum vice militum agerent. Etiam per Provincias edicta dimisit, auctor singulis universisque conspirandi; simul & ut, qua posset quisque opera, communem causam juvarent. Multi deserto Nerone in ejus partes transibant, inter primos M. Salvius Otho, tunc Lusitaniæ rector, collata supellectile pretiosissima excudendæ pecuniæ. In Germania superiori exercitus perspectis Neronis viribus, plurimum imminutis, Gallia in apertam rebellionem excita, Hispania Principem ostentante, aliis regionibus nutantibus, totque votis in unum licet non conspirantibus, Neronem tamen hostiliter peti, considerato robore, quo nunc collectus valebat, ante in cohortes & turmas dispersus, à Galba alienus & contumelia ferox ab una legione sibi Principem imponi, statuit transferendi Principatus gloriam occupare. Et in proximo erat, qui tanti beneficii honoribus par esset; Legatus Verginius Rufus, domo licet nobili, neque supra, tamen virtute, rebus gestis, & quicquid æstimantibus in prærogativa est, Galba potior. Hic gentilitiis imaginibus si anteire dicatur, at Catulus gentis caput & decus, turpi fuga in bello adversus Cimbros sibi consuluit, ubi Marius, natalium obscuritate infra Vergimum, constantiam suam servata Repub. probavit. Sic imagines Neronis passim dejectæ: magnos inter tumultus Verginius consalutatur Princeps, ejusque nomen signis militaribus inscribitur. Ille adulta rebellione, atque huc enitentibus impar, videbatur accessurus molitionibus in Neronem, sed nullo sui studio, multo minus alicujus qui exteris complacuisset. Neque enim illud intendebat, quod flagrante multorum ambitu petebatur; certus non admittere, nisi quem suffragia Senatus dedissent. Penes eum esse arbitrium & jus, quod nullius insolentia delibari pateretur. Pacatis utcunque militibus, delendæ inscriptionis auctor fuit, totumque exercitum in Galliam rapuit, oppugnandi Vindicis prætextu. Obsessa Vesontio est, postquam recipere eum abnuit. Vindex viginti armatorum millia educit urbi liberandæ, aut, si forte, prælio. Castris non longo intervallo dissitis literæ utrimque commeabant. Secutus mox congressus clanculum omnibusque submotis, eventu placido, & directis haud dubie in Neronem consiliis. Neque à vero abest cogi-
ta-

tatum etiam de rejiciendo Galba. Amice ergo discedunt in sua quisque castra. Vindex dubio jam extricato securior, minime pugnam cogitans, ingredi urbem statuit, fovendis à profectione militibus. Germanici in excubiis ad mœnia, cum viderent appropinquantes Vindicis copias & peti se putarent, inscii quid inter Duces actum, neque occasioni defuturi, non exspectata jussione inopinaque aggressione, turbatis ordinibus incedentes invadunt, quos restituere raptim non patiebatur belli ignara multitudo. Internecione ergo prope deleti, direptis etiam impedimentis. Vindex infausto subitanei atque inopini prælii eventu cum periisse sibi cerneret ipsum Galliæ florem, & suspectata Verginii fraude, quasi per insidias captum transmissuri ad Neronem, gladio suo incubuit. Persequentium multi cadaver vulneribus confodiebant, captata quasi gloria aut præmio, si Nero vicisset. Postquam sic pugnatum esset, denuo ad Principatum Verginius militum vocibus compellebatur, quibus accesserunt aliarum regionum legationes auxilium offerentes quod in se esset, aut alioquin redituros ad sacramentum Neronis. Verginius deplorato infelicis amici casu abnuebat colloquium, Galliæ interiora aditurus. Atque hunc exitum habuit Julius Vindex, vir ardui potius conatus quam fausti, qui imparatus ab exercitu rite instructo, nulla legione, nullis in præfectura sua militibus, dum alii, quibus faventior fortuna, eminus tam periculosas molitiones inspectarent, bello lacessere ausus est Principem cui triginta legiones in armis; Principatum per quatuor è majoribus ad se devolutum, sua insuper quatuordecim annorum administratione constabilitum. Quem non privata desperatio impulisset in reip. exitium, aut vindicta ob perditam gratiam dedecusve, arripere suasisset imperium (ampla novis rebus materies) sed ut incubantem Patriæ tyrannidem propulsaret, affectu tam acri, ut vilis ei vita & securitas esset. Cum enim renunciaretur Neronem edicto caput ejus venale proposuisse pretio decies mille sestertium, hoc est, octoginta mille libris Anglicis, respondit, qui obtruncati Neronis caput mihi obtulerit, meo invicem donatus abibit. Et quamquam fortuna abstulit virtutis usum, & oblato casu, humanis consiliis flecti nescia, intercessit cœptis audacibus, fatendum tamen, Vindicem primo lapidem movisse, qui sensim provolutus Neronem solio excussit. Neapoli hic de motu Galliarum cognovit circa vigesimum diem Martii; adeoque lente & secure tulit, ut nihil ex consuetudine luxus atque desidiæ omitteret vel imminueret, sed gaudentis etiam suspicionem præberet, tanquam occasione nata spoliandarum jure belli opulentissimarum Provinciarum. Cœnæ tempore interpellatus tumultuosioribus literis, & quæ in majus omnia proferrent, hactenus excanduit, ut malum eis, qui descissent & hilaria sua turbarent, minaretur; ut per octo continuos dies non rescriberet cuiquam, non mandaret quid aut præciperet. Edictis tandem Vindicis contumeliosis & frequentibus permotus, Senatum epistola in ultionem sui, Reique publicæ adhortatus est, excusato morbo propter quem non adesset. Cætera convicia, ut falsa, non alio argumento refellebat, quam quod etiam inscitia tantopere laboratæ perfectæque à se artis objiceretur; singulos subinde rogitans, nossentne quemquam præstantiorem. Senatus acceptis literis, seu adulatio, seu metus fuit, Vindicem perduellionis damnat, qui paulo post Neronem eodem titulo infamavit. Sed urgentibus aliis super alios nuntiis, Romam prætrepidus rediit. Ac ne tunc quidem aut Senatu aut populo coram appellato, quosdam è primoribus viris demum noctu evocavit, tanquam deliberaturus gravia, transactaque raptim consultatione proposuit quæ in Musicis nova excogitavisset per organa hydraulica & ignoti generis, ostendensque singula, de ratione ac difficultate cu-

cujusque differens, addebat compertum sibi, quomodo & graviore & vegetiore sono audirentur, jamque etiam prolaturum omnia in theatrum affirmavit, si per Vindicem liceat. Sed postquam deinde Galbam & Hispanias descivisse cognovit, veste desciffa, capite converberato, consolationem non admisit, donec Senatus Galbam, tanquam hostilibus in Remp. tentatis, proscriberet. Tum aliquantum resipuit, & cum prosperi quiddam è Germania nuntiatum esset, rediit ad mores luxu & infanda securitate perditos. Galbæ servis in carcerem conjectis, bona eorum hastæ subjecit. Consimilia egit in Hispaniis Galba, bonis Neronis ibidem per auctiones distractis, meliore fortuna fori.

Initio statim tumultus, multa & immania creditur destinasse, percussores submittere exercitus & provincias regentibus quasi conspiratis, idemque & unum sentientibus; quicquid ubique exulum, quicquid in Urbe hominum Gallicanorum esset, contrucidare: illos, ne descifcentibus aggregarentur; hos, ut conscios popularium suorum atque fautores, Senatum universum veneno per convivia necare, Urbem incendere, feris in populum immissis, quo difficilius defenderetur. Sed absterritus non tam pœnitentia, cum non abhorrerent à natura ejus, quam perficiendi desperatione, credidit expeditionem necessariam, præmisso interim Petronio Turpiliano & Rubrio Gallo aliisque. In præparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula, portandis scenicis organis, concubinasque quas secum educeret, tondendi ad virilem modum, & securibus peltisque Amazonicis instruendi. Mox Tribus urbanas ad sacramentum citavit, ac nullo idoneo respondente, certum dominis servorum numerum indixit. Partem etiam census omnes ordines conferre jussit, plerisque omnem collationem palam recusantibus. Ut enim arma civilia minime procedunt sine stipendiis, neque facile subjectos novis divexat tributis prudens Princeps, ubi maxima eorum vertitur benevolentia, qui simul & corpore obsequium debent; Nero pacis tempore futuri improvidus, non coactis belli sustentandi præsidiis, offendere tum cogebatur cum prævalere debuisset omnium gratia, nihilque tamen unquam in rem suam confecit magis adversantibus subjectis; accedente ad malam famam adversæ factionis potentia. Ex imperii & militiæ arcanis unum sibi præcipuæ fiduciæ sepositum dixit familiaribus. Simulac primum provinciam attigisset, inermem se in conspectum exercitus proditurum, nec quidquam aliud quam fleturum, revocatisque ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ jam nunc componi sibi oporteret. Interim dum Nero in Galbam & Vindicem arma expedit, nuntiatur prandenti Verginii & cæterorum exercituum defectio. Ille velut amens literas sibi redditas concerpsit, mensam subvertit, duos scyphos gratissimi usus illisit solo, & abjecta sui cura, quamvis non propius admoto periculo, venenum poscit, in auream pyxidem conditum, ne indecora morte tolleretur, transiitque in hortos Servilianos, ubi præmissis Ostiam libertorum fidissimis fugam in Ægyptum tentavit, quæsiturus ex Musicæ studio victum; imaginaria ibi securitate, quam Imperatori Roma negabat, Tribunis Centurionibusque Prætorii partim tergiversantibus, partim aperte detrectantibus fugæ societatem, uno etiam proclamante; *usque adeone mori miserum est?* Varia agitavit, Parthosne adiret nupero beneficio obstrictos, an Galbam supplex peteret? an atratus prodiret in publicum, proque Rostris quanta posset maxima miseratione veniam præteritorum precaretur? Ac ni flexisset animos, vel Ægypti præfecturam concedi sibi oraret. Placuit illud, & inventus est postea in scrinio hac de re sermo formatus. Sed deterritum putant, ne

prius

prius quam in forum perveniret, discerperetur, cogitatione in posterum diem dilata.

Nymphidius Sabinus & Sophonius Tigellinus prætorias cohortes regebant; obscuro genere & hæc virtutum præmia beneficio Neronis adepti, primi nunc desertores & proditores. Sed Tigellinus infamia sua & publico odio invalidus, Sabinus prospera militum fama florebat, qui arffirmato Neronem fugæ delegisse Ægypti latebras, & facta donativi spe Galbæ nomine trigesies mille sestertium, id est, 234. *li.* 5. *s.* 6. *pence* in singulos, & quinquies, id est, 39. *li.* 1. *s.* 3. *pence*, in exteros, plus quam aut posset aut vellet, facile persuasit ut desererent à quo (ut putabant) desererentur, & in Galbæ verba jurarent. Neque favoris id supra cæteros fuit, sed dum alii ambigerent, alii recusarent, & nullo competitore certaret Galba, imperium ei delatum est. Qui in excubiis, dum futura prospiciunt, & de creando principe commilitonum consiliis admisceri gestiunt, dormiente Nerone se subducunt. Ille ad mediam fere noctem excitatus; ut comperit stationem militum recessisse, prosiluit è lecto, misitque circum amicos. Et quia nihil à quoquam renuntiabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. Tantus Imperator, prius adoratum mundo caput, amicorum, militum instructissimo comitatu, & expeditis omnium obsequiis, nunc servuli in morem fores oberrat, quas infelici sibi clausas reperit. Ita urgentibus adversis, consilia & solatia notissimorum præripientibus, in cubiculum rediit, unde & custodes diffugerant. direptis etiam stragulis, amota & pyxide veneni. Requisivit ergo Sulpicium gladiatorem, cujus manu periret. Nemine reperto nec amico nec inimico, procurrit quasi præcipitaturus se in Tiberim. Sed revocato rursus impetu, aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desideravit. Et offerente Phaonte liberto suburbanum suum circa quartum milliarium fugit quatuor solum comitantibus Phaonte, Epaphrodito, Sporo & Neophyto, obsoleta in veste, neque prorsus militarem in modum, adopertoque capite, & ante faciem obtento sudario. Dum festinus urget iter, audiit ex proximis castris clamorem militum, & sibi adversa & Galbæ prospera ominantium. Equo in via consternato & ad latus deflectente, detecta facie agnitus est à quodam prætoriano & salutatus. Ut ad diverticulum ventum est, dimissis equis per fruticeta ac vepres, per arundineti semitam ægre, ad adversum villæ parietem evasit. Ibi hortante eodem Phaonte ut interim in specum egestæ arenæ concederet, negavit se vivum sub terram iturum; ac parumper commoratus dum clandestinus ad villam introitus pararetur; atque ita quadrupes per angustias effossæ cavernæ receptus in proximam cellam decubuit super lectum modicella culcita.

Interim Romæ à Senatu hostis judicatur, dignusque qui puniatur more majorum. Et jam quærebatur ab iis quibus præceptum erat ut vivum eum attraherent. In principatum autem successor etsi tacitis omnium suffragiis Verginius designaretur, qui à Senatu exspectare posse credebatur beneficium, cujus ad eos retulisset arbitrium, metu tamen ne in novas belli civilis turbas revolverentur, cum submoveri alioquin occupato jam loco Galba non posset, militum exemplo in Galbam consenserunt. Tum unoquoque circa Neronem instante, ut quam primum se impendentibus contumeliis eriperet, funeralia instrui jussit, flens ad singula atque identidem dictitans; qualis artifex pereo? Inter moras perlatos à cursore Phaontis codicillos præripuit, lectoque se à Senatu hostem judicatum, & quæri ut puniatur more majorum, interrogavit quale id genus esset pœnæ; ignoto sibi tales sanctiones condendi more. Cum comperisset nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus

virgis ad necem cædi, conterritus duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit; tentataque utriusque acie rursus condidit, ac orabat ut se aliquis ad mortem capessendam exemplo juvaret, quod frustra ab inerti aula & per luxum ac infamiam nequissime exercita, sperabat. Jamque missi à Senatu equites appropinquabant; quod ut Nero sensit, ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito à libellis, qui sub Domitiano postea cæsus istius obsequii pretium tulit, judicante non dignum spiritu, qui quocunque modo eum Principi expressisset. Hunc vitæ exitum habuit Nero vita pudendus, imperio in publicum odium adducto, nullo nec metu nec amore subjectorum, secundo & trigesimo ætatis, quartodecimo imperii anno, octavo die Junii; modica sub initium gratia, ut dicere solitus fuerit Trajanus, bonos etiam Principes non adæquasse famam Neroniani quinquennii. Sed mox cum erupisset in quodlibet licentiæ & crudelitatis genus, lentus in negotiis, valido tantum in vitiis ingenio, sic oppressus defecit.

Post ejus mortem populus & imprimis Nobiles in quos præsertim sævierat, sacra Diis fecerunt actis quasi per publicum gaudium festis. Alii quoque pileati tota urbe discurrerunt quasi parta libertate. Senatus de novo censuit gratias Nymphidio agendas, laudataque ejus prudentia & reip. cura, Galbæ confirmavit consuetos Principis honores. Factum super ea re decretum ut quam celerrime ad eum mitteretur, consules operam dederunt. Decreta quoque legatio ex primoribus addito mandato, præter gratulationum solemnia, ut rogaretur Romam properare. Tum & in Senatu propositum ut in accusatores inquireretur. Spectabat id multos ex potentissimis, qui proximorum damno vixissent, & quodammodo arcana imperii, eversis ejus præsidiis. Nihilominus tamen adeo & execranda gesserant, & adeo recens eorum memoria erat, ut Senatusconsulto omnes, cum reliqua Neronis factione, judicarentur puniendi more majorum. Sed in paucos tantum ex infimis id valuit, ex quibus nec insignia in alios damna, nec in se commoda exstabant, majoribus facile eludentibus periculum.

Is erat in Gallia & Romæ rerum status, cum repente ex inopino cuncta turbata sunt, militesque pœnitentia mutati sacramenti destituere Galbam voluerunt, ægreque retenti in officio; & servi, quos à liberto Neronis ad fraudem præparatos muneri acceperat, per angiportum in balneas transeuntem pene interemerunt. Nisi cohortantibus invicem, ne occasionem omitterent, interrogatisque de qua occasione loquerentur, expressa cruciatu confessio esset. Accessit ad tanta discrimina mors Vindicis, urgerique Verginium ut jure victoriæ quasi debitum acciperet principatum, aut alioquin ad Neronem se redituros. Consternatus maxime Galba per literas à Verginio petiit, ut secum junctas pro libertate & Romano imperio curas capesseret. Ipse tamen destituto similis Cluniam se recepit facti pœnitens & privatam vitam respiciens, quasi inter summum & infimum hic esset medio locus. Ita varie anxio, nullo sui respectu, septimum intra diem Icelus libertus Roma profectus adest, qui diceret vivere adhuc Neronem, sed nusquam reperiri, cunctosque in verba sua jurasse. Sed supervenientibus aliis ab urbe nuntiis occisum esse Neronem, fidem ipse Icelus vix habuit, nisi inspecto cadavere & sic ad Galbam properavit. Biduo post Vinius è castris capita Senatusconsulti attulit. Galba inopinato eventu lætus Icelum ornat annulis aureis, Vinium summo apud se loco, depositaque Legati suscepit Cæsaris appellationem. Cornelius Laco donatur Prætorii præfectura; & Romæ stabiliendis rebus cum se coram requiri atque ex usu fore arbitraretur, indicit profectionem, exercitu terra ituro.

Nym-

Nymphidius auctorem se interfecti Neronis ratus, & navati pro principatu laboris mercedem aliam non esse, præter ipsum principatum, Galbæ quoque senium increpans, quem Roma diu ferre non posset, Principem egit gessitque imperii instar, non per gradus, sed cum magno impetu. Prætoriano militi gratus ob donativum erat, facili quocunque duceret obsequio. Primores Senatus, gratiam ejus captantes, videbatur obstrinxisse, ut sui jam oblitus Tigellinum socium juberet deponere gladium. Consules, quod codicillos misissent non per suos milites, nec mandata cursorum suo obsignassent annulo, decreverat spoliare; & rei porro suæ intentus convivio excipit qui in civitate erant eminentioris fortunæ; tacite milites inducere conatur, quo Galbæ supplicarent, ut Nymphidium faceret præfectum Prætorio perpetuum sine collega. Ut caperet licentiæ hamo populi militumque animos, dedit sæviendi potestatem in Neronianæ factionis reliquias. Spicillum gladiatorem Neronis imagini alligatum, publiceque raptatum in foro trucidarunt. Aponius delator oppressus est, per cujus cadaver impulerunt graves saxis currus; ne alios contumeliose habitos cæsosque commemorem; quosdam etiam, ut nullo metu grassantis vulgi mos est, nulla culpa. Et in Senatu audita querentis vox est, fore ut brevi optent restitui sublatum Neronem, cum magis toleranda sit unius quam plurium simul tyrannis, tutiusque vivi ubi nihil licet, quam ubi omnia. Ita Nymphidius, natus Nymphidia liberta, diuque aulico exercita famulitio, & Martiano gladiatore, insidiabatur imperio ad se rapiendo, opera fœminarum, & quorum Romæ in Senatu valida auctoritas, misso quoque in Hispaniam Gratiano, qui explorandis Galbæ molitionibus intentus esset.

Macer in Africa, rebus jam turbidis, delectus agit, principemque sibi locum destinat, sed quem avaritia & crudelitas invisum fecerant, languidisque in se hominum studiis, nec pares conatibus vires cogere, nec cœptis sine periculo absistere poterat. Galbia Crispinilla in Neronis intimas libidines assumpta cum post ejus mortem sibi metueret, in Africam trajecit. Illius consiliis usus Macer provinciam, qua mari admovetur, præsidiis firmat, vetitis frumenti transvectionibus Romam fame pressurus. Fontejum Capitonem, inferioris Germaniæ legatum, aliquid pro se agitasse fama est. Illud affirmatum, cum juri dicundo præsideret, & ille contra quem erat pronunciatum appellasset Cæsarem, surrexisse altiusque conscendisse subsellium, jusso qui victus erat perorare causam in Cæsaris auditorio. Sed Fabius Valens legionis ibidem legatus, Galbæ partes amplexus erat, primusque cum suo milite in ejus transiit sacramentum, exemplum sequente exercitu. Virginius jam solus ferebatur Galbæ rivalis oppresso Vindice & perdomita Gallia; & quamquam à militibus, evulgata Neronis morte, ita urgeretur, ut è tribunis quidam stricto ferro juberet aut illud, aut imperium accipere, à proposito se tamen dimoveri passus non est. Postea cognito Senatus decreto sponte, ~~exercitus autem ægre & nonnisi diu~~ reluctatus, in verba Galbæ juravit, cum jam inferior Germania sacramento ejus esset adacta, secuto mox reliquarum provinciarum consensu.

Galba ordinandis Imperii rebus intentus civitates Hispaniarum quæ cunctantius sibi accesserant, gravioribus tributis, quasdam etiam murorum destructione punivit; & præpositos procuratoresque supplicio capitis affecit cum conjugibus ac liberis. quo facto excessit Neronis sævitiam, præter omnium exspectationem, principatu nondum adulto. Trebonium Garrutianum Africæ procuratorem jubet

interimere Macrum, recens conſcriptam legionem dimittere, regionemque illam turbis purgare, & ſuffectus Verginio Hordeonius Flaccus Germaniæ legatus. Tum ſenex paludatus iter ingreſſus eſt, Galliæque civitates Vindici reſiſtere auſas, reditu & agris multavit; aliis quartam tributorum partem remiſit, incolis jus civitatis auro mercantibus, & Vinius cupiditatis immenſæ, conſpicuo apud invalidum Principem loco, ditioribus venalem habuit Principis ſui gratiam. Miſſi à Senatu ei occurrunt Narbone, omnibus ad dignationem compoſitis, acceptoſque Galba ſuper familiaribus colloquiis modicæ de ſuo cœnæ adhibuit, in magna licet abundantia, ſubmiſſiſque à Nymphidio ſtructoribus & ſupellectile Neronis. Sed Vinius, cujus Galba totus erat, conſuluit ne popularitati, quæ minus decora imperio, ſtuderet, ſuaſit eorum, quæ Neronis fuerant, uſum, & ſpectandam in faciendis ſumptibus liberalitatis famam. Verginius tradito ſucceſſori exercitu obviam ſe tulit, ſed ut altius reconditam indignationem facile argueret modicus, qui habebatur occurrenti, honor. Adeo periculoſa oblati quoque imperii recuſatio eſt.

Ex reduce Gelliano cum Nymphidius cognoviſſet, Laconem præfectum prætorio, Vinium obtinere præcipuum in aula locum, miſſum à ſe nuncium ſuſpectari, vitarique ejus congreſſum, ne privatim quidem facta loquendi cum Principe poteſtate, imo nec aditu dato, æſtuabat animo. Coactis ergo Prætorianorum centurionibus ait videri ſibi Galbam ſenem optimum, ſed à duobus, Tigellino ſimillimis, in fraudes inductum, Vinio & Lacone, conſultum fore ut omnium nomine per unum & alterum ex iſto ordine ſignificetur, fore ut melius hic accipiatur, amoto illo hominum pari. Sed abſurdum erat Principi ea ætate velut minori quidquam à miniſtris præſcribi. Aliud ergo ſtatuit, literaſque ad Galbam dedit terroris plenas; dubio omnia Romæ loco eſſe & periculoſe nutare, à Macro in Africa retentas naves, legiones in Germania nova moliri; quibus paria addebat ex Syria & Judæa. Sed animadverſo eis non permoveri Galbam, ſuam apud eum autoritatem labare, perſpectiſque militum in ſe ſtudiis, petere ab armis ſubſidium decrevit; dehortante licet Clodio Celſo, qui ex amicis & moderatus & prudens homo cenſebat, pauciſſimos habiturum Romæ, qui Imperatorem eum velint. Sed aliorum riſu exceptus eſt, præſertim Mithridatis cujuſdam ex Ponto, qui forte, inquit, Romanis Galba nunc quia abſens aliquid videatur; ſed ubi in conſpectum venerit calvus Imperator, fronte rugis arata, deprehendent opprobrium temporis, quod illum ad Principatum extulit. Nymphidium itaque media nocte proxima in caſtra deducendum ſalutare Imperatorem ſtatuunt. Sed nondum adveſperaſcebat, cum Antonius Honoratus egregia inter tribunos fama, militum ſuorum concione advocata, quæ intemperiæ, inquit, vos agitant, ita deſultoria fide & ſacramento nullam ob cauſam inſtabili? Si rejici debuit Nero, cujus matris, cujus uxoris cæde conſperſus Galba eſt? quæ morum infamia indignum fecit, ut ſcorti principalis filius præferatur? cujus fuſo ſanguine, ſi in verba ejus jurarent, brevi præſtarent Neroni vindicias, quem prodidiſſet, & Galbæ fidos ſe probarent quem iſte inſidiis petiit. Expenderent, qua ſpe decem millia integras imperii vires laceſſerent, quæ pro Galba in armis eſſent. Ab illis hac oratione motis tranſiit in reliquos exemplum obſequii, probatæque partes Galbæ. Exortus deinde in caſtris clamor Nymphidium advertit, qui ſe peti ratus, & feſtinans ut firmaret nutantes animos ſeditionemque præverteret, eo cum facibus deducitur, memoriæ mandata oratione à Cingonio Varrone compoſita, & ad

ad milites habenda. Sed clausis castrorum portis, & vallo ubique per ipsos occupato, veritus quid rei gereretur, propius accessit, quæsivitque quid iis esset animi, & cujus fiducia armatos se ostentarent, respondentibus nescire se, neque alium accepturos Principem nisi Galbam. Nymphidius perspecto periculo in illorum ivit sententiam, & Galbæ Augusto salutem & prospera precatus est; suos in paria adigens. Ab excubiis ergo ad portas, admissus cum suorum paucis, in ingressu telo petitur, Septimio quodam scutum objiciente. Sed cum videret tot strictos in se gladios dirigi, fugit, insequentibus qui eum in militis tentorio necarunt. Illucescente die expositum publico cadaver est indignantiumque contumeliis. Galba audita in itinere Nymphidii morte in socios ejus cæde grassatus est; in quibus & Mithridates Ponticus ludibrii sui pretium tulit, & Cingonius Varro orationis auctor. Cum urbi appropinquaret ad pontem Milvium obtulerunt se classiarii, quos Nero ex remigibus justos milites fecerat, Galba redire ad pristinum statum jussit. Sed cum prævalerent numero, & recusarent, obsessaque utrinque via insuper aquilam & signa pertinacius flagitarent, ut per tumultum nec audiretur nec conspiceretur à populo Princeps, neque rejici se paterentur in tempus commodius, putantes negari quod differretur, frementes seditiose & incondito clamore progredientem sequebantur. Erant & qui stricto ferro vim minarentur, si mitiora non valerent. Galba immisso equite disjecit, septem eorum millia cecidit, inermes cum essent, reliquos decimavit, & in vincula conjecit, quos tamen suo malo libertati mox reddidit.

Galba ergo majore favore & auctoritate adeptus est quam gessit imperium; quamquam multa documenta egregii Principis daret, sed nequaquam tam grata erant, quam invisa quæ secus fierent. Omnes injuste in exilium a Nerone missos, cujuscunque ordinis, cum liberis, aliqua clementiæ fama, restituit patriæ, & dignitati, non bonis. Petronium vero Turpilianum, & senem & consularem, inauditum interfici jussit, non alio crimine objecto, quam quod fidus Neroni extitisset, neque se proditoribus ejus miscuisset. Elius, Polycletus, Locusta, Patrobius, Petinus, & istius farinæ plures, læto spectaculo in vinculis per urbem tracti, publiceque necati, quasi Neroneæ nequitiæ pessima instrumenta; eorum principe Tigellino, fœdissima impunitate, per Galbam salvo. Et quanquam in theatris publicisque conventibus, omnis populi voce ad necem deposceretur, quasi Diis lautius sacrum fieri non posset, quam si ille piacularis victima odio civium, quo justissime laborabat, immolaretur, tamen pecunia prævaluit apud Vinium, Viniusque apud Galbam, ut non indignissima modo defensione mortis periculum eluderet, sed & edicto populus increparetur. Tigellinus redempta salute lætus, sumptuoso epulo soteria sua celebravit, Viniusque consurgens à Galbæ cœna interfuit cum Crispina filia, cui per honoris speciem Tigillinus dedit decies millies sestertium, id est, *octies mille libras Anglicas* cum gemmis & quicquid in aureo colli ornatu habuerat amicorum intimus, tum quoque in mensa præsens, æstimatum sexcentis millibus sestertium, id est, *fere quinquies mille libris Anglicis*. Quin & Halotum ex omnibus Neronis emissariis maleficentissimum præstitit incolumem Galba, & procuratione insuper amplissima ornavit. Jam vero ordinibus prope universis invisum reddidit avaritia & sordes, vitium etsi familiare senibus, tamen in Principe exosum quammaxime, in novo quoque periculosum. Choraulæ mire placenti denarios quinque, id est, *tres solidos Anglicos* donavit, prolatos manu sua e peculiaribus loculis suis. Ordinario dispensatori breviarium rationum offerenti pa-

ropſidem leguminis pro ſedulitate ac diligentia porrexit. Sed inprimis præcipitavit res ejus ſævitia in milites, quibus cum donativum ſolito grandius præfecti pronunciaſſent, atque illi peterent ſaltem intra conſuetum, prorſus abnuit, addiditque *legi à ſe militem, non emi.* Vox principe forti digna & meliori ævo, ſed & tempori & ipſi incongrua, fide quotidianis corruptionibus obnoxia, cum trium arbitrio regeretur, quos *pædagogos* vulgo vocabant, Vinii, Laconis intimæ admiſſionis, & Iceli liberti. Privatis hominibus ſufficit ad juſtitiæ laudem, ſi noxa in alios abſtineant; Principi curandum ne cuiquam ex ſuis id liceat; niſi ad primam occaſionem omnium culpis, velut à ſe admiſſis, damnari velit. Quid refert qua parte ingruat iniquum molientis inſolentia, ſi damnum præſto ſit? Sic Galba cum nomen ejus inſcii prætexeretur multis injuriis, quod tamen graſſanti licentiæ non obſtitit, ut par erat, fugerentque illum, quorum ignorantia in vitio, autoritate jam nulla, gradum ſtruxit exitio ſuo.

C. COR-

# C. CORNELII TACITI
## AB
# EXCESSU NERONIS
# HISTORIARUM
## LIBER PRIMUS.

### BREVIARIUM LIBRI.

*Orditur, & quæ in Historiarum toto opere dicenda, carptim proponit: statum item tunc rei Romanæ: Galbæ ingenium, mores, gubernationem. Qui audito motu Germanico, Pisonem Cæsarem adoptat. Id Othonem offendit, qui spe sua lapsus animum ad utriusque cædem appulit, & perficit, conciliatis sibi Prætorianis. Galba & Piso trucidantur, item T. Vinius. Otho in imperii sede est. cui tamen æmulus statim & hostis Vitellius exortus. De caussis motæ Germaniæ, & in ea legionum. Vitellium Principem sumunt. & iter in Italiam: duobus ducibus, Valente Fabio, & Alieno Cæcina. Otho copias item ducesque parat. Recensio provinciarum, quæ penes utrumque Principem. Interea Roxolani Sarmatæ Mœsiam irrupere: sed repulsi, aut cæsi. Seditio Romæ & tumultus Prætorianorum ingens exortus: qui Senatum universum ad cædem deposcunt, ut Othoni infidum. Otho ægre eos coërcet, & donativo mox placat. Idem classem instruit, mittitque in Galliam contra Vitellium. Denique ipse, omissa urbe, in eum it. Gesta hæc paucis mensibus.*

### IMP. SER. GALBA. II. T. VINIO Coss.

1 [1] INitium mihi operis [2] Ser. Galba iterum, T. Vinius consules erunt. Nam post conditam urbem [3] octingentos & viginti prioris ævi annos [4] multi auctores retulerunt; dum res populi Romani memorabantur, pari elo-

### COMMENTARIUS.

1 *INitium mihi operis.*] Hunc fuisse primum librum Annalium Cornelii, semper sum suspicatus; illumque blandiente postea profectu longius ductis initiis, ad Augusti exactum imperium calamum retulisse. Nam si pars hæc fuisset posterior, haud tam multa illi repetenda fuissent, & perscribenda, tamquam aditum factura ad historiam: nec ipse, *initium operis*,

eloquentia ac libertate. Postquam bellatum apud Actium, [5] atque omnem poten-
tiam

*ris*, incepisset: &, *Opus aggredior*. Ferrettus. Hos libros *Historias* inscriptos Cornelio fuisse asserere, & veterem titulum audeo eis vindicare. Neque enim si nuncupatos *Annalium* nomine cum vulgo vel ex Rhenani auctoritate probes, titulo satisfaciat in operis cursu Tacitus, in quo non Consulibus acta distinguit, nec quoque libro res gestas plurium annorum componit, quod *Annalium* proprium est, sed uno anno quæ facta fuere, in plures libros distribuit: quorum nomine (ut ego quidem interpretor) dicitur Fla. Vopisco Corn. Tacitus *historiæ Augustæ scriptor*. His in libris res gestas principatu Galbæ, Othonis, Vitellii, Vespasiani, Titi, & Domitiani persecutus est, qui principatum Nervæ, & imperium Trajani sepofuit, suppetente vita, *materiam senectuti sua*. At quot in partes historiarum opus diduxerit, eo nobis ignotum, quod reliqui à quinto non supersunt, sed nec ille integer: cujus ex initio, Q. Septimius Florens in Apologetico producit testimonium. Et Cornelium à Plinio Cæciliano petiisse constat, hujus epist. lib. 7. ut C. Plinii avunculi exitum describeret, quo verius posteris tradere posset. Quod si est, sub Tito res gestas Tacitus noster narravit, cum ejus principis tempore Vesuvius mons conflagraverit, & tum C. Plinius interierit. Ipse præterea sibi testis est annal. XI. se libros de rebus Domitiani compofuisse. Sed & cum Plinius d lib. scribit Tacito; *Augurer, nec me fallit augurium, historias tuas immortales futuras: quo magis illis (ingenue fateor) inseri cupio*: significat Cornelium gesta sub Nerva, nomine *historiarum*, scribere. Sicuti autem quod homo est, id necessario animal est, annales libri qui sunt, historiarum libri sunt: sed sicuti quod est animal, non id necesse est hominem esse, ita historiæ non omnino id quod annales sunt, apud Agellium lib. 5, 18. Quare nominis ratione, & quod tam multa hoc libro Cornelius præfetur, & *initium operis*, & *opus aggredi* se dicat, distinctos Annalium libros ab Historiarum, non sine causa mihi videor asserere. Juvatque opinionem meam, quod in Vaticana bibliotheca MS. ad initium hujus libri miniatis literis sic habet, INCIPIT XVII. EJUSDEM SECUNDUM QUOSDAM: quod significat olim jam ingeniosos fuisse, qui ab hoc libro Corn. Taciti opus Historiarum exordirentur. Itaque non tam audacter quam quibusdam videbitur, hoc à me factum est, ut suspectam librorum inscriptionem in receptum apud majores nostros titulum commutarim. *Vertranius*. Muretus adscripserat; [Ex vetere libro constat principio hujus libri quædam desiderari.] Quod an verum sit, mihi non liqnet: ceterum non esse videtur. *Acidalius*. Tacitus duo historiarum volumina scripsit. Alterum auspicatur ab excessu Augusti ad Calendas Jan. paulo post mortem Neronis, complexus tempora Tiberii, Caji, Claudii, & Neronis & magnam partem principatus Galbæ. Alterum exorsus à Calendis jam dictis extendit in mortem Domitiani. Quatuor priores libri voluminis posterioris (si ratio temporis habeatur, non considerato scriptionis ordine) res gestas continent unius tantum anni & aliquot insuper mensium à principio Januarii, cum Galba & Vinius consulatum inibant, anno ab V. C. 822. ex Taciti chronologia, aut potius ea, quam totius, ut tunc erat, imperii consensus probabat, *Claudio Cæsare* IV. *Vitellio* III. *Coss.* ut ipse scribit XI. Annal. exacte duobus, & viginti annis ante Galbam & Vinium, *ludi seculares octingentesimo post Romam conditam anno spectati sunt*. Quæ temporis observatio excedit uno anno fastos Capitolinos (ut vocant) consentitque accurate cum ea, quam Varro, Cicero, Plinius 8, 7. Dio l. 40. l. 52. l. 60. instituunt, ratione. Jam vero quamquam Principis majestas & ministri dignitas videantur ex earum rerum genere, quæ non bene conveniunt nec in una morantur sede, non repugnabat tamen istius ævi consuetudo, res dissociabiles miscentis, quin primo, cum Princeps imperio admoveretur, anno, ex more, sæpe & ex libitu in Consulatu se collegam faceret. Rationem reddit Appianus I. *Sulla quamvis Dictator collegam tamen se dari passus est Consuli Metello Pio, ut democratici regiminis species superesset. Et inde fortassis in hoc usque tempus manavit mos, quo Rom. Imperatores, cum reip. Consules crearent, sæpe etiam se Consules fecerint, non aspernati junxisse Consulis titulum Principali fastigio.* Primus autem Galbæ consulatus incidit in quartum, qui Tiberii mortem præcessit, annum, quo Liviæ Augustæ favor eum extulit, ut Plutarchus in Galba memorat. Sed errat, meo quidem judicio, cum illa quadriennio ante obiisset; invisa filio, & magis, quotquot ejus ope dignitates ambiebant. Tacit. 5. Annal. 2. Neque in more positum Tiberio fuit in longum successores dignitatibus destinare. *Savilius*.

2 *Ser. Galba iterum, T. Vinius coss.*] Vulgo appellant T. Junium. At mihi religio non fuit sequi scripturam antiqui marmoris eruti ad radices montis Cælii:

SER. GALBA II. T. VINIO. COSS. à quo præsertim staret Plutarchus, qui fere hunc homi-

tiam ad unum conferri pacis interfuit; magna illa ingenia ceſſere. Simul veritas pluribus modis infracta; primum [1] inſcitia reipublicæ ut alienæ, mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio adverſus dominantes. ita neutris cura poſteritatis, [2] inter infenſos vel obnoxios. Sed [3] ambitionem ſcriptoris facile adverſeris: obtrectatio & livor

hominem *Titus Οὔινιος*, aut *Οὔινιος* appellat. Simile mendum in Suetonii Auguſt. cap. XXVII. ubi *T. Junius Philopœmen* ſcribitur, qui ex Dione eſt *Vinius*. etſi Appiani ſcriptura firmat vulgatam. Sane Junia gens nobilior, quam ut in hunc hominem conveniat: cujus pater dumtaxat ex familia Prætoria, ut Tacitus infra refert. *Lipſius.*

3 *DCC & XX.*] Exacte ſi putas, XXII. reperies. *Lipſius.* Citat bona fide vir maximus, ut ſoliti fuerunt in editionibus exhibere, primo quidem vitioſe poſitis DCC, ubi centenarius deeſt. Deinde ut lætabar, quum viderem in ipſa vetere membrana literis plane expreſſa omnia eſſe, quæ illi ſignis numerorum literatis, ut modo poſui, involverunt. Itaque id liquide annotavi, & recte ſimiliter expreſſit Clar. Ryckius; etiam ipſe ſequens moneo futuros ab priſci exemplaris forma non recedere. *Jac. Gronovius.*

4 *Multi auctores.*] Intelligit præcipue, ut opinor, Livium, (quanquam latius ſe extendat ejus hiſtoria) cujus eloquentiam & fidem, qui circumferuntur libri, teſtantur, Tacit. 4. Ann. 34. *Savillius.*

5 *Atque omnem* poteſtatem ad unum conferri.*] Exemplar Matthiæ regis, *atque omnium poteſtatem*. quæ lectio mihi magis probatur: nam hæc clauſula, *ad unum*, reſpondet illi *omnium poteſtatem*, ſubaudit *civium*, hoc eſt, totius populi Romani. *Omnium poteſtatem*, hoc eſt quam omnes habebant. *Rhenanus.* Ego nihil muto, ſic enim ſcripſit Ulpianus, *Lege regia quæ de imperio principis lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem confert*, id eſt, omnem imperandi poteſtatem, quam populus in cives ſingulos, & in ſummum ipſum magiſtratum haberet. *Vertranius.* Non diſplicet lectio Daneſii, qui habet ex v. c. *Atque omnium poteſtatem.* Urſinus. Floren. habet: *atque omnem potentiam.* Pichena. Cicero Phil. 1. *Ne ignorans verum iter gloriæ glorioſum putes plus te unum poſſe quam omnes.* Livius l. 3. *Licentiam ſuam malle, quam omnium libertatem.* Sive ab τῷ *omnia* malis. Noſter libro 1. *Quam ſubjectum fortunæ regendi cuncta onus, proinde in civitate tot illuſtribus viris ſubnixa non ad unum omnia deferrent.* Quintilianus 6. Inſt. 1. *Cum omnia cura tutelaque unius innixa.* Gronovius. Oportet ergo perſuaderi ab Rhenano vocem *poteſtatem* exſtare in quibuſdam MSS. & quidem diſerte in Regio. An inde etiam exhibuit eam Beroaldus, ut ſpreto quod erat longe vetuſtius, ex recenti aliquo libro eam præpoſuerit? certe in Mediceo videbat *potentiam*, multo libentius in hoc genere ab Tacito uſurpatam? Me ſane non pœnitet annotaviſſe, & applaudens judicio Cl. Ryckii eum ſequor. *Jac. Gronovius.*

1 *Inſcitia reip. ut alienæ.*] Aliena ignorantur aut quod ab eorum cognitione ſubmovemur, aut quod incurioſos non excitat ſciendi deſiderium. Prius illud hic locum habere videtur. Nam cum antea quicquid ubique terrarum gereretur, populo Romano & Senatu arbitro fieret, nunc publica maximi momenti negotia, velut fidei ſuæ arcano ſepoſita, invaſerat paucorum libido. Dio l. 53. τὰ μὲν πλείω κρύφα, καὶ δι' ἀπορρήτων γίγνεσθαι ἤρξατο, ἐπεὶ ὂν τὸ μὲν σαφὲς οὐδεὶς οἶδε ῥαδίως ἢ ἔξω τῶν πεπραχότων αὐτά, id eſt: *Complura agitari clam cœperant, ſecluſis à cognitione aliis, præter eos in quorum manus illa devenerant.* Savillius.

2 *Inter infenſos.*] Ita ſuppleverunt, quum manus vetuſtiſſima tantum præbeat *inter ſenſos.* Unde patet vocem poſtremam ortam ab recentibus, quum in veteri ſcriptura eſſet aliquid obſcure exaratum, quod illuſtrare nequibant. In ſcripto Longobardico r ferme habet formam literæ f, quæ facillime confunduntur: hinc quum & vocalis præcedens non eſſet bene integra, imaginor male ſpectata iſta *inſ cirſenſos*, & omiſſa vel deleta lineola exſtitiſſe illud *inter ſenſos*, quod alii ſuppleverunt *infenſos*, quum debuiſſent *inter eſſe ſenſos.* Utroque ſane auctor utitur, ſed valeat teſtimonium antiquitatis. *Jac. Gronovius.*

3 *Ambitioni ſcriptoris facile adverſeris.*] Repoſui, *Sed ambitionem ſcriptoris facile adverſeris.* nam Tacitus ſolet hoc verbum cum accuſativo conjungere. Sic infra; *Vidiſtis commilitiones notabili tempeſtate etiam deos infauſtam adoptionem adverſantes.* Libro Annal. 1. *Sua facinora adverſari deos lamentantur.* Rurſum libro 3. Hiſtor. *Voce flebili precabatur placatos patris manes, neve ſe ut parricidam adverſarentur.* Libro 4. Hiſtor. *Vulgus adverſari regem, invidere Ægypto, ſibi metuere, templumque circumſidere.* Rhenanus. Mutaverat Muretus, *adverteris.* male. Quod ſi quid erat mutandum, potius *averteris*, vel *averſeris.* Sed non erat Taciti illa propria phraſis: hoc ipſo libro infra: *deos infauſtam adoptionem adverſantes.* Ceterum notabis *ambitionem* rariore ſignificatu hic pro aſſentatione vel adulatione poni. Id patet cum ex proxime ſequentibus: *Quippe adulationi fœdum crimen ſervitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt.*

livor pronis auribus accipiuntur. quippe adulationi fœdum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. [1] Mihi Galba, Otho, Vitellius, nec beneficio nec injuria cogniti. Dignitatem nostram a [2] Vespasiano inchoatam, à [3] Tito auctam, à [4] Domitiano longius provectam non abnuerim; sed [5] incorruptam fidem professis, [6] neque amore quisquam, & sine odio dicendus est. Quod si vita suppeditet, [7] principatum divi Nervæ, & imperium Trajani, [8] uberiorem securio-

*inest.* tum ex præcedentibus: *mex libidine assentandi*, adulationem & ambitionem deprehendens. Sed & *ambitiosum* item pro assentatorio. infra: *Multi occulta spe, prout quis amicus, vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant.* Sall. in Ingurth. de Metello, *tanta temperantia inter ambitionem sævitiamque moderatum.* Acidalius. Muretus, *adverteris.* Malim, *averseris.* Similis lapsus non semel in his libris. *Pichena.* Legam *averseris*, cum Pichena. *Freinshemius.*

1 *Mihi Galba, Otho, Vitellius.*] Eadem fere Crispus, ut sibi fides haberetur in proœm. Catil. *Statui res gestas populi Rom. carptim* (*ut quæque memoria digna videbantur*) *perscribere; eo magis quod mihi à spe, metu, partibus reip. animus liber erat.* Salinerius.

2 *Vespasiano inchoatam.*] Quomodo? quiane Procurator sub illo Belgicæ? E Plinio l. 7. id suspicere: sed suspicere tantùm. imo verius id ceperis de hujus patre. Intelligo ergo dignitatem ejus inchoatam a Vespasiano, quod ab eo Quæstor, Senatorque factus. *Lipsius.*

3 *Tito auctam.*] Ædilitate, aut Tribunatu. *Lipsius.*

4 *Domitiano longius provectam.*] Quo Principe & Quindecim-vir & Prætor fuisse, ipse testatur 11. Annal. *Idem.*

5 *Incorruptam fidem professis nec amore quisquam.*] Muret. *nec cum amore.* ut placet. Sed quorsum etiam *professu* mutat? Nimis putidum istud. *Acidalius.*

6 *Neque amore &c.*] Hanc priorem vocem quum habeat Mediceus, malui servare, quam vulgatum *nec.* Jac. Gronovius.

7 *Divi Nervæ.*] Ait, Divi. Cœpit ergo scribere eo mortuo & sacrato. *Lipsius.*

*Principatum Divi Nervæ.*] Senatus Cæsarum nonnullis templum & cœlestes honores concessit & titulum Divi, aut ob merita aut importunas successorum flagitationes. Neque hæc principibus tantum indulta, sed & uxoribus, matribus, imo & filiis, ut historias legentibus obvium. App. 2. *A Julio Cæsare omnes porro Imperatores, nisi aut tyranni fuissent aut prorsus mali, Romani post mortem divinis afficiebant honoribus.* Nam Deûm honor Principi non ante habetur quam agere inter homines desierit, Tacit. 15. Ann. Ideoque Trajanum, adhuc tum in vivis, simpliciter nominat: non addita honoris significatione; alium jam mortalibus exemptum, Divum Nervam. Sollennia hujus ἀποθεώσεως quasi dicat, Deificationis, cum usu recepta sint quibusdam nostro tempore gentibus, describam ex Herodiano libro 4. & aliis; saltem quoad præcipua ejus membra: Post exequias Principis magnifico & sumptuoso funeris apparatu, ut in aliis hominibus ex dignitate cujusque fieri solebat, ceream imaginem in defuncti similitudinem effingebant, sed pallidam & exsanguem ut ægrum imitaretur. Illa ad palatii ingressum collocabatur in eburneo lecto, aurea veste constrato. Adstabat Senatus & ex cæteris ordinibus alii pullati. Visebant quotidie Medici, venæ momenta exploraturi, morbique examen ad collegium suum referebant. Abituri renuntiabant ex decreto facultatis suæ quomodo morbus quotidie ingravesceret, vixque superesse salutis spem. In exitu diei septimi arbitrabantur, atque ex artis fiducia affirmabant fatalem esse crisin quæque ægrum jam confecisset. Ex Senatu ergo quidam ac præcipua nobilitate in hunc finem collecti sublatum in humeros lectum deportabant via sacra ad forum, ubi agmen juniorum Nobilium, qui gloria & celebritate gentis præfulgebant, ab una parte, virginesque ab altera, respondentes sibi invicem hymnos occinebant in honorem defuncti Principis, sollenni & attemperato mortualibus sono, permixto alludentis Musicæ non uno artificio, ut totius ceremoniæ instituto nihil prorsus tribueres præter inerrantem mærori lætitiam; quod Seneca ἀποκολοκυντώσει, id est, in consecratione Claudii docet. *Et erat omnium formosissimum* (funus Claudii) *& impensa cura plenum, ut scires Deum efferri, tibicinum, cornicinum, omnisque generis aneatorum tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire posset.* Postea lectus deferebatur in campum Martium extra urbem, ubi exstructa erat quadrata turris ex asseribus, infima parte latiori, altitudine mediocri, ut ligni quantum satis caperet, exterius circumtecta aureis vestibus, imaginum & picturarum speciosissime elaborato cultu. Isti turri inædificabatur turricula, quoad formam & ornamenta quibus prætexebatur, priori similis, sed magnitudine impar, apertis & januis & fenestris, (cadaveris loculamentum) quo aromata & toto orbe quæsiti odores congerebantur crescente in tertiam

rioremque materiam senectuti sepofui; rara temporum felicitate, ubi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet. [1] Opus aggredior opimum casibus, atrox prœliis, [2] discors seditionibus, [2] ipsa etiam pace sævum. [3] Quatuor principes ferro interempti.

[1] Tria

tiam & quartam ulteriusque, turricularum numero, sed fastigii sensim latitudine decrescente; ut tota fabrica pharum aut excubitoriam speculam, quæ de nocte allucet, referret. Omnibus in hunc modum compositis, Nobiles locum obequitabant, admoderato ad certas leges progressu. Sequebantur alii lecticis intectis, habitu qui gravitatem decet, facie larvas bonorum Principum gestantes aliorumque, quos prisca celebrasset ætas. Cæremoniis huc usque peractis successor Principis defuncti primus arrepta face ad rogum se confert, post illum tota eo confluit multitudo. Succenso rogo, emittebatur ex summæ turriculæ fastigio aquila, quæ animam in cœlum subveheret. Cum autem de hoc non dubitarent, postea cœlitibus insertum Romani divinis coluerunt honoribus. Sed, quod plane mihi exciderat, ante consecrationem usu receptum fuit, ut nobilium aliquis ad extremum jurejurando divinitatem ejus assereret. Sueton. August. *Nec defuit vir pratorius, qui effigiem cremati euntem in cœlum vidisse jurasset.* Idem de Drusilla Caji sorore Livius Geminius Senator affirmabat. Dio libro 54. *ἐφ' ᾧ πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας ἔλαβε*, id est, *& dono ob id accepit decem millia sestertium:* quæ summa conficit nostratis pecuniæ 7812. lib. 10. solidos sterlingos. Cujus dictis lauto licet pensarentur honorario, non eo tamen melius habita fides. Seneca ἀποκολοκυντώσει: *Postquam in Senatu juravit se Drusillam vidisse ascendensem cœlum, & illi pro tam bono nuncio nemo credidit, quod viderit, verbis conceptis affirmavit* &c. Illud jurandi institutum manasse in usum videtur auctore Julio Proculo, qui Romuli sic divinitatem adstruxit, quem Senatus obtruncavit & Deum fecit; omninoque illa videntur fuisse hujus consecrationis primordia, quæ Romanis auxit Deorum numerum. Tullius sic quoque de filia Tulliola sensit, ut ex epist. ad Att. apparet, sed ad reip. turbas facile evanuit imaginariæ deitatis opinio. Ista consuetudo per C. Cæsaris, Augusti, Claudii, Vespasiani, Titi descendens tempora, vixque interruptionem passa, tam diu invaluit, ut etiam Christiani Imperatores sic monumentis consecrarint suos genitores & antecessores. Et sic bonorum Principum decorabantur exequiæ. Malos ex meritis prosecuta est Senatus auctoritas, *ut nomen fastis eximeretur, ut statua dejicerentur, ut corpus unco traheretur in Tiberim.* Savilius. Πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδες non sunt *à million off sestercos*, sed decies sestertium, vel decies centena millia sestertium numum; moneta Anglicana libræ 7500. rotundo numero. *Gronovius.*

8 *Uberiorem securioremque.*] Comparativum alterum non est in libro manuscripto. *Rhenanus.* Dubito de sinceritate vocis *uberiorem.* nullo enim modo uberior scribendi seges in temporibus Nervæ & Trajani, quam in his quæ nunc aggreditur. Quod si vera scriptura, non ex vero sententia. Nec sane ratio est, cur uberiorem materiam senectuti reservet; nisi quietem forte & otium respicit, cui tamen vitæ senilis uni eo commodo, multa è diverso opponas incommoda. Denique si illa materies uberior tandem: cur hujus operis opulentiam tam ambitiose statim incipit recensere? Vel lege *liberiorem.* quod probant sequentia: *Rara temporum felicitate, ubi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet.* Acidalius.

1 *Plenum variis casibus.*] Parum firma aut germana lectio. Nam Vatic. ille opt. *opus aggredior opibus casibus*, præfert: & supra adnotatum, *opimum.* Et in Romano antiquitus excuso item legas, *opimum casibus.* Censeam fuisse, *opulens casibus.* quæ vox paullo à vulgo seductior, exscriptores seduxit. *Lipsius.*

*Opus aggredior opimum casibus.*] Non dubium, quin hic vetera omnia exemplaria sint corrupta. Sed luce clarius vulgatam lectionem, *plenum variis casibus*, à nimis audaci arbitrariaque manu substitutam, quæ ne ullum quidem scripturæ priscæ vestigium præferat. Testatur Lipsius in Vat. legi, *opibus casibus*: & supra, *opimum.* ex quo ille mallet, *opulens.* Flor. item *opibus.* Mihi certe minus à libris abhorrens visum est, *opimum casibus*: quod etiam retulit Romanus editus. Nec video cur improprie dicatur, *opus opimum*, id est, secundum, abundans, refertum. *Pichena.* Veniebat in mentem *obsitum* vel *uberrimum.* Gronovius. Mallem non fuisse apposita. Neque tamen id factum, quia non concoquebatur locutio, ut sustinet prætexere Ryckius, (Nam exemplari suo adscripsit *pater ager opimus copiis* Livius 3, 7. quod melius Virgiliano apud Ryckium citato) sed quia ab antiquis libris tam Vaticano quam Mediceo *opimum* repellitur, vox tam bene cognita, ut si Tacitus illa fuisset usus, etiam merito credatur corrumpi nequivisse. In hac igitur antiqua voce *opibus* non est opus, ut multis demonstrem, quam prope in charactere Longobardico accedat ad vocem *copiosum.* Hanc enim opinor in ea latere, ut alibi *copiosus artibus honestis*, sic nunc *copiosum casibus.* Jac. Gronovius.



2 *In*

[1] Tria bella civilia, plura externa, [2] ac plerumque permixta. Prosperæ in Oriente; adversæ in Occidente res. [3] Turbatum Illyricum; Galliæ nutantes; [4] perdomita

2 *In ipsa etiam pace sævum.*] Præpositionem *in* expunximus, subauditur enim Tacito. *Rhenanus.* Spectantur hic inprimis Domitiani tempora. *Savilius.*

3 *Quatuor Principes.*] Ne erres cum vulgo, neu Pisonem inter istos censeas. Intelligit enim Galbam, Othonem, Vitellium, Domitianum. Nam & ad hujus exitum Historiam perduxit. Piso autem, duntaxat Cæsar, non Princeps. *Lipsius.*

1 *Tria bella civilia.*] Quæ? Othonis in Vitellium: hujus in Flavium, & L. Antonii in Domitianum. de quo Sueton. & Dio. *Idem.*

*Tria bella civilia.*] *Trina bella civilia*, legitur in manuscripto. *Rhenanus.* Florentin. *trina bella civilia.* Pichena. Primum Othonis & Vitellii, secundum Vitellii & Vespasiani, tertium L. Antonii in Domitianum. *Savilius.*

2 *Ac plerumque permixta.*] Aut fortasse unum utriusque participabat, ut in exercitu Antonii Primi cum expugnaret Cremonam, *cui cives, socii, externi interessent.* Tacit. histor. & eodem libro. *Principes Sarmatarum Jazygum in commilitium adsciti, trahuntur in partes Sido atque Italicus reges Suevorum.* Adeo ut hæc bella, quæque iis paria, etsi respectu ducum civilia essent, externorum tamen auxiliorum respectu possit vocari *permixta.* Savilius.

3 *Turbatum Illyricum.*] Ut tempore Othonis per Roxolanos Tacit. hoc libro. Vitellii per Dacos. Tacit. 3. histor. Vespasiani per Sarmatas. Jos. ἁλωσ. 7. c. 12. Et in universum lacessiti istarum gentium irruptionibus Romani sub Domitiano. Tac. in vit. Agric. *Savilius.*

4 *Perdomita Britannia, & statim missa.*] In vitio aperto & confusione locus. Quid enim illud, *missa cohorte?* Itane unius cohortis res fuerit, in Sarmatas ac Suevos bellum? Nugæ. Denique quis hic sermonis contextus aut cohæsio, missa cohorte in Suevos, Dacum cladibus involutum? qui populi sane diversi. Omnino recte correximus pridem: *perdomita Britannia, & statim amissa. coorta Sarmatarum ac Suevorum gentes. nobilitatus clad. mutuis Dacus:* nec exiguo ad historiam momento. Discimus scilicet perdomitam Britanniam (quod Domitiani imperio accidit: eamque laudem Agricolæ socero suo noster tribuit, in ejus vita: *Britanniæ situm non in comparationem curæ ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est*) & mox ignavia aut dissidio Principum in parte amissam: sive magis placet, *omissam.* Quod in Domitiani ultimis rebus verum censeo, externo imperio non allaborantis. Etiam Spartianus auctor, sub principia Imperii Hadriani, *teneri Britanniam sub Romana ditione non potuisse.* Addit amplius, penetrasse eundem Principem in Britanniam, nec tamen totam reciperasse, sed *per octoginta quinque millia passuum murum duxisse qui Barbaros Romanosque divideret.* Cujus muri mentio etiam Dioni in vita Commodi: Τῶν inquit, ἐν τῇ νήσῳ ἐθνῶν (de Britannia loquitur) ὑπερβαλόντων τὸ τεῖχος τὸ διορίζον αὐτούς τε καὶ τὰ τῶν Ῥωμαίων στρατόπεδα. Alius ab isto murus, sive vallum potius, quod Severus imperator duxit per millia passuum XXXV. ut Eutropius ait; sive, XXXII. ut Victor. De quo vallo diffuse & diserte Beda, l. 1. cap. v. Aliquid etiam Windichindus Saxonicorum libro 1. At fons totius hujus corruptionis (varie enim interpolatus locus) à verbo *coorta* ortus: quod plerumque libri scripti in medio adspirant. *coherta, coheriri.* Hinc turbellæ. *Lipsius.*

*Et statim missa coherte in Roxolanos Sarmatarum ac Suevorum gentes.*] Accusativus *Roxolanos* videtur postea additus: nam non est in volumine Budensi, nos quoque sustulimus. *Rhenanus.* Vir doctus sic corrigit hunc locum, qui procul dubio corruptus est, *statim amissa: coorta Sarmatarum.* Perdomita Britannia intelligitur à Julio Agricola tempore Domitiani. Tac. in vita Agric. Quia tum demum perdomita est Britannia: jam amitti debuit sub eodem Domitiano (ille enim temporis ambitus est, quem hæc non excedit historia) quod nec ullo historiarum testimonio, imo nec levi conjectura adstrui potest. In vita Agric. quam sub Trajano scribebat, cap. 41. *ea insecuta sunt reip. tempora*, &c. Amissæ Britanniæ, si res sic habuisset, mentio fieri potuisset, hoc loco melius, quam ullius ex iis, quas recensere poterat, calamitatibus. Sed Agricola provinciam illam reliquerat pacatam, sic procul dubio habitam toto, quo Domitianus vixit, tempore. Nam quod sub Adriano accidit (dissensio tantum, non amissio provinciæ fuit) cum sit extra hujus historiæ circuitum, & ut verisimile est, ultra scriptoris vitam extendatur, facile inducor ut credam non fuisse auctori propositum, isti rei hic locum dare. magis fuerit ex historiarum fide, & cum minima veteris lectionis mutatione hæc emendatio: *Britannia perdomita & statim missa* (id est missa facta, ἀφειμένη, aut *partim missa*) *coorta Sarmatarum ac Suevorum gentes*, ut significet totam quidem domitam, sed non retentam. App. τῆς Βρεττανίδος νήσου τὸ κράτιστον ἔχοντες ὑπὲρ ἥμισυ (οἱ Ῥωμαῖοι) οὐδὲν τῆς ἄλλης δέονται. οὐ γὰρ εὔφορος αὐτοῖς ἐστιν οὐδὲ ἣν ἔχουσι. Savilius. Doctiss. Lipsius con-

mita Britannia, & statim missa. [1] coortæ in nos [2] Sarmatarum ac Suevorum gentes, [3] nobili-

constituit, *perdomita Britannia & statim amissa.* Bene utique, nisi quod verbum *amissa* minus placet acerrimi judicii viro Savilio, qui verissime tradit non amissam Britanniam sub Domitiano; imo ne sub Hadriano quidem. Verius ergo, quod ei visum, *missa*: quia perdomita quidem ab Agricola omnis Britannia, sed incuria sequentis seculi non omnis retenta, quia pars ejus minus fructuosa. *Mercerus.* Hæc in integrum restitui possunt vel minima castigatione, *& statim amissa cohortes in Rhoxolanos.* Agit Cornelius de prosperis, deque adversis, quæ Romanis evenere intra Galbam & Domitianum. Rhoxolani ea strage irritati, qua sese Mœsiam populantes M. Apronius profligaverat, denuo sub Domitiano rebellarunt: ad quos reprimendos legio mittitur, quæ cum legato ad internecionem cæsa est. Sueton. Dom. 6. Sed cur non ibi mentio Sarmatarum? recensetur provincia, in quam ii se effundere soliti sunt, hoc libro cap. 79. Indeque Hadrianus teste Spartiano, *audito tumultu Sarmatarum, & Alanorum, præmissis exercitibus Mœsiam petiit.* Hæc autem Romanorum cædes accidit, postquam Britanni ab Agricola domiti sunt. in vita ejus cap. 41. At τὸ *statim* impedimento non est. libro 54. ann. *Erepto per venenum patre, & statim postea fratre.* Britannicus enim anno post veneficio sublatus est. Si hæc mea minus placent, sua quisque proferat: quæ ego non potui, alius assequi nequeat? Doctiss. vir his manus admovit, *& statim amissa. Coorta Sarmatarum* &c. at is mendacem Tacitum facit, & historiæ fidem convellit: nam Cornelius sibi terminos historiæ finivit, cap. 5. *Mihi Galba* &c. Quo pacto igitur sibi constaret, si ei verba hic essent de Britanniæ amissione, quæ vivo Domitiano non accidit? historia vero (quod sciam) nihil de ea re usque ad Hadrianum: nec tunc (si non ignave rem examines) ibi aliquid amissum: etenim Britannia non omnis à Romanis provincia facta fuit nec ultimo illo Agricolæ prælio. *Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque.* à quibus? à reliquis nimirum Britannis, qui ea perterriti occidione, satis habebant, si à Romanis non lacesserentur: nec prius rebellare sunt ausi, quam undique gentes conspirarent adversus Hadrianum. Spart. in Hadr. *Nam deficientibus nationibus, quas Trajanus subegerat, Mauri lacessebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri sub Romana ditione non poterant.* Et is muro solum divisit provinciales à Barbaris Britannis. *Salinerius.* Recte omnino Lipsius pridem: *& statim omissa. coorta Sarmatarum* &c. Quia tamen in vulgata lectione etiam præpositio *in*, quæ à Lipsio neglecta: valde libeat cum Mureto addere, *coorta in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes.* Acidalius. Recte opinor à Lipsio emendatum. Sed arguit Salinerius, Tacitum sibi terminos historiæ scribendæ statuisse, usque ad Domitiani tempora. at Britannia amissa fuit Hadriano imperante: ergo illius amissio complecti hac historia non potest. Nego primum adeo certum à Tacito terminum sibi præfinitum, ut etiam ulterius progredi non cogitaret, si vita suppeteret. nam ut paulo supra dixit, imperium Nervæ & Trajani suæ senectuti seposuit. Deinde, cum præcipuas Rom. imperii calamitates, velut proœmium futuræ historiæ proponat, non erat locus de Britannia perdomita dicendi, nisi diceretur etiam de amissa. *Pichena.* Forte non frustra est quod de Rhoxolanis ingerunt veteres editiones; *cohorte Roxolanos Sarmatarum.* ea enim Sarmatica gens Romanis bellum fecit, hoc libro c. 79. *Freinshemius.* Qui amplius volunt, rapiant sibi, Vetus fides probat ab Tacito venisse *missa.* Id satis est, & ex vero explicetur. *Jac. Gronovius.*

1 *Coorta in nos Sarmatarum.*] Id quum ex Mediceo MS. notavissem, recepit Ryckius, & mihi placuit tanto magis, quo suavius fuit aliis id pervertere, ut denique audiremus *in Roxolanos*, quum Tacitus tantum dedisset duo extrema. *Jac. Gronovius.*

2 *Sarmatarum ac Suevorum.*] De Sarmatis, etiam apud alios leges: de Suevis, vix puto. Cattos saltem nominant, in Domitiani quidem rebus. Sed tu scito, hos Suevos, non illos esse qui in ipsa Germania, & qui vulgo noti: sed qui trans Istrum, assiti Sarmatis. Illi, inquam, ipsi, quibus Vannius à Druso rex datus, quique inter Marisum & Cusum fluvios locati. Itaque militia plerumque sociati cum illis. Libro XII. Annal. *Ipsi Vannio manus propria pedites; eques è Sarmatis Jazygibus erat.* Etiam nunc bello hoc in Domitianum. Dionis fragmenta præclare (& absque iis hærebamus:) Ἐν τῇ Μυσίᾳ Λύγιοι Συήβοις τισὶ πολεμηθέντες, πρέσβεις ἔπεμψαν, αἰτοῦντες συμμαχίαν παρὰ Δομιτιανοῦ, καὶ ἔλαβον. Ἀγανακτήσαντες ἐπὶ τούτῳ οἱ Σύηβοι προσπαρέλαβον Ἰάζυγας καὶ παρεσκευάζοντο ὡς καὶ μετ' αὐτῶν τὸν Ἴστρον διαβησόμενοι: *In Mysia Lygii cum Suevis belligerantes, legatos miserunt auxilium à Domitiano rogantes; & impetraverunt. Quod ægre ferentes Suevi, Jazygas assumsere, & apparabant se tamquam Istrum una cum iis transituri.* Lipsius.

3 *Nobilitatus mutuis cladibus Dacus.*] Verba significare videntur civiles dissentiones, aut τὸ *mutuis* sumendum pro *alternis.* Savilius.

bilitatus [1] cladibus mutuis Dacus. Mota etiam prope Parthorum arma [2] falsi Neronis ludibrio. Jam vero Italia novis cladibus, vel post longam sæculorum seriem repetitis, afflicta. [3] Haustæ aut obrutæ [4] urbes fœcundissima Campaniæ ora. Et urbs incendiis vastata, consumptis antiquissimis delubris, ipso Capitolio civium manibus incenso. [5] Pollutæ cærimoniæ. [6] magna adulteria. [7] plenum exsiliis mare. [1] in-

1 *Cladibus mutuis Dacus.*] Epitomarii de hoc bello Dacico, multa; & poëta Statius:

*Das Cattis Dacisque fidem.*

Iterum:

*Hæc est quæ victis parcentia fœdera Cattis,*
*Quæque suum Dacis donas clementia montem.*

Cur montem diserte nominat? sicut in eadem ista re;

*Tu civile nefas, tu tardum in fœdera montem*
*Longo Marte domas.*

Quiane montana Dacia, & tales ibi munitiones? Apparet è Fragm. Dionis, in rebus Trajani: Ὁ δὲ Τραϊανὸς ὄρη τε ἐπιτετειχισμένα εἷλε, καὶ ἐν αὐτοῖς τά τε ὅπλα, καὶ μηχανήματα, καὶ τὰ αἰχμάλωτα. Suspicari etiam possis, in re occultius aliquid designari. Ἑνικῶς enim & unum montem dumtaxat appellitat. Aspectum igitur a poëta, ad ridendam & miri stuporis superstitionem Dacorum; quibus Sacerdos in monte quopiam Deus habebatur, & mons ipse Sacer. Strabo libro VII. Παρὰ δὲ τοῖς Γέταις, ὁ ἱερεὺς ὀνομάζετο θεὸς καὶ τὸ ὄρος ὑπελείφθη ἱερὸν, καὶ προσαγορεύουσιν οὕτως. *Apud Getas Sacerdos Deus dicitur: & mons, Sacer existimatur, atque ita appellatur.* At enim de Getis hoc Strabo ita. sed tu disce, Getarum populum Dacos esse, ex Dione libro LI. & Strabone ipso statim. Etiam Appianus notat *Getas ultra Danubium à Romanis Dacos appellari.* Addo etiam Cappadocibus montem pro Deo fuisse. Tyrius Maximus: Ὄρος Καππαδόκαις καὶ θεὸς, καὶ ὅρκος, καὶ ἄγαλμα. Lipsius. Ὑπελείφθη non est *existimatur*, vel *habetur.* confundit ὑπελήφθη. Jac. Gronovius.

2 *Falsi Neronis ludibrio.*] Dat & accipit lucem Suetonius, in extremo Nerone. *Denique cum post* XX. *annos, adolescente me exstitisset quidam conditionis incertæ, qui se Neronem esse diceret: tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus & vix redditus sit.* Post viginti annos, inquit, à morte Neronis. ergo in XIV. consulatu Domitiani hic motus. *Lipsius.* Latius de hoc agitur lib. 2. cap. 8. Sed major hujus historiæ lux contigit nostro sæculo, reperta & publicata Firmiani Lactantii cura de Mortibus persecutorum cap. 2. *Jac. Gronovius.*

3 *Hausta aut obruta urbes. Fœcundissima.*] Verius distinxeris, *Hausta aut obr. urbes fœcundissimâ Campania orâ: & urbs inc. vastata.* Id enim significat, in Campania haustas aut obrutas urbes prodigiosa illa ejectione Vesuvii montis, quæ sub Tito. Qua duo oppida cum pagis multis obruta, Herculanium & Pompeii. quin ille ipse Naturæ magnus mystes Plinius, periit eodem casu. Statius de hac re eleganter:

*Mira fides. credetne virum ventura propago*
*Cum segetes iterum, cum jam hæc deserta virebunt,*
*Infra urbes populosque premi?*

Tangit & Plutarchus in iis quæ Thespesio revelata, ubi Βέσβιον ὄρος appellat: quod male interpres *Lesbium montem* vertit. At quod in Tacito de incendiis urbis est: intellige, de Capitolio exusto sub Vitellio, & de igne triduano, qui sub Tito Dionem vide. *Lipsius.*

*Hausta urbes.*] *Hausta* scil. *flammis*; aut in genere ἀφανισθεῖσαι, eversæ quocunque tandem modo. *Savilius.*

4 *Urbes fœcundissima Campania ora. Urbs.*] Ita fere Lipsius distinxit, historiæ fidem secutus. nisi quod ipse scripsit, *fœcundissima Campania ora: & urbs.* At mihi aptior visa lectio quam reposui, deleta copula, *&*, forte sumpta ex antecedenti diphthongo. Inepte antea, *urbes, Fecundissima Campania ora, & urbs incendiis* &c. *Pichena.* Suet. Tit. 8. *Quædam sub eo fortuita ac tristia acciderunt, ut conflagratio Vesuvii montis in Campania, & incendium Romæ per triduum, totidemque noctes.* Xiphilinus abbreviator Dionis hoc Vesuvii incendium prolixe describit additis circumstantiis & prodigiis; ex quibus hoc unum, sparsos ejaculante flammarum vi per Africam, Asiam, & Ægyptum cineres. *Romam usque se diffudit*, inquit, *aërem ejus opplevit, solemque obscuravit.* Plin. 6. ep. 16. ad Tacitum, dum in describenda Patrui morte versatur, qui fumo cineribusque suffocantibus periit, eadem narrat. Sequentium Imperatorum temporibus mons idem tantam eructavit ignium vim, ut disjectis Constantinopolim usque cineribus incolæ extinguerentur; si non laborat historiarum fides. Romæ autem conflagrantis casum fusa descriptione Xiphilinus prosequitur. πῦρ δὲ δὴ ἕτερον τὸ ἑξῆς ἐπὶ πολλὰ πάνυ τῆς Ῥώμης ἐπινεμόμενον &c. *Idem.*

5 *Polluta cærimoniæ.*] Vestalium nempe incestis. quæ protraxit Domitianus pariter & puniit. Præter historicos, Papinius allusit. qui prospectantem Domitianum facit,

——— *an tacita vigilet face Troicus ignis,*
*Atque exploratas jam laudet Vesta ministras.*

Lipsius.

6 *Ma-*

[1] infecti cædibus scopuli. [2] atrocius in urbe sævitum. [3] Nobilitas, opes, omissi gestique [4] honores pro crimine, & ob virtutes certissimum exitium. Nec minus præmia delatorum invisa quam scelera: cum alii sacerdotia & consulatus [5] ut spolia adepti, [6] procurationes alii & [7] interiorem potentiam, [8] agerent ferrent cuncta. [1] Odio

6 *Magna adulteria.*] Magnarum nobiliumque familiarum adulteria. *Ferrettus.*

7 *Plenum exiliis mare.*] *Mare* pro *insulis.* Sic. 4. Ann. *Seriphum* vocat *saxum Seriphium*, per contemptum; istius enim generis pleræque erant insulæ, in quas relegati ibant. Insulæ deportationi assignatæ erant *Pandateria*, *Planasia*, *Cercina*, *Seriphus*, *Gyarus*, *Cythera*, *Amorgus*, *Donusa*, *Trimerus*, *Baleares*, *Sardinia*, *Naxus*, & fortassis aliæ. *Savilius.*

1 *Infecti cædibus scopuli.*] Relegati in insulam plerumque secunda jussione submovebantur in paludes aut promontoria, sic clandestinis cædibus perituri. Aut forte *tò scopuli* hic sumitur pro insulis, ut antea *mare.* Idem.

2 *Atrocius in urbe sævitum.*] Recte. Imago enim sævitiæ cædiumque multa in insulis & provinciis, major in ipsa urbe. Egregius tamen & acutus quidam juvenis mavult, *in urbe servitium.* Lipsius.

3 *Nobilitas, opes, pro crimine.*] Πᾶσι τε γὰρ καὶ αὐτοῦ δημόσιον ἔγκλημα ἦν ἀρετή τε καὶ πλοῦτος, καὶ γένος, scribit Xipbilinus de Nerone, cui in omni crudelitatis genere velut suppar Domitianus. *Savilius.*

4 *Honores omissi.*] Xiphil. Herennii Senecionis meminit, quem Domitianus interemit, quod post Quæsturam reliquo vitæ tempore ad majores dignitates non adspirasset. Tac. in vita Agr. *Salarium tamen Proconsulari solitum offerri, & quibusdam à se ipso concessum Agricolæ non dedit* (Domitianus) *sive offensus non petitum, sive* &c. Savilius.

5 *Ut spolia adepti.*] Tempore Tiberii cum proditionis accusatus esset Libo Drusus, *bona damnati inter accusatores dividebantur, & Pretura extra ordinem data iis, qui Senatorii ordinis erant.* Tac. 2. Ann. Rursus 3. Ann. *Hunc* (Titium Sabinum) *Latinius Latiaris, P. Cato, P. Rufus, M. Opsius pratura functi aggrediuntur cupidine Consulatus;* describens non illud, quod hæc narratio designat, tempus, sed actiones per omnia huic tempori similes; alios potius homines, quam alios hominum mores. *Idem.*

6 *Procurationes.*] *Procurator*, inquit Cic. pro Cæcina, *dicitur is, qui omnium rerum ejus, qui in Italia non sit, absitve Reip. causa, quasi quidam pene dominus est, hoc est, alieni juris vicarius.* Appian. vertit ὁ τὴν ἀποδημοῦντος ἐπιτροπεύων. Ex generali vocis istius significatione postea in usum venit specialis, qua notat eos, qui in singulas destinabantur Provincias (præter præsides aut legatos) ut rationarium, aut publicos reditus collecturi. Dio lib. 53. ἐπιτρόπους ὀνομάζομεν τοὺς τάς τε κοινὰς προσόδους ἐκλέγοντας, καὶ τὰ προστεταγμένα σφίσιν ἀναλίσκοντας. Id est, *Procuratores vocamus eos, qui recipiunt atque ex officio expendunt publicos reditus.* Tac. in vita Agric. introducit querentes Britannos *Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, è quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saviret.* Fuit autem non tam dignitas, quam privatis obeuntium commodis indulta potestas, Romanis nobilibus delegari solita, aut Principum libertis; in genere, spectatissimæ fidei ministris. Atque hæc muneris origo. Secundario admovebantur explorandis Legatorum actis: quandoque & ipsis necandis ex speciali mandato immittebantur. Erat & cum minores Provincias obtinerent præfecti cum jurisdictione, vocati tum *Procuratores cum potestate* aut *vicepræsides.* hoc lib. *Duæ Mauritaniæ, Rætia, Noricum, Thracia, & quæ alia procuratoribus cohibentur.* A Claudio imprimis plurimum huic officio auctoritatis accessit, ut ait Tac. 12. Ann. 60. Et Tiberio imperante Pontius Pilatus, sub quo Christus passus est, Procurator tantum erat, non legatus aut præses, lib. 15, 44. *Idem.*

7 *Interiorem potentiam.*] Illâ apud Augustum Mæcenas & Salustius Priscus valuit, narrante Tac. Ann. 3, 30. qui per ambitionem ad honores quidem non enitebantur, sed principibus grati placide moderandis eorum consiliis se ingerebant, ex illis quos interioris admissionis appellant. *Idem.*

8 *Agerent, ferrent cuncta.*] Frequens hæc loquendi forma T. Livio. Veluti cum milites ait *agere ferreque omnia.* monuisse satis est. *Lupanus.* Secutus sum lectionem Florentini codicis, *Agerent, verterent cuncta odio & terrore. Corrupti* &c. aliquanto, ut opinor, aptiorem vulgata. quæ sic habebat; *agerent, ferrent cuncta. Odio & terrore corrupti.* Pichena. Vulgatam & lectionem & distinctionem multo meliorem esse docuimus 3. Observ. 22. *Gronovius.* Quod quidquid sit, non satisfecit Cl. Ryckio prorsus munienti se solerter intra præsidium codicis Flor. & ad eum tutandum superstitiose curioso, ut ediderit & in notis prompserit *agerent verterent.* Euge ergo! suaviter ex utriusque justis rem cernamus. . Quod ad eam attinet, in ea ipsa nihil aliud, quam sicut ille & fatetur & satis crebro usurpavit scholas, quibus Pater adolescentibus Tacitum παραφερον-

τα

[1] Odio & terrore corrupti in dominos servi, in patronos liberti: & quibus deerat
inimicus, per amicos oppressi. Non tamen adeo virtutum sterile sæculum, ut non
3 & bona exempla prodiderit. Comitatæ profugos liberos matres, secutæ maritos
in exsilia conjuges, propinqui audentes, constantes generi, contumax, etiam ad-
versus tormenta, servorum fides. Supremæ clarorum virorum necessitates, ipsa
necessitas fortiter tolerata, [2] & laudatis antiquorum mortibus pares exitus. Præter
multiplices rerum humanarum casus, cælo terraque prodigia, & fulminum moni-
tus, & futurorum præsagia, læta, tristia, ambigua, manifesta. Nec enim un-
quam atrocioribus populi Romani cladibus, magisve justis indiciis approbatum est,
4 [3] non esse curæ deis securitatem nostram, esse ultionem. Ceterum antequam de-
stina-

κῶς tradidit, perinde cupierim, ut horum verborum ita junctorum *agerent verterent* vim *περιφραστικῶς* explicuisset. Ego enim nescio quæ vertenda restarent, hoc est, mutanda & evertenda, ut tandem profert. Reipubl. veteris & urbanæ consuetudinis sub libertate omnia bona erant jam versa ab præcedentium aularum ministris, & novissima Neronis Camarina reliquerat nihil decorum, nihil tam simpliciter laudabile, ut sub sequutis Cæsaribus illud possit dici non versum esse per delatores, qui vel in urbe per ista facinora eminebant vel in aula. An hos dicit Ryckius non satis diligenter ruspatos fuisse; ut cuncta ipsis obstantia mutarint & everterint? Quid igitur legit in Taciti primoribus libris? Dum appellat velut dictionis gemmam, prout fit quoque in præfatione, credo eum jocari vel imperite loqui, nec enim gemma dici potest ab universis in negotio certo usurpari solita, & satis cognita omnibus; usurpatur autem, quia nec Græci nec Romani habent aliud, quo tam plene id quod volunt exprimant, ac illa duo junctim *agere ferre*, non *vertere*, cujus verbi nulla habetur ratio in significatione. *Agere vertere* nihil est, & si quid esset, huc non conveniret. Neque enim delatores agunt vertunt, si intelligis, sed agunt ferunt & ex aliis domibus in suos sinus, compilatum specie juris, trajiciunt, non contenti mutavisse & evertisse. An Latini duplicationem hanc verborum per alia sic celebraverint, docet Cap. 41. *agerent ac ferirent*. Potuit conjunctio omitti; non tamen inde sequeretur eos dixisse junctim *agere ferire*, ut *agere ferre*. In reliquo mirus est, quum voces *odio & terrore* vult jungi præcedentibus *verterent cuncta*, quæ debent apponi sequentibus. Causatur Ryckius ita sensum fundi nimis angustum, tanquam nulli servi aut liberti dominos aut patronos prodiderint, nisi &c. At primo ipse reus est hujus noxæ, quum statuit delatores agere vertere cuncta odio & terrore. Hæc est angustia intolerabilis, quum priora testentur eas factas esse etiam ex avaritia, etiam ut blandirentur potentibus in aula, & multis aliis causis. Deinde an hæc dicit pater meus? Non debuerat ita esse tetricus. Nonne satis est, quod statuit delatores egisse tulisse cuncta: tum duas ab Tacito poni causas, quibus per ista tempora potissimum hæ ærumnæ dominis per servos contigerunt? An sic negatur alias etiam fuisse causas? Certe non. Immo tamen Ryckius ut dicat aliquid, profert quod illi ratio dictet etiam præmiorum pollicitationibus id factum. Hoc furtive subripit ex nota Savilii ad hunc locum, sic offerentis ex libro 16. in accusatione Petronii: sed vult sibi sapere. *Jac. Gronovius.*

1 *Odio & terrore.*] Nam invisi delatores, iidemque formidati. *Lipsius.*

*Corrupti in dominos servi.*] Spectat ad Domitianum maximè. Nam ille vulgo usus delationibus & opera servorum. Plinius Panegyrico, hoc tangens: *Non enim jam servi, Principis nostri amici, sed nos sumus: nec pater patriæ alienis se mancipiis cariorem quam civibus suis credis. Omnes accusatore domestico liberasti: unoque salutis publica signo, illud, ut sic dicam, servile bellum sustulisti.* Idem.

*Odio & terrore corrupti in dominos servi, in patronos liberti.*] Explicat hanc ut veram lectionem Lipsius, dissimulans interim alteram quam margini textus adjecit. Quæ mihi quidem, quisquis ejus auctor, multo verior & concinnior. Muretus tamquam suam in libro suo adnotaverat. Istam nempe dico: *agerent, ferrent cuncta odio & terrore. Corrupti* &c. Acidalius. Olim ex SCto servus in caput domini torqueri non poterat. *Sed Tiberius* (ut Tac. 2. Ann.) *callidus & novi juris repertor, mancipari singulos actori publico jubet: scil. ut in dominum ex servis salvo SCto quæreretur.* Postea *servorum indicia*, non expressa tormentis, habita in testimoniis exceptione majoribus, neque luculenta abfuit merces. 16. Ann. in accusatione Petronii, *Corrupto ad indicium servo.* Savilius.

2 *Et laudatis antiquorum mortibus pares exitus.*] Regium exemplar habet, *ne & laudatis.* Posset etiam legi, *Nec laudatis antiquorum mortibus impares exitus.* Rhenanus. Videtur iste codex innuere, *ne & laudatis.* Jac. Gronovius.

3 *Non esse curæ deis.*] Impium, impium, tuum
dictum,

ſtinata componam, repetendum videtur, qualis ſtatus urbis, quæ mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid ægrum fuerit: [1] ut non

dictum, Tacite: etſi non imprudens. Nam humano ingenio ſi rem libras: cum tot clades, tot triſtia, tam rara in bonos præmia: quid niſi advigilare deos tantum cenſeas in pœnas? Atqui nos ſcimus aliter: nec rem metimur ex iis modo quæ ſunt, ſed quæ futura. Qui vindicem tantum deum ſtatuit, tollit ex deo quod eſt dei, imo quod deus: vim beneficam, ſalutarem, & adjuvantem. Itaque homo ſile: & tecum alter ille tenebrio, qui clamat:

*Felix Roma quidem, civeſque habitura ſuperbos;*
*Si libertatis ſuperis tam cura placeret,*
*Quam vindicta placet.*

A quo, fallor, aut tu ſumpſiſti. *Lipſius.*

*Non eſſe curæ Diis ſecuritatem noſtram.*] Cæſar Titus expulſis delatoribus *ingenti animo ſecuritati noſtræ ultionique proſpexerat, ideoque Numinibus æquatus eſt*, ait Plin. in Paneg. gemina deorum beneficia ſpectans, quod & nocitura propulſent, & læſos ulciſcantur; magis religioſe, quam æqualis ejus Tacitus hoc & aliis quibuſdam locis ſentire de illis videtur. 14. Ann. *Prodigia quoque crebra & irrita interceſſere.* Ann. 16. *Exutus omnibus fortuniis, & in exilium actus* (Caſſ. Aſclepiodotus) *æquitate Deum erga bona malaque documenta.* Et tamen alibi excidere ſibi ea patitur, unde tangi ſacrorum cura judicetur, ſuſpenſus velut & ancipiti medius inter diſſolutam Polybii hac in parte negligentiam, & ſuperſtitioſam Livii anxieque operoſam diligentiam, qui Romanæ hiſtoriæ Principes. *Savilius.* Per hæc Tacitus ut ἀσεβὴς prorſus damnandus non eſt, quid ſi alio reſpexit? calamitatibus homines admonentur quantillum ſint. Eurip. Troad. οὐδ' σ' αἱ τύχαι, τέκνον, ἐσωφρόνισαν i. *Neque te filia adverſitates modeſtam reddiderunt.* Contra rebus affluentibus nil humani ſapiunt. Pindarus: ἀλλὰ γὰρ καταπέψαι μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυνάσθη, κόρῳ δ' ἕλεν ἄταν ὑπέροπλον. i. *At magnam felicitatem concoquere non potuit*, ſatietateque immenſam calamitatem ſubivit. Nec (ut ait Gell. 2. 18.) omnes diis inviſi ſunt, *Qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur. Sed eſſe arcanas cauſas, ad quas paucorum potuit pervenire curioſitas:*

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

i. Servus Epictetus eram & corpore mutilus, Et paupertate Irus, & carus immortalibus. Hæc ad amuſſim ethnicorum, quibus conſona ſunt veræ religionis monumenta. Narrat enim facer ille Moſes, Judæos ſecuros idola ſemper coluiſſe, caſtigatos vero in viam rediiſſe. Deuteron. 32. *Et incraſſatus eſt Iſraelulus & recalcitravit.* Pſalm. 77. Hebr. 78. *Et ſi occidebat eos, & quærebant eum.* Salinerius. Scio quam admittant interpretationem hæ voces. interim non adhuc plene acquieſco *juſtis illis judiciis:* irritatque me inter alia, etiam editio Romana, quæ exhibet; *magis vetuſtis indiciis*; quod nonnemini ſalivam movere poſſet, non mihi. nam *indicia*, hoc eſt prodigia & talia præcedunt clades, non ſequuntur. hæreo ſane. *Gruterus.*

1 *Ut non modo caſus eventuſque.*] Hiſtoriæ laudem abſolvit non caſuum eventuumque narratio, ſed quibus ſingula cauſis geſta ſint, quibus ignoratis frugem non fecerit lector ex mero actorum diario, οὐχ οὕτως ἐπιφορητικόν, inquit Polybius, τὸ αὐτῶν τῶν πράξεων ἐξηγήσεως, ἀπὸ τῆς χάριτος, ὡς τοῖς ἀναγινώσκουσι τὰς ἱστορίας, ὡς τῶν πρότερον, καὶ τῶν ἅμα καὶ τῶν ἐπιγινομένων τοῖς ἔργοις. ἱστορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τις, τὸ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δ' οὐ γίνεται, καὶ παραυτίκα μὲν τέρπει, πρὸς δὲ τὸ μέλλον οὐδὲν ὠφελεῖ τὸ παράπαν. Sempronius Aſellio apud Gell. 5, 18. *Scribere bellum, quo initum Conſule, & quemodo confectum ſit, & quis triumphaus introierit, & quæ in eo bello geſta ſint, iterare: non prædicare autem interea, quid Senatus decreverit, aut qua lex rogatiove lata ſit, neque quibus conſiliis ea geſta ſint; id fabulas pueris eſt narrare, non hiſtorias ſcribere.* Et Dionyſius Ἀρχαιολογ. 5, 57. Sic & 2. lib. Atque illud eſt, unde Theopompus eidem Dionyſio (in fragmentis) tantopere laudatur. Tac. hoc loco nobis hiſtoriæ ſcribendæ præformat imaginem ductis velut lineamentis, ubi ſine controverſia regnat; hiſtorici eſſe, explicandis conſiliis & rerum cauſis incumbere. Alio deinde naturali theoremate præit (ſed impari ſucceſſu) quod *eventus plerumque ſunt fortuiti*, quorum ſcil. vel cauſæ nullæ ſunt vel ignotæ. Vero propius abſuerit, ſi ſumas in πραγμάτων διαιρέσει id eſt, notionum diviſione: ſed in συνθέσει i. compoſitione infelicius ſe expreſſerit, qui ad hæc notionum diſſidia, coaleſcere negantium, haud attendit. *Savilius.* Eſt ſcriptoris hiſtoriarum cauſas rationeſque rerum expromere. Aſellio apud Gell. 5, 18. Ubi vero incidit in fortuita, quid ei reliquum, quam ea exſequi ſola veritate? Hortatur itaque Tac. lectorem ad cauſas inveſtigandas non omnium, ſed eorum quæ fortuita non ſunt. qua de re negationem non amplectar, quam hic inferuit doctiſſ. vir. Cæterum non abſurde (ni falſus animi ſum) quæram, quid Annales diſtent ab hiſtoria. Aſellionis opinio vera mihi videtur, ſi annales pro illis ſcriptis accipiantur, quæ ſtri-

non modo casus eventusque rerum, [1] qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam cau-

strictim & jejune quæque civitas sibi componit. Undeque homines historias postea describunt. Idem dicto loco. At qui locum hæc sibi vendicabunt in annalibus Livii & Cornelii? ii certe multi & frequentes in reddendis causis, & rationibus rerum. Igitur cautius quis (meo judicio) dixerit idem esse annales ejusmodi cum historia, præterquam quod hi distinctione annorum concepti sunt. Gellius d. l. *Sed nos audire soliti sumus*, &c. Dixi cautius, quod, qui ad alia respexere, lapsi sunt. Ecce nunc nuper celeberrimi nominis vir ita de iis egit, ut per eum Livius non sit in historicis, neque inter annalium scriptores, Tacitumque dicit ἐφημερίδας scripsisse. adsit sibi Livius lib. 43, 13. *quæ in meos annales referam.* Noster præter hæc l. 4. ann. *Sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit.* Aperte ostendit ἐφημερίδας sive diaria suis annalibus haud convenire lib. 13. annal. 31. Cæterum imposuit eloquentiss. viro titulus codicis Veneti *actionum diurnalium.* Verum cui credendum, Tacito an scribæ? sed quonam in loco Tacitus (ut is ait) suas ἐφημερίδας contendit cum annalibus, easque præ illis habet pro despectis? non certe hic. &c. Sciendum est etiam, dialogistam, de quo nobis verba sunt, disparasse scriptores, qui plurium nationum plures actiones scribunt, ab iis, quibus una unius gentis contexitur: posteriorum lucubrationes historiarum dicit, priorum, sermones; exempli gratia, Herodotus ei sermonum, Thucydides historiæ scriptor est. De hoc cum eo mihi convenit, at non facile concesserim historias Herodoti *sermones* appellari: nam si ex inscriptione rem metimur, nil habet, quo se muniat. Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέως ἱστορίαι vel Ἡροδότου τοῦ Ἁλικαρνασσέως ἱστοριῶν λόγοι. θ. ἐπιγραφόμενοι Μοῦσαι. Etenim λόγος ibi nil aliud significat, quam *librum*, ut κατὰ τὸν ἕβδομον λόγον i. libro septimo. Nec ei prodest, quod Thucydides omnes ante se dixerit λογογράφους, non λογοποιούς, quia utrumque nomen est historicis commune, & utroque discernuntur à poëtis. Nec ille alioversum ea dixit, quam ut suggillaret scriptores, qui fabulas historiis inserebant. Sed quid usus velitatione? audi eundem de suis scriptis: Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε. Postremum ne quid dissimulem, est alibi Herodoto mentio λόγων Ἀσσυρίων. Et λόγων Λιβυκῶν. Sed eo significatu quo apud Latinos dicitur. Liv. lib. 29. *Clodius Licinius in libro tertio rerum Romanarum.* quod ab Hebræis haud dubie profectum est. Hieron. in Prolog. galeat. *Verba sive res dierum. Quod significantius chronicon totius divinæ historiæ possumus appellare.* Salinerius.

1 *Qui plerumque fortuiti sunt.*] Ulcus hic, nisi fallor, etsi tectum. Si enim casus eventusque rerum fortuiti, quomodo remittis me ad caussas? aut cur ubique tam multus tu, tam serius in iis explicandis? Censeo immissa negatione scribendum, *qui plerumque haud fortuiti sunt:* ad rem & ad verum certe, si non ad Taciti mentem. *Lipsius.*

*Qui plerumque fortuiti sunt.*] Mihi sanus & integer videtur locus. Nam eorum etiam, quæ fortuito aliquando accidunt, ut regnorum mutationes ac vicissitudines, bellorum exitus, & similia, causas nihilominus historici afferunt: cum illud præcipue muneris sibi injungant, ut rationem & causas cujuscunque rei perquirant, aut veras, aut quas pro veris imaginantur. Multa quoque à principibus casu & inopinato fieri sæpe videmus, quæ tamen prudenti consilio præmeditata, scriptores nobis persuadere conantur. Attamen facilius simpliciusque interpretarer: Scriptorem nihil prodesse lectoribus, si casus tantum eventusque rerum in historia memoret, nam hi plerumque fortuiti esse solent: sed rationem simul causasque adjicere debent, ut quilibet, ea quæ fortuitò, ab iis, quæ consilio sunt acta, discernere possit. *Pichena.* Nullum hic, meo judicio, ulcus tectum; nedum ut immissa negatione scribi debeat. nihil enim longinquius à mente auctoris: quæ vult, ex casibus & eventu rerum, non adquiri prudentiam civilem; cum ea fere non respondeant rationibus suis ac causis; eaque propter ipsas illas curatius persequendas historico. hocque est, quod iterum inculcat lib. 4. Ann. 33. *Hæc conquiri tradique in rem fuerit* &c. Hinc excusatio M. Terentii apud eundem lib. 6. ann. *Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros & quibus de causis extollas.* Inde etiam securius gravat Suetonium Julius Cassicianus; *cujus adversa, pravitati ipsius; prospera, ad fortunam reip. referebat*, ut loquitur noster lib. 14. ann. 38. Egregius locus est Val. Maximi 3, 8. *Blandum animum sane temeritati casus facit, ubi prave consilio propitius adspirat; & quo vehementius noceat, insperatius prodest.* Et hoc spectatum etiam fuisse Pœnis, proditum eidem Valerio 2, 8. Verum hæc reservanda erant Diatribis nostris, exspatiantibus cursu effreno ad illa Cornelii lib. 2. Hist. 25. *Cunctator natura Suetonius, & cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu.* Gruterus. Hoc est, fortunæ arbitrio bene vel male succedunt. Ex iis ergo judicari non possunt consilia, sed in his cum præcipua vis sit Politicæ prudentiæ, quam maxime tradit hic auctor, rationes etiam atque causas rerum exponendas sibi credidit.

causæque noscantur. Finis Neronis ut lætus primo gaudentium impetu fuerat, ita varios motus animorum, non modo in urbe apud patres, [1] aut populum, aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat; [2] evulgato imperii arcano,

dit. Nullum ergo hic ulcus agnoscam nec legam cum Viro doctiss. *qui plerumque haud fortuiti* &c. Freinshemius. *Fortuitum* interpretatur Savilius, cujus nullæ sunt aut ignotæ causæ, atque inde Tacitum reprehendit, ut imprudenter locutum. Cui reprehensioni subscribit Freinshemius in Versiones 2, 31. quomodo enim, ait, fortuitorum causæ tradi possunt? aut quomodo quorum causæ possunt tradi, pro fortuitis possunt haberi? Mihi vero, *qui plerumque fortuiti sunt*, est, in quibus plurimum fortuna potest, qui ex fortuna pendent, & sæpe contra exspectationem eveniunt; adeo ut ex illis solis cognitis ad consilium capiendum nihilo sis instructior; ut non sint magistri & auctores rerum gerendarum. Ex quibus nihil discas nisi fortuitum; nisi fortunæ donum, nisi quid egerit, cum de partibus decerneret transigeretque fortuna; hoc est, huic ex sententia rem, illi asperam fœdamque provenisse: sed ea fortuna comes virtutem ducem habuerit an destituerit; unde exstiterit, continuetur, mutet ac sese circumagat; secundum meliores, an deteriores, & quare, dederit; tibi quod ab alio capias exemplum, quod sequare aut fugias, nequaquam ex hoc opere, & sæpe joco ac ludibrio fortunæ, ex his postprincipiis, sed ex exordio, filoque & serie ac decursu rerum, temporum, consiliorum, quæ ad ista viam munierunt, abunde colliges. Nero apud Suetonium c. 23. *Omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse fortunæ; illos, ut sapientes & doctos viros fortuita debere excludere.* Gellius lib. 14. cap. 1. *Id minime ferendum censebat, quod non modo casus eventaque, quæ eveniunt extrinsecus, sed consilia quoque hominum ipsa & arbitria & varias voluntates appetitionesque & declinationes & fortuitos repentinosque animorum impetus moveri agitarique desuper è cælo putarent.* Gronovius.

1 *Aut populum aut urbanum militem.*] Castigavimus, *apud pop. apud urb. mil.* Rhenanus. Ex Flor. ita, *apud patres, aut populum, aut urbanum militem.* Vulgo minus apte: *apud patres, apud populum, apud urb. militem.* Quod sequitur cave interpreteris, Neronis finem omnes legiones ducesque concivisse: sed quod apud omnes etiam legiones & duces, conciverat varios animorum motus. *Pichena.*

*Apud urbanum militem.*] Qui duplex, *prætorianus* & *urbanus* proprie dictus. Utrumque genus Tacito hic & alibi continetur nomine *militis Urbani. Miles Urbanus longo Cæsarum sacramento imbutus.* Rursus, *ne urbano quidem militi satis confisus*, solos specifice prætorianos intelligens. In sua significatione & *prætorianis* diversa idem alibi: *Addidit classi urbanas cohortes, & plerosque è prætorianis.* Iterum, *Quod raro alias, prætorianus urbanusque miles in aciem deducti.* Quando vero aut altera aut utraque species significetur, ex loci circumstantia sensus ostendet. *Savilius.*

2 *Evulgato imperii arcano.*] Evulgare arcana imperii idem videtur ei quod in Dionysii fragmentis ἐκκαλύπτειν τὰ μυστήρια τῆς τε δοκούσης ἀρετῆς, καὶ ἀγνοουμένης κακίας, in describenda publicorum negotiorum administratione detrahere speciosos virtutum prætextus clandestinis nequitiæ molitionibus. *Arcana* tamen *imperii* cum varia sint, neque unius prorsus naturæ, una definitione comprehendi nequeunt. 2. Ann. *Censuit Gallus in quinquennium Magistratuum comitia habenda: haud dubium erat eam sententiam altius penetrare, & arcana imperii tentari.* Ex iis hoc loco spectatur, cum spes honoris & commodi optime pascat aulicorum ambitionem, & cohibeat intra obsequii fidem; si in plura simul munia successores cooptarentur, languescerent appetentium studia; tot vero annis ante si destinarentur, in desperationis rabiem adigeret. Eod. lib. *Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum, ne fame urgeret Italiam.* Arcanum est, nunquam provinciæ, cujus rebellio secum tractura reip. periculum sit, gubernandæ admovendum virum illustrem, aut populari gratia florentem. Hic videntur intelligi, quæ ex arcanis imperii maximam veri speciem præferunt, cum hæc in vulgi animos magis valeat, quam rerum soliditas. Exemplum rei factæ loco non suo, cui præcedentiæ tempora nihil par dederunt. Ex prisco instituto princeps Romæ creandus erat, & urbe primaria petendus Imperator, neque in contrarium exemplum exstabat. Tanti autem non erat observata loci solennitas apud eum, qui electionis jus armis tueri poterat, neque adversantes experiretur subjectos. Arcanum illud imperii Galba vulgavit, & suæ in Neronem fortunæ ista aura velificatus, idem jus aliis in se dedit. Milites Germani in electione Vitellii, ut Plutarchus memorat, φέρε δὴ, τὸν Οὐιτέλλιον ἑλόμενοι δείξωμεν ἀνθρώποις πᾶσιν ὡς Ἰβήρων καὶ Λυσιτανῶν ἀμείνους ἐσμὲν αὐτοκράτορος αἱρέσει, id est, agite, electo Vitellio omnibus probemus, Hispanis & Lusitanis meliores nos esse, qui Imperatorem creaverimus. Vitellium ut militaris favor extulit, ita & destituit. *Nam posse ab exercitu Principem fieri,*

cano, posse [1] principem alibi quam Romæ fieri. [2] Sed patres læti, usurpata statim libertate; [3] licentius, ut erga principem novum & absentem: primores equitum proximi gaudio patrum: [4] pars populi integra, & magnis domibus annexa; clientes libertique damnatorum & exsulum, in spem erecti: plebs sordida & circo ac theatris sueta, simul deterrimi servorum, aut qui adesis bonis, per dedecus Neronis alebantur, mæsti & rumorum avidi. Miles urbanus longo [5] Cæsarum sacramento

*sibi ipsi Vitellius documento est*, ait Mucianus apud Tac. 2. hist. Et in universum postquam semel patuit istud dominationis arcanum evulgante Galba, plures Imperatores alibi, quam Romæ electi. Præter hæc *imperii* aut *dominationis arcana* legimus etiam lib. 1. Ann. *Arcana domus Augustæ*, id est aulæ vel palatio propria & 3. Ann. *secreta Imperatorum*. Savilius.

1 *Principem alibi quam Romæ.*] Olim enim ita judicabant, *Rem mali exempli esse imperatores legi ab exercitibus, & soleune auspicatorum comitiorum in castra & provincias, procul ab legibus magistratibusque, ad militarem temeritatem transferri*, ut præclare Livius lib. 26. Sed nunc alia tempora erant, alii mores. *Gronovius.*

2 *Sed patres læti.*] Certe id non erat opus scribere, quod ample satis testatus fuit in proxime antecedentibus. Itaque miror sic omnes silere, quum in MS. Mediceo legatur *latius*; Quod etsi videri posset syllaba temere repetita ex proximo quod sequitur, contra ratiocinari oportet de negligentia aliorum librariorum inde exorta, quod putarent eam repeti opus non esse. Itaque illud in comparativo verissimum est, dicitque lætitiam primo fuisse in omnibus partibus imperii, sed subiisse mox varietatem cogitationum per pleraşque imperii partes. Attamen mansisse lætitiam præcipuam apud patres, & vehementiorem, quam ut paululum eam continere possent, quod sapientiæ eorum conveniebat; Sed eam validiorem fuisse, adeo ut e vestigio eam reipsa monstraverint. Utique non minus hoc in illo gradu efferri decuit, quam sequens *licentius*; in utroque dicit eos excessisse modum, quum contrahere & tegere etiamnum motus suos debuissent. *Jac. Gronovius.*

3 *Licentius, ut erga principem novum.*] 2. hist. *Recens Galbæ principatus censuerant patres, ut accusatorum causæ noscerentur.* & 4. hist. 42. Jam vero *accusatores*, delatores, habentur *inter instrumenta imperii*, non magis absurde quam Locusta Claudio & Nerone imperantibus, *nuper veneficii damnata & diu inter instrumenta regni habita*, 12. Ann. Certum enim est, multos bonos principes, aut minus malos pro accusatoribus stetisse. Mucianus, Vespasiani os, *censuit prolixe pro accusatoribus.* 4. histor. Helvidius Priscus institutam Eprii Marcelli accusationem ex decreto quodam, *dubia voluntate Galbæ*, subito destituit. *Savilius.*

4 *Pars populi integra, & magnis.*] Attende, & mecum rescribes: *pars p. integra, & magnis domibus annexi clientes libertique damuatorum.* Integram partem populi appellat, sinceram & lascivia temporum non corruptam. *Lipsius.*

*Pars populi integra, & magnis domibus annexa; clientes &c.*] Non renuam cum Lipsio legere, *annexi clientes libertique damnatorum.* Sed cur Tacitus clientes libertosque damnatorum & exsulum solum hic nominat? Cur hi potissimum in spem erecti, non etiam eorum, qui damnati & exsules non essent, aut cur clientes libertique eorum potius quam damnati & exsules ipsi? An vero etiam credemus, clientium & libertorum, qui magnis domibus annexi, patronos omnes eo tempore, damnatos & exsules? nullasque magnas domos integras & incolumes fuisse? Nihil absurdius: aliudque huic loco vitium majus, defecto sine dubio, sed quem integrare nos facile possumus, inserta voce unica, quæ quomodo perierit, vix adspecta ea, omnes videbunt. Scribo, *pars populi integra, & magnis dom. annexi clientes libertique, quique damnatorum* &c. id est, quotquot damnati. Idem valeat, *quod damnatorum.* quomodo hic etiam addita copula scribi potest, & forte magis debet. Hæc enim forma Tacito crebrior; & passim legis, *quod equitum, quod peditum*, similiaque alia. Ceterum ex hac emendatione *integra pars populi* non jam cum Lipsio accipienda sincera, & lascivia temporum non corrupta, sed incolumis & cui status suus salvus. *Integros* enim opponit auctor exsulibus & *damnatis.* Acidalius. Proculdubio rectius à Lipsio correctum ac distinctum. Male & confuse vulgo. *Pichena.* Legerat Lipsius *annexi clientes* &c. idque in textum Pichena receperat. Sed pace Doctiss. Virorum dixerim, vulgatam lectionem longe esse præferendam. Loquitur de parte populi honestiore, & annexa magnis domibus, per adfinitatem nimirum. de liberis autem & clientibus damnatorum quomodo dicitur magnis domibus annexos fuisse? Certe istud *annexum* pertinet ad partem populi, causamque continet, cur illa gavisa nece Neronis fuerit: at liberti clientesque damnatorum aut exsulum ideo gaudebant, quod patronos suos hac ratione vindictam, aut spem maturi reditus adeptos esse crederent. *Freinsh.*

5 Ca-

mento imbutus, & ad destituendum Neronem arte magis & impulsu, quam suo ingenio traductus; postquam neque dari donativum sub nomine Galbæ promissum, neque magnis meritis ac præmiis eundem in pace [1] qui in bello locum, præventamque gratiam intelligit, apud principem à legionibus factum; pronus ad novas res, scelere insuper Nymphidii Sabini præfecti [2] imperium sibi molientis agitatur. Et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus. [3] Sed quamvis capite defectionis ablato, [4] manebat plerisque militum conscientia; [5] nec deerant sermones, *senium atque avaritiam Galbæ* increpantium. Laudata olim & [6] militari fama celebrata severitas ejus, [7] angebat aspernantes veterem disciplinam, atque ita quatuordecim annis à Nerone assuefactos, ut haud minus vitia principum amarent, quam olim [8] virtutes verebantur. Accessit Galbæ vox pro republica honesta, ipsi anceps, [9] *legi à se militem, non emi.* Nec enim ad hanc formam cetera erant. Invalidum senem T. Vi- 6
nius & Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, [10] odio flagitiorum oneratum, contemptu inertiæ destruebant. [11] Tardum Galbæ iter &

5 *Cæsarum sacramento imbutus.*] 14. Ann. *Prætorianos toti Cæsarum domui obstrictos.* Savilius.

1 *Qui in bello.*] Placet fere, quod in scripto filius meus Jacobus Oxonii notavit: *eundem in pace, quem in bello locum.* Gronovius. Immo non aliter scriptum exstat etiam in Mediceo. *Jac. Gronovius.*

2 *Imperium sibi molientis agitatur.*] Malim *agitatus.* non enim cummaxime fiebat illud, sed jam ante adventum Galbæ factum erat. *Gronovius.*

3 *Et quamvis capite defectionis ablato.*] Ab omnibus exemplaribus dissentiens hic pro, *&* scripsi, *Sed quamvis* &c. Nam extrema proxime præcedentis vocabuli litera est S. *Rhenanus.*

4 *Manebat plerisque militum conscientia.*] Conscientiam quidem necesse est mansisse omnibus, non tantum plerisque. Sed nimirum emendandum *constantia.* Solito illo & vulgatissimo errore mutuæ inter has voces permutationis, quam notavimus etiam in Agric. *Acidalius.*

5 *Neque deerant.*] Nos, *nec deerant.* Rhenanus.

6 *Militari fama celebrata.*] In illo, quem Sueton. Galb. 6. citat, versu; *Disce miles militare, Galba est, non Gætulicus.* Savilius.

7 *Angebat coaspernantes veterem disciplinam.*] *Coaspernantes* verbum non hic valde idoneum. Malim cum Mureto simplex *aspernantes.* nisi tamen nova compositione formasse Tacitum credemus *conspernantes.* quod meis quidem admodum blanditur. *Acidalius.* Nempe luxurians nimis erat ingenium Acidalii, ut multa inutilia protulerit, quum emendata interim fuerit conjectura Mureti. Causam participii tantopere aucti vidi & notavi in MS. Mediceo, quia versus finiebat hoc modo *angebat a*, sequens incipiebat *aspernantes*, illam literam *a* nonnulli descriptores noluerunt perire, etiam mutando fabricantes *co*, quum tamen manifeste pateret esse relictam pro nulla & temere ab calamo posita, quum sequentium literarum nihil apponi posset: etiam in superscriptione interlineari tantum scribitur *aspernantes*, cui adhæreo, quum illud nihili sit. Quo minus dubites, recurrit idem cap. 11, ubi finitur versus per has literas *superstitione a*, & proximus incipit *ac lasciv.* Jac. Gronovius.

8 *Virtutes verebantur.*] Credam verius, *reverebantur.* Acidalius. Non sperno, sed fortasse melius, *reverebantur.* Pichena. Apta heic quidem vox *reverebantur*; sed nihilo inefficacior illa nostra vulgata, ut ostendi exemplo non uno, in farragine Suspicionum. *Gruterus.*

9 *Legi à se principem, non emi.*] Castigavimus, *Legi à se militem, non emi.* Qui supposuit *principem*, putavit Tacitum loqui de Pisone, quem is Cæsarem fecit. Sed præcedit *veterem disciplinam*, id accipiendum de militari castrensique disciplina. *Rhenanus.* A legendo enim legio dicta, quod scil. in delectu leguntur milites. Varro de L. Latin. libro 4. *Pichena.*

10 *Odio flagitiorum onerabant.*] Sive, ut libri scripti, *oneratum.* Vox quidem ea retinenda est, male à Beato expulsa. *Lipsius.*

*Odio flagitiorum onerabant.*] Recte verbum quod à Rhenano expulsum, à Lipsio restitutum: sed cave censeas, nihil interesse *oneratum* an *onerabant* recipiatur. Illud obscuram & alienam facit sententiam, hoc liquidam & veram: quæ est, ut structuram verborum Taciti in sua membra resolvam: *T. Vinius mortalium deterrimus odio flagitiorum suorum onerabat; Corn. Laco ignavissimus contemptu sua inertia destruebat.* Acidalius. Florent. & alii, *Odio flagitiorum oneratum.* tamen Rhenanus sine causa scripsit, *onerabant.* Pichena. Sic libro 2. ann. *Artavasden regem Armeniorum specie amicitia illectum, dein catenis oneratum, postremo interfecerat.* Gronovius.

11 *Tardum Galbæ iter.*] Quo die Galba hoc iter susceperit ex Hispania profectus & Romam intra-

& cruentum, interfectis [1] Cingonio Varrone consule designato, & [2] Petronio Turpiliano [3] consulari. ille ut Nymphidii socius, hic ut [4] dux Neronis, inauditi atque indefensi, [5] tamquam innocentes perierant. Introitus in urbem, trucidatis tot millibus inermium militum, infaustus omine, atque ipsis etiam qui occiderant, formidolosus. [6] Inducta legione Hispana, remanente ea [7] quam è classe Nero conscri-

traverit, cum historias inviderit nobis temporis injuria, exacte determinari non potest. Ne tamen omittamus, quod illustrando loco faciat, utque temporis rationem, alibi à nobis redditam, hic signemus, visum fuit annotare, quibus impulsi sumus, causas. Primum Galerio Trachalo, Silio Italico Coss. *Neapoli de motu Galliarum cognovit* (Nero) *die ipso quo matrem occiderat.* Sueton. Neron. 40. Agrippina autem occisa erat *ipsis Quinquatruum diebus.* Tac. 14. Ann. & Sueton. Neron. 34. & *Quinquatrus* incidunt in diem XIX. Martii. Ovid. fast. 3. Constituto ergo tempore. quo Vienna aut Lugduno Neapolis petatur, colligere licebit Vindicis rebellionem incepisse circa decimum aut duodecimum Martii. Præterea Xiphilinus scribit regnasse Galbam novem menses & tredecim dies, numerandos scil. ab eo tempore, quo accepit imperium in Hispania, ut ipse Xiphilinus notat, ubi enarrata finit Vespasiani tempora, adeo ut Galba mortuus quintodecimo Jan. (Tac. 1. hist.) regnare cœperit primo aut secundo Aprilis. Nero tertio decimo Octobr. Tacit. 12. Ann. Καὶ ἦρξεν ἔτη τεσσαρεσκαίδεκα καὶ μῆνας ὀκτὼ δυοῖν ἡμέραιν δέοντας: ἐτελεύτησε δὲ κατὰ τὸν Ἰούλιον μῆνα. Quæ duo simul consistere non possunt utpote pugnantia. si enim mense Julio mortuus Nero, excedit imperium ejus tredecim annos & octo menses. sin hoc tantum tempus regni fuit, ut narrat Xiphilinus, mors ejus in mensem Julium non incidit. Rursus idem Xiphil. scribit, καὶ ἐκ τούτου συμβαίνει ἐνιαυτὸν τε καὶ δύο καὶ εἴκοσι ἡμέρας ἀπὸ τοῦ θανάτου τοῦ Νέρωνος μέχρι τῆς τοῦ Οὐεσπασιανοῦ ἀρχῆς διελθεῖν. Sed primo Julii die Vespasianus auspicabatur imperium Tac. 2. hist. ut Neronis mors incidisse debuerit in octavum Junii diem. Atque in hanc sententiam ire videtur Tacit. hoc eodem lib. *septem à Neronis fine menses sunt.* Aurel. Victor. dicit, *menses septem diesque totidem* (imperavit Galba) computandos scil. à Neronis morte, ut jam dictus exacte colligatur numerus. idem fere tempus, quo periit Nero, Vindicem in Gallia abstulit. Primus autem de morte ejus nuncius in Hispaniam ad Galbam penetravit, & paucis diebus interpositis etiam de morte Neronis, incitatissima perferentium opera, Plutarch. Galba. Et constat nondum significatam fuisse Neroni Vindicis cladem. Neque enim aliter fieri poterat, quin Romæ ad istos rumores fuisset trepidatum. Philostrat. lib. 5. de vita Apollonii ἀκοῦσαι φασὶν ὡς Νέρων μὲν πεφεύγοι, τεθνήκοι δὲ Βίνδιξ. i. *nuntiabatur* (Messanæ scil. ubi tum versabatur Apollonius) *fugisse Neronem, & Vindicem cecidisse*, quasi de Neronis morte nuncius antevertisset illum de Vindicis clade apud Messanenses in Sicilia. Intra septimum diem Galba scivit per Icelum quendam Roma profectum periisse Neronem. Plutarch. ἧκεν ἀπὸ Ῥώμης Ἴκελος ἀνὴρ ἀπελεύθερος, ἑβδομαῖος. Dato igitur ad se instruendum tempore Galba videtur iter ingressus circa Julii initium, & Romam, ut ex conjecturis vero propioribus statui potest, circa Septembrem insecutum; tardo, inquit Tacit. itinere, via longa & impedimentis gravi. *Savilius.*

1 *Cingonio Varrone.*] Ita scribamus jubet Vaticanus, qui non aliter nominat & Plutarchus, cui est Κιγγώνιος Βάῤῥων. Sed in Taciti vulgatis etiam libris ita perscriptum, Annali XIII. *Censuerat Cingonius Varro consul designatus.* Est autem hic ipse. *Lipsius.*

2 *Petronio Turpiliano.*] Qui consul fuit anno urbis DCCCXIV. Plutarchum sperno, sive librarium, in quo Τερτυλλιανὸς dicitur. *Idem.*

3 *Consulari.*] Anno Urbis conditæ 814. *Savilius.*

4 *Dux Neronis.*] Adversus Galbam; Zonaras. Idem. Non potest placere illud *dux Neronis.* Putem, *hic ut fidus Neroni.* Neque aliter Plutarchus habuisse videtur quod reddidit: ὅτι μὴ προὔδωκε, οὐδὲ ἐμίσησε τὸν ἡγεμόνα πιστὸς ὤν, ἀσπάζομαι, ἄλλο δὲ μηδὲν ἐν μέγα ἀδικήσας ἀπέθανεν. Gronovius.

5 *Tanquam innocentes perierant.*] Plutarch. in Galb. quasi loci hujus interpres: ἔδοξε μὲν νομίμως (ὁ Γάλβας) οὐ καὶ δικαίως, μηδὲ δημοτικῶς, ἀνῃρηκέναι περὶ κρίσεως ἄνδρας οὐκ ἀσήμους, Savilius. Imo *tanquam nocentes.* & hoc Tacitus voluit dicere: cujus mentem non assequare alia correctione, *quanquam innocentes.* etsi ejus quoque sententia forte vera. Emendatio prior etiam Mureto in mentem venerat. *Acidalius.* Nihil melius vulgato: & mens ejus: haud scio, an nihil peccarint; certe, ut solent, qui nihil peccarunt, à tyrannis occidi, nempe inauditi & indefensi. *Gronovius.*

6 *Inducta legione Hispana.*] Id est, ut mihi quidem videtur, septima Galbiana, conscripta à Galba ex habitis in Hispania dilectibus, ut volunt, Tacitus 3. histor. Dion. l. 55. & Sueton. Galb. 10. quæ tamen in Illyricum ante ejus mortem missa videtur Antonio Primo legato, ut hoc loco

fcripferat, plena urbs exercitu infolito. [1] multi ad hoc numeri è Germania ac Britannia & Illyrico, quos idem Nero electos præmiffofque [2] ad clauftra Cafpiarum, & bellum quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis cœptis revocaverat: ingens novis rebus materia, ut non [3] in unum aliquem prono favore, ita audenti parata. Forte congruerat, ut Clodii Macri & Fonteii Capitonis cædes nuntiarentur. 7
Macrum in Africa [4] haud dubie turbantem, Trebonius Garucianus procurator, juffu Galbæ; Capitonem in Germania, cum fimilia cœptaret, Cornelius Aquinus & Fabius Valens [5] legati legionum interfecerant, antequam juberentur. Fuere qui

loco mentionem illius ratio non patiatur. In feditione Othoniana nufquam occurrit *Hifpana legio*, non in hoc Taciti libro, neque apud fcriptorum quemquam; nifi inter armorum turbas, omnia pervagantes, foli ignave conquieverint. *Savilius.*

7 *Quam è claffe Nero.*] Jam olim legiones *Claffica*, fi Nummis fides, in quibus video: ANT. AUG. III. VIR. R. P. C. & parte altera LEG. XVII. CLASSICÆ. *Lipfius.*

1 *Multi ad hoc & innumeri.*] Vitium quivis viderit & fermonis ineptias, imo fordes. Quid enim illud eft, *multi & innumeri?* Adftricto noftro fcriptori fatis erat, credo, alterum. Ferrettus emendabat, *milites ad hoc innumeri.* Ego veriffime ex Farnefiani veftigiis *multi ad hoc numeri. Ad hoc*, Salluftianum eft: & valet, Etiam, Præterea. At *numeros* hic capio cohortes, manus, vexilla: Crebrum id verbi fub ævum Taciti, eo fenfu. Plinius libro x. epift. de tironibus: *nondum diftributi in numeros erant.* Ulpianus: *exercitum non unam cohortem neque alam dicimus, fed numeros multos militum.* Idem: *fiquis militum ex alio numero tralatus fit in alium.* Suetonius Vefpaf. c. VI. *& tunc quidem compreffa res eft, revocatis ad officium numeris parumper.* Claudianus:

*Regnorum tractat numeros, cuneofque recenfet.*

Nec cohortes folum in hoc nomen, fed paullatim venere etiam ipfæ legiones. Accredo hoc Sozomeno fcribenti: Τὰ Ῥωμαίων τάγματα, ἃ νῦν ἀριθμοὺς καλοῦσι: *Romanorum legiones, quas nunc vocant Numeros.* Ac Capitolinum ita accipio in Macrino: *Timuit autem & collegam, ne ipfe imperare cuperet, quod fi vel unius numeri confenfus accederet; neque ipfe recufaret, & omnes cupidiffime id facerent.* Quin nofter ipfe Tacitus hac voce iterum ufus, in Agricola: *Quamquam tranfacta æftas, fparfi per provinciam numeri.* Hæc quidem proba & certa. fed illex ifta libido correctorum, ignara quiefcere etiam in certis. Itaque refcribit quidam, *multi ad hoc innumeri.* id eft, inquit, qui in numeros legionefque nondum relati. Acumen! quod fateor fuperfuiffe illi juveni, magis quam judicium: nifi quod ætas tamen id correxiffet. & direxiffet. At tantum abeft, ut de tironibus aut collectitio milite hic Tacitus: ut contra, veteranos intelligat, & electos fub vexillis. Itaque magis diftincte paulo poft, *Illyrici exercitus electos* nominat, *& Germanica vexilla.* Omitto quod notionem eam vocis nobis ingerit, fine exemplo. *Idem.*

*Multi adhuc innumeri.*] Emendavimus, *multi adhoc & innumeri.* Rhenanus. Alias, *milites adhoc innumeri.* Ferretus. Male vulgo, *multi ad hoc & innumeri.* Aftrictus equidem nofter eft, & continens verborum, fed aliquando perfluit. l. 15. Ann. *Ergo Epicharis plura & omnia fcelera orditur.* nonne fatis erat *omnia?* at hæc *multi adhoc & innumeri* conveniunt cum iis πολλοί, ἀπερείσιοι i. *multi infiniti* Hom. lib. 19. Odyff. ad quæ Euftathius, τὸ δὲ ἀπερείσιοι διασάφησις ἐστὶ καὶ ἐπίτασις τοῦ πολλοί. i. *Illud autem infiniti declaratio & extenfio eft multi.* Salincrius. Emendavit Lipfius judicio Farnefian. codicis, idque prorfus Flor. confirmat. *Pichena.*

2 *Ad clauftra Cafpiarum.*] Supple portarum. Sunt vero ita anguftæ, ut ea parte vix fingula plauftra duci poffint. *Lupanus.* Suet. Ner. 19. *Parabat* (Nero) *& ad Cafpias portas expeditionem confcripta ex Italicis fenum pedum tironibus nova legione quam Magni Alexandri phalangem appellabat.* Addit Xiphilinus, de fufcipienda quoque in Æthiopiam expeditione deliberaffe. *Savilius.*

3 *In unum aliquem prono favore ita audenti parata.*] Legendum *parato.* nempe favore. *Acidalius.*

1 *Haud dubie turbantem.*] Vocem ejeci, quæ aberat recte ab optimo libro. & paffim ita Turbandi verbo ufi prifci. *Lipfius.*

2 *Legati legionum.*] Legati triplex hoc lib. eft fignificatio. Prima notat eum qui in publica caufa alio occupandus mittitur. *Cenfuerant Patres mittendos ad Germanicum exercitum legatos.* Secunda, *legatus* aut *legatus Confularis*, aut *Confularis* præfidem defignat, aut illum qui cum vicario imperio imponitur regendæ provinciæ aut exercitui: *Othonem in provinciam Lufitaniam fpecie legationis fepofuit. Hordeonius Flaccus Confularis legatus aderat. Inferioris Germaniæ legiones diutius fine Confulari fuere.* Tertia, qua *legatus legionis*, aut *legatus prætorius*, aut *legatus* fimpliciter intel-

qui crederent, Capitonem, ut avaritia & libidine fœdum ac maculosum, ita cogitatione rerum novarum abstinuisse: sed à legatis bellum suadentibus, postquam impellere nequiverint, [1] crimen ac dolum compositum ultro: & Galbam mobilitate ingenii, an ne altius scrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobasse. Ceterum utraque cædes sinistre accepta: [2] & inviso semel principe, seu bene seu male facta premunt. [3] Jam afferebant venalia cuncta præpotentes liberti. [4] Servorum manus subitis avidæ, & tamquam apud senem festinantes. [5] eademque novæ

telligitur (circumstantiæ singulas significationes discernunt) præfectus legioni, unde tot erant legati legionum, quot legiones. *Cœlius legatus vicesima legionis* in Agric. ubi de eadem legione eodemque viro agit; *Quippe legatis Consularibus nimia ac formidolosa erat. nec legatus prætorius ad cohibendum potens. Nullo legatorum tribunorumve pro Galba nitente. Fœdis legatorum certaminibus*, ὁμωνύμως neque refragante vocabulo, cum alter esset *legatus Consularis*, alter *legatus legionis*. Savilius.

1 *Crimen ac dolum.* ] Alibi, *crimen ac mox insidias*; adeo ut *dolum compositum esse* ex æquo valere videatur τῷ ἐκλαφεντῆναι. Idem.

2 *Et inviso semel principe.* ] Rotunde, neque ego is sum, qui aliquid novandum censeam; solum prurit fere manus mutare literam primam voculæ primæ; *ut inviso*. ac si causam indicet, cur utraque cædes odiosa. Male interim Annibal Scottus, qui editioni suæ invexit; *& invisum semel principem.* Gruterus. Jure tamen communi, prout quisque conatus fuit aliquid ab antiquis membranis suppeditatum removere, ut sua nova possent quasi semoto incedere; in tantum, ut Lipsius etiam citare sustinuerit 2 Polit. 7. *invisos f. principes.* an hoc melius est illo, quod Scotus supponebat indicante Grutero? Ryckius scribit illum Scotum ita male concoxisse vulgatam, ut sic ederet. An ergo pronunciabitur aliter de Lipsio? Absurdum certe istud, & de neutro sic loquar. Sed insignes viri quum censerent prima verba debere jungi cum verbo *premunt*, hinc tam perverse in hoc loco versati sunt; pari errore, quo ille qui emendavit ac descripsit Ryckii librum, in eodem offendens, quum nollet priora mutare, mutavit posterius verbum, ut esset *premuntur*, manifestissima interpolatione, & quam plane non vel excusat vel tuetur exemplum ab Ryckio appositum, nihil docens, nisi verbum *premere* construi cum quarto casu. Nonne id laudabile admodum? At qui ex viris doctis ediderunt *inviso semel principe* reor omnino attendisse aliquid, quod ex Tacito sectarentur, qui interdum præmittit talem ablativum, quem poterat in quarto casu efferre, & quidem, ut vulgo videri potest, mollius & congruentius. Sic 4. an 10. *Precante reo brevem moram, dum accusator consulatu abiret, adversatus est Cæsar.* Nonne alius diceret *precanti*? Quid? nonne 11, 9. editur passim *Regressoque Bardani deditur Seleucia.* At regressus ille utique non fuit ad hanc urbem, sed ad quamcunque regni regionem, ut non ei, verum ducibus ejus oppugnantibus cessérit. Sic dedita est. Ergo MS. Mediceus habet clare *Bardane.* Sic & isti. Cæterum hoc agi oportuit, ut animadverteretur, quod in vetusto illo Mediceo scribitur *printipi.* Id verum puto, & dativus erat jungendus voci *facta, inviso semel principi seu bene seu male facta, premunt*, ut augeatur invidia magis quam minuatur per ea qualiacunque. Mox in eodem legitur; *ipsa ætas Galbæ irrisui ac fastidio erat.* Quam nitide mutarunt? *Jac. Gronovius.*

3 *Jam afferebant venalia cuncta.* ] Verbum *afferebant* quid sibi vult? nullus hic ei locus. Non sententiam modo corrumpit, sed & sermonem inficit solœcismo. Quin mentem non video: nec ejicere dum audeo, quanquam absque eo locus ab omnibus sane partibus integer videtur: maxime si ita distinguas. *Jam venalia cuncta, præpotentes liberti, servorum manus subitis avidæ* &c. Acidalius. Non tantum libertos venalia cuncta attulisse crediderim, sed & plerosque interiores Principis amicos. infra enim ait, principatus potentiam divisam fuisse in T. Vinium consulem, & Corn. Laconem prætorii præfectum: nec minorem gratiam fuisse Icelo Galbæ liberto. ergo amici potentiores libertis. Ideo legendum & distinguendum puto: *Jam afferebantur venalia cuncta. Præpotentes liberti.* Pichena. Vix est ut integram hanc lectionem putem: adscribam autem eam, quam pro legitima Tacito restituo, ut ex utriusque collatione veritas appareat: *Jam afferebant venalia cuncta: præpotentes liberti: servorum manus.* hæc, inquit, omnia atque singula movebant animos, atque iram afferebant. Sic *afferre consilium, cunctationem, curam, formidinem* alibi dixit. *Freinshemius.*

4 *Servorum manus subitis avidæ* ] Ad ea auferenda, quæ subito fortunæ munere obvenerunt. *Pichena.* Expressit plane Ovidius in Epistola Leandri, quam Tacitus videtur imitari:

*Quo brevius spatium nobis ad furta dabatur,*
*Hoc magis est cautum, ne foret illud iners.*

Jac. Gronovius.

5 *Ea-*

novæ aulæ mala, æque gravia, non æque excusata. Ipsa ætas Galbæ, & irrisui & fastidio erat, assuetis juventæ Neronis, & imperatores forma ac decore corporis (ut est mos vulgi) comparantibus. Et hic quidem Romæ, tamquam in tanta multitudine, [1] habitus animorum fuit. [2] E provinciis, [3] Hispaniæ præerat Cluvius Rufus,

5 *Eademque nova aula.*] Sententia (nam alios involvere video) eadem mala novæ aulæ Galbianæ fuisse, quæ veteris, id est Neronianæ: sed non æque excusata. Quid ita? quia Nero ortu & natalibus Princeps, quia juvenis, quia in plebem etiam gratiosus. Itaque plusculum ei licere volebant, & ignoscebant. Non sic in Galba, qui electus: qui senex, ideoque prudens esse debebat; qui denique parcus, tristis, & per omnino paucis gratus. *Lipsius.*

*Eademque nova aula mala.*] An intelligit, fuisse tunc eadem mala, quæ in nova aula solent? Verior sensus videtur, in nova Galbæ aula, eadem mala fuisse, quæ in Neroniana: sed non æque excusata, nempe ob principis senium, & intempestivam severitatem. Contra sub Nerone, populus assiduis voluptatibus lætus, vitia ejus excusabat. *Pichena.* Bene hæc explicantur à Pichena, cujus tamen interpretationem rejectitiam, habuerim ego pro eximia, ob vocabulum, *eadem.* Gruterus.

1 *Habitus animorum fuit.*] Mediceus clare edit *fit*. Et sane illud *fuit* videtur Tacitus distulisse, donec concluderet omnia in fine capitis 11. hîc vero scripsisse. *Et hic quidem Romæ habitus animorum. Sed e provinciis.* Jac. Gronovius.

2 *E provinciis.*] Puta Cæsaris, quas hic spectari arbitror. Augustus enim post pugnam Actiacam, cogente scilicet Senatu cum accepisset principatum, cœpit dividere provincias: atque illas quidem pacatas, neque hostibus obnoxias, Senatui populoque tradidit; hasce inimicorum terris objectas, & ad extrema imperii remotas, ceterasque facile rebellionis & armorum metu turbandas sibi retinuit, abiitque in successores institutum. In speciem quidem id agi videbatur, quasi derivatis in se molestiis & periculorum incertis, Senatui indulgeret non suspectam securitatem, sed clam intendebat, inermi Senatu, veteranas sub signis cohortes habere. Senatus & populi provinciæ, ut Strabo libro 17. Dio libro 33. scribunt, mox enumerandæ, quas Tacit. 13. Ann. (nisi me conjectura fallit) *publicas provincias* vocat; fuerunt *duæ Consulares*, Africa cum Numidia & Asia, sic dictæ, quod iis regendis imponerentur Consulatu functi; cum in reliquas sufficeret gessisse minores magistratus, quæ erant *decem prætoriæ*, Bætica, Narbonensis, Sardinia cum Corsica, Sicilia, Epirus, Macedonia, Achaja cum Thessalia &c. Creta cum Cyrene, Cyprus, Pontus & Bithynia. Provinciæ quas sibi retinuit, fuerunt Hispania Tarraconensis, Lusitania, Gallia Lugdunensis, Belgica, Aquitania, Syria &c. Cilicia, Ægyptus, Dalmatia, Mœsia, Pannonia, & Rheni ripa Gallica, nomine superioris & inferioris Germaniæ cognita, etiam in hunc usque diem *Germania* appellationem servans; sed quam in sua descriptione Cæsar Galliæ attribuit cum magna Belgicæ parte, ignarus alterius Germaniæ, præter eam, quæ apud scriptores consecutis deinde temporibus Γερμανίας μεγάλης, id est, magnæ Germaniæ, ad differentiam, titulum accepit, Rheni interiori ripa terminatæ; cum tamen Tacitus hoc lib. vocabulo *Germania* complectatur semper duas illas alias provincias, sic appellatas, quod Germani frequente Rheni transitu in istas regiones deductis migrarent coloniis, & paulatim translatum quoque hæreret locis nomen. Cæsar l. 2. Com. Dio libro 53. pag. 503. Tac. 1. Ann. & De moribus Germ. 28. Harum duarum Germaniarum *superior*, ait Dio, erat ἡ μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ (Ῥήνου) πηγάς, id est, *ab exortu fluminis* (Rheni) porrigebatur Moguntiam versus aut potius confluentes; *inferior* μέχρι τοῦ ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ *ad oceanum usque Britannicum.* Præter dictas provincias quicquid postmodum Romano adjiceretur imperio, ut *Britannia* sub Claudio, *Pontus Polemoniacus & Alpes Cottiæ* sub Nerone, *Dacia* sub Trajano &c. assignatam ex divisione commemorata Imperatori augebat portionem τῷ ἀεὶ κρατοῦντι προσετίθη Dio. Provinciæ Senatus, tam Prætoriæ quam Consulares, Proconsulum cura regebantur, sive illi Romæ gessissent Consulatum, sive non. Qui gubernandis Imperatorum provinciis imponebantur, *legati*, aut, *legati Consulares* ant *proprætores* vocabantur; nisi quod Procuratorum quandoque titulo mitterentur, ut antea observatum de minoribus provinciis. Dio l. 53. Tacit. hoc libro de provincia publica, Gallia scil. Narbonensi, *Vinius*, inquit, *Proconsulatu Galliam Narbonensem severe rexit.* qui Consul fuisse non legitur. Video ann. 1. Granium Marcellum vocari prætorem Bithyniæ, quæ ex prima divisione inter publicas provincias recensetur, neque posterior quicquam ætas mutavit, ut colligitur ex Plinii libro 10. epist. 64, 55. Ibidem Tacit. meminit Quæstoris, ignotæ dignitatis in Imperatorum Provinciis; & sub Claudio *damnatus lege repetundarum Cadius Rufus accusantibus Bithynis*; qua actione, si quid judico, nun-

Rufus, vir facundus, [1] & pacis artibus, bellis inexpertus. Galliæ, super memoriam Vindicis, obligatæ [2] recenti dono Romanæ civitatis, & in posterum tributi levamento. [3] Proximæ tamen Germanis exercitibus Galliarum civitates, non eodem honore habitæ, quædam etiam finibus ademptis, pari dolore commoda aliena ac suas injurias metiebantur. [4] Germani exercitus, quod periculosissimum in tantis viribus, [5] soliciti & irati superbia recentis victoriæ, & metu, tamquam alias partes fovissent. Tarde à Nerone desciverant: [6] nec statim pro Galba Verginius. an imperare

quam pulsabatur legatus Principis, qui munus suum obibat magis ex speciali mandato, quam jure officii. Sed proprætorem quod attinet, res manifesta est, 12. Ann. 31. & de eodem cap. 40. Vitellius hoc libro appellatur *legatus Consularis inferioris Germaniæ* & 4. Ann. *L. Apronius inferioris Germaniæ proprætor.* Sueton. Neron. 40. *duce Julio Vindice, qui tum eam provinciam proprætor obtinebat*, id est, *Galliam Lugdunensem*, Imperatori ex divisione dicta sepositam. In Africa Cajus Proconsuli, (erat id honoris nomen loco) superinduxit legatum, qui suo nomine milites curaret. 4. histor. Dio l. 59. Solus ille, qui Ægypto præerat, nec *legati* nec *proprætoris* appellatione censetur, dicitúrque *Præfectus Ægypti* aut *Præfectus Augustalis.* Alia nomina, ut *Præsidis*, *Rectoris* &c. utrique provinciarum generi fuere communia. Deinde habuerunt provinciæ publicæ additos procuratoribus Quæstores, Imperatoriæ Procuratores solos. Dio l. 53. *In provincias Senatus & populi Quæstores mittebantur sorte lecti. & Imperator Procuratores mittit in omnes provincias tam suas quam populi.* Savilius.

3 *Hispaniæ præerat Cluvius Rufus.*] Id est, Hispaniæ Tarraconensi; hæc enim sola ex tribus, in quas partita est omnis Hispania, provinciis militem alebat, proprieque eam hoc Tacitus loco intelligit, seclusis quas pacatas nec præsidiariis cohortibus infessas postea appellat *inermes.* Cluvius Rufus oratoria laude effloruit, scripsitque istius temporis historiam, 13. & 14. ann. citatam, qui licet dignitatis suæ ornamenta deberet Galbæ, inter primos Othoni sacramentum dixit. 1. Hist. imperiumque auspicante Vitellio Romam rediit, *non adempta Hispania, quam rexit absens.* Tac. 2. Hist. Plin. lib. 9. Ep. 19. occurrit mentio habiti inter Verginium Cluviumque Rufum colloquii. *Idem.*

1 *Et pacis artibus bellis inexpertus.*] Correximus, *& pacis artibus, bellis inexpertus.* Expone & pacis artibus, subaudi expertus, belli artibus inexpertus. *Rhenanus.* Videtur deesse vox *clarus*, quam addebat Faernus, legebatque; *& pacis artibus clarus, belli inexpertus.* &c. Ursinus. Defectus indicem stellulam Muretus apposuerat, iis vocibus, *pacis artibus*, tanquam addenda iis aliqua vox sensui explendo: quod tamen si Tacitum cogites, non necesse: apud quem non exprimuntur multa talia, sed subaudienda omittuntur. Idem an hic fuerit, in dubio nihilominus etiam apud me. *Acidalius.* Attamen quod expellit Rhenanus, legitur in Mediceo *bellis*, & probat mira Taciti varietas. Hæc vincit. Etiam ratio significationis adducta ab Ryckio, sed ope indicis Freinshemiani; ut id tenuerim. *Jac. Gronovius.*

2 *Recenti dono Romanæ civitatis.*] Quomodo recenti? & nonne jampridem Galli isti comati id adepti à Claudio? clarum id e Taciti libro XI. Sed expedio. Olim quidem jus civium adepti, non tamen promiscue, sed proceres tantum. Caute ibi & circumspecte Tacitus: *primores Galliæ*, inquit, *quæ Comata appellatur.* idque mihi notes. Sed nunc ecce à Galba diffusum id jus in Gallos omnes, qui pro Vindice stetissent. Plutarchus apertissime: Ἐκ δὲ τούτου καὶ τὰ μετρίως πεπολιτευμένα διαβολὴν εἶχεν, ὡς τὰ πρὸς τοὺς Γαλάτας Οὐίνδικι συναραμένους. Ἐδόκουν γὰρ οὐ φιλανθρωπίᾳ τοῦ αὐτοκράτορος, ἀλλ' ὠνούμενοι παρὰ Οὐινίου τυγχάνειν ἀνέσεώς τε δασμῶν, καὶ πολιτείας: *Inde & media ejus facta reprehensionem habuero: sicut de Gallis, qui Vindici adhæserant. Visi enim illi non Principis benignitate, sed pretio emisse à Vinnio remissionem tributorum, & civitatem.* Lipsius.

3 *Proxima tamen Romanis exercitibus.*] Scripsimus, *Germanis exerc.* Rhenanus. Id debuerat Rhenano pro exemplo esse ad notam sequentem. *Jac. Gronovius.*

4 *Germani exercitus quod.*] Nos *Germanici exercitus.* Rhenanus. Et quare? quum tantum quod aliter in Tacito consueverit. In Mediceo prorsus est *Germani.* Vane vides circa hanc partem interpolatum codicem Ryckii. *Jac. Gronovius.*

5 *Soliciti & irati.*] Haud temere mutem, aptior tamen membrorum connexus & responsio, si legas, *soliciti & elati.* Metu nempe soliciti, victoria elati. *Lipsius.*

*Soliciti & irati superbia.*] Lipsius audacter *soliciti, & elati.* Verius scripsit Tacitus: *Soliciti & irritati.* Et tamen vulgata lectio fortassis verissima. Suet. Galb. cap. 16. *Sed maxime fremebat superioris Germaniæ exercitus.* Et ipse Tacit. infra sibi scripturam vindicat: *In Britannico exercitu nihil iratum.* Ita sæpe correctorum oculi nimis aperti, ubi satius erat cæcutire. *Colerus.*

6 Nec

perare voluisset dubium: delatum ei à milite imperium conveniebat. Fontejum Ca-
pitonem occisum, [1] etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur. Dux de-
erat, abducto Verginio per simulationem amicitiæ: quem non remitti, atque etiam
[2] reum esse, tamquam suum crimen accipiebant. Superior exercitus legatum Hor- 9
deonium Flaccum spernebat, senecta ac debilitate pedum invalidum, sine constan-
tia, sine auctoritate: ne quieto quidem milite, regimen. adeo furentes infirmitate
retinentis [3] ultro etiam accendebantur. Inferioris Germaniæ legiones diutius sine
consulari fuere: donec missu Galbæ, A. Vitellius aderat, censoris Vitellii ac ter
consulis filius. [4] id satis videbatur. In Britannico exercitu nihil irarum. Non sane
aliæ legiones per omnes civilium bellorum motus, [5] innocentius egerunt: seu quia
procul, & oceano divisæ; seu crebris expeditionibus doctæ hostem potius odisse.
Quies & Illyrico: quamquam excitæ à Nerone legiones, dum in Italia cunctan-
tur, Verginium legationibus adissent. Sed longis spatiis discreti exercitus, quod
saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec vitiis nec viribus miscebantur

6 *Nec statim pro Galba Virginius.*] De Galliarum defectione, ductu Julii Vindicis, discrepant auctores. Tranquillus motas C. Vipsanio & Fontejo Coss. ut ad extremum Ann. 16. retuli. Xiphilinus ex Dione scribit Gallias sub finem imperii Neroniani defecisse. Hoc verisimilius est, si Virginius Rufus, Cornelio & Xiphilino, cum Germaniæ præesset, Vindicem repulit, sibique toties oblatum imperium recusavit, cupiens decus pristinum S. P. Q R restituere. Quod ut præclare factum, sepulchro suo his versibus in scribi jussit: *Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.* Plinius epist. 6. Virginium autem. si, quod videtur, verius est, revocavit ipse Nero, qui illum ob nominis claritudinem expulerat, teste Cornelio Ann. 15. Cæterum qui patriæ imperium assereret, recte dicitur hoc loco, non statim à Galba stetisse. *Vertranius.*

1 *Etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur.*] Intelligit eos, mea quidem sententia, qui proditione infamaverant, aut alioqui in necem ejus consenserant. *Savilius.* Non de aliis loquitur auctor, quam de Germanico exercitu. Itaque rescribe, *etiamsi queri non poterant.* Conjecerat sic & Muretus. *Acidalius.*

2 *Reum esse.*] Non legitime, aut ordine judiciario; quantum recordor, ἀπῤῥιμμένοι ἀτίμως ait Plutarchus. *Savilius.*

3 *Ultro etiam accendebantur.*] Vocem mediam abesse ab Mediceo rite notavit Ryckius. Ex quo magis etiam credo gavisum esse lectorem Taciti restituto Vitellii in prima prorsus appellatione prænomine. Nam per eundem codicem reposueram quoque, *donec missu Galbæ A. Vitellius*, quod prænomen *Aulus* hic quidem videtur requiri prorsus, ut cap. 52. Sed quum in MSto extaret tantum *Galba a Vitellius*, istam literam habuerunt inspectores pro non scripta. Itaque reposui & ipse. Alia res est & ratio inferiorum, ubi jam Princeps est: nunc fratres A. & L. per prænomina distingui debent. *Jac. Gronovius.*

4 *Id satis videbatur.*] Dictum videtur, quasi milites, titulos & imagines tantum Vitellii spectarint, & paternæ ei virtutes processerint pro suis. Alias non male fortasse, *fatis*: ut missionem hanc Vitellii cælesti consilio adsignet, quæ ad imperium scilicet via. *Lipsius.*

*Id satis videbatur.*] Aut Galbæ, ut legatus mitteretur, aut militi pronis in electionem ejus studiis, qui tam splendidis esset natalibus. *Savilius.* In his non negem apte scribi posse, *fatis:* vere, pernego. Etiam vulgati sententiam vereor ut explicatione sua Lipsius satis expresserit. Hoc quidem epiphonemate illo Tacitus vult, Satis videbatur, si pro consulari, filius toties consulis mitteretur. Diu sine consulari legiones fuerant: tandem Galba misit, nec ipsum quidem consularem, sed filium saltem consularis. Id enim satis videbatur, quando aspectu Patris ter consulis videri filius poterat velut consularis. *Acidalius.* Abstinendus calamus ab loci istius emendatione: nam sic iterum locutus alibi, ut produxi in Suspicionum libellis; neque nunc occurrit. Sed neque *id satis videbatur*, applicandum militibus, ut alii faciunt; verum Galbæ. ipsi nimirum satis videbatur retinendis in officio militibus, mittere Vitellium; eum habituris tantum non pro Consulari, ob titulos & imagines paternas. Estque hoc unum de arcanis imperii, uti frui prole degenera. nam cum istis paternæ virtutes procedant pro suis; adest ipsis auctoritas, abest principi metus. Secretum hoc fere enuntiat Sueton. Vit. 7. *Gruterus.*

5 *Innocentius egerunt.*] Et in Vitellii tamen partes transierunt, *adjuncto Britannico exercitu Vitellius* &c. *Savilius.*

10 tur. Oriens adhuc immotus. Syriam & quatuor legiones obtinebat Licinius Mucianus, vir secundis adversisque juxta famosus. Insignes amicitias juvenis ambitiose coluerat. [1] mox atteritis opibus, lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia, [2] in secretum Asiæ repositus, tam prope ab exsule fuit, quam postea à principe. Luxuria, industria, comitate, arrogantia, malis bonisque artibus mixtus. [3] nimiæ voluptates, cum vacaret: [4] quotiens expedierat, magnæ virtutes. [5] Palam laudares, secreta male audiebant. Sed apud subjectos, apud proximos, apud collegas, variis illecebris potens: [6] & cui expeditius fuerit tradere imperium, quam obtinere. Bellum Judaicum Flavius Vespasianus (ducem eum Nero delegerat) tribus legionibus administrabat. Nec Vespasiano adversus Galbam votum, aut animus. Quippe Titum filium ad venerationem cultumque ejus miserat, ut [7] suo loco memorabimus. [8] Occulta lege fati, & ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberis-

berif-

1 *Mox attritis opibus.* ] Etiamne monebo? Grammaticum & leve est. tamen in fido illo Vatic. scriptum, *atteritis*. Et sane crebro ita veteres. ut Tibullus in eodem hoc verbo:

*Aut operi insuetas atteruisse manus.*

Ut *Accedisse* pro Accessisse, *Consistisse* pro Constitisse, in Pandectis: & *Hauritum* pro Haustum in Apulejo. Et notavi plura talia, quæ vix promam quin rideant aut irrideant magistelli nostri. Quid tamen hic rideant? ecce & à Florentino jam codice scripturam hanc stabilitam. *Lipsius.*

*Mox atteritis opibus.*] Pro vulgato verbo, *attritis*, placet Lipsio priscum *atteritis*, in Vat. repertum. quod libentius recepi, cum etiam habeat Flor. *Pichena.* Sed Ryckius laudat constantem ortographiam (sic scribit eam vocem,) & quia alibi usurpatur *attritus*, ex suo codice id reposuit. Sed serus ille post claram tot sæculorum fidem, & certe interpolatus, quum scriba iste librarius non ferret istam antiquitatis notam, & nesciret, quam horam potuerit tunc induisse Tacitus, quum hæc ipsa scriberet. Sufficit tam vetera exemplaria id testari. Apparet vero, hoc Cornelianum & erudita Lipsii ignorata fuisse laborioso collectori omnium, quæ ad Tibullum pertinent, & crebro dicta sunt, hujus regionis anonymo alios libenter nominanti, & certe non laudando. *Jac. Gronovius.*

2 *In secretum Asia.* ] In Lyciam, ut opinor, specie legationis. Colligo è Plinii lib. 12. cap. 1. *Licinius Mucianus ter Consul, & nuper provincia ejus* (Lyciæ) *legatus.* Lipsius.

*In secretum Asia repositus.*] Scripsit Tac. *sepositus*, more suo & aliorum omnium in hac re. *Acidalius.*

3 *Nimia voluptates.* ] Cogitandum an legi possit, *nimia voluptatis.* Item, *magna virtutis.* Rhenanus.

4 *Quoties expedierat.* ] Quoties expeditiones ageret: ut ad illud referatur; *Nimia voluptates cum vacaret.* Ferrettus. Expedire hic significat in expeditionem, sive ad bellum proficisci. Sic infr. eod. lib. *magnam consularium partem Otho, non participes, aut ministros bello, sed comitum specie, secum expedire jubet.* Pichena.

5 *Palam laudares, secreta male audiebant.* ] Quandoquidem codex regius habet, *palam laudares secreta male audiebat*, videtur hic esse Græca constructio, *secreta male audiebat*, id est, in secretis, sive propter secreta. Alioqui hujusmodi lectio queat erui, *palam laudari*, infinitivum pro præterito imperfecto. *Secreto male audiebat.* Rhenanus.

6 *Et cui expeditius fuerat, tradere imperium.* ] Sententia horum satis expedita, vereor ut ipsa ex Taciti sententia. Ille Muciani potentiam extollere vult; hæc deprimitur. Valde scil. potens Mucianus, si ei facilius alii imperium tradere, quam sibi obtinere. Incongrua etiam alia & majora sunt, quæ non excutio. Satis, corrupta demonstrasse. Jam medicina in promptu & facillima, immissione particulæ negantis in hunc modum: *& cui haud expeditius fuerat*, &c. Hæc enim mens: non difficilius, sive tam facile Muciano fuerit sibi obtinere imperium, quam Vespasiano tradere. nisi paullo alia sententia transponi verba magis placeat: *& cui expeditius fuerat obtinere imperium, quam tradere.* Lib. 4. ita loquitur: *quod in manu sua fuisse imperium, donatumque Vespasiano jactabat.* Acidalius. *Et cui expeditius fuerit.* Sic Flor. Vulgo, *fuerat.* Pichena. Vox *fuerit*, supervacua videri queat, certe si ejiciamus, inoffensiore cursu processerit oratio. *Gruterus.*

7 *Suo loco memorabimus.* ] Male antea, *memoravimus.* Nam hæc quidem narrat initio lib. 11. infra. *Lipsius.*

8 *Occulta lege fati & ostentis ac.* ] Illud primum credo & sciri ab unoquoque, nec vel mirari vel succensere quenquam aut mutatum velle; ut nulla causa esse videatur, cur acutissimus hic scriptor voluerit eam rem ita notatam conspici. Idem profecto & fuit in aliis & separatim in Claudio,

quem

berisque ejus imperium, [1] post fortunam credidimus. [2] Ægyptum copiasque quibus coërceretur, jam inde à divo Augusto, equites Romani obtinent [3] loco regum. Ita visum expedire, provinciam aditu difficilem, annonæ fecundam, superstitione ac lascivia discordem & mobilem, insciam legum, [4] ignaram magistratuum domi retinere. [5] Regebat tum Tiberius Alexander ejusdem nationis. [6] Africa, ac legiones 11

quem futurum Principem fortuna in occulto tenebat, ut scribit 3. ann. 18, & nunquam aliter fit in imperio, in quod succedere potest extraneus. Itaque jam occupatur auctor in illis, quæ nullus ignorat, & quotidie fieri agnoscit quisque. Occulta est lex fati, & quæ fatis constant, ignota esse mortalibus potuit Alexandro Magno declarare Anaxarchus apud Justinum lib. 12. Sed non fuit Tacitus tam absurdus, ut adeo plebeja sectaretur. In tam conspecta ineptia quis existimet tacere omnes? præsertim quum eximia illa Medicea membrana prorsus ignoret vocem *lege*, tantum habens *occulta fati &c.* Quod ut est exquisitum; ita agnoscis aliquam ὑπαλλαγὴν, ac si dixisset occulta fati, hoc est, ostentis ac responsis destinatum V. imperium &c. Idque est Taciti, ut ex eo notata sunt *occulta conjurationis, saltuum, & operta offensarum* 3. h. 65. Ita plenissime nunc extulit, quamvis in alio negotio, idem quod mox cap. 18. dicit, *quæ fato manent, quamvis significata* sive ostentis sive prodigiis, *non vitari*. Jac. Gronov.

1 *Post fortunam credidimus.*] Id est, postquam Vespasianus principatum adeptus est. Sic inf. lib. 3. *Et Vespasiano ante fortunam amicus.* Pichena.

2 *Ægyptum, jam inde à D. Augusto.*] Supra 11. Annal. *Nam Augustus, inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus aut equitibus illustribus Romanis, seposuit Ægyptum.* Arrianus id consilii exemplique ab Alexandro Magno esse censet. qui (ut lib. 111. notat) *in plures præfectos Ægyptum distribuit, miratus & naturam regionis & munimenta, neque tutum sibi existimans unius imperio totam Ægyptum credi.* Ac deinde addit: *Et Romani mihi videntur ab Alexandro docti custodire Ægyptum, nec quemquam Senatorii ordinis eo mittere, sed aliquem ex equestri.* Cautio igitur ab Alexandro esse potuit: non tamen imitatio. quia ille in plures, isti uni permiserunt; sed infirmo. *Lipsius.*

*Ægyptum equites Rom. obtinent.*] Dio l. 51. *Cum enim ad animum revocasset, quantam in urbibus & pagis populi aleret multitudinem, quamque instabiles incolarum animi essent, & quomodo Italiam frumento aleret, opibusque polleret, non modo ex Senatoribus neminem præfecit, sed ne morari quidem in ea passus est, nisi venia impetrata.* Tac. 2. Ann. scribit non modo Senatores, sed & *equites Romanos illustres* id est (ut ego quidem interpretor) quos 16. Ann. vocat, *equites dignitate Senatoria*, accessu prohibitos, nec injussu Principis admissos: *ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam &c. insedisset.* Arrian. lib. 3. putat Romanis in ordinanda Ægypto exemplum Alexandri Magni fuisse propositum. *Savilius.* Vide quæ ad lib. 2. annal. cap. 59. *Freinshemius.*

3 *Loco Regum.*] Ὁ μὲν πεμφθεὶς εἰς τὴν Αἴγυπτον τὴν τοῦ βασιλέως τάξιν ἔχει. Strabo lib. 17. *Savilius.*

4 *Ignaram magistratuum domi.*] Quæ nullos unquam habuisset, novissetve magistratus, nisi externos: assueta Regibus plane placere. *Ferretius.* Veneta editio, *insciam legum, ignaram magistratuum.* at Vaticana *in scientia legum, ignaram magistratuum.* optime, meo quidam animo, dummodo compingantur duæ primæ dictiones in unam; *inscientia legum.* rationem reddit, cur ægriùs pareant magistratui, atque fieri quod leges nesciant. Vox ea excidit item Cæsaris Commentariis. *Gruterus.*

*Domi retinere.*] Id est, per procuratores suos administrari. Alibi Lipsius docuit. *Pichena.* Ut cohibente metu externa non respectarent auxilia. *Savilius.* Nondum hæc, & propter ea, superiora parum intelligo. *Acidalius.*

5 *Tiberius Alexander.*] Ego hunc illum puto, qui in castris & gratia Corbulonis, libro 14. *Die pacta, Tiberius Alexander, illustris eques Romanus, minister bello datus, & Vivianus Annius gener Corbulonis, in castra Teridatis venere.* Qui & Judææ Procurator, apud Josephum l. 20. c. 111. Pater ejus, item Tiber. Alexander, qui Alabarches Alexandriæ, & frater Philonis Judæi, cujus nunc scripta habemus. *Lipsius.*

*Ægyptum regebat Tib. Alexander.*] Hunc lacerari satyrico carmine crediderim: *Atque triumphales, inter quos ausus habere Nescio quis titulos Ægyptius, aut Arabarches.* Eusebius enim lib. 11. sacræ historiæ *Arabarchen* fuisse hunc *Alexandrum* scripsit, idem & Josippus in antiq. Jud. 20. lib. apud quem, Rufinus inepte *Arabarchea* interpretatur *salis præfectum* quasi ἁλοσ[illegible] legerit. Extat Impp. Val. Grat. Theod. in hæc verba constitutio: *Usurpationem totius licentiæ, submovemus circa vectigal Arabarchiæ per Ægyptum atque Augustaneam constitutum, nihilque super transductione animalium vindicari permittimus.* quæ verba indicant *Arabarchen*, præfectum fuisse. & scriptu-

nes in ea, interfecto Clodio Macro, contentæ qualicunque principe, [1] post experimentum domini minoris. [2] Duæ Mauretaniæ, [3] Rætia, Noricum, Thracia, & quæ aliæ procuratoribus cohibentur, ut cuique exercitui vicinæ, ita in favorem aut odium [4] contactu valentiorum agebantur. Inermes provinciæ, atque ipsa in primis Italia, cuicumque servitio expositæ, in pretium belli cessuræ erant. Hic fuit rerum Romanarum status, cum Ser. Galba iterum, T. Vinius consules, [5] inchoavere annum
12 sibi ultimum, reipublicæ prope supremum. Paucis post kalendas Januarias diebus, Pompeii Propinqui procuratoris è Belgica litteræ afferuntur; *superioris Germaniæ legiones*, [6] *rupta sacramenti reverentia*, *imperatorem alium flagitare*, & *senatui ac populo Romano arbitrium eligendi permittere*, quo seditio mollius acciperetur. Maturavit ea res consilium Galbæ, jam pridem de adoptione secum & cum proximis agitantis. Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat; primum licentia ac libidine talia loquendi, [7] dein fessa jam ætate Galbæ. Paucis judicium, aut

rarium exigundo vectigali de pecuariis, quæ ex Arabia in Ægyptum devehebantur: ut sit illud nomen officii publicanorum. merito ergo Juvenalis Alexandrum taxans, & officii vilitatem objicit. ut non injuria damnandi sint, qui simpliciter *mollem* accipiunt, idque editis annotationibus probant. quapropter & in epist. M. Tullius ad Atticum appellat *Arabarchen* M. Antonium, quasi Ægyptium publicanum. extorquebat enim ab illis ingentia vectigalia, unde pecuniam conflaret, quam deinde prodigeret, ut est apud Plutarchum. *Alciatus*. Tac. 15. Ann. *Tiberius Alexander, illustris eques Rom.* Savilius.

6 *Africa, ac legiones in ea.*] Plures igitur legiones tunc in Africa? Vix opinor. Adi, si lubet, quæ scripsi initio libri 4. Annalium. Una sane ordinaria legio in Africa, neque aliter infra numerat aut nominat, hoc ipso anno: *Legio in Africa auxiliaque tutandis imperii finibus.* Juvare aliquid hanc lectionem videatur lib. 11. locus: *In Africa legio cohortesque delecta à Clodio Macro, mox à Galba dimissa.* quasi novam legionem illi veteri adjunxerit Macer, atque ita sub initia Galbæ fuerint duæ. Vanæ: quia cohortes dumtaxat delectas à Macro intelligit, non legionem ipsam. Igitur inclino ut hic rescribam, *Africa ac legio in ea.* Lipsius.

1 *Post experimentum domini minoris.*] Minores principes inclementiæ in subditos fama sequitur; & de Macro scribit Plutarch. strenue versatum ἐν ἁρπαγαῖς περιφερόμενον, καὶ φόνοις ἀνδρῶν δι᾽ ὠμότητα καὶ πλεονεξίαν. Savilius.

2 *Duæ Mauretaniæ.*] Tingitana, & Cæsareensis. Hanc divisionem Plinius acceptam fert Cæsari Caligulæ, lib. 5. cap. 1. *Principio terrarum*, inquit, *Mauretaniæ appellantur, usque ad C. Cæsarem Germanici F. regna: sævitia ejus in duas divisa provincias.* At Dio palam adversus, Claudio attribuit, lib. 51. Προσεχθέντων δὲ τούτων, ὁ Κλαύδιος δίχῃ τοὺς Μαύρους τοὺς ὑπηκόους ἔνειμε, ἔς τε τὰ περὶ Τίγγιν, καὶ ἐς τὰ περὶ Καισάρειαν, ἀφ᾽ ὧνπερ καὶ ὀνομάζονται, καὶ δύο ἄρχουσιν ἱππεῦσι προσέταξε. *His actis, Claudius Mauros dupliciter divisit, in eos qui ad Tingim, & qui ad Cæsaream, unde & nomina habent: & duobus equitibus præpositis eos permisit.* Lipsius.

*Duæ Mauritaniæ.*] Tingitana & Cæsariensis. *Savilius*. Mauritania dividebatur à geographis in Bocchianam, sive Cæsariensem ab urbe Cæsarea, quæ Iol ante dicebatur, & Bogudianam seu Tingitanam ab oppido Tingi. de eo inf. lib. 2, 58. *Lupanus*.

3 *Rhetia, Noricum.*] In regio codice legitur *Rhetiæ*, sed mutatum in *Rhetia*, nescio an casu. Sunt autem duæ Mauritaniæ, prima & secunda, sive superior & inferior. Verum quando ea distinctio nata, incertum. *Rhenanus*.

4 *Conctatu valentiorum agebantur.*] Scripsimus, *contactu val.* Rhenanus. Tac. hoc lib. *facili transitu ad proximos & validiores.* Savilius.

5 *Inchoavere annum sibi ultimum.*] Eleganter dictum. Solicitant tamen. & nonne, inquiunt, idem est Ultimum ac Supremum? Fateor. geminanda tamen vox fuit ob sententiam disparem. Non enim certe reip. ultimus annus. Alioqui dicere percommode potuisse, *sibi & reip. supremum.* Non ergo audio adolescentem eruditum, qui per literas me monuit videri legendum, *reip. prope primum.* quia tantum non vetus, inquit, resp. & libertas incœpere à Galba. Logi alogi. *Lipsius*.

6 *Rupta sacramenti reverentia.*] Ita mei libri, & sententia exigit. Rhenanus, dum Budensis codicis corruptam scripturam ut τεμενῶν ἱερῶν observat, nodum in scirpo quærit. *Idem*.

*Rupta sacramenti reverentia.*] Liber Corvini regis habet, *licentia*, ut rear scripsisse Tacitum, *rupti sacramenti licentia*. Rhenanus.

7 *Dein fessa jam ætate Galbæ.*] Budense volumen aliter hic habet, nempe sic, *defessa an ætate Gal-*

aut reipublicæ amor: [1] multi occulta spe, prout quis amicus vel cliens, [2] hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, [3] etiam in T. Vinii odium. qui in dies quanto potentior, [4] eodem actu invisior erat. Quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates, ipsa Galbæ facilitas intendebat: cum apud infirmum & credulum

*Galba*. Lego, *defessa ann.* (hoc est annis) *atate Galba*. Movit eum, qui locum castigavit quisquis fuit, ut scriberet, *dein* quod præcedit adverbium, *primum*. Enimvero non est necesse, ut sequatur *deinde* aut simile quippiam. nam possumus intelligere primum è licentia ac libidine vulgi, sermones jactatos fuisse defessa annis ætate Galbæ; quum postea adoptatio ipsa præstaret eidem sermoni agitando occasionem. *Rhenanus*. Ego malo, *dein fessa annis etate*. Vertranius.

1 *Multi occulta spe.*] Libri mei scripti, *stultâ spe.* uti & in Covarruviæ. Placet tamen magis vulgata. *Lipsius*.

*Multi occulta spe.*] Vocabulum *multi* non est in volumine Budensi. sed pro *occulta* est illic *culta spe.* & stat optime sensus. *Paucis judicium aut Reip. amor stulta spe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitionis rumoribus destinabant.* Rhenanus. Florentinus, *militis occulta spe.* forte, *multis occulta spes.* præcessit enim *paucis*. Pichena. Recte id quidem, quod ad primam vocem pertinet. Sed an ideo debet scribi *spes*, quia præcessit ista vox *paucis* cum apposita *judicium*? Nequaquam; etsi Ryckius etiam ex sua persona ponat (Forte *multis occulta spes*, ut Pichena voluit) Quando Tacitus illis præbuit hanc occultam spem, aut ex quo exemplo fingentes rapuerunt? At tu servabis Tacitum legendo *multis occulta spei*. Modo id patuit. Nec procul ab hoc tempore scripta sunt τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης. Jac. Gronovius.

2 *Ambitionis rumoribus.*] Verum non negaveris, *ambitiosis*. Lipsius.

*Hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant.*] Ita Faërnus emendabat, non *ambitionis*, ut erat in vulgatis. *Ursinus*. Vere Lipsius *ambitiosis*. Nec ego sane probem alteram lectionem *stulta spe* prævulgata. Cæterum nondum hic omnia tamen sana. Vocula deest, quæ diversa orationis membra distinguat. Neque enim iidem occulta spe pariter & ambitiosis rumoribus hunc vel illum destinabant. Sed alii occulta spe, alii ambitiosis rumoribus: quos invicem sibi Tacitus opponit. Leg. *primum licentia ac libidine talia loquendi, dein fessa jam atate Galba, etiam in T. Vinii odium* (vel *etiam T. Vinii odio*, quod malim) *qui in dies quanto potentior, eodem auctu invisior erat. Paucis judicium, aut Reip. amor: multi occulta spe: quidam prout quis amicus, vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant. quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipsa Galba facilitas intendebat*, &c. Acidalius. Inepte antea, *ambitionis*. Pichena.

3 *In T. Vinii odium diverterant.*] Parum cohærens lectio aut sententia, A priscis libris abest vox *diverterant*. Et tollam sane ego arbiter, legamque: *hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, etiam in T. Vinii odium. qui indies*, &c. Multi, inquit, successorem destinabant ex sua spe, quidam ex odio Vinii. Non dissimile illud Taciti de Pisone: *Juvenis recenti favore; & infensus T. Vinio: seu quia erat, seu quia irati ita volebant.* Quod si retinendum tamen id verbi sit, mutem & diducam, *Etiam in T. Vinii odium diversi ierant.* Lipsius.

*Etiam in T. Vinii odium diverterant.*] Particulam *etiam* divisimus in *& jam.* placet vero verbum, quod in volumine Budensi scriptum est, *diverterant*, quod & alias in regio codice plerumque occurrit, ubi nos *divertere* legimus. *Rhenanus*. Inepte ante, *& jam in T. Vinii odium diverterant.* Postremum verbum quoniam à Flor. abest, delevi tamquam subditicium, sententiamque pervertens. Idque & Lipsio probatur. *Pichena*.

4 *Eodem actu invisior.*] Quid est illud, *Actu invisum esse?* Ineptiæ, & sermo parum non dicam lautus, sed Latinus. Scribebam sublata ea voce, *eadem invisior erat.* genus sermonis notum vel ex uno Plauto. Placuit Jac. Lectii eruditi viri conjectura, *eodem auctu*. nunc mea ista, *eo dein fastu invisior*. Lipsius.

*Eodem actu invisior erat.*] Verba, *eodem actu*, depravata censeo. ac si conjecturæ locus esset, sine ope librorum libenter restituerem. *eo cunctis invisior erat*. Pichena. Varia hic tentent viri eruditi. Ego non dubitem scripsisse Tacitum: *eodem tanto invisior erat. Eodem* valet ea ipsa de causa, quia potentior. *Grotius*. Alii, *eadem invisior*; vel *eo dein fastu invisior*: vel, *eo cunctis invisior erat*. Sed nihil arridet præ Jac. Lectii eruditi viri conjectura; *eodem auctu invisior*. Freinshemius. Nonne hians hæc est cupiditas Freinshemii notæ scribendæ, qua nihil adjuvat Tacitum, nihil novi adfert? Et luxuria quidem hæc par est, quæ in cap. 20. effunditur in vocem similiter incipientem *actionibus*. Talia accepta refer imbecillitati, quam ne Musæ quidem possunt deponere. Si inspexeris elegiam Pedonis

dulum minore metu, & majore præmio peccaretur. [1] Potentia principatus divisa in T. Vinium consulem, [2] & Cornelium Laconem prætorii præfectum. Nec minor gratia [3] Icelo Galbæ liberto, [4] quem annulis donatum equestri nomine *Martianum*

nis Albinovani, cernes similem discordiam in versu 227 inter voces *ictu*, *actu*, *anctu*. Jac. Gronovius.

1 *Potentia principatus divisa.*] Sueton. & Sex. Aurelius scribunt Galbam trium amicorum consilio regi solitum, quos Pædagogos vocabant. *Lupanus.*

2 *Et Cornelium Laconem.*] Copulativa ista non legitur in optimo MS. & videtur interposita ab eis, qui Taciti stylum ignorabant, sane quidem solertissime jam involventis, ut tres illos bene daret cognoscendos, sed qui in se continet idem ac si dixisset *T. Vinium*, *Cornelium Laconem*, *&* *Icelum.* Ita patet omnino non requiri istam copulam. *Jac. Gronovius.*

3 *Icelo Galbæ liberto.*] Nequissimi hujus servuli nomen varie scriptum. Alibi *Hycellus*, alibi *Itellus.* Vaticanus semper *Icelus*: quem sequor. Plutarchum in ea voce emaculo, in Galba: Καὶ ἧκεν ἀπὸ Ῥώμης Ἴκελος ἀπελεύθερος ἑβδομαῖος. Vulgo, Σικελὸς scriptum: & verterunt homines docti, *Siculus quidam.* At Icelum hunc festinatum nuntium fuisse, doceat eos Suetonius Galb. cap. XXII. *Lipsius.*

4 *Quem annulis donatum.*] De hoc eodem Suetonius: *Icelus paullo ante annulis aureis donatus, & Marciani cognomine ornatus, & jam summa equestris gradus candidatus.* Viri docti interpretantur Summam equestris gradus, Præfecturam prætorii: haud improbe. Tamen ego magis intelligam de Procuratione: quæ propria equestris ordinis dignitas. An libertum promotum iri censeam ad Prætorii præfecturam, idque sub Galba? numquam. *Lipsius.*

*Annulis donatum libertum.*] Paulus juris auctor, *Qui jus*, inquit, *aureorum annulorum impetraverit, ut ingenuus haberetur.* Idemque rescripsisse divum Adrianum Ulpianus scribit. concedebat autem solus imperator etiam fœminis, ut natalibus restitueretur. *Alciatus.* Id est jure annulorum quorum meminerunt JCti. Plinius l. 33. ait annulum aureum longo tempore fuisse insigne eorum, qui legati fuerant, hisque in publico uti solitos, domi ferreis. Postea annulis aureis usi nobiles, ut ostendit Livius libro 9. 46. postquam autem a Senatu ad Equites sunt judicia translata, usi Equites annulis aureis. quod non tam Equitum, quam Judicum insigne fuit, teste Plinio. Et postea hoc datum Manumissis. Sic Vitellius Asiaticum libertum annulis honoravit. Ad hæc fœminis ipsis jus annulorum aureorum concedi solebat, cum tamen ob rem strenue in bello gestam, auctore Cicerone in Verrem 5. daretur. ex quo istud Ulpiani ita intelligi debet mulierem jura ingenuitatis posse consequi. Hunc Icelum summæ equestris gradus candidatum Sueton. appellat Galb. 14. *Lupanus.* Neminem latet, ex constitutionibus, servum qui donetur annulis aureis, imaginem ingenuitatis consequi, non esse ingenuum. L. 2. Co. de Jur. aur. an. *libertinitatis quoad vivunt imaginem, non statum ingenuitatis præstat.* Prioribus tamen constitutionibus plenam atque perfectam præstabant ingenuitatem. Ulpianus l. 10. §. 3. D. de in jus voc. Idem L. 3. pr. D. de bon. Libert. Supra ætatem vero Alex. Severi, vel saltem temporibus Taciti, jus annulorum ad equestrem dignitatem spectabat. Tranquillus in Galba Cap. 14. Idem de Asiatico in Vitellio Cap. 12. Tac. 2. Hist. 57. *Ferrettus. Annulum medium ordinem tertiumque plebi & patribus inserere*, ait C. Plinius 32. 9. Quare ante Galbam & ejus temporibus majus aureorum annulorum jus, quo jura ingenuitatis sic a principe tributa sunt, ut libertinitas, lituraque servitutis permaneret. De Icelo quo de agimus, idem Suet. Galb. 14. Similiter Cornelius lib. sequenti scribit, Asiaticum libertum equestri dignitate donatum, annulis honoratum fuisse, quod & Tranquillus Vitell. 12. refert. Ut ex illis constet a principio imperii constituti idem *jus annulorum aureorum exorare*, quod in equestrem ordinem adlegi. *Vertranius.* In Hispania cum perferret de morte Neronis nuntium. *Annulis donare est equestri dignitate ornare.* 2. Histor. *postulante exercitu ut libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret* &c. *inter secreta convivia largitur, honoravitque Asiaticum annulis.* Sueton. Vitell. 12. Dio l. 48. δακτυλίοις τε χρυσοῖς ἐκόσμησε, καὶ ἐς τὸ τῶν ἱππέων τέλος ἐσέγραψε (Αὔγουστος τὸν Μήναν) Id est, *Augustus Menam annulis donavit equitumque ordini adscripsit.* Priscis enim temporibus, quanquam postea crescente luxu frequens auri usus esset, tamen τῶν πάλαι Ῥωμαίων οὐδενὶ οὐχ ὅτι τῶν δεδουλευκότων ποτὲ, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἐν ἐλευθερίᾳ γεγεννημένων, δακτυλίοις χρυσοῖς, πλὴν τῶν τε βουλευτῶν καὶ ἱππέων χρῆσθαι ἐξῆν. Id est, *nulli olim Romanorum* (*intelligo non libertini tantum generis, sed & ingenuos liberaliterque educatos*) *aureos licuit gestare annulos, excepto Senatore & Equite.* Neque id jus princeps in suos tantum contulit libertos, sed & alienos (quanquam *invitis & ignorantibus patronis* non facile id fieret, aut factum revocaretur & in irritum deduceretur) habuitque annexum *ingenuitatis jus, ne tamen ab hæredita-*

*te*

*num* vocitabant. Hi discordes, [1] & rebus minoribus sibi quisque tendentes, circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. Vinius [2] pro M. Othone; Laco atque Icelus consensu [3] non tam unum aliquem fovebant, quam alium. Neque erat Galbæ ignota Othonis [4] ac T. Vinii amicitia, ex rumoribus nihil silentio transmittentium: [5] quia Vinio vidua filia, cælebs Otho, gener ac socer destinabantur. Credo & reipublicæ curam subisse, frustra à Nerone translatæ, si apud Othonem relinqueretur. [6] namque Otho pueritiam incuriose, adolescentiam petulanter egerat, [7] gratus Neroni [8] æmulatione luxus. [9] eoque jam [10] Poppæam Sabinam principale scortum, ut [11] apud conscium libidinum deposuerat, donec [12] Octaviam uxorem amoliretur: mox suspectum in eadem Poppæa [1] in

*& liberti* patronus excluderetur. lib, 40. Digest. *Savilius.*

1 *Et rebus minoribus sibi quisque tendentes.*] Legam *&* *in rebus.* Præpositionem eam sane & Muretus addi voluerat, ceterum vocem *minoribus* stigmate notaverat, quod illi solet esse vel delendi prorsus, vel certe mutandi signum. At illa & minime corrupta hic & maxime necessaria. Triumviri illi discordes semper, & alias minoribus in rebus, dum sibi quisque tendit, in tres divisi partes; in hoc adoptionis consilio tam gravi velut coibant, & in duas saltem abibant. *Acidalius.*

2 *Pro M. Othone.*] Ita edidi, non tam quia Ryckius composuit hanc notam (Vinius pro Othone) Flor. & meus *pro M. Othone.* Sed quia non aliter in Romana editum ab Beroaldo, etiam in Lipsiana Plantini anno 1581. Certe id petitum ab illis ex MSS. ut sero nos de iis nunc loquamur. *Jac. Gronovius.*

3 *Non tam unum aliquem fovebant.*] Non tam hunc aut illum, quam quemcunque præter Othonem. *Ferretus.*

4 *Ac T. Vinii amicitia ex rumoribus.*] In regio codice legitur; *&* *ex rumoribus*, id est, etiam. *Rhenanus.* In Mediceo est *&* *rumoribus*, ut notavit Ryckius. Unde utique perfectissima existit periodus: *&* *rumoribus nihil silentio transmittentium unica Vinio vidua filia, cælebs Otho, gener ac socer destinabantur.* Quum amicitia Othonis & Vinii jam ante exercita non esset ignota Galbæ, etiam pateretur nunc eam inter illos flagrare, tum nunc hi rumores exorti erant. *Jac. Gronovius.*

5 *Quia Vinio vidua filia.*] Concinno immissa vocula: ut mihi videtur, necessaria: *quibus* (rumoribus) *quia Vinio vidua filia* &c. *Acidalius.*

6 *Namque Otho pueritiam incuriose.*] Juvenal. Sat. 11. *pathici gestamen Othonis.* Savilius.

7 *Gratus Neroni.*] Plutarch. Galb. φίλῳ δὲ τῷ Ὄθωνι καὶ συμβιωτῇ διὰ τὴν ἀσωτίαν ἐχρῆτο, καὶ σκωπτόμενος ὑπ' αὐτοῦ πολλάκις εἰς μικρολογίαν καὶ ἀνελευθερίαν, ἔχαιρε. i. *Nero utebatur Othone familiariter ob mores discinctos, reprehensusque aliquoties ab eo ob avaritiam ægre non tulit.* Xiphil. Nerone. ὁ δὲ τις Μάρκος Σαλούιος Ὄθων, οὕτως ἐν τῷ τῆς ὁμοιότητος τρόπων καὶ τῆς κοινωνίας τῶν ἁμαρτημάτων τῷ Νέρωνι ᾠκειοῦτο, ὥστε καὶ εἰπεῖν ποτε πρὸς αὐτὸν, οὕτω με Καίσαρα ἴδοις. i. *Quidam Marcus Salvius Otho cum Nerone versabatur ita familiariter, tam ob similitudinem morum & quoddam nequitiæ consortium, ut cum apud Neronem excidere sibi pateretur, ita me Cæsarem videbis* &c. *Savilius.*

8 *Æmulatione luxus.*] Suet. Oth. 2. *Per libertinam aulicam insinuatus Neroni, facile summum inter amicos locum tenuit congruentia morum.* Savilius.

9 *Eoque jam.*] Particula *jam* quid hic faciat, nescio. Nisi deinceps videro, delebo. *Acidalius.*

10 *Poppæam Sabinam.*] Illud inter Neronem, Poppæam & Othonem negotium quomodo fuerit transactum, docebit Sueton. Oth. 3. Plutarch. Galb. variatis modice circumstantiis recedentes à Taciti narratione, qui ita sibi contrarius pugnat, ut hic locus cum eo 13. Annal. conciliari nequeat. *Savilius.*

11 *Apud conscium libidinum.*] Annal. 13. *Delapso Nerone in amorem Actæ, assumpto in conscientiam Othone.* Idem.

12 *Octaviam uxorem amoliretur.*] Iisdem in hanc rem verbis usus est libro XIV. Annal. & sic mei libri. Covarruviæ tamen codex & Budensis, *Octavia uxor amoveretur.* Quod rectum æque. *Lipsius.*

*Donec Octaviam uxorem amoliretur.*] Budense volumen manifeste habet, *Donec Octavia uxor amoveretur.* quid erat opus hoc mutare? Scio quomodo acciderit. Lib. 14. leguntur hæc verba. *Octaviamque conjugem amoliri.* quæ rursum hoc loco castigator quispiam supponere voluit, germana lectione erasa. *Rhenanus.* In Covarruviæ libro, *donec Octavia uxor amoveretur.* Rescripserim ideo Cornelio nostro: *donec Octavia uxor amoliretur.* Fuit quidem librarius offensus, quod scriptum videret *ταυτοπαθῶς amoliretur*, itaque scripturam interpolavit. Atqui idem Tac. Ann. 12. *Vangio* *ac*

[1] in provinciam Lusitaniam specie legationis sepofuit. Otho, comiter administrata provincia, primus in partes transgressus, nec segnis, [2] & donec bellum fuit, inter præsentes splendidissimus, spem adoptionis statim conceptam, acrius in dies
14 rapiebat: faventibus plerisque militum; prona in eum aula Neronis ut similem. Sed Galba, post nuntios Germanicæ seditionis, quanquam nihil adhuc de Vitellio certum, anxius quonam exercituum vis erumperet, ne urbano quidem militi confisus, quod remedium unicum rebatur, comitia imperii transigit. Adhibitoque super Vinium, ac Laconem, Mario Celso consule designato, ac [3] Ducennio Gemino præfecto urbis, pauca præfatus *de sua senectute*, [4] *Pisonem Licinianum* [5] *accersiri* jubet: seu propria electione, sive, ut quidam crediderunt, Lacone instante. cui apud Rubellium Plautum exercita cum Pisone amicitia: sed callide ut ignotum fovebat, & prospera de Pisone fama consilio ejus fidem addiderat. [6] Piso M. Crasso

*ac Sido inter se regnum partiverunt*, ut scriptum in Floren. ac Veneto reperit Pichena. *Colerus.*

1 *In provinciam Lusitaniam.*] Totidem verbis Suetonius: *Sepositus est per caussam legationis in Lusitaniam.* Sed operæ est videre divisionem Hispaniæ & Præfecturas, quoniam sæpe hic intercurrit. Divisa ea ab Augusto in duas provincias, Citeriorem & Ulteriorem. Citerior, Tarraconensis etiam dicta: cui Galba præfuit, cui nunc Cluvius Rufus. Ulterior divisa in duas provincias, Bæticam & Lusitaniam. Bætica populi fuit, & in eam missus Proconsul. Noster libro IV. *Vibius Serenus ulterioris Hispaniæ proconsul.* non quia tota Hispania ulterior (caute legas) proconsulem habuerit, sed quia ejus pars melior Bætica. Itaque confundebant scribendo sive loquendo. Plinius libro III. *Prima Hispania terrarum est, Ulterior appellata, eadem Bætica.* Non tamen etiam regendo. Nam duæ Cæsaris fuerunt, sola Bætica populi. Strabo distincte, libro III. Νυνὶ δὲ τῶν ἐπαρχιῶν, τῶν μὲν ἀποδειχθεισῶν τῷ δήμῳ τε καὶ τῇ συγκλήτῳ, τῶν δὲ τῷ ἡγεμόνι τῶν Ῥωμαίων, ἡ μὲν Βαιτικὴ πρόσκειται τῷ δήμῳ, καὶ πέμπεται στρατηγὸς ἐπ' αὐτήν, ἔχων ταμίαν τε καὶ πρεσβευτήν. Ἡ δὲ λοιπή, Καίσαρός ἐστι. Πέμπονται δ' ἀπ' αὐτοῦ δύο πρεσβευταί, στρατηγικός τε καὶ ὑπατικός. *Nunc quidem, provinciis aliis attributis populo & Senatui, aliis Principi, Bætica populo relicta est, & mittitur in eam proconsul qui habet quæstorem & legatum. reliqua autem Hispania Cæsaris est. & mittuntur in eam duo legati, Prætorius & Consularis.* Addit deinde, Prætorium Lusitaniæ præfuisse, cum unico Legato: Consularem reliquæ, cum tribus Legatis tribusque legionibus. Consentit & Dio libro LIII. qui diserte *Bæticam populo adsignat, Lusitaniam & Tarraconensem Cæsari.* Quid igitur Appiano in mentem venit scribere, De bello Hispaniensi, extremo? *Ab eo tempore* (quo Cantabri ab Augusto victi) *Romani Iberiam, quæ hodie Hispania dicitur, in tres partes dividere cœpisse mihi videntur, in quarum duas annuos magistratus Senatus mittit, in tertiam vero Præsidem Imperator.* Quæ à falso numquam excusem, nisi quid mutavit ejus ævo. Strabo etiam libro ultimo*, duas Hispanias recensere inter eas quæ Populi sunt, videtur. sed videtur: eaque res interpretem decepit qui etiam τὴν ἐκτὸς Ἰβηρίαν, id est *Ulteriorem* sive *Exteriorem* Hispaniam, turpiter *Interiorem* convertit. Vellem monuisse eruditissimum Casaubonum, cujus ad Strabonem probas sane Notas jam nunc vidi. *Lipsius.*

*In Lusitaniam sepofuit.*] Deprecante Seneca. Plutarch. Annal. 13. *Dejicitur familiaritate sueta, post congressu & comitatu Otho, & postremo ne in urbe æmulatus ageret, provincia Lusitania præficitur.* Savilius.

2 *Et donec bellum fuit inter præsentes.*] Particula una traducta suam & orationi & sententiæ concinnitatem reddideris, *donec bellum fuit & inter præsentes splendidissimus.* Acidalius.

3 *Ducennio Gemino.*] Ille est, de quo libro XV. legis: *Exin Nero tres consulares, L. Pisonem, Ducennium Geminum, Pompeium Paulinum vectigalibus præposuit.* Lipsius.

4 *Pisonem Licinianum accersiri jubet.*] Sueton. c. 17. nonnihil à Tacito discedens scribit, *Pisonem repente è media salutantium turba apprehendit, filiumque appellans, in castra perduxit.* Savilius.

5 *Accersiri jubet, seu propria dilectione, sive ut quidam tradiderunt.*] Muretus *accersi* & *crediderunt*, maluerat. De utroque non gravate assentiar, quanquam necessario mutandum esse neutrum scio. *Acidalius.* In Florent. legitur: *seu propria electione; sive, ut quidam crediderunt.* Sed nihil muto. *Pichena.* Reposuimus lectionem MSC. Florentini; *crediderunt.* Freinshemius. Lege, *arcessi.* Gronovius.

6 *Piso M. Crasso & Scribonia genitus.*] Puto illo M. Crasso Frugi, qui consul fuit cum C. Lecanio Basso, DCCCXVI. sub Nerone. qui ipse è Calpurniis Frugi, in Liciniam gentem adoptione transiit, ut ex cognomine apparet: sicut hic noster

so & Scribonia genitus, nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui, & æstimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur. ea pars morum ejus, [1] quo suspectior solicitis, adoptanti placebat. Igitur Galba apprehensa Pisonis manu, in hunc modum locutus fertur; *Si te privatus*, [2] *lege curiata apud Pontifices, ut moris est, adoptarem;* & [3] *mihi egregium erat tunc, Pompeii & M. Crassi subolem in penates meos adsciscere;* [4] & *tibi insigne, Sulpiciæ ac Lutatiæ decora, nobilitati tuæ adjecisse. Nunc me deorum hominumque consensu ad imperium vocatum, præclara indoles tua, & amor patriæ impulit, ut principatum, de quo majores nostri armis certabant, bello adeptus, quiescenti offeram; exemplo divi Augusti, qui sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem pri-*

*vi-*

ster iterum è Liciniis ad Calpurnios ivit, Quod autem de Scribonia addit: ex eo vides perperam in Plutarchi Galba legi, Κράσσου καὶ Καλπουρνίου ἔχοντος: & ex nostro corrigendum. *Lipsius.*

*Piso M. Crasso ex Scribonia genitus.*] Emendavimus, & *Scribonia genitus.* Rhenanus.

1 *Quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat.*] Scio qui contendebant legendum, *qua*, præter omnem rationem. Omissa hic quoque particula, quæ alteri *quo* responderat, *quo suspectior sollicitis, eo magis adoptanti placebat.* Acidalius.

2 *Lege curiata, ut moris est.*] Veteri jure causas arrogationis subesse oportuit, quas Pontifices considerabant: puta, ætasne arrogatoris liberis potius gignundis idonea, bonane ejus qui arrogaretur, insidiose petita essent. Causis probatis, comitia quæ *curiata* appellantur præbita sunt, arbitris quandoque ipsis Pontificibus. Tum à magistratu, qui ad populum ferre legem posset, veluti consule, lata fuit rogatio his fere verbis. *Velitis jubeatis, Quirites, uti L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius sibi siet, quam si ex eo patre matreque familias ejus natus esset: utique ei vitæ necisque in eo potestas siet, uti patri endo filio est. Hæc ita uti dixi, ita vos, Quirites, rogo.* Quæ sunt apud Gell. 5, 19. & liquent ex ea Ciceronis pro domo sua. plane quod hic ait Cornelius *adoptarem*, de *arrogatione* ejus, qui sui juris esset, accipiendum esse: & in libris civilis studii *arrogatio* vocabulo *adoptionis* continetur. *Vertranius.* Nescio an à glossographo illa, *ut moris est.* Acidalius.

3 *Mihi egregium erat tunc.*] Non placet extrema ista vocula, quam suspicor effictam fuisse ex corrupto prænomine Pompeii, ut scribendum sit; *mihi egregium erat Cnæi Pompeji:* cum etiam Crasso pronomen suum addatur. *Freinshemius.* Hoc sibi quoque attribuit Ryckius, si per Musas licet, nec Freinshemii meminit. Sed Freinshemius prave causatur prænomen Crassi, quum magna sit differentia. Nam Pompejus excellenter dictus ita bene intelligitur. In Crassis fuere multi & pares, ut prænomine distingui interfuerit. Alia attuli in principio libri 14, quo minus mireris, si uni interdum addatur prænomen. Et quam rectum Medicei codicis illud *nunc?* Ita enim habet. quum res ita fert, etiamsi tam lente ac tarde, quocunque tamen tempore: itaque illud ἀπίθανον, & quod vix credi poterat, eo tempore tamen exortum & præsens iterat mox & excelsius proclamat *Nunc me Deorum.* Jac. Gronovius.

4 *Et tibi insigne, Sulpicia ac Lutatia decora.*] Ita scripsi. *Rhenanus.* Plutarchus agens de Galbæ genealogia inquit, μέγα δὲ εἶχεν εὐγενείας ἀξίωμα τοῦ Σερουΐων οἴκου. i. *ex illustri Serviorum gente trahebat natalium splendorem.* & Tacit. 2. Histor. *Post Julios, Claudios, Servios* nonnihil improprie usus cognomine pro gentilitio ad significandam Sulpiciorum domum; de qua fusius agentem vide Sueton. Galb. 2. & 3. Sed Galba, inquit Plutarchus, ἐφρόνει μεῖζον ἐπὶ τῇ τῶν Κάτλων συγγενείᾳ. i. *ingentes ei spiritus faciebat Catulorum stirps:* cum Q. Lutatius Catulus, esset ei avus maternus. Quod ex Liviæ Augustæ cognatione descenderit, ex lectione mihi non succurrit, quamquam verum sit, eum *observasse ante omnes Liviam Augustam, cujus & viva gratia plurimum valuit, & mortua testamento pene ditatus est.* Sueton. 5. Sed cognationis ne vestigia quidem apud scriptores extant, ut fidem facile ita sentienti abjudicem. Novercam tantum habuit Liviam Ocellinam, in cujus nomen ex adoptione transiit, appellatus L. Livius Ocellinus *usque ad tempus imperii*, si non erronea est Suetonii in Galb. 4. sententia. *Savillius. Familias* intelligit, ex quibus ortus Galba, ex Sulpicia genus nomenque paternum, ex Lutatia genus maternum ducebat: qui ex Mummia Achaica natus, statuarum titulis pronepotem se Q. Lutatii Catuli Capitolini scripserit, uti refert Sueton. in Galb. 3. *Vertranius.* Nihil video, quo hæc referri possent, *Sulpicia ac Lutatia*; nec dubito scripsisse Tacitum *Sulpicia ac Lutatia decora.* quomodo fere *avitum genus* sup. 3. 72. & magis etiam *longa decora praeferentes*, h. e. multos avos, multas imagines, sup. 14. 53. Simile est quod Florus 1. 8. habet: *Romana prodigia atque miracula.* Freinshemius. Omnia sana

*vignum, in proximo sibi fastigio collocavit. Sed* [1] *Augustus in domo successorem quæsivit;* [2] *ego, in republica. Non quia* [3] *propinquos aut socios belli non habeam: sed neque ipse imperium ambitione accepi,* [4] *& judicii mei documentum sint, non meæ tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed & tuæ.* [5] *Est tibi frater pari nobilitate, natu major, dignus hac fortuna, nisi tu potior esses. Ea ætas tua, quæ cupiditates adolescentiæ jam effugerit: ea vita, in qua nihil præteritum excusandum habeas. Fortunam adhuc tantum adversam tulisti.* [6] *Secundæ res acrioribus stimulis animos explorant: quia* [7] *miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eadem constantia retinebis;* [8] *sed alii per obsequium imminuent. Irrumpet adulatio;* [9] *blanditiæ pessimum veri affectus venenum; sua cuique utilitas.* [1] *Et*

sunt, si, ut oportet, illa, *Sulpicia ac Lutatia*, referas ad id, quod sequitur, *nobilitati.* Hic enim subintelligitur, *nobilitatis.* Boxhornius.

1 *Augustus in domo successorem quæsivit.*] Id est, Augustus quæsivit inter suos, inter propinquos, inter eos qui sui nominis atque gentis essent. ego inter cives & in repub. *Ferretus.* Hinc discas, Principibus in successore eligendo virtutis quam propinquitatis rationem habendam. Plin. Pan. *successorem e sinu uxoris accipias? summæque potestatis heredem, tantum intra domum tuam quæras? non per totam civitatem circumferas oculos? & hunc tibi proximum, hunc conjunctissimum existimes, quem optimum, quem diis simillimum inveneris.* Vopiscus in Tacito: *Ingens est gloria morientis Principis remp. magis amare, quam filios.* Pichena.

2 *Ego in Rep.*] Huc alludit, ut videtur, Dagalaiphus Comes stabuli apud Valentinianum: rogante enim Principe, quem in regni consortium adscisceret, respondit. *Si tuos amas, habes fratrem, si Remp. alium quære.* Marcell. l. 26. *Savilius.*

3 *Propinquos aut socios belli.*] Augustus Agrippam & Tiberium adoptavit, tanquam *belli socios*, alios ut propinquos. Sic Galbæ Otho erat socius belli & Dolabella, quem Plutarchus tradit, ut sic loquar, ex adoptionis titulo *propinquum* fuisse. Tac. *Corn. Dolabella propinquitate Galbæ monstratus*, si, ut arbitror, Plutarcho consentiens eundem intendit hominem. *Savilius.*

4 *Et judicii mei documentum.*] Sententiam ante involutam, filo & fide Vaticani codicis apte evolvi. Hoc dicit. Neque ego ambitione aut malis artibus imperium quæsivi: & quod te judicio successorem eligam, signum posthabiti non solum mei amici sed & tui. *Lipsius.*

*Et judicii mei documentum sit.*] Castigavi, *ut judicii mei documentum sit.* ubi malim *sint.* nam sequitur, *necessitudines non meæ sed tuæ.* Rhenanus.

5 *Est tibi frater.*] De quo libro IV. Historiarum: *Ferebatur Antonius Scribonianum Crassum, egregiis majoribus, & fraterna imagine fulgentem, ad capessendam remp. hortatus.* Lipsius.

6 *Secundæ res acrioribus stimulis.*] Xenophon pariter: Δοκεῖ δέ μοι, ὦ Κῦρε, χαλεπώτερον εἶναι εὑρεῖν ἄνδρα τἀγαθὰ καλῶς φέροντα, ἢ τὰ κακά. τὰ μὲν γὰρ ὕβριν τοῖς πολλοῖς, τὰ δὲ σωφροσύνην τοῖς πᾶσιν ἐμποιεῖ. Et sententia similis, Diodoro Siculo expressa, lib. XIX. Διόπερ ὅσοι προσηκόντως ὑπολαμβάνουσιν εὐχερέστερον ὑπάρχειν συμφορὰς ἐνεγκεῖν ἐπιδεξίως, ἢ τὰς εὐμεγέθεις εὐημερίας ἐμφρόνως. αἱ μὲν γὰρ διὰ τὸν περὶ τοῦ μέλλοντος φόβον ἐπαναγκάζουσιν ἐπιμελεῖσθαι, αἱ δὲ διὰ τὸ προγεγονὸς εὐτύχημα, προτρέπονται καταφρονεῖν πάντων. Et Catoni illi Prisco; *Adversa res se domant, & docent quid opus sit facto: secundæ res lætitia transvorsum trudere solent à recte intelligendo atque consulendo.* Idem.

*Secunda res acrioribus stimulis animum explorant.*] Melius, credo, in Flor. legitur, *animos explorant.* Pichena.

7 *Miseria tolerantur.*] Quoquo modo feruntur. *Ferretus.*

8 *Per obsequium imminuent.*] Ita diserte Vatic. & Venetus: nec quidquam pote (non me quidem arbitro) lectione hac melius. Rhenanus tamen turbat, mutat, & exemplaria ut haberent fecit, *alii licet per obsequium annuant.* Lipsius.

*Sed alii per obsequium imminuent. Irrumpet adulatio.*] Hic locus fœde corruptus est. Restituimus ex volumine Matthiæ Corvini in hunc modum, *sed illa licet per obsequium annuant. Irrumpet adulatio.* Expone, *licet* hoc est datur, conceditur, permittitur, ut alii per obsequium annuant. *Rhenanus.*

9 *Blanditia pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas.*] Verba hæc prorsus ἀπροσδιόνυσα. Nec sensum evolvas verum quidem: nec structuram videas aliqua ratione concinnam. Non multo in sequentibus particula *etiam* ad sensum facit. Quæ omnia si auferantur hinc, reliqua inter se pulcherrime congruant. & nos locum vidimus, quo ista rursus, audaci quidem, sed necessaria trajectione, reponenda: *Sed alii per obsequium imminuent. Irrumpet adulatio, blanditia, pessimum veri adfectus venenum. Ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur, ceteri libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum. Nam suadere principi,* quod

[1] *Et jam ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur; ceteri libentiùs cum fortuna no-*
*stra, quam nobiscum. Nam suadere principi quod oporteat, multi laboris: assentatio*
*erga principem quemcumque, sine affectu peragitur. Si immensum imperii corpus stare ac* 16
*librari sine rectore posset, dignus eram, à quo respublica inciperet. Nunc eo necessitatis*
*jampridem ventum est, ut nec mea senectus conferre plus populo Romano possit, quam bo-*
*num successorem; nec tua plus juventa, quam bonum principem.* [2] *Sub Tiberio, & Ca-*
*jo, & Claudio,* [3] *unius familiæ quasi hereditas fuimus: loco libertatis erit, quod eligi*
*cœpimus. Et finita Juliorum Claudiorumque domo, optimum quemque adoptio inveniet.*
*Nam generari & nasci à principibus fortuitum, nec ultra æstimatur:* [4] *adoptandi judi-*
*cium integrum; & si velis eligere, consensu monstratur. Sit ante oculos Nero, quem*
*longa Cæsarum serie tumentem, non Vindex cum inermi provincia, aut* [5] *ego cum una*
*legione; sed sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulere.* [6] *neque erat adhuc*
*damnati principis exemplum.* [7] *Nos bello, & ab æstimantibus asciti, cum invidia quam-*
*vis, egregii erimus.* [8] *Ne tamen territus fueris, si duæ legiones in hoc concussi orbis mo-*
*tu nondum quiescunt. Ne ipse quidem ad securas res accessi: & audita adoptione, desi-*
*nam videri senex, quod nunc mihi unum objicitur. Nero à pessimo quoque semper deside-*
*rabitur: mihi ac tibi providendum est,* [9] *ne etiam a bonis desideretur. Monere diutius,*
*neque*

*quod oporteat, multi laboris: assentatio erga principem quemcunque sine affectu peragitur. Sua cuique utilitas. Etiamsi* &c. Hic illa, *sua cuique utilitas,* sententiolæ loco post aliquantam respirationem à Galba interjecta, quibus transitum & aditum ad sequentia sibi faceret, præcipua totius orationis, ut quibus utilitatem & prope necessitatem hujus adoptionis & electionis vult demonstrare. *Acidalius.* Verba hæc ad sequentia pertinere arbitror. Ideo distinguerem: *Irrumpet adulatio, blanditiæ: pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas.* Pichena. Vir Eruditus distinguit: *blanditiæ: pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas.* me non adsentiente, qui eredam blanditias potius hac infamia notari. quam & mereri, vel Plutarchi libellus fidem fecerit, quem de adulatore, ab amico dignoscendo scripsit. *Freinshemius.*

1 *Etiam ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur.*] Illud, *etiam*, in hoc loco supervacuum & ineptum videtur, ac suspicor ad antecedentia pertinere. Sic ergo legerem: *sua cuique utilitas etiam. Ego ac tu* &c. *Pichena.*

2 *Sub Tiberio, & Cajo, & Claudio.*] Sed cur Neronem omittit? Credo quia Tiberius, & Cajus, & Claudius, qui successionis continuatione Principatum tenuerunt, ejusdem familiæ Claudiæ erant. Nero autem in ea tantum per adoptionem. *Idem.*

3 *Unius familia.*] Claudiæ scil. *Ferretus.* C. Julius adoptabat Augustum, Augustus Liviam & Tiberium, hic Germanicum, cui filius Cajus, frater Claudius, tandem Claudius adoptabat Neronem, in quo exstincta Juliorum stirps. *Ausonius.*

*Æneadum generis qui sextus & ultimus hæres*
*Polluit, & clausit Julia sacra Nero.* Savil.

4 *Adoptandi judicium integrum.*] Proprium, liberum, non commune cum fortuna: & si volueris eligere, inde cognoscitur, quod consensus omnium sequitur eligentem. plerumque enim electio est plurium & optimi. *Ferretus.*

5 *Cum una legione.*] Una tantum? Atqui antea tres, in illa parte Hispaniæ. & τρία τάγματα, *tres legiones* (ita vertere interpres debuit, non *cohortes*) collocat sub Augusto Strabo. Etiam sub Tiberio noster, initio libri 4. Annal. *Hispania,* inquit, *recens perdomita tribus habebantur.* Sed iis ipsis verbis adsignificat id mutatum, & imminutas legiones, animis ejus gentis tempore imminutis & fractis. Itaque in Tarraconensi, cui Galba præfuit, una tunc legio. Suetonius in Galba, cap. 10. ostendit exercitum fuisse *legionis unius, alarum duarum, trium cohortium.* Lipsius.

*Ego cum una legione.*] *Sexta* nempe. 5. hist. *Principem Galbam sexta legionis auctoritate factum.* Savilius.

6 *Neque erat adhuc.*] Scil. ante Neronem, *qui perlatis à cursore Phaontis liberti sui codicillis, legit se hostem à Senatu judicatum, & quæri ut puniretur more majorum*, ait ille. *Vertranius.*

7 *Nos bello & ab æstimantibus asciti.*] Qui judicio id fecerunt. *Ferretus.* Illud, *nos*, ad utrumque referendum videtur. Ideo interpretor, ipsum Galbam bello ascitum Imperatorem, Pisonem autem adoptione à Galba æstimatum. At æstimatio etiam de utroque intelligi potest, cum initio hujus orationis dixerit. *Nunc me deorum hominumque consensu ad imperium vocatum.* Pichena.

8 *Nec tamen territus fueris.*] Scripsimus, *ne tamen* &c. *Rhenanus.*

9 *Ne etiam à bonis desideretur.*] Vox ultima,

*neque temporis hujus;* & *impletum est omne consilium, si te bene elegi.* [1] *Utilissimusque idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus est,* [2] *cogitare quid aut volueris sub alio principe, aut nolueris. Neque enim hic,* [3] *ut in ceteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus,* & *ceteri servi: sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.* Et Galba quidem, hæc ac talia,
17 [4] tamquam principem faceret; ceteri tamquam cum facto loquebantur. Pisonem
ferunt statim intuentibus, & mox conjectis in eum omnium oculis, nullum turbati, aut exsultantis animi motum prodidisse. Sermo erga patrem imperatoremque reverens; de se moderatus: nihil in vultu habituque mutatum: [5] quasi imperare posset magis, quam vellet. Consultatum inde, [6] *pro Rostris, an in senatu,* [7] *an in castris adoptio nuncuparetur. Iri in castra* placuit. *honorificum id militibus fore, quorum favorem ut largitione* & *ambitu male acquiri, ita per bonas artes haud spernendum.* Circumsteterat interim palatium publica exspectatio magni secreti impatiens, & ma-
18 le coërcitam famam supprimentes augebant. Quartum Idus Januarias, fœdum imbribus diem, tonitrua & fulgura & cælestes minæ ultra solitum turbaverant. [8] Observatum id antiquitus comitiis dirimendis, non terruit Galbam, quo minus in castra per-

si absit, nemo desideret, imo oriatur facies orationis longe jucundior; meis quidem oculis. *Gruterus.*

1 *Utilissimus quidem ac.*] Sive, ut Rhenano, & Mauro visum è Budensi, *utilissimus idem.* Lipsius.

*Utilissimus quidem ac brevissimus bonarum malarumque.*] Codex Budensis, *Utilissimus idem ac brev. benarumque rerum delectus, cogitare.* Legerim ego, *Utilissimus idem ac brev. bonarum quoque rerum delectus; Cogitatio quid aut nolueris sub alio principe, aut volueris.* Rhenanus. Cum in mala non cadat electio, vulgarem scriptionem suspicor corruptam. Chirographo regio deest *malarum.* Sic igitur scribo: *Utilissimus idem qui brevissimus bonarum rerum delectus: cogita quid aut nolueris sub alio principe, aut volueris.* Particulam *quidem* partitus sum: *ac* sustuli: neminem enim, opinor, latet, quam multa sint in auctoribus passim interpolata. *Vertranius. Utilissimus idem ac* &c. ita malo quam *quidem.* Talem Trajanum suum Plinius facit Panegyrico: *Meministi quæ optare nobiscum, quæ sis queri solitus. Nam privato judicio principem geris, meliorem imo te præstas, quam tibi alium precabare.* Acidalius. Vulgo, *Utilissimus quidem*, Mutavi, quoniam Flor. & plerique alii veteres habent, *idem.* Ex eodem etiam Flor. restitui *est*, quod intereiderat. *Pichena.*

2 *Cogitare quid sub alio.*] Vel debes vel cogita. *Ferretus.* Melius sic ex Flor. *Quid aut volueris sub alio principe, aut nolueris.* Vulgo inverso ordine. *Pichena.*

3 *Ut in ceteris gentibus.*] Aliæ editiones habent *tertis.* Hæc varietas facit eam vocem suspectam. Sed utraque media vox abest ab Mediceo. Et sanequam plena est periodus! *Neque enim hic, ut gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus* &c. Sic Civilis 4, 66. *Clara voce, Non ideo, inquit, bellum sumpsimus, ut Batavi & Treviri gentibus imperitent.* Jac. Gronovius.

4 *Tanquam Principem faceret.*] Id est, Galba consilio, alii adulatione. *Savilius.*

5 *Quasi imperare posset magis quam vellet.*] 3. hist. de Junio Blæso. *Nullius repentini honoris, adeo non Principatus appetens, ut parum effugeret, quin dignus crederetur.* Idem.

6 *Pro Rostris.*] Id est, ad populum in concione. *Idem.*

7 *An in castris.*] Locus hic explicatione indiget, cui, quantum in nobis est, lucem adferre conabimur. Castra vero hic accipiuntur (quæ à Sueton addita epitheto Prætoriana dicuntur in Claud. 21.) pro loco illo, qui teste Plinio erat in extrema urbis parte, in quo Prætorianæ cohortes continebantur: quæ à Tiberio sunt constituta, cum vagæ ante id tempus, & per hospitia dispersæ essent. In illis porro castris adoptio facta est. Statim. *Iri in castra placuit: honorificum id militibus fore.* Tum, *Apud frequentem* &c. Ex quo apparet solennia adoptionis non requiri in hisce militum adoptionibus, quæ in testamentariis. In his enim oportebat scriptum hæredem, & filium, si ratum id haberet, nomen, in quod erat adoptatus, apud Prætorem profiteri, ne cui postea nominis mutatio fraudi esset, ut Octavium post Julii mortem, & apertis ejus tabulis fecisse tradit Appianus. Horum castrorum mentio fit à Tac. in fine l. 3. hist. atque hoc libro sæpius. *Lupanus.*

8 *Observatum id antiquitus comitiis dirimendis, non terruit Galbam.*] Cic. in Vatinium. *Augures omnes usque ab Romulo decreverunt, Jove fulgente cum*

pergeret; [1] contemptorem talium ut fortuitorum; seu quæ fato manent, [2] quamvis significata, non vitantur. Apud frequentem militum concionem, imperatoria brevitate, adoptari à se Pisonem, [3] more divi Augusti, & exemplo militari, [4] quo vir virum legeret, pronuntiat: ac ne dissimulata seditio in majus crederetur, ultro asseverat, [5] *quartam & duodevicesimam legiones, paucis seditionis auctoribus, non ultra verba ac voces errasse, & brevi in officio fore.* Nec ullum orationi aut [6] lenocinium addit, aut pretium. Tribuni tamen centurionesque, [7] & proximi militum, grata auditu

*cum populo agi nefas esse.* Philipp. 5. *Jove tonante cum populo agi non esse fas quis ignorat?* 2. de divinat. *in nostris commentariis scriptum habemus, Jove fulgurante Comitia populi habere nefas.* Paulo post: *Comitiorum solum vitium est fulmen, quod idem omnibus rebus auspicium optimum habemus, si sinistrum fuerit.* Savilius. Modus loquendi Livio familiaris. lib. 1. *ni degeneratum in aliis, huic quoque decori offecisset.* lib. 7. *diu non perlitatum tenuerat Dictatorem, ne ante meridiem signum dare posset.* & inferius: *tentatum domi per Dictatorem, ut ambo patricii Consules crearentur, rem ad interregnum perduxit.* Pichena.

1 *Contemptorem talium, ut.*] Sic Julius Cæsar ne religione quidem à quoquam incœpto retardatus est. Alexandrum quoque ferunt contemptorem religionis fuisse, auctore Anaxarcho Philosopho, ut scribit Justinus lib. 12. *Lupanus.*

2 *Quamvis significata non vitentur.*] Emendavimus & distinximus, *quamvis significata, non vitantur.* Rhenanus.

3 *More D. Augusti, & exemplo militari.*] Trajectio facta vocum videtur: quam odoratus Æmilius Ferrettus, legitque, *Exemplo D. Augusti & more militari.* me quidem utraque manu adsentiente. *Lipsius.*

*More divi Augusti.*] Malim, *exemplo divi Augusti, & more militari.* Ferrettus. Ego quoque, ut Æmilius, scribendum puto. Etsi enim C. Julius Cæsar belli Gall. lib. 1. *negat se more & exemplo populi Rom. posse iter ulli per provinciam dare:* Tacitus tamen initio Galbianæ orationis dixit: *Principatum quiescenti offeram, exemplo divi Augusti.* Quod autem adoptare se Pisonem *more militari, quo vir virum legeret,* Galba pronunciavit, id ex militiæ Romanæ antiquis moribus explicandum est. Apud majores miles quandoque non ex lege, aut ex censu per conquisitionem delectumve scribebatur, sed sive domi cogeretur exercitus, sive pars copiarum præliatura cum hostibus, in expeditionem mitteretur, cum gliscerent pericula, ex iisque casus graviores timerent, soliti fuere milites singuli notos sibi singulos legere, quos antea ex præclaris facinoribus satis spectatos putarent. Quod hodie militibus in more, legitur quoque apud Livium lib. 9. *Etrusci lege sacrata coacto exercitu, cum vir virum legisset, quantis nunquam alias antea simul copiis, simul animis dimicarunt.* Eodem alludit M. Tullius, ut quidam observavit ad illa verba Milonianæ: *Ille qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat, tum neminem, nisi ut virum à viro lectum esse diceres.* Vertranius. Τὸ mos & τὸ exemplum eadem fere possunt. Plaut. Bacchid. *Multi more isto atque exemplo inīuunt, quos cum censeat Tibi amicos, reperiuntur falsi falsimoniis.* Cæsar lib. 1. Gall. *negat se more, & exemplo populi Rom. posse iter ulli per provinciam dare.* Sint hæc igitur per me sine trajectione. *Salinerius.*

4 *Quo vir virum legeret.*] Modus ex militia talis est, quo primus sumeret secundum in acie sibi proximum, secundus tertium, & sic porro, omnibus ad extremum usque velut socios sibi adlegentibus. Exercitus ad eam instructus formam omni pene vi major videbatur istis temporibus; certe plurimum in hostes valebat. Livius lib. 9. Pæne apud Xenoph. 1. παιδ. par est descriptio instruendi apud Persas exercitus, seu vere atque ex usu, seu quod dux militia clarus eam judicaret aciem validissimam. Cyrus nobilissimum quemque, numero ducentos, exercitatæ industriæ legebat, singuli ex ducentis sibi quatuor alios, donec mille nobiles ille incrementi ordo daret. nobilium deinde singuli triginta milites gregarios optabant, decem scil. πελτασάς, totidemque funditores, & sagittarios pari numero. *Savilius.*

5 *Quartam & duo & vicesimam legiones.*] Vulgo, *duodevicesimam.* falsum, ex libris, & historia. idque etiam in Flor. repositum fuerat à recentiori manu: sed tamen apparet, scriptum antea fuisse, *duoetvicesimam.* Pichena. Sed vide ad caput 55.

6 *Lenocinium addit, aut pretium.*] Ita scripsi, Flor. indicante qui habet, *addita ut precium.* Vulgo etiam non male; *additum aut pretium.* Pichena.

7 *Et proximi militum grata auditu respondent.*] Mendosus locus est. Castigavimus, *Et proximi militum gratabundi respondent.* nam gratandi verbum etiam alibi Tacit. usurpat. ut lib. 5. *Et incolumem fore gratatur.* lib. 14. *Atque ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum sese expedire.* lib. 2. Hist. *laudantes gratantesque* &c. Rhenanus. Librorum veterum lectionem licet suspectam, malui restituere, quam Rhenani aberrantem conjectu-

auditu respondent: per ceteros mæstitia ac silentium, [1] tamquam usurpatam etiam in pace donativi necessitatem, bello perdidissent. Constat potuisse conciliari animos [2] quantulacumque parci senis liberalitate. nocuit antiquus rigor & nimia severitas, cui jam pares non sumus. Inde apud senatum non comptior Galbæ, [3] non longior quam apud militem sermo: Pisonis comis oratio. [4] & patrum favor aderat: multi voluntate; effusius qui noluerant: medii, ac plurimi, obvio obsequio privatas spes agitantes, sine publica cura. Nec aliud sequenti quatriduo (quod medium inter adoptionem & cædem fuit) [5] dictum à Pisone in publico, factumve. Crebrioribus in dies Germanicæ defectionis nuntiis, & facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova, cum tristia sunt; censuerant patres mittendos ad Germanicum

jecturam retinere. Flor. nihil ab aliis manuscriptis discrepat, nisi quod pro *auditu* habet *audito*. suspicor Tacitum scripsisse, *grata ac læta*. militum scil. acclamationes, quibus fausta omnia precari solebant. ut lib. seq. *militariter locutus, læta omnia & affluentia excepit*. lib. 4. *Magna voce, læta Pisoni omina, tanquam principi continuare*. Pichena.

1 *Tanquam usurpatam etiam in pace donativi necessitatem.*] Principum in milites liberalitas *donativum* vocabatur, in populum aut etiam amicos *congiarium*; quod proculdubio certa primum mensura (velut congii) vinum aut oleum divideretur, posteaque suffectis rebus aliis adhæsit idem nomen. 12. Annal. *Additum nomine Neronis donativum militi; congiarium plebi*. Et Sue. Ner. 7. agens de eadem re. *Deductus in forum tyro, populo congiarium, militi donativum proposuit*. Quo proprietatis neglectu, ut videtur, permiscet vocabula Tullius, utiturque *congiario*, ubi *donativo* locus erat 16. ad Att. Epist. 8. *An iret ad tres legiones Macedonicas, quæ iter secundum mare superum faciunt, quas sperat suas esse. Ea congiarium ab Antonio accipere noluerunt*. An potius, quod reor, *donativum*, libera rep. ignotum sub Imperatoribus obtinuit? principes plerumque donativum concedunt post insignem aliquam victoriam; aut ubi extra ordinem suaderet occasio. Claudius primus fuit, qui Principatum adeptus militi donativum promisit quina dena sestertia, id est circiter 120 libras sterlingas monetæ Anglicanæ. *Primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pignoratus*, ait Sueton. c. 10. Et cum Nero filius adoptivus virilem indueret togam, itidem dedit. Nero Principatus initio *promisit donativum ad exemplar paternæ largitionis*, Tac. 12. Annal. & post detectam Pisonis conspirationem, *bina nummum millia* viritim manipularibus divisit, id est, circiter sexdecim libras nostrates, & variis temporibus, cum Græciam transiret, imposuit quasi per tot repetitas vices necessitatem idem faciendi successoribus. Nymphidius promittebat ipsis Galbæ nomine triginta millia sestertium, id est, circiter libras ducentas quadraginta, Galba promissi fidem eludente. Atque hic in Pisonis adoptione; *nullum orationi aut lenocinium additum aut pretium*. Adrianus magis obsecutus tempori in adoptione Veri quater millies sestertium in militem divisit; & Antoninus, teste Spartiano, in matrimonio filiæ Faustinæ excessit *usque ad donativum militum*. Savilius.

2 *Quantulacunque parci senis liberalitate.*] Liber Corvini: *quantulacunque parva liberalitate, Nocuit*. Opinor fuisse scriptum, *Quantumcunque parva liberalitate*, aut tantum, *quantacumque liberalitate*, ut vox *parva* fuerit ab interprete. *Rhenanus*.

3 *Non longior quam apud milites sermo.*] *Militem* legitur in Corvini libro. *Idem*. Etiam in Mediceo, ut jam præmonitum ab Ryckio. Unde igitur ille pluralis? *Jac. Gronovius*.

4 *Et patrum favor aderat: multi.*] Verum sensum non assequeris, nisi aliter interpungas. nempe hoc unum videtur auctor dicere: Multi qui medie noluerant, voluntate effusius, scil. favebant. At ille longe aliud vult, quod distinctio hæc tibi aperiet: *Et patrum fav. aderat: multi voluntate, effusius qui noluerant, medie; ac plurimi obvio obsequio*. Tres favoris velut gradus facit. *Multi voluntate*, id est, Taciti phrasi, quibus adoptio volentibus erat, *effuse* (nihil enim hic amplius valet *effusius*) favebant; quibus privatæ tantum spes: nulla publica cura: *plurimi obvio obsequio*, id est, effusissime: inter hos *medie* illi, qui noluerant, seu quibus adoptio adversa. *Acidalius*. Sic emendandum censui locum, probavique Socero meo; *multi voluntate; effusius, qui noluerant; medii ac plurimi*: cum ante legeretur: *multi voluntate effusius, qui noluerant medie, ac plurimi obsequio* &c. omnia confuse, non sine pulcherrimæ & acutissimæ sententiæ injuria: effusius favisse (in speciem saltem) qui noluerant eo fastigii provectum Pisonem. Sic in loco parallelo, quem confirmandæ huic correctioni in margine adjeci. H. 1, 45. *quanto magis falsa erant, quæ fiebant, tanto plura facere*. Freinshemius.

5 *Dictum à Pisone in publico, factumque.*] Placuit, *in publico*, juxta Flor. quamvis non male vulgati, *in publicum*, Pichena.

5 Ma-

nicum exercitum legatos. agitatum secreto, num & Piso proficisceretur; [1] majore prætextu: [2] illi auctoritatem senatus, hic dignationem Cæsaris laturus. Placebat & Laconem prætorii præfectum simul mitti. [3] Is consilio intercessit. Legati quoque (nam senatus electionem Galbæ permiserat) fœda inconstantia nominati, excusati, substituti, ambitu remanendi aut eundi, ut quemque metus vel spes impulerat. Proxima pecuniæ cura. & cuncta scrutantibus justissimum visum est, inde repeti, [4] ubi inopiæ causa erat. [5] Bis & vicies millies sestertium donationibus Nero effuderat. [6] Appellari singulos jussit, [7] decuma parte liberalitatis apud quemque eorum

1 *Majore prætextu.*] Quid illud, *majore?* Suspectum mihi hic verbum. *Lipsius.*

*Majore prætextu.*] Id est, quo legatio ad milites ornatior, seu majoris foret dignitatis, placebat una cum missis à Senatu ire etiam Pisonem: *Illi auctoritatem senatus, hic dignationem Cæsaris laturus.* non enim *prætextus* semper pro obtentu. Val. lib. 4. *& plurimorum ac maximorum operum prætextu titulum imaginum suarum amplificavit.* At cur non ipse Galba legiones adivit? Tiberium æmulatur. Tac. l. 1. ann. *Immotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit, non omittere caput rerum, neque se remque publicam in casum dare: præsertim cui major e longinquo reverentia, simul adolescentibus excusatum quadam ad patrem rejicere.* Doctiss. autem vir hæc haber suspecta mendæ. *Salinerius.* Suspectum Lipsio verbum *majore*; mihi magis quod sequitur, *prætextu*: & mutem sane hoc, scribamque fidenter, *majore profectu.* id est, in majorem profectum, sive, ut eo plus legatione proficeretur. *Acidalius.* Græci dicerent, ἐπὶ μείζονι προσχήματι. Subjicit enim Tacitus; *illi auctoritatem Senatus, hic dignationem Cæsaris laturus.* ἀξίωμα scil. καὶ πρόσχημα, quod prætextum vocat. Itaque non erat, quod in hoc loco Lipsius desideraret. Erat Piso jam Cæsar factus adoptione Galbæ, & ideo plus dignationi conciliaturus. *Boxhornius.*

2 *Illi auctoritatem senatus.*] Scripsimus, *ille aut. s. hic d. Cæsaris laturus.* Rhenanus.

3 *Is consilio intercessit.*] Exemplar Budense, *ni consilio intercessit.* Forte legendum, *ni consilio intercessum.* aut potius, *cui consilio intercessum.* Rhenanus. Quis intercessit? an Piso ipse, tamquam consors tribunitiæ potestatis? Credo potius Laconem. neque de intercessione tribunitia intelligi, sed quod ille abnuerit, consiliumque improbaverit. *Pichena.*

4 *Ubi inopia causa erat.*] Reposui, *ubi*, ex Flor. & aliis veteribus. Vulgo, *unde inopia.* Idem.

5 *Bis & vicies mille sestertium.*] Verius fortasse, *bis & vicies millies.* quæ summa sane grandiuscula, sed digna effusionibus ejus monstri. *Erunt quinquaginta quinque milliones*, ut loquamur ritu & compendio nostro. Quid nimium pro opibus Romanis? *Lipsius.*

*Bis & vicies mille sestertium.*] Faërnus legebat, *Bis & vicies millies sestertium.* Ursinus. *Mille* per errorem pro *millies.* 2. hist. *Novies millies sestertium*, non *novies mille*; sic enim fert hujus linguæ usus, atque in hoc exprimendi modo per adverbia vulgo subintelligitur *centena millia.* ut *bis & vicies millies* tantundem sit ac si dixisset, *bis & vicies millies centena millia sestertium.* Plutarchus Antonio interpretatur *decies* per πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας (δραχμῶν) i. *decies centena millia sestertium*; quatuor sestertiis ex ejus supputatione drachmam constituentibus. *Sestertius quasi semis tertius*, id est, duo & dimidium tertii, & observata eadem analogia in Græcis πέμπτον ἡμιτάλαντον, id est, quatuor talenta & dimidium quinti, Germanice *drit-halb batzen* duo batzi & dimidius. Sestertius vero idem valens quod duo & semis, notari vulgo solitus hoc modo II S. aut conjunctim H. S. id est, *duo & semis*, ut totidem *asses* utique intelligantur; & quatuor sestertii æquivalent *denario*, qui sic dicitur quasi *dena æra.* Omnes quoque Græci, nullo prorsus excepto, qui res Romanas historiarum monumentis prodiderunt, quatuor sestertios vertunt δραχμῆς Ἀττικῆς vocabulo, non tantum, ubi minor summa colligitur, sed & majores, quæ palpandum præberent, si quod ex illorum opinione daretur, discrimen. Cum igitur *denarius* & *drachma* & consensu scriptorum, quos habemus antiquissimos adversus paucorum auctoritatem, æquivaleant, & utraque vox quatuor exæquetur sestertiis, octo drachmis unciam constituentibus, unciaque apud nos nunc faciente quinque solidos sterlingios, summa hoc loco descripta *bis & vicies millies centena millia sestertium*, ad Anglicanam reducta monetam nunc in vulgus usitatam, conficiet septendecim milliones centum octoginta septem millia & quingentas libras. Neque fidem excedere videbitur, si Neronem spectes ejusque per quatuordecim annos prodigalitatem: cum Vitellius, memorante Tacito 2. hist. paucissimis mensibus novies millies H. S. intervertisse credatur, circa septies millies millenas libras. *Savilius.* Reposuimus haud ambigue veram lectionem. prius legebatur, *bis & vicies mille*, inepte. *Freinshemius.*

6 *Appellari singulos jussit.*] Non Romæ tantum sed

eorum relicta. At illis [1] vix decumæ super portiones erant: [2] iisdem erga aliena sumptibus, quibus sua prodegerant, cum rapacissimo cuique ac perditissimo, non agri, aut fœnus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. [3] Exactioni triginta equites Romani præpositi, [4] novum officii genus, & ambitu ac numero onerosum: [5] ubique hasta, & sector, & [6] inquieta urbs actionibus. Attamen grande gaudium, quod tam pauperes forent quibus donasset Nero, quam quibus abstulisset. Exauctorati per eos dies tribuni, è prætorio Antonius Taurus, & [7] Antonius Naso: ex urba-

sed & alibi. Xiphilin. Τοῖς ἐπαιτοδίκαις τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας, ἃς ὕστερον Γάλβας παρ' αὐτῶν ἀπῄτησεν, ἔδωκεν. Savilius.

7 *Decuma parte.*] Huc spectabat narrante Suet. decretum, *ut si quid ipsi vendidissent, auferretur emptoribus.* Plutar. τὰς δωρεὰς παρ' αὐτῶν ἢ λαβόντες ὅπου ἀνεζήτει (ὁ Γάλβας) καὶ παρ' ἐκείνων ἐξέπραττε. Idem.

1 *Vix decumæ super portiones erant.*] Castigavimus, *vix decumæ supra portiones erant.* Rhenanus. Id est, vix decumæ portiones supererant. *Ferrettus.* Transpositio poëtica. Virgil. 11. Æn, *Jamque adeo super unus eram.* Pichena. Quasi Pichena nullus esset, neque locum Virgilii apposuisset, conjungunt utrumque & transpositionem vel tmesin monstrant notæ Gadii ad Phædri primam fabulam. *Jac. Gronovius.*

2 *Iisdem erga aliena sumptibus.*] Videtur illud *erga* abundare. *Ursinus.* Delet Muret. *erga:* non magna sententiæ, sed structuræ maxima injuria. *Sumptus erga aliena*, non insolita Tacito dictio. *Acidalius.*

3 *Exactioni xxx equites præpositi.*] In Suetonio est, *quinquaginta.* nec liquet mihi de veritate. *Lipsius.*

*Exactioni xxx equites Rom. præpositi.*] Suetonius ait fuisse præfectos quinquaginta. Galb. 15. *Vertranius.* Notat Lipsius in Sueton. *quinquaginta* esse; nec liquere sibi ait de veritate. Non equidem & mihi: sed credam Suetonianum verius; atque inde Tacitum emendandum: præsertim, quando & ipse ampliorem aliquem numerum innuit sequentibus verbis; *Novum officii genus, & ambitu ac numero onerosum.* & illa descriptione: *Ubique hasta, & sector, & inquieta urbs auctionib.* quæ omnia de quinquaginta magis suadent; quam triginta, numero non adeo enormi. Simul & conjecturam ejusdem Lipsii juvant, imo plane firmant, in loco superiore: *Bis & vicies millies sestertium donationibus Nero effuderat.* Ubi *millies* reponit, ratione valde consentanea. Si enim exactorum numerus tam grandis, necesse est & summam vastiorem Neronianæ profusionis. *Acidalius.*

4 *Novum officii genus, & ambitu ac numero onerosum.*] Qui enim officium ambitu petit, populis in eo gerendo solet esse onerosior. quippe ambiens, quasi emit: & ut ait Lamprid. in Alex. Severo. *Necesse est, ut qui emit, vendat.* Pichena.

5 *Ubique hasta & sector.*] *Hastæ subjiciebantur ea quæ publice venundabant.* Festus. *Sector, æstimator redemtorque bonorum.* Savilius. Libro 3. ex Ciceron. declaravimus hastam auctionibus præponi. *Sectores* auctore Asconio dicti sunt, *qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, pro hisque pecunias pensitabant singulis, ac in posterum pro compendio suo singula quæque pecunia populo vendituri.* Laur. Valla *sectorem* eum dici contendit, qui ex damnatione accusati, dimidium, aut aliquam partem exspectat. G. Budæus eos posse appellari *sectores* dicit, qui confiscationes a principe impetrant, ut homines interdum insontes fortunis evertant. *Lupanus.*

6 *Inquieta urbs actionibus.*] Malim, *auctionibus.* nam mox præcedit, *ubique hasta & sector.* Rhenanus. Malim, *auctionibus.* Ferrettus. Legendum *auctionibus*, ea quæ præcedunt, *hasta & sector*, Rhenano & Ferretto suasore: hic certe mendum hoc tam facile, quam triplici loco in Pandectis similiter obrepserat. *Vertranius.* Faernus emendabat, *Inquieta urbs auctoribus*, &c. non *actionibus*, ut erat in vulgatis. *Ursinus.* Ita certe in Gruteri editione exhibetur. Atqui non est credibile Faernum cogitare potuisse de *auctoribus*, sed exemplo cæterorum cogitavisse de *auctionibus.* Ita enim agunt, quasi nihil aliud hic dici potuerit ab Tacito. Quæso autem, an qui legit ubique hastam & sectorem versari, an non statim satis intelligit urbem esse inquietam auctionibus? Certe enim per priora nihil aliud dicitur, quam hoc ipsum; & qui cap. 90. legit reliquias Neronianarum sectionum, satis intelligit. Quod si jam recte rem inspicias, utique curatio illorum equitum talis erat, ut quæ necessario antequam pergeret ad hastam & sectorem & auctionem, aliquid præmittere debeat, quo jus illud vendendi sibi vindicaret. Hoc fit per actiones. Exigitur enim aliquis tantam pecuniam; detrectat solvere aut negat posse; remedium est actio, per quam alii primo trahuntur in jus, aliorum strepitus jam pro tribunalibus, aliorum supellex effertur &c. Hinc opinor patere in optimis MSS. veritatem castissime conservari, unde ego eam reposui. *Jac. Gronovius.*

7 *Antonius Naso.*] Farnesiano est, *Aurelius.* Lipſ.

1 *Nec*

urbanis cohortibus, Æmilius Pacensis: è vigiliis, Julius Fronto. [1] Nec remedium in ceteros fuit, sed metus initium: tamquam per artem & formidinem singuli pellerentur, omnibus suspectis. Interea [2] Othonem, cui compositis rebus nulla 21 spes, omne in turbido consilium, multa simul exstimulabant: luxuria etiam principi onerosa, inopia vix privato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem invidia. [3] Fingebat & metum, quo magis concupisceret. [4] *Prægravem se Neroni fuisse. nec Lusitaniam rursus aut* [5] *alterius exsilii honorem exspectandum: suspectum semper invisumque dominantibus, qui proximus destinaretur. Nocuisse id sibi apud senem principem: magis nociturum apud juvenem,* [6] *ingenio trucem, & longo exsilio efferatum.* [7] *Occidi Othonem posse. proin agendum audendumque, dum Galbæ auctoritas fluxa, Pisonis* [8] *nondum coaluisset. Opportunos magnis conatibus* [9] *transitus rerum; nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies, quam temeritas. Mortem omnibus ex natura æqualem, oblivione apud posteros, vel gloria distingui. Ac si nocentem innocentemque idem exitus maneat,* [10] *acrioris viri esse, merito perire.* [11] Non erat Othonis mollis & corpori simi- 22 lis animus. Et intimi libertorum servorumque corruptius, quam in privata domo habiti, aulam Neronis, & luxus, [12] adulteria, matrimonia, [13] ceterasque regnorum

1 *Nec remedium in ceteros fuit.*] Excidit vocula *id*, quam repono: *Nec id remedium* &c. *Acidalius.*

2 *Othonem exstimulabant: luxuria.*] Veræ hæ mutationum caussæ. & prudenter Aristoteles eas ingerit Polit. v. *Γίγνονται δὲ μεταβολαί, καὶ ὅταν ἀναλώσωσι τὰ ἴδια ζῶντες ἀσελγῶς. Καὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι καινοτομεῖν ζητοῦσι, καὶ ἢ τυραννίδι ἐπιτίθενται αὐτοί, ἢ κατασκευάζουσιν ἕτερον. Fiunt mutationes cum per luxum sua prodigunt. Tales enim innovare omnia student, & aut sibi tyrannidem aut alteri parare.* O veriloquium, quod utinam principes imbibant, & corruptissimis hodie moribus advertant! *Lipsius.*

*Othonem exstimulabant.*] Suet. Oth. 5. *Otho postquam Pisone prælato spe decidit, ad vim conversus est, instigante super animi dolorem, etiam magnitudine æris alieni.* Æs enim alienum quod grande conflaverat, teste Plutarcho, excedebat sex & decies centies millia librarum. *Savilius.*

3 *Fingebat & metum.*] Plin. Paneg. *non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena utilitas, alienus timor, Principem fecit.* Pichena.

4 *Prægravem se Neroni fuisse.*] Budense volumen, *Se Neroni gravem fuisse.* Rhenanus.

5 *Et alterius exilii honorem.*] Reposuimus, *aut alterius exilii honorem.* Idem. Atqui in MS. Mediceo est. *rursus, & alterius exilii hon.* ut pateat Rhenanum mutavisse ex ingenio suo, quum taceat de Budensi. In eodem Medic. legitur etiam statim: *proinde agendum.* Jac. Gronovius.

6 *Ingenio trucem & longo exilio efferatum.*] Apud Suet. in Tib. 59. *regnabit sanguine multo, Ad regnum quisquis venit ab exilio.* Tac. Ann. l. 1. *Trucem Agrippam & ignominia accensum.* Pichena.

7 *Occidi Othonem posse.*] Ant. Augustinus legebat: *occidi Pisonem posse.* Ursinus.

8 *Nondum coaluisset.*] Seu potius, *convaluisset.* Ad Vellejum de hoc verbo lib. 2. 48. *Acidalius.*

9 *Transitus rerum.*] Cum subinde ad alios devolveretur imperium, aut natis aliunde turbis concuteretur. *Savilius.*

10 *Acrioris viri esse.*] Istud *acrioris* hic me nimium offendit: libentius utique scripsisset Tacitus, si quid video, *viri esse.* quippe in quo omne dicti pondus consistit. Viri enim appellatione satis monemur, ne quid indignum perpetremus aut effeminatum, qua & supra 14, 35. efficacissime utitur: *viverent viri & servirent.* Sallustii Catilina; *si viri esse vultis.* Nempe ea vox sola significationem habet fortitudinis, neque putida adjectione opus est. Vide quæ de illa notavimus ex Floro, in indice auctori adjecto. *Freinshemius.*

11 *Non erat Othonis mollis.*] Bene sed forte melius, & Tacito magis proprium, *Othoni.* Pichena.

12 *Adulteria, matrimonia.*] Codex manuscr. *adultera matrimonia.* Rhenanus. Apud Suetonium lego inter illa, quæ maxime improbantur in Nerone, cap. 28. *Super ingenuorum pædagogia, & nuptarum concubinatus, Virgini Vestali Rubriæ vim intulit.* Hinc colligo Tacitum scripsisse; *aulam Neronis & luxus, adulteria, pædagogia ceterasque regnorum libidines.* Gronovius. Aliud affertur, sed nimis leve in Ryckii notis, nec adulteria matronarum conferri debent cum institorio earundem, ex quibus postremum horrendum, priora sueta in illa vita sub Augustorum palatio. At tu vide, an non hæc prodat Tacitus vere circa Poppæam edita: certe si potes illa reminisci, habebis luxus, adulteria, matrimonia, etiam hoc ipso ordine, ut prorsus stent suo robore. *Jac. Gronovius.*

13 *Ceterasque regnorum libidines.*] Glossam præfert: ac fortasse germanius, *ceteraque regnorum*

 *avido*

rum libidines, avido talium, si auderet, ut sua ostentantes; quiescenti, ut aliena exprobrabant: urgentibus etiam [1] mathematicis, dum *novos motus*, *& clarum Othoni annum observatione siderum* affirmant. [2] genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur. Multos secreta Poppææ mathematicos, pessimum [3] principalis matrimonii instrumentum, habuerant: [4] è quibus Ptolemæus Othoni in Hispania comes, cum *superfuturum eum Neroni* promisisset, postquam ex eventu fides, [5] conjectura jam & rumore,

*avido talium.* Paullo ante etiam malim conjunctim legi, *adultera matrimonia.* Lipsius.

1 *Mathematicis.* ] *Mathematicus* pro *Apotelesmatico* ex hujus loci sensu ignotum est veteri Græciæ & Romæ vocabulum, quantum memini, usque ad Imperatorum tempora. Antea vocabantur *Chaldei. non ex artis sed ex gentis vocabulo*, inquit Tullius, postea *Mathematici* (nomine supra sectæ vilitatem) aut *planetarii* & *Chaldei*, nostro tempore *Astrologi*, quo titulo antiquissimis Græcorum & Romanorum censebatur illa Matheseos pars, quæ nunc & tum quoque *Astrologia* dicta est. Sub August. Agrippa τοὺς ἀστρολόγους καὶ τοὺς γόητας ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασε. id est: *Astrologos* (sic enim Dionis tempore appellari cœperant) *& magos urbe expulit*. Dio l. 49. Sub Tiberio *facta & de Mathematicis magisque Italia pellendis Senatusconsulta, quorum è numero L. Pituanius saxo dejectus est*. Tac. 2. Ann. & 12. Ann. & 2. histor. Ulpianus libro 7. de officio Proconsulis. Valer. libro 1. Tertullian. in libro De habitu muliebri, eoque De idololatria putat Angelos primæ integritatis statu dejectos, exstitisse Astrologiæ auctores, & propterea cœlo expulsos, asseclas eorum Italia. Romæ tamen manserunt, referente Tac. nihil imminuto urbis favore, eoque potior fides, quo sæpius carceres & vincula passi essent. Juven. sat. 6. *Nemo Mathematicus genium indemnatus habebat*. & de Ptolemæo idem. *Magnus civis obit & formidatus Othoni.* Sueton. Othon. 4. Seleucum eum appellat, manifesto, ut videtur, errore; cum Seleucus floreret Vespasiani gratia. Tacitus 2. histor. 78. *Savilius.* Augustus M. Antonio 11. L. Scribonio coss. astrologos & præstigiatores urbe ejecit. Deinde mortuo principe cum in urbem obrepsissent, Tiberius peregrinos necavit omnes: cives, qui Augusti edictum neglexerant, in exilium expulit. Mox sub Cajo sensim regressis, qui urbe prohibiti fuerant, Claudius de Mathematicis Italia pellendis SC. atrox fecit, quod deinde irritum fuit, ut 12. Ann. retulit. Sic impunitate & licentia malorum omnium per Neronis, Galbæ, Othonisque tempora permissi Mathematici, jussu Vitellii Italia pelluntur. Non pulsos astrologos urbe Roma, ut apud Dionem conversum est, & plerique omnes existimant, sed pulsos mathematicos, *genus hominum*, appellat Cornelius, *potentibus infidum sperantibus fallax*, Hier. Cardanis sententia est. Ita vero interpretatur, ut *mathematici* dicerentur illi, qui per puncta & numeros, notasque divinabant: quod genus divinandi, ut penitus insulsum, inquit, ita impium & abominandum est, legibusque coërcendum. Omne enim quod est extra publicam utilitatem & nullius usus, explodi debet, atque puniri. Illo referendum est quod legimus Ann. 12. *Objectum Lolliæ Chaldæos mathematicos consuluisse*: & ita accipiendus Pammenes exul pulsis mathematicis, Chaldæorum arte famosus, ideoque plurimum amicitiis innixus. Enimvero cum sectæ tres Romæ essent, Chaldæa, Ægyptia, Græca, teste Plin. 15, 25. vix est, ut qui per astra ortusque siderum prædicerent, ab urbe exacti fuerint: licet de Chaldæis non dubitem, qui tum ex notis & characteribus, tum ex magia divinantes, sese *Genethliacos* appellabant. In illos noster Phavorinus Arelatensis Philosophus Græce Roma disseruit, sed & adversus Ægyptiorum sectam, ut extat apud Gell. 14. qua de re latior est apud Lucianum disputatio. Divorum Basilii in Hexaëmero, Augustini; & Chrysostomi multiplicia in omnes astrologiæ partes scripta prætereo tacitus. Tertull. De idololatria scribit, Angelos illos desertores Dei, auctores astrologiæ, propterea quoque à Deo damnatos. Ea Cardanus viderit. Nos latius ad constitutiones de Mathematicis & maleficis quæstionem exsecuti sumus. *Vertranius.*

2 *Genus hominum potentibus infidum.* ] Interpretor, *infidum*, hic, quasi suspectum. Mos enim mathematicis, turbidos cives ac novarum rerum cupidos, in spem adipiscendæ dominationis impellere: unde conjurationes in principes plerumque excitantur. *Pichena.*

3 *Principalis matrimonii* ] Id est, matrimonii principis. Similiter libro seq. *principalem paratum* dixit: & *fortunæ principalis insignia*. Ferrettus. Id est, uxor principis, ut Tac. loquitur 11. Ann. *Ac Claudius matrimonii sui ignarus*: ignorans quali uxorem ingenio privatim haberet. *Savilius.*

2 *E quibus Ptolemæus Othoni in Hispania comes.* ] Malim, *in Hispaniam comes.* Nec aliter scripsit Tacitus. *Acidalius.*

4 *Conjectura jam & rumore, senium Galbæ.* ]

Cic-

more, senium Galbæ, & juventam Othonis computantium, persuaserat *fore, ut in imperium ascisceretur*. Sed Otho tamquam peritia, & monitu fatorum prædicta accipiebat, [1] cupidine ingenii humani libentius obscura credi. Nec deerat Ptolemæus, jam & sceleris instinctor, ad quod facillime ab ejusmodi voto transitur. Sed 23
sceleris cogitatio [2] incertum an repens: studia militum jampridem spe successionis, aut paratu facinoris affectaverat. In itinere, in agmine, in stationibus, vetustissimum quemque militum nomine vocans, ac memoria Neroniani comitatus, *contubernales* appellando, alios agnoscere, quosdam requirere, & pecunia aut gratia juvare: inserendo sæpius querelas, & ambiguos de Galba sermones, quæque alia turbamenta vulgi. Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii, atrocius accipiebantur: [3] cum Campaniæ lacus & Achajæ urbes classibus adire soliti, Pi-

Credam melius *conjectura jam ex rumore senium Galbæ*, & certe magis ad sententiæ lucem. Ptolemæus imperium Othoni promiserat, conjectura saltem, quam ex rumore populari fecerat: at ille accipiebat tanquam divinandi arte prædictum. *Acidalius.*

1 *Libentius obscura credi.*] Assentior Pichenæ, *credendi.* Lipsius.

*Cupidine ingenii humani libentius obscura credi.*] Legendum plane, *credendi.* Acidalius. Capio & fero. tamen suspicor legendum, *credendi.* Aut si vulgata lectio magis placet, hæc à superioribus sepărarem, puncto apposito post verbum, *accipiebat.* ut non ad Othonem tantum referantur, sed sint generaliter dicta. *Pichena.*

2 *Incertum an repens.*] Scripserim potius *recens.* nisi tamen *repens* pro eodem, quod memini Annal. etiam libris à me vel Mureto, recte an secus interpolatum. *Acidalius.*

3 *Cum Campania lacus & Achaia urbes classibus adire soliti.*] Historici, quos cultior antiquitas celebrat, dum explicationi consiliorum inhærent & confingendis orationibus, industriæ potius suæ specimen dederunt, quam ut describerent temporum indolem, in quorum enarratione versantur, cum alia illa penitius nobis, me judice, innotescere possent, *ex actis urbis diurnis*, *actis Senatus* similibusque, siquid hujus generis extaret, quam ex ulla historia in hoc usque tempus superstite. Non quod collectanea memorabilium eo, quoad alia, loco habeam, quo scriptam ex arte historiam, aut fingendarum orationum licentiæ intercedam, quam Dionysius Halicarnasseus in libro περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος aliique melioris notæ auctores indulgent; modo judicium, &, quæ ex decoro personarum sumitur, ratio moderetur huic instituto, vitatis absurdis & sibi repugnantibus. Thucydides primus, atque ex multorum judicio optime in hisce orationum commentis versatus, diserte carpit eam libertatem. χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτὴν τῶν λεχθέντων διαμνημονεῦσαι ἦν ἐμοί τε, ὧν αὐτὸς ἤκουσα, καὶ τοῖς ἄλλοθέν ποθεν ἐμοὶ ἀπαγγέλλουσιν. i. *difficile est illa accurate referre, & mihi, ad quem ista deferuntur, & illis, qui undecunque accepta renuntiant.* In quem locum quamvis Scholiastes affirmare gestiat, εὐπροφασίστως προφασίζεται τὴν ἄγνοιαν, ἵνα χρήσηται τοῖς οἰκείοις ἐνθυμήμασι. i. *opportune ignorantiam prætexit, ut locum det iis, quæ ipse excogitavit.* Probat tamen illud, cujus tam insignia exstant exempla, quodque, si perspicua veritate excidimus, veritati proximum est, & plerumque magis dilucide se offert ingenio, quam ipsa, si daretur, veritas. Videamus, qualem hic se Tacitus gesserit, qui perspicaci licet ingenio, hoc loco tamen mea opinione vix ab errore se immunem præstitit. Qui *Campaniæ lacus & Achajæ urbes classibus adire solebant*, prætoriani erant milites: illi ad quos Otho orationem habuit, erant Hispaniæ legionarii in montium transitu, qui Neroni in Achaiam comites esse non poterant. Histor. 4, 57. ubi *ut Treveris etiam & Lingonibus despectui sit*. Et tamen certum ex ipso Tacit. aliisque Historicis istius temporis, Treveros & Lingones solos ex Gallis fuisse, quos Galba *atrocibus edictis aut damno finium perculerat*, aliis laxata tributorum severitate, aut civitate donatis. Vulcatius Gallicanus in vita Avidii Cassii introducit M. Antoninum philosophum subtiliter differentem, quid multos perdiderit imperatores & inter alios Pertinacem. Cum tamen tredecim annos Pertinax supervixisset Antonio, datus filio Commodo successor. Appianus Συριακῇ ordinatam Romanorum aciem describens Domitium locat in dextro cornu, L. Scipionem in medio, Eumenem in lævo; atque apud hostes Antiochum in dextro, Philippum in medio, Seleucum in lævo, ubi prælium conseritur, ex providi ducis militari solertia, medium medio & læva lævis componit, repugnante prorsus natura. Eumenem Seleuco ejusque militi, quod verum quidem, ut Livius ostendit l. 37. sed ex ordinatione Appiani falsum; Eumenem enim apud Livium constat dextrum obtinuisse cornu. Appiani verba sunt, ἐτετάχατο δὲ τοῦ μὲν δεξιοῦ Δομίτιος αὐ-

Pirenæum & Alpes, & immensa viarum spatia, [1] ægre sub armis eniterentur.
24 Flagrantibus jam militum animis, velut faces addiderat Mevius Pudens, è proximis Tigellini. is mobilissimum quemque ingenio, aut pecuniæ indigum, & in novas cupiditates præcipitem alliciendo, co paulatim progressus est, [3] ut per speciem convivii, quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti, [4] viritim centenos nummos divideret. quam velut [5] publicam largitionem, Otho, secretioribus apud singulos præmiis, intendebat. adeo animosus corruptor, ut Coccejo [6] Proculo speculatori de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini

τὸς, καὶ εἰς τὸ μέσον αὐτὸν ἔστη (scil. Domitius) τῶν ὕπατον. τὸ δὲ λαιὸν ἔδωκεν Εὐμένει. i. *Domitius imperabat dextro cornu, medium sibi ipse Consul sumpserat, Eumene lævum cornu regere jusso.* Apud inimicos, ἐτέτακτο τοῖς μὲν δεξιοῖς Ἀντίοχος αὐτός. τοῖς δὲ ἐπὶ θάτερα Σέλευκος ὁ υἱὸς Ἀντιόχου. τῆς δὲ φάλαγγος Φίλιππος ὁ Ἐλεφαντάρχης. i. *constitutos ad dextram milites ipse ducebat Antiochus, ad lævam filius ejus Seleucus. in medium conjectos, Philippus Elephantum præfectus.* Ubi in hostem deducitur exercitus, Eumenes, inquit, τοὺς ἱππέας ἐπῆγεν ἐπὶ τοὺς ἀντικρὺ Γαλάτας τε καὶ Καππαδόκας, id est: *equitem suum immittit oppositis sibi Galatis & Cappadocibus;* & ne quid dubii oboriatur, quo loco constitissent hi Cappadoces, subjungit hæc verba, καὶ ταῦτα μὲν ἦν περὶ τὸ λαιὸν τῆς φάλαγγος τῶν Μακεδόνων. i. *& hæc quidem gerebantur ad lævam. Macedonibus assignatam.* Error non dissimilis occurrit apud Dionys. libro 6. τῆς τε Ῥωμαίων στρατιᾶς τὸ μὲν ἀριστερὸν κέρας εἶχεν ὁ ἱππάρχης Τίτος Αἰβούτιος ἐναντίος Σέξτῳ Ταρκυνίῳ. i. *Rom. exercitus lævum cornu ducebat T. Æbutius magister equitum, oppositus Sex. Tarquinio*, cui antea locum dederat ἐπὶ λαιοῦ τῶν Λατίνων κέρατος. i. *in lævo cornu Latinorum*, in prælio ad lacum Regillum. In Callisthenis quoque historia de rebus gestis Alexandri, Polybius libro 12. plurima notat σφάλματα τακτικά, i. *errores in ordinanda acie.* Savilius.

1 *Eniterentur.*] Probum: nec improbè idem Pichena, *emetirentur.* Lipsius.

*Ægre sub armis emitterentur.*] Scripsimus, *eniterentur*, quo verbo libro 2. Ann. utitur; *Pars obiectam agmen eniteretur.* Rhenanus. Ex Florent. restitui, *eniterentur.* Vulgo minus apte *emitterentur.* Ann. libro 11. *Non ultra dubitatum, quamdium Rom. cohortes in æquum eniterentur.* Forte etiam non male, *emetirentur.* Sic libro 15. *Uno die quadraginta millium spatium emensum esse.* Histor. libro 5. *Tertio die tantum maris emensi.* Pichena. Cave mutemus, *eniterentur:* est enim vox heic mire efficax: ut ostendi pluribus in Suspicionum congerie. *Gruterus.*

2 *Flagrantibus jam militum animis.*] Dativus *animis* non est in regio libro, nec eo opus hic est. nam Tacitus dixit, *flagrantibus militum* pro *flagrantibus militibus.* quo loquendi modo nihil apud hunc crebrius. *Flagrantibus jam militum, velut faces addiderat.* Rhenanus.

3 *Per speciem convivii.*] Sportularum titulo erogatio ea facta, nisi fallor. *Lipsius.*

*Per speciem convivii.*] Quasi partem de convivio daret. *Ferretus.*

4 *Viritim centenos nummos dividebat.*] Tranquillus, *aureum* dare solitum tradit: ut inde fortissimum sit argumentum, *centum nummis* æstimari *aureum.* Alciatus. *Aureum unum* ait Plutarch. & Sueton. i. est. 15. s. 7. d. ob. constabat autem hæc cohors ex mille militibus, adeo ut donativum ejus unico impensum convivio abiret in summam 781. lib. 5. s. *Savilius.*

5 *Publicam.*] Ἐμφανῆ, aut potius δημοσίαν. Savil.

6 *Proculo speculatori.*] Ubique hoc militiæ nomen & munus ita scribo, & *Spiculatores* expello. Libri omnes scripti suadent: etiam lapides. ut ille Romæ:

P. AEL. MVCIANO
SPEC. LEG. II.
ADIUT.

Alius juxta Aemiliam:

L. CASURIO. L. F.
CLV. SPECULATORI.

Item: SCHOLA. SPECULATORUM. LEGIONUM. I. ET. II. ADIUTRICUM. PIARUM. FIDELIUM. In Nummis item M. Antonii, COHORTIS. SPECULATORUM. Sed & in Marci Evangelio: Ὁ βασιλεὺς ἀποστείλας σπεκουλάτορα. & in Suetonii Calig. *caliga speculatoria*, scriptum. Sed verene hi speculatores sive exploratores? Vix opiner, & exempla refutant. Potius censeam fuisse inter custodes corporis imperatorii certum genus, qui velut in speculâ ejus salutis. Unde nomen. Certè Suidas clarè, Σπεκουλάτωρ τὸν δορυφόρον interpretatur: & hic in Tacito atque in Suetonio reperias inter satellites Principales. Arma iis Clypeus & Lancea. ex Joseph. Ἰουδαϊκ. ἁλώσ. libro III. c. VI. Φέρουσι δὲ οἱ μὲν ἐπὶ τὸν στρατηγὸν ἐπίλεκτοι πεζοὶ, λόγχην καὶ ἀσπίδα. & cap. VIII. Μεθ' οὓς αὐτὸς Οὐεσπασιανὸς ἐξήλαυνε, τούς τε ἐπιλέκτους τῶν πεζῶν καὶ ἱππέων καὶ τοὺς λογχοφόρους ἔχων. Nam capiam ibi sane λογχοφόρους sive Lancea-

m agrum sua pecunia emptum dono dederit: per socordiam præfecti, quem nota pariter & occulta fallebant. Sed tum è libertis Onomastum futuro sceleri præfecit, à quo [1] Barbium Proculum tesserarium speculatorum, & [2] Veturium optionem

ceatios, hos Speculatores. Suetonius hortatur in Claudio: *Neque convivia inire est ausus, nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent.* Et in Galba: *Descendentem Galbam speculator impulsu turbæ lancea prope vulneravit.* Hi sunt quos sequens ætas *Scultatores* dixisse videtur, quasi Auscultatores. quod verè notatum censeo a Cujacio libro VI. Observ. cap. XXXIII. quem de alio etiam munere Speculatorum adi & audi. *Lipsius.*

*Proculo speculatori.*] Ubicunque vulgatæ editiones habent *spiculatoris* vocabulum, *speculatoris* Codex Matthiæ Corvini continet. Notum autem est quodnam officium fuerit militum speculatorum. *Rhenanus.* Corviniano scriptum est, *speculatori:* cujus munus erat de rebus hostium ad suos referre quid percepisset, sive ex specula, sive in ipsis hostium castris. Neque enim verum est hunc ex specula prospicere, exploratorem inter hostes versari, tolluntque discrimen illud verba Livii libro 22. *Speculator Carthaginiensis, qui per biennium fefellerat, Romæ deprehensus.* Vertranius: Bene doctiss. vir, quasi *speculatores* inde dicti, quia degant in specula, ne princeps insidiis obnoxius fiat. En Sueton. applaudit in Cæs. 86. *Sunt qui putent confisum eum novissimo illo SCto. ac jurejurando, etiam custodias Hispanorum cum gladiis inspectantium se removisse.* Hinc Itali apposite custodes dicunt *guardie.* Salinerius. *Spiculatori*, legendum esse hoc loco, non desunt, qui putent, eo quod spiculo uterentur, ex Vegetio 2, 7. Quibus M. Vertranius assentiri videtur: nec non Turneb. lib. Advers. 24. c. 41. *Caligas spiculatorias*, legens, in Sueton. Cal. 12. & apud Tert. de corona mil. *speculatoriam morosissimam absolvit.* Hunc errorem esse docet Suidas scribens σπεκουλάτωρας, τοὺς δορυφόρους. Præterea Prætoriani milites, qui Imperatorib. astabant eosque stipabant, lancea, non spiculo, usos constat ex Suet. Claud. 35. & Galb. 15. Adhæc *spiculum* a *pilo*, quod commune legionariorum militum erat, non differebat, teste Vegetio. *Speculatores* igitur à *speculando*, eo quod Principis tutelæ invigilantes undique specularentur, ut insidiarum omne genus præcaverent. *Speculatores* autem non solum in Prætorianis militib. frequentes fuisse, sed in legionibus ipsis constat ex Hirtio de bell. Hisp. 13. & de bell. Afric. 35. Quinimo unaquæque cohors proprios habebat speculatores C. 31. *Dilapsis speculatoribus cætera cohors non aspernata concionem.* Antiquum marmor Romæ C. FABIUS C. F. SER. CRISPUS. CARTAG. SPEC. COH. VI. PR. Horum autem speculatorum munus erat, de rebus hostium ad suos deferre quicquid percepissent, sive ex specula, sive in ipsis hostium castris. Neque eorum recipienda sententia; qui *speculatores* ab exploratoribus differre dixere; quod *speculator* è specula prospiciat, *explorator* inter hostes versetur, ut ex Livio 23, 33. & libro 30, 29. & Hirtius de bell. Afric. 35. Sive itaque hi è specula sive è castris, seu quocunque alio modo explorarent, *speculatores* dicti, quod Virgil. in apib. perbelle expressit, *Inque vicem speculantur aquas.* Utebantur quoque Principes *speculatoribus* ad damnatorum supplicia. Jul. Firmicus l. 8. c. 26. Seneca lib. 1. de Ira 16. Et Ulp. l. 6. de bonis damnatorum. Euangelium Marci 6. Mirandum sane Torrentium virum doctiss. qui ante nos *speculatorem* legendum ad Sueton. Calig. 51. annotavit. ausum fuisse affirmare, *Caium usum speculatorib. in mittendis literis ad Senatum*, Suet. auctore c. 44. ubi de speculatorib. ne verbum quidem, sed simpliciter *latoribus* scribit. Electos vero inter milites, qui fortiores corpore & fide præstantiores haberentur, palam est lib. 2. Hist. 11, & 33, & 73. *Marc. Donatus.*

1 *Tesserarium speculatorum.*] Ita scriptum meis libris. Cur spernam? Tesserarios enim suos cohortibus speculatorum fuisse, credam non vanè. Si quis tamen junctim malit, *tesserarium speculatorem*, haud pugnem. In Glossario prisco: Γραμματεύς: *scriba, tesserarius.* In lapide, Romæ. AUR. SATURNINO. EQ. COH. VII. PR. S. VERISSIMI. QUI. MILITAVIT. IN. EQ. SECUNDA. ITALICA. TESSERARIUS. ANN. VI. Plutarchus in hac ipsa narratione: Ἐν δὲ τούτοις Οὐετούριος καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτίων, ὁ δὲ τεσσεράριος. οὕτω γὰρ καλοῦνται, οἱ διαγγέλων καὶ διοπτήρων ὑπηρεσίας τελοῦντες. Lipsius.

*B. Proculum Tesserarum spiculatorem.*] Fortasse *Tesserarium.* Modestinus in re milit. sic appellari eos scribit, qui præcepta Imp. per contubernia significant. Alciatus; & alia ceteratim producit Marcell. Donatus, sane per saturam & nimis evagantia, ut dedecorent magis, quam exornent has paginas, unde induxi. Cæterum hæc duo nomina, quæ in Tacito nunc junctim occurrunt, similiter occurrentia in inscriptione sive in hunc ipsum sive in alium, illustrat Lambecius in Bibliothec Cæsar, lib. 2. cap. 81. pag. 681. *Jac. Gronovius.*

2 *Optionem eorundem.*] Constituta lectio pridem ab eximio Cujacio, loco quem jam dixi, nisi

nem eorundem perductos, postquam vario sermone callidos audacesque cognovit,
pretio & promissis onerat, data pecunia ad pertentandos plurium animos. Susce-
pere duo manipulares imperium populi Romani transferendum, & transtulerunt.
In conscientiam facinoris pauci asciti, suspensos ceterorum animos, diversis ar-
tibus stimulant: primores militum, [1] *per beneficia Nymphidii ut suspectos:* vulgus &
ceteros, ira & desperatione *dilati totiens donativi.* erant quos memoria Neronis, ac
desiderium prioris licentiæ accenderet. [2] in commune omnes metu mutandæ mi-
26 litiæ terrebantur. Infecit ea tabes legionum quoque & auxiliorum motas jam
mentes, postquam vulgatum erat *labare Germanici exercitus fidem.* Adeoque pa-
rata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, [3] ut postero I-
duum

nisi quod, *eorundem*, scripsi, non, *eodem*, fide Vaticani libri. Optiones Romana militia vetus dixit, qui à dignioribus & cum gradu militibus adoptati, vicem eorum subibant. Posterior ætas, nisi fallor, diverso paullum sensu, qui velut custodes quidam, arbitri, & inspectores. Plutarchus *διοπτῆρας* vertit: & in legum libris. Optio fabricæ, simili sensu: in Ambrosio, Optio carceris scriptum. videntur in quaque centuriâ hi fuisse, ex lapide qui in Piceno:

C. LUCILIUS: C. F. VEL. VINDEX MIL.
COH. VI. PRÆT. VIX. ANN. XXX.
MILITAVIT. ANNIS. XII. PRINCIPA-
LIS
BENEFICIARIUS. TRIBUNI
DEINDE. OPTIO. IN CENTURIA.

alibi utrumque junctum legas, & Tesserarium & Optionem: ut in illo marmore,

EQUITI. COH. EJUSDEM.
TESSERARIO. OPTIONI.

Malè autem hactenus in Tacito hic, *Othonem*, lectum, contra meliores libros, itemque Cujacii monita & Turnebi. *Lipsius.*

*Veturium Optionem.*] Ita est in codice Matthiæ Corvini. *Rhenanus.* Pontificalis liber habet *Optionem.* Regius habet *Optionem:* quod placet. Dictus autem primum est *Optio* is, quem decurio centuriove optaret sibi rerum privatarum ministrum, quo facilius officia publica obiret, qui olim ante *Accensus.* Festus, Varro & Marcellus. Aliud vero senescente imperio munus *optionis* fuit, de quo Veget. 2, 7. & Modestinus. *Vertranius.* Præivit eximiis viris Plutarch. in Galb. ὧν τούτων Οὐετούριος καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτίων. At *eodem* pace doctiss. viri non erat in *eorundem* mutandum: nam Onomastus eos in unum locum seduxit, ingentibusque promissis in futurum scelus accendit. *Salinerius.*

1 *Per beneficia Nymphidii.*] Id est, qui promoti essent per Nymphidium, eos incitare & irritare, ut Galbæ suspectos, quia Nymphidium invisum ipse sustulerat. Commune autem, ut beneficiarii benefactori suo adhæreant: atque ita de Sejano Præfecto item Prætorii, supra lib. 4. *Simul Centuriones ac Tribunos ipse deligere:* & quod sequitur, beneficii sui facere. *Lipsius.*

2 *In communi omnes metu.*] Malim, *in commune.* ut paulo post, *accendendos in commune ratus.* Rhenanus. Flor. *exterrebantur.* Vulgo *terrebantur.* Pichena. Veniebant scilicet paulo post sub oculos verba capitis 39. *Jam exterritus Piso* &c. Et c. 50. *Territam urbem ac paventem novus insuper de Vitellio nuncius exterruit.* Interim Pichena sic quidem jacit nimis abrupte. Nam certe prisca manus in isto libro habet clare has notas *militiā ẽrrebantur.* Linea superscriptà literæ *e* prorsus notat esse syllabam *ter*, quam ut liquide in schedis meis notavi, debuit quoque Ryckius non omisisse. Porro voci sic scriptæ nova manus superposuit compositum *exterrebantur.* quasi vero istud e pertineret ad sequentia. Sed ita discimus interpolatrices manus in Tacito, quem ut per varia exemplaria universum descripserunt, ita castum quoque illud exemplar tentarunt sordibus suis inquinare. Edidi, quod verum est. Neque tamen omitto etiam hic patefacere, quod notavi in cap. 63. ab Ryckio prætermissum nescio cur, ubi editur vulgo: *Quanquam omni comitate exceptos, subitus pavor exterruit.* Tanquam labiis Taciti innatum fuisset illud *ex*, ita libenter repetunt editiones: at plane scias non legi in optimo exemplari plus quam *terruit*, unde sine dubio unice probari meruit, ut ostendi me facere. *Jac. Gronovius.*

3 *Postero iduum die.*] Hispanus liber, *dierum.* Ego utrumque addititium puto, & *postero Iduum*, scribo. *Lipsius.*

*Postero Iduum die.*] Non temere libr. veteres consentire crediderim in hæc verba, *postero Iduum dierum.* Præsertim Vaticanum & Flor. Ego potius suspicor corrigendum, *postero Iduum Januar.* Nam quid attinebat dicere, *postero Iduum*, nisi cujus mensis adjecisset? Januarium vero mensem fuisse constat, cum paulo infra dicat, XVIII. *Kal. Februar.* Pichena. Est ita ut in Mediceo extet *dierum*, sed eo modo, ut vix exacte legi istæ literæ tres in MS. possint, ut videantur deprehensæ

duum die, redeuntem à cœna Othonem rapturi fuerint, [1] nisi incerta noctis, & tota urbe sparsa militum castra, nec facilem inter temulentos consensum timuissent: non reipublicæ cura, quam fœdare principis sui sanguine sobrii parabant, sed ne per tenebras, ut quisque [2] Pannonici vel Germanici exercitus militibus oblatus esset, ignorantibus plerisque pro Othone destinaretur. Multa erumpentis seditionis indicia per conscios oppressa; [3] quædam apud Galbæ aures præfectus Laco elusit, ignarus militarium animorum, consiliique quamvis egregii, quod non ipse afferret, inimicus, & adversus peritos pervicax. [4] Octavodecimo kalendas Februarias 27 sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ, haruspex Umbricius *tristia exta, & instantes insidias, ac domesticum hostem* prædicit; audiente Othone (nam proximus adstiterat) idque ut lætum è contrario, & suis cogitationibus prosperum interpretante. Nec multo post libertus Onomastus nuntiat, *exspectari eum ab architecto &* [5] *redemptoribus:* quæ significatio coëuntium jam militum, & paratæ conjurationis convenerat. Otho, *caussam digressus* requirentibus, cum *emi sibi prædia vetustate suspecta, eoque prius exploranda* finxisset, innixus liberto, per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad [6] Miliarium aureum, [7] sub ædem Saturni pergit. Ibi tres & viginti

hensæ & vitiosæ jam olim eradi cœpisse. Mensis autem declaratio jam non requiritur, quia statim satis cognoscenda venit. *Jac. Gronovius.*

1 *Nisi incerta noctis timuissent.*] Suet. Oth. 6. aliam adfert rationem. *Obstitit respectus cohortis, quæ tunc excubabat, ne oneraretur invidia, quod ejusdem statione & Cajus fuerat occisus & desertus Nero.* Savilius. Mediceus autem legit *ni incerta*, & quid opus id augeri? *Jac. Gronovius.*

2 *Pannonici.*] Antea enim dixerat, *multos è Germania & Illyrico electos* Romæ remansisse. *Savilius.*

3 *Quædam apud Galbæ aures.*] Liber manuscriptus: *quædam apud Galbam audiens præf. Laco elusit.* Aperta sententia est, nec causæ quicquam erat, cur mutaretur. *Rhenanus.*

4 *Octavo decimo.*] Ita plane per literas hoc expressum exstat in optimo MS. Mediceo, quod cur non agnovit Pichena? Inde hoc eligo, non *duodevicesimo*, ut alibi occurrit. *Jac. Gronovius.*

5 *Redemptoribus.*] *Redemptores* sunt, qui suis cæmentis, suoque labore ædificant, constituto pretio: auctor Ulpianus. *Ferretius.*

6 *Miliarium aureum.*] Columna ex eo metallo, ut Plutarchus hic in Galba describit, *ad quam viæ omnes ex Italia desinebant. Fecit Augustus, cum Curator viarum esset*, Dio lib. 54. & statuit *in capite Romani fori.* Plin. lib. III. Victor juxta Vicum Jugarium collocat; & rectè. *Ædes Opis & Saturnus in Vico Jugario. Miliarium aureum.* Lipsius.

*Milliarium aureum.*] Columna erat aurea sub Augusto structa ut testatur Dio l. 54. *in capite fori Rom.* ait Plinius, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσι. Plut. Galba. Appellabatur autem sic quod miliaribus inde esset initium. Præter *milliarium aureum* erant & *milliaria lapidea*, id est, exiliores columnæ ex saxo, jubente C. Graccho, ad cujusque milliaris finem erectæ. Plutarch. Gracchis, πρὸς δὲ τούτοις διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδὸν πᾶσαν (τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ) κίονας λιθίνους σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησε, id est, *præterea facta omnium viarum dimensione per milliaria (quorum unumquodque octo stadiis paulo minus est) exstruxit lapideas columnas mensuræ indices.* Inde origo vulgatæ locutionis, *ad tertium, quartum, quintum ab urbe lapidem*, qua trium, quatuor, quinque milliarium ab urbe distantia significatur. *Savilius.* Velabrum vicus erat Romæ à vehendo dictus: quia qui eo ex urbe advehebatur, solvebat quadrantem. Prius vero quam Tarq. Priscus alveum Tiberis mutaret, ex eruptionibus ipsius sinus ibi fiebat in morem lacus. Miliarium aureum columna fuit aurea in capite fori Rom. prope ædem Saturni, in qua incisæ omnes Italiæ viæ finiebant, & à qua ad singulas portas mensuræ regionum currerent. Eam columnam sub æde Saturni fuisse ait Tacitus, & Plin. l. 3. in capite fori Rom. utrumque verum dixisse asserit Marlianus. Plutarchus in Galb. his verbis miliarium describit, In forum ibat ad eam partem, in qua staret aurea columna, ad quam omnes Italiæ viæ terminabantur. Miliarium quoque ponitur in cap. *Cum aurum* ff. de auro & arg. leg. pro vase ad coquendum milium accommodato. *Lupanus.*

7 *Sub ædem Saturni.*] Regius codex, *in ædem Saturni.* Unde Rhenanus elicit, *in Saturni.* Falso uterque. Suetonius convincit: *ut se in foro*, inquit, *sub æde Saturni ad milliarium aureum opperirentur.* Lipsius.

*Sub ædem Saturni pergit.*] In libro manuscripto legitur, *in ædem Saturni pergit.* Forte, *inde in*

ginti speculatores consalutatum *imperatorem*, ac paucitate salutantium trepidum, & sellæ festinanter impositum, strictis mucronibus rapiunt. Totidem ferme milites in itinere aggregantur, alii conscientia, plerique miraculo: [1] pars clamore & gla-
28 diis, pars silentio, [2] animum ex eventu sumpturi. Stationem in castris agebat Julius Martialis tribunus. Is magnitudine subiti sceleris, an corrupta latius castra, ac si contra tenderet, exitium metuens, præbuit plerisque suspicionem conscientiæ. Antepofuere ceteri quoque tribuni centurionesque præsentia dubiis & honestis. Isque habitus animorum fuit, ut pessimum facinus auderent pauci,
29 plures vellent, omnes paterentur. Ignarus interim Galba & sacris intentus, fatigabat alieni jam imperii deos: cum affertur rumor *rapi in castra, incertum quem senatorem*, mox *Othonem esse qui raperetur*. Simul ex tota urbe, [3] ut quisque obvius fuerat, alii [4] formidine augentes, quidam minora vero, ne tum quidem obliti adulationis. Igitur consultantibus placuit [5] *pertentari animum cohortis, quæ in palatio stationem agebat, nec per ipsum Galbam, cujus integra auctoritas majoribus remediis servabatur*. Piso pro gradibus domus vocatos, in hunc modum allocutus est: *Sextus dies agitur, commilitones, ex quo ignarus futuri, & sive optandum hoc nomen sive timendum erat, [6] Cæsar ascitus sum: quo domus nostræ aut reipublicæ fato, in vestra manu positum est. non quia, meo nomine, tristiorem casum paveam, [7] ut qui adversas res* ex-

*Saturni pergit.* Subaudi, *ædem.* Rhenanus. Domum Tiberianam ad radices Palatini montis fuisse, didicimus ex inventis nuper in eo loco laminis plumbeis cum inscriptione Tiberii Cæsaris. Tacitum autem illustrant verba Suetonii de eadem re: *Ut in foro sub ædem Saturni ad Milliarium aureum opperirentur*, &c. Et recte. Nam forum Rom. sub æde Saturni fuit ea parte, quæ est inter arcem Tarpeiam & Palatinum montem, ut ex Dionysio etiam apertius constat. Quin & ipsa Saturni ædes Tarpeii montis radices attingebat, ut ex veteri inscriptione de Ærario ibi reperta intelligimus. Infr. lib. 3. *Cito agmine ad forum, & imminentia foro templa prætervecti:* & supr. lib. 12. *Per ima montis Palatini ad aram Consi, mox ad Curias veteres, tum ad Sacellum Larium, Forumque Romanum* &c. Larium enim Sacellum fuisse in summa sacra via, qua parte foro Rom. jungebatur, scribit Solinus cap. 11. *Ursinus.*

1 *Pars clamore & gladiis, pars silentio.*] Faërnus legebat, *pars clamore & gaudiis.* Ursinus. Inepta hic vox: *gladiis*: scribe, *gaudiis.* Ita sibi recte membra orationis respondent. Ut *clamori silentium* opponit, sic *gaudiis* habitum animi adhuc quieti, & ex eventu se commoturi. *Gaudiis* & Muretus notaverat. *Acidalius.* Muretus non male, *& gaudiis.* Sed fortasse melius, *& gaudio.* Sic lib. seq. *Vulgus quoque militum clamore & gaudio deflectiero via.* Pichena.

2 *Animum ex eventu sumpturi.*] Ita Flor. Vulgo, *animos.* Idem.

3 *Ut quisque obvius fuerat.*] Scil. Othoni aut Othonianis, ut ego quidem interpretor. *Savilius.*

4 *Formidinem augentes.*] Nondum ostendit Tacitus aliquam formidinem illic fuisse, ut eam possent augere, etsi miro consensu, sed pessimo silentio eam agnoscant docti editores. Nam in MS. Mediceo caute & rectissime scribitur *formidine*, ut illa non fuerit nisi in quorundam male procurrentium mentibus, adeo ut fingant nescio quæ, prout in morte Augusti 1. ann. 4. *plures bellum pavescere.* Unde sic edidi. *Jac. Gronovius.*

5 *Tentari animum.*] Libri fere *pertentari*: ex quo ego, *prætentari.* Lipsius.

*Pertentari animum cohortis.*] Scripsimus, *tentari an. coh.* Rhenanus. Scripsi *pertentari* ex Flor. ac Ven. Sic paulo supra: *data pecunia ad pertentandos plurium animos.* Ann. lib. 4. *quem accitum & diversis sermonibus pertentatum.* Pichena.

6 *Cæsar ascitus sum.*] Alibi exposuimus, quid Cæsar ab Augusto differret. Infra, *Me Galba Cæsarem dixit consentientibus vobis.* lib. 3. hist. Domitianum Cæsarem consalutatum dixit. & 4. hist. ipsum Domitianum *nomen, sedemque Cæsaris* accepisse memorat. *Lupanus.*

7 *Ut qui adversa expertus cum maxime, ducam ne secunda* &c.] Reposui, *tum maxime*, distinxique, *Ut qui adversas expertus cummaxime, ducam ne secundas quidem minus discriminis habere.* Hoc adverbio etiam alibi utitur, ut infra, *Non hercle illi quibus cummaxime Vitellius in nos ciet, Germani audiant.* lib. 3. Ann. *Littora & latus Campaniæ cummaxime peragrantem.* lib. 4. Ann. *Cœptantem cummaxime conjurationem disjecit.* quamquam utrobique *tum maxime* scriptum, sed mendose. lib. 4. Hist. *Capi cummaxime urbem.* Sic enim legendum, non

*expertus, cummaxime ducam ne secundas quidem minus discriminis habere: patris, & senatus, & ipsius imperii vicem doleo, si nobis aut perire hodie necesse est; aut quod æque apud bonos miserum est, occidere. Solatium proximi motus habebamus, incruentam urbem & res sine discordia translatas. Provisum adoptione videbatur, ut ne post Galbam quidem bello locus esset. Nihil arrogabo mihi nobilitatis aut modestiæ. neque enim relatu* 30 *virtutum, in comparatione Othonis opus est. Vitia, quibus solis gloriatur, evertere imperium, etiam cum amicum imperatoris ageret. Habitune & incessu, [1] an illo muliebri ornatu, [2] mereretur imperium? Falluntur, [3] quibus luxuria speciem liberalitatis imponit. Perdere iste sciet, donare nesciet. Stupra nunc, & comessationes, & feminarum cœtus, volvit animo. hæc principatus præmia putat, quorum libido ac voluptas, penes ipsum sit; rubor ac dedecus, penes omnes. [4] Nemo enim unquam imperium flagitio quæsitum bonis artibus exercuit. Galbam consensus generis humani, me Galba, consentientibus vobis, Cæsarem dixit. Si respublica, & senatus, & populus, [5] vacua nomina sunt: vestra, commilitones, interest, ne imperatorem pessimi faciant. Legionum seditio adversum duces suos audita est aliquando: vestra fides famaque, illæsa ad hunc diem mansit. & Nero quoque vos destituit, non vos Neronem.* Minus triginta transfugæ & desertores, quos centurionem aut tribunum sibi eligentes nemo ferret, imperium assignabunt? Admittitis exemplum? & quiescendo commune crimen facitis? Transcendet hæc licentia in provincias: & ad nos scelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt. Nec est plus quod pro cæde principis, quam quod innocentibus datur. [6] sed proinde à nobis donativum ob fidem, quam ab aliis pro facinore*

non *tum maxime.* Paulo post eod. lib. *Tolerant cummaxime obsidionem.* 4. Hist. 45. *Congregantibus se cummaxime Rem. exercitibus.* Hanc vocem reperi etiam apud Livium sæpe corruptam. nam lib. 9. legitur *quam maxime* pro *cummaxime*, in vulgatis editt. hoc adverbium Tertulliano frequentissimum. *Rhenanus.* Recte tamen in Flor. legitur; *ut qui adversas res expertus cummaxime, ducam ne secundas quidem.* Pichena. Habent & hæc sensum, sed non cum, aut omnia me fallunt, quem Tacitus dederat, qui scripsisse videtur, *adversa expertus, cum maxime discam* (juvat nonnihil editio Veneta, quæ *dicam* præfert) *ne secunda quidem* &c. Hoc ait, non timeo casus adversos, primo quia illos jam expertus sim, eoque animum firmaverim; deinde, quia nunc cum maxime (hac ipsa seditione edoctus) disco, ne secunda quidem solidam securitatem & perinde felicitatem habere. *Freinshemius.*

1 *An illo muliebri ornatu.*] Veneta, *an alie muliebri ornatu.* non male. nam & hæc muliebria vult videri, & habitum etiam Othonis, incessumque: nam & hic quosdam viros ad femineam usque mollitiem delabi, vel dicterium istud Ciceronis argumento sit, quo Tulliæ filiæ incessum virilem, simulque generi muliebrem perstricturus, filiam increpans, *Ambula, ut vir*, ait, referente Macrob. Sat. 2, 3. *Idem.*

2 *Mereretur imperium.*] Lege, *meretur.* Acidalius.

3 *Quibus luxuria speciem liberalitatis imponit.*] Tametsi destituat nos hic volumen manuscriptum, non dubitamus tamen esse legendum, *specie liberalitatis* pro *speciem.* nam *imponit* non est hic indit, sed decipit. *Rhenanus.* Id vero editoribus aurum visum est, & omnes reverenter acceperunt, ut probat & Ryckius tam in contextu, quam notis. Et quis neget falli, quibus luxuria imponit, nec tantum ista specie, sed quacunque. Itaque digna admonitio Pisone est, quam unusquisque bene novit. Sed aliud est in animo Pisonis, nempe ut falli moneat eos, qui se falli non sentiunt, hoc est, qui luxuriam Othonis non existimant esse luxuriam, quos luxuria Othonis quasi decens & modum liberalitatis tenens circumvenit, adeo ut non appellent luxuriam, sed liberalitatem; quam speciem ipse & factio Othoniana illi indere solita est. His monet non debere credi, quia falluntur & fallunt. Idem in Galba vituperabit mox Otho cap. 37. Idem in Vitellio cap. 52. Hinc antiquum repetivi. *Jac. Gronov.*

4 *Nemo enim unquam.*] Infr. eodem lib. *Simul reputans, non posse principatum scelere quæsitum, subita modestia, & prisca gravitate regi.* Pichena.

5 *Vana nomina sunt.*] Codex regius habet, *vacua nomina sunt. Vacuum* pro otioso, Tacitus infra usurpat: *Is quo magis vacuus, quietis castris jussa exequeretur.* Rhenanus. Optimum puto. moneo tamen, in Flor. legi, *vacua nomina.* Pichena. Certe & inescatos se ostendunt alii, & merito, ut 3. h. 33. *Vacua domus & inania templa*, & multa similia in Indice Freinshemii. *Jac. Gronovius.*

6 *Sed proinde à nobis donativo plus ob fidem.*]

31 *cinore accipietis.* [1] Dilapsis speculatoribus, cetera cohors non aspernata concionantem, [2] ut turbidis rebus evenit, [3] forte magis, & nonnullo adhuc consilio, parat signa,

Comparativum *plus* erasimus è superioti versu repetitum hic per errorem. Plerumque veteres librarii *proinde* scripserunt pro *perinde*. Itaque clarus sensus erit si legas, *sed perinde à nobis donativo ob fidem quam ab aliis pro facinore accipietis*, ut dicimus, *dono munerive accipere.* Rhenanus. Faërnus legebat, *sed perinde à nobis plus donativi ob fidem, quam ab aliis.* Ursinus. An melius, *perinde?* Acidalius.

1 *Dilapsis speculatoribus.*] Qui scil. antea corrupti ab Othone. *Pichena.*

2 *Ut turbidis rebus evenit, timore.*] Locus totus mihi inter infirmos. Vacillat etiam Budensis scriptio, *rebus evectior ire magis & nullo adhuc consilio.* Ex qua facias: *evenit, ira magis, & nonnulli ad hoc.* At in Florentino est, *eventi erte magis:* unde Pichena, *forte magis.* Lipsius.

3 *Timore magis, & nonnullo adhus consilio, parat signa.*] Budense exemplar, *Ut turbidis rebus evectior ire magis & nullo adhus consilio, parat signa.* Est autem *evectior* ab *evectus.* Itaque castiganda editio vulgata, quæ contrarium sensum depravatis verbis præfert. *Rhenanus.* Vere infirmus locus: sed quem exulcerat magis sua conjectura Lipsius, quam sanat. Nos defectum, sed levem; & luxationem aliquanto majorem deprehendimus. Unica enim vox bis omissa, duæ transpositæ. quibus in suum locum reductis, & illa suis locis inserta, præsto vere emendatum fore totum locum. *Parat signa: sive, ut turbidis rebus evenit, timore magis, & nonnullo adhuc consilio; sive, quod postea creditum est, insidiis & simulatione.* Alternat suo more caussas Tacitus; nec quidquam amplius in probationem dici debet. *Acidalius.* Scripsi. *forte magis* conjectura eruta ex Flor. qui habet: *eventior te magis:* unde vulgo, *evenit, timore magis.* Quod autem Lipsius corrigit, *pars ingens*, nonnihil ab eodem Flor. juvatur, qui habet, *par signas.* Sed neque sic integer locus. *Pichena.* Ex scriptura Florentina quam Pichena prodit, aliisque edit. vett. colligo Tacitum ita scripsisse: *more magis, & nullo adhuc consilio parat signa; quam ut postea creditum est, insidiis & simulatione.* Nam MSc. habet; *eventior te magis* &c. Cætera facile corrupta sunt ab imperitis & negligentibus librariis. Illud præsertim, *nullo adhuc consilio* cum non intelligerent, audactet mutaverunt; deinde *quod* istud natum fuisse credam ex compendio scribendi *quam ut.* Sensus autem auctoris hic est, perorante Pisone cohortem signa paravisse; id postea sic acceptum fuisse, quasi non pro Galba pugnaturi, sed animum istum simulantes, cæterum doli & insidiarum occasionem expectantes id egissent: ut nempe illum, tanquam auxilium habentem in publicum prolicerent, ut infra 34. alii, aut etiam in suam potestatem redigerent, maximum id Imperatori novo munus oblaturi. Sed excusat eos Tacitus, nec dolum parasse ait, sed quod fecerint duabus potissimum caussis fecisse, *more* nimirum, & *nullo consilio.* *More*, quod ille militiæ mos esset, ut hortante Cæsare signa pararentur; quem ideo statim, nihil aliud cogitantes secuti sunt, ut solitum in moribus receptis, & tangit noster statim cap. 32. *Neque illis judicium aut veritas sed tradito more* &c. *Morem* autem istum arma sumendi (dum enim dicit, signa parari, id etiam intelligit, cum alias dum omnia pacata essent, arma non haberent, ut vel ex c. 38. constat) indicat etiam infra 38. *Nullo* autem *adhuc* consilio fuisse ait, quod nondum consilium cum Othone sentiendi cepissent, nec conspirationis ejus participes essent; *animum* tamen fortassis *ex eventu sumpturi*, quemadmodum illi, de quibus sermo est sup. 1. H. 27. *Freinshemius.* Varia hic moliuntur, nec meo animo satisfaciunt hactenus eruditi. MSc. literarum ductus sequor & fidenter hæc scribo, *ut turbidis reb. evenit, reverentior magis, & nonnullo adhuc consilio, parat signa; an quod postea creditum est, insidiis & simulatione.* Singula explicemus. *Ut turbidis rebus evenit*, ut sæpe videre est turbata Rep. quosdam in obsequio adhuc persistere, neque statim turbatoribus se adjungere. *Reverentior magis*, scil. Principis, quam speculatores, qui concionaturum Pisonem deseruerant. *Reverentior*, ut alibi, *metuentior*, aut *metu intentior.* Et quis dubitet, quin ea vox lateat in corrupta illa MS. *eventior?* *Nonnullo adhus consilio*, quo hactenus sic utcunque statuebant, utilius futurum reip. ac sibi, agnoscere Principem potius Pisonem, quam Othonem, monstrum hominis, nulla virtute redemptum. In publicis turbis trium generum homines fere se offerunt, & Tacito describuntur. Horum alios *ruentes*, alios *bonos*, quosdam *dubios*, hoc ipso libro, ut alia jam non adducam, vocat. *Ruentes* sunt, auctores turbarum, aut qui eos acerrimo studio sequuntur. *Boni*, quibus est recti contumacia. *Dubii*, quibus nec nullum, nec fixum, sed trepidum & facile mutandum est consilium pro caussa meliore. Hi sunt, quibus, *nonnullum adhus consilium*, tribuit non sensibus tantum, sed verbis etiam accuratissimus auctor. Postrema ista, *an, quod postea creditum est, insidiis & simulatione*, quin genium Taciti sapiant nemo ambigat. *An* illud ultima syllaba præcedentis vocis,

signa, quod postea creditum est, insidiis & simulatione. [1] Missus & Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus, [2] Vipsania in porticu tendentes. Præceptum Amulio Sereno & Domitio Sabino primipilaribus, *ut Germanicos milites* [3] *è Libertatis atrio accerserent*. [4] Legioni classicæ diffidebat, infestæ ob cædem commilitonum, quos primo statim introitu trucidaverat Galba. Pergunt etiam in castra prætorianorum tribuni Cerius Severus, Subrius Dexter, Pompejus Longinus, si incipiens adhuc [5] & necdum adulta seditio, melioribus consiliis flecteretur. Tribunorum Subrium & Cerium milites adorti minis, Longinum manibus coërcent, exarmantque; [6] quia non ordine militiæ, sed è Galbæ amicis, fidus principi suo, & desciscentibus suspectior erat. Legio classica nihil cunctata prætorianis adjungitur. Illyrici exercitus electi Celsum [7] infestis pilis proturbant. [8] Germanica vexilla diu nu-

cis, *signa*, haud dubie intercepit. *An* etiam plerumque apud eum particula est non tam rogantis, quam dubitantis. Dubitat autem hic Tacitus. *Boxhornius.* Acutissime hic quidem egit Pichena, & quem securissime sequaris, ut fecerunt docti editores. Id modo ambiguum, an Tacitus hanc cohortem non diviserit in tres partes, speculatores, ceteram cohortem quæ hactenus se probam ostendebat, ut non adspernaretur concionantem; tertiam denique partem in illis verbis, quæ in MS. Mediceo talia exstant *par signas quod*, quasi quæ ulterius etiam processerit, sed quod ipsum postea aliter fuit expositum. Scribendum quippe videtur *pars minax, quod*, vel *minans.* Omnia hæc studiose voluit edere sine ullius verbi interventu. Simile occurrebat 14. ann. 45, sed vice versa, ut pars decernat ex lege, sed conglobata multitudine saxa ac faces minitante. *Jac. Gronovius.*

1 *Celsus Marius ad electos.*] Credo ideo, quia notus iis, & in Illyrico militaverat. Tacitus libro xv. *Et legio decimaquinta, ducente Mario Celso, è Pannonia adjecta est.* Videtur igitur Legatus fuisse ejus legionis. *Lipsius.*

*Missus & Celsus Marius.*] In his quoque ordinem turbatum suspicor: & comprehensionem, quæ hanc sequitur, huic præponendam. Lege, *Præceptum Am. Sereno* &c. *è libertatis atrio accerserent. Missus & Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus, Vipsanii in porticu tendentes. Legioni classica diffidebat.* Videatur hoc parum alicui referre; at qui diligentius attendet, rectius ita disponi perspiciet. *Acidalius.*

2 *Vipsanii in porticu.*] Nam miles extra ordinem in urbe, agere plerumque solitus in porticibus aut templis. Noster libro 11. infra: *Sed miles in porticibus aut delubris.* Ipsi prætoriani in Palatii porticibus excubabant. Vult Isidorus libro IX. *Excubitores, quod excubias agunt. Sunt enim ex numero militum, & in porticibus excubant propter regalem custodiam*, Lipsius. Ut cap. 41. ediderant *Curtii lacum*, quod non toleraverunt docti editores, etsi contra fidem vetustatis, ut patebit illic. Itaque miror tacuisse Pichenam legi in MS. Mediceo *Vipsania*, quod prorsus genuinum reposui, ut probarunt etiam nuper. Sic enim porticus Minucia, & post Julia, Livia, Octavia, etsi norim & conditoris appellationem in secundo casu alias retinuisse. *Jac. Gronovius.*

3 *E Libertatis atrio accerserent.*] Atria, ut scribit Vitruvius, januis erant proxima. nempe genus ædificii ante ædes continens mediam aream. Libertatem porro inprimis venerabantur Romani libertatis assertores. Scribit Livius Libertatis atrium refectum, & amplatum fuisse Ælio Pæto, & Cethego Censoribus; & Suetonius in Aug. 29. ab Asinio Pollione refectum postea fuisse memoriæ prodidit. *Lupanus.*

4 *Legioni classica diffidebat.*] Quis *diffidebat*? facile subintelligi potest: tamen credo verius scribi, *diffidebatur.* Acidalius.

5 *Et necdum adulta seditio.*] Reposuimus, *& necdum adulta seditio.* Rhenanus. Plane ita Mediceus, in quo etiam mox hic ordo, *Cetrium adorti milites minis.* Nam & antea exhibetur *Cetrius.* Jac. Gronovius.

6 *Quia non ordine militia, sed è Galba amicis.*] Quid illa? *quia non ordine militia*, nihil intelligo: intelligam, & mecum spero omnes, si traducta particula una legamus: *Non ordine militia, sed quia* &c. *Non ordine militia* accipio, non quod gradu aliquo dignationis militaris inferior ceteris esset Longinus, atque eo milites irreverentius, & contumeliosius hunc, quam reliquos tractarent. *Acidalius.* Quia scil. prætorianorum tribunus factus non fuerat per ordinem & gradus militiæ, ut cæteri; sed Galbæ tantum amicitia & favore: ideoque ut illi fidus, ad Othonis partes disturbandas in castra venisse credebatur. *Pichena.*

7 *Infestis pilis proturbant.*] Volumen Matthiæ Corvini, *ingestis pilis proturbant.* Ab *ingeror, eraris*, passivo verbo. *Rhenanus.* Mediceus etiam *incestis*, eodem vergens. *Jac. Gronovius.*

8 *Germanica vexilla diu nutavere.*] Paulo aliter

nutavere, invalidis adhuc corporibus, & placatis animis, quod eos à Nerone Ale-
xandriam præmissos, atque inde rursus longa navigatione ægros, impensiore cura
32 Galba refovebat. Universa jam plebs palatium implebat, mixtis servitiis, & disso-
no clamore, *cædem Othonis & [1] conjuratorum exsilium* poscentium, ut si in circo ac
theatro ludicrum aliquod postularent, [2] neque illis judicium aut veritas: (quippe
eodem die diversa pari certamine postulaturis) sed tradito more, quemcumque prin-
cipem adulandi, [3] licentia acclamationum, & studiis inanibus. Interim Galbam
duæ sententiæ distinebant: T. Vinius *manendum intra domum, opponenda servitia,*
*firmandos aditus, non eundem ad iratos* censebat: *daret malorum pœnitentiæ, daret bo-*
*norum consensui spatium. scelera impetu, bona consilia mora valescere. Denique eundi ul-*
*tro, si ratio sit, eandem mox facultatem; regressus, si pœniteat, in aliena potestate.*
33 *Festinandum* ceteris videbatur, *antequam cresceret invalida adhuc conjuratio paucorum.*
*Trepidaturum etiam Othonem, qui furtim digressus, ad ignaros illatus, cunctatione nunc*
*& segnitia terentium tempus, imitari principem discat.* [4] *Non exspectandum, ut com-*
*positis castris, forum invadat, & prospectante Galba Capitolium adeat; dum egregius*
*imperator, cum fortibus amicis, janua ac limine tenus domum cludit,* [5] *obsidionem ni-*
*mirum toleraturus. Et præclarum in servis auxilium, si consensus tantæ multitudinis,*
*& quæ plurimum valet, prima* [6] *indignatio languescat. Proinde intuta, quæ indecora:*
*vel si cadere necesse sit, occurrendum discrimini. Id Othoni invidiosius, & ipsis hone-*
*stum.* Repugnantem huic sententiæ Vinium, Laco minaciter invasit, stimulante
34 Icelo, [7] privati odii pertinacia, in publicum exitium. Nec diutius Galba cuncta-
tus

Suetonius 20. *Omnes qui accerserentur, sprevere nuncium, excepta Germanicorum vexillatione. Hi ob recens meritum, quod se agros & invalidos magnopere fovisset, in auxilium advolavere: sed serius, itinere devio per ignorantiam locorum retardati.* Savil.

1 *Conjuratorum exsilium poscentium.*] Nescio an potius *exitium*. In tanto quidem animorum motu, seu potius adulandi tanto studio vix putes aut pœnam fuisse moderatos, aut genus illius Galbæ præscripsisse. Nec fidentius mutaverim *impleverat*. Acidalius.

2 *Neque illis judicium aut veritas.*] Tacit. 3. histor. *Populi mobilem animum, & si se ducem* (Flavius Sabinus) *prabuisset, easdem illas adulationes pro Vespasiano fore*, quibus erga Vitellium nunc utebantur. Eod. lib. *Vulgus eadem pravitate insectabatur interfectum* (Vitellium) *qua foverat viventem.* Juven Sat. 10. *Sed quid Turba Remi? sequitur fortunam, ut semper, & odit Damnatos.* Savilius.

3 *Licentia acclamationum.*] Quarum formula, in Senatu usurpati solita in gratiæ testimonium, exhibetur nobis in Rom. historia posteriorum temporum, ut apud Lampridium erga Alex. Severum, *Auguste innocens, Dii te servent.* &c. apud Vulcatium Gallicanum erga Antoninum, *Antonine Pie, Dii te servent, Antonine Clemens, Dii te servent* &c. Erga Divum Claudium, in Trebellio Pollione, *Auguste Claudi, Dii te nobis præstent* (*dictum sexagies*) *Claudi Auguste* &c. In Flavio Vopisco; erga Tacitum Imperatorem, *Tacite Auguste Dii te servent, te diligimus, te Principem facimus*, &c. Adversa omnium studia sic significabantur, ut apud Lampridium post Commodi mortem, *Hosti Patriæ honores detrahantur, parricidæ honores detrahantur, parricida trahatur*, &c. Populi acclamationes ad hanc formam plerumque fuisse conjectu facile est. *Savilius.*

4 *Non exspectandum*] Plus vigoris hæc habeant, si scribas: *An exspectandum*, fere enim per interrogationem absurdi consiliorum effectus traducuntur, ut supra 2, 77. *An festinamus cum Germanici cineribus adpellere?* Freinshemius. Admittatur hoc totum. Cur igitur non mitius aliquid videmus, nempe *Num?* Certe sic nihil mutatur, si morem scribendi spectes in antiquis membranis; ubi *num* & *non* exprimi solent eodem scribendi compendio. Sic utique obnitens licet, qua potest, tamen interrogationem hinc removere non poterit Ryckius. *Jac. Gronovius.*

5 *Obsidionem nimirum toleraturus.*] In Volumine Matthiæ Corvini legitur, *toleraturum*. Tum stigme ponenda ante *obsidionem*. Rhenanus.

6 *Indignatio languescat.*] Ita edunt, quum in MS. Mediceo habeatur *indignatione*. Legi debet *indignatio elanguescat*, ut cap. 46. *Socordia insuper elanguerat*; & *elanguimus* in 4. hist. Certe enim plus aliquid exigit, quam simplex languescere, ut languere usurpat cap. 39. *Jac. Gronovius.*

7 *Privati odii pertinacia.*] Immittenda copula. *& privati odii.* Acidalius.

1 *Cre-*

tus ſpecioſiora ſuadentibus acceſſit. Præmiſſus tamen in caſtra Piſo, ut juvenis magno nomine, recenti favore, & infenſus T. Vinio, ſeu quia erat, ſeu quia irati ita volebant. & facilius de odio creditur. Vixdum egreſſo Piſone, *occiſum in caſtris Othonem* vagus primum & incertus rumor, mox ut in magnis mendaciis, *interfuiſſe ſe quidam, & vidiſſe* affirmabant, [1] credula fama inter gaudentes, & incurioſos. Multi arbitrabantur compoſitum auctumque rumorem, [2] mixtis jam Othonianis, qui ad evocandum Galbam, [3] læta falſo vulgaverint. Tum vero [4] non populus tantum & imperita plebs in plauſus & immodica ſtudia, ſed equitum plerique ac ſenatorum, poſito metu incauti, refractis palatii foribus [5] ruere intus, ac ſe Galbæ oſtentare; *præreptam ſibi ultionem* querentes. Ignaviſſimus quiſque, & ut res docuit, in periculo non auſurus; nimii verbis, linguæ feroces: nemo ſcire, & omnes affirmare, donec inopia veri, & conſenſu errantium victus, [6] ſumpto thorace Galba, [7] irruenti turbæ neque ætate neque corpore ſiſtens, ſella levaretur. Obvius in palatio

1 *Credula fama.*] Dionyſius obſervat inter alia ex novo dictionis genere, familiarem fuiſſe Thucydidi activorum in paſſiva, & contra, mutationem; τὰ μὲν παθητικὰ ῥήματα δραστήρια ποιῶν, τὰ δὲ δραστήρια παθητικά. Hic occurrit vox *credula*, ut ſignificet cui facile credatur, paſſive, cum tamen *credulus* pervulgato apud Latinos uſu, etiam hoc in libro, notet duntaxat qui facile credit. Ad hunc loquendi modum illud eſt, *Ne vulgi largitione centurionum animos averteret*, id eſt, largitione quæ fiat vulgo, ſive gregario militi. Rurſus 15. Ann. *injuria minorum*; id eſt, quæ minoribus inferuntur. Sed ut pateat quam Grammaticam Tacitus fuerit ſecutus, tria aut quatuor loca in medium profetam, notatu ſane digna. Hiſtor. 3. *ii omnes Mutiano volentia ſcripſere*, id eſt grata. Iterum, *Turba ſacricolarum immixtus, ignaruſque delituit*, id eſt ignotus. Alio loco, *Gnarum id Cæſari*, id eſt notum, & *Quæ gnara Vitellianis, incomperta hoſtibus*. 1. Ann. *Fama dediti Segeſtis vulgata, ut quibuſque bellum invitis, aut cupientibus erat*, ὡς ἦν ἑκάστῳ ἢ βουλομένῳ ἢ ἄκοντι πόλεμος. 15. Ann. *Hæc atque talia plebi volenti fuere*, δήμῳ βουλομένῳ ἦν. In Agric. *ut quibus bellum volentibus erat*. 5. hiſtor. *Cæſar Titus ut ſuperior ſui crederetur* κρείττων ἑαυτοῦ. Ann. 2. *Appellitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur*. Homer. Odyſſ. κ. ψυχῇ χρησομένους Θηβαίου Τειρεσίαο. Annal. 3. *Adulteros earum morte aut fuga punivit*, id eſt exilio, φυγῇ. Ut compendio defungar, cui volupe fuerit propius excutere Taciti phraſes, in miras ſermonis novitates incidet ex Grammaticæ ejus penu, neque pauciores, quam Dionyſius obſervavit in Thucydide. *Savilius.*

2 *Mixtis jam Othonianis.*] Mutet. *mixtis etiam*. Poſſis quoque *clam*. Sed mutatione non valde opus. *Acidalius.*

3 *Læta falſo vulgaverant.*] Scripſimus, *vulgaverint*. Rhenanus.

4 *Non populus tantum & imperita plebs in plauſus & immodica ſtudia, ruere intus* &c.] *Intus* pro intro nuſquam mihi lectum. nec credo hic Tacito ſcriptum. Etiam illa non habent, unde pendeant, *in plauſus & immedica ſtudia*. Itaque probe abeſt, ut traductionem hic quoque uſurpandam putem: *non populus tantum & imperita plebs, ſed equitum plerique ac Senatorum poſito metu incauti, refractis palatii foribus, ruere in plauſus & immodica ſtudia, ac ſe Galbæ intus oſtentare, præreptam* &c. Quamquam ſane malim *ruere intro* ſcribere, ac vulgatum ordinem retineri, niſi quod eo retento, neceſſe erit, unam tamen dictionem tranſponere in illis ſuperioribus: *non populus tantum & imperita plebs in plauſus & ſtudia immodica*. ut jungas non *immodica ſtudia*, ſed *plebs immodica in plauſus & ſtudia*. Atque ita credo prorſus huic loco veram medicinam factam. *Acidalius.*

5 *Ruere intus, ac ſe* &c.] Hæc adeo non videntur ſana etiam Cl. Ryckio, ut notaverit (Puto mutata diſtinctione medendum huic loco: *refractis palatii foribus ruere, intus ac ſe Galbæ oſtentare. Ruere* enim *intus* aures Latinæ reſpuunt.) Superbum ſatis, tanquam qui tam multi antea hanc Taciti partem ſine offenſa legerunt, non habuerint Latinas aures. Solertius & prudentius circumſpexiſſet aliud, quo impetum hunc ornaret. Quid enim? An Plauto & Livio abſuerunt, quum ille ſcribit *intus domum*, hic *intus cellam*? Atqui inſpice modo Lexica induſtriæ melioris. *Intus* cernes uſitatum non aliter quam *intro*. Multum dolui viro docto ſic id excidiſſe. *Jac. Gronovius.*

6 *Sumto thorace.*] Quaſi duntaxat ſtatuiſſet, ut narrat Plutarchus, populo ſe exhibere, & ſacrificiis placare deos vindices, nequaquam de morte Othonis dubius. τῷ τε Διὶ θῦσαι, καὶ φανῆναι τοῖς πολίταις βουλόμενος. Sed longe aliud agi expertus eſt. Suetonius *loricam linteam* dicit. *Savil.*

7 *Irruenti turba.*] Rhenanus Budenſem ſcripturam

tio Julius Atticus ſpeculator, cruentum gladium oſtentans, [1] *occiſum à ſe Othonem* exclamavit: & Galba, *Commilito*, inquit, *quis juſſit?* inſigni animo [2] ad coërcendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adverſus blandientes incorruptus.

36 Haud dubiæ jam in caſtris omnium mentes, tantuſque ardor, ut non contenti agmine & corporibus, in ſuggeſtu, in quo paullo ante [3] aurea Galbæ ſtatua fuerat, [4] medium inter ſigna Othonem vexillis circumdarent. Nec tribunis aut centurionibus adeundi locus: gregarius [5] miles *caveri* inſuper *præpoſitos* jubebat. Strepere cuncta clamoribus, & tumultu, & exhortatione mutua, non tamquam in populo ac plebe, variis ſegni adulatione vocibus, ſed ut quemque affluentium militum aſpexerant, [6] prehenſare manibus, [7] complecti armis, collocare juxta, præire ſacramentum, modo imperatorem militibus, modo imperatori milites commendare. Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, [8] jacere oſcula & omnia ſerviliter pro dominatione. Poſtquam [9] univerſa claſſicorum legio ſacramentum

ram ſecutus legit, *irruente turba, neque corpore ſiſtens.* hoc ſenſu. ut dicat propter irruentem turbam, & quia corpore non poſſet ſiſtere ſive inſiſtere, ſella levatum. Meis tamen libris ſcriptæ eæ voces, quas tollit: legamque potius, *irruenti turba neque æ. n. corpore reſiſtens.* hac mente: Galbam & ætate & corpore invalidum, non ſuſtinuiſſe effuſe irruentem & gratulantem turbam. *Lipſius*

*Irruenti turba neque ætate neque corpore ſiſtens.*] Hæ duæ voces, *neque ætate*, non ſunt in libro MSc. quare ſuſpicor ſcribendum, *irruente turba, neque corpore ſiſtens, ſella levaretur.* Senſus eſt, propter irruentem turbam & quod corpore non poſſet ſiſtere, id eſt inſiſtere, ſella fuiſſe levatum. *Rhenanus.* Manuſcriptus non habet, *neque ætate.* quæ verba nullius ſenſus, hoc loco, delenda ſunt. *Vertranius.* Faernus emendabat, *reſiſtens* &c. nam *re*, ſyllaba videtur à librario prætermiſſa, ob præcedentem poſtremam verbi, *corpore.* Urſinus.

1 *Occiſum à ſe Othonem exclamavit.*] Sic Flor. Vulgo, *clamavit.* Pichena.

2 *Ad coercendum militarem licentiam.*] Scripſimus, *ad coërcendam mil. lic.* Rhenanus.

3 *Aurea Galbæ ſtatua.*] Apparet ita tunc receptum in caſtris, Libro xv. Annal. *Medio tribunal ſedem curulem, & ſedes effigiem Neronis ſuſtinebat.* Lipſius.

4 *Medium inter ſigna.*] Id eſt, medium inter milites ſubſignanos. *Savilius.*

5 *Miles caveri inſuper præpoſitos jubet.*] Muret. *tacere.* Utrumque idonea ſententia: neſcio utrum veriore. *Acidalius.*

6 *Prehenſare manibus.*] Faernus legebat, *prehenſare arctius, complecti armis*; ut puto ex v. c. *Urſinus.* Quid eſt *armis complecti?* In Agric. 36. *complexus armorum* legitur, optimo ibi ſenſu, & qui huc quadrare non poſſit. Emendandum hic, *complecti armis*, quomodo & Muretus voluit. Nam *armos* Tacitum intelligere voce *armis* nunquam opiner. *Acidalius.* Muretus mallet, *complecti arctius.* Mihi tamen à militari more alienum non videtur, ut exultantes lætitia milites, eam, armorum etiam complexu inter ſe ſignificent; ut ſit, *complecti armis*, quaſi complecti armatos. *Pichena.*

7 *Complecti armis.*] Muretus vellet, *arctius.* Non equidem: & militaris ſalutatio fuit, & affuſi ſunt cum gladiis & ſcutis, atque iis amplexi. Siquid mutandum; vellem, *amplecti armis.* Lipſius.

8 *Jacere oſcula.*] Φιλήματά τε δὲ ἑκάστοις διὰ τῶν δακτύλων ἔπεμπε. Xiphil. *Savilius.*

9 *Univerſa claſſiariorum legio.*] Hoc melius placet, quam quod in manuſcripto legitur, *claſſiorum.* Rhenanus. Milites è claſſe indiſtincte videntur à Tacito, aut *claſſici*, aut *claſſiarii*, appellari. ideo quamvis Flor. hic habeat, *claſſicorum*, nihil tamen mutavi. *Pichena.* Utique quum auctoritas vocis *claſſiariorum* tota pendeat ab arbitrio Beroaldi, qui primus ſic edidit; quum in MSto Mediceo, eodem quem Pichena vidit & ipſe cum fratre, cerneret liquide ſcriptã exſtare alterã vocem; etiam Rhenanus teſtetur alteram illam vocem legi in Budenſi, niſi quod in medio ſit omiſſa litera c; unde talis tibi, o Pichena, mens, ut quod ante octo ſæcula in Tacito bene poſitum & glorioſe fuit, illi opponeres aut ſere præponeres tam perverſam nuperi hominis inventum? Conſulant igitur eodem modo 2. hujus partis 11. *Ipſum Othonem comitabatur claſſicorum ingens numerus.* Et c. 67. *Prima claſſicorum legio in Hiſpaniam miſſa.* Nequivi id tolerare, & habeat Tacitus ſuum. Neque enim refert, ſi vulgata alibi frequens. Attamen nobil. etiam Schelius ad Higin. pag. 45. quum ex libro 3. hiſtor. & 2 citaret verba in quibus dicuntur claſſici, immo & ex nummo idem proferret, ipſe neſcio cur maluit claſſiarios dicere. Sic vides deterritum quoque fuiſſe Ryckium, ſed inique. *Jac. Gronovius.*

1 *Quia*

tum ejus accepit, fidens viribus, & quos adhuc singulos exstimulaverat, accendendos in commune ratus, pro vallo castrorum ita cœpit; *Quis ad vos processerim*, 37
*commilitones, dicere non possum:* [1] *quia nec privatum me vocare sustineo, princeps à vobis nominatus; nec principem, alio imperante. Vestrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur imperatorem populi Romani in castris, an hostem habeatis. Auditisne, ut pœna mea, & supplicium vestrum* [2] *simul postulentur? adeo manifestum est, neque perire nos, neque salvos esse, nisi una, posse.* [3] *Et cujus lenitatis est Galba, jam fortasse promisit: ut qui nullo exposcente,* [4] *tot millia innocentissimorum militum trucidaverit. Horror animum subit, quotiens recordor feralem introitum, & hanc solam Galbæ victoriam, cum in oculis urbis decumari deditos juberet, quos deprecantes in fidem acceperat. His auspiciis urbem ingressus, quam gloriam ad principatum attulit; nisi occisi* [5] *Obultronii Sabini,* [6] *& Cornelii Marcelli in Hispania, Betui* [7] *Chilonis in Gallia, Fonteji Capitonis in Germania, Clodii Macri in Africa, Cingonii in via, Turpiliani in urbe, Nymphidii in castris? Quæ usquam provincia, quæ castra sunt, nisi cruenta & maculata? aut, ut ipse prædicat, emendata & correcta? Nam quæ alii scelera, hic remedia vocat: dum falsis nominibus, severitatem pro sævitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia & contumelias vestras, disciplinam appellat.* [8] *Septem à Neronis fine menses sunt,*
&

1 *Quia nec privatum me vocare sustineo*] Reposui, *vocari*. Rhenanus. Malui verbum, *vocare*, ex Flor. & aliis veteribus, quam *vocari*, ut in vulgatis. *Pich.*

2 *Simul postulentur.*] Sic enim Tacitus paulo ante; *Dissonus clamor plebis & servitiorum, cædem Othonis & conjuratorum exsilium poscentium.* Savil.

3 *Et cujus lenitatis est*] Vide ad 14, 56. Vulgo *levitatis*, quum illud clarissime exstet in Mediceo. *Jac. Gronovius.*

4 *Tot millia innocentissimorum militum trucidaverit.*] Sic verius Flor. *militum*, quam vulgati: *civium*. Tacitus enim sup. *introitus in urbem, trucidatis tot millibus inermium militum.* ac deinde: *legioni classica diffidebat, infesta ob cædem commilitonum, quos primo statim introitu trucidaverat Galba.* Pichena.

5 *Obultronii Sabini.*] Conjectura ductus sic restitui, cum in libris esset, *ab ultroniis Albini*. Suspicor autem eum esse, de quo Tacitus Annali XIII. *Helvidius Priscus adversus Obultronium Sabinum ærarii quæstorem proprias contentiones exercuit.* Lipsius.

6 *Et Cornelii Marcelli.*] Libri scripti ita appellant, hominem alia mihi ignotum. Paullo post *Vettii Chilonis* lego, cum Rhenano. *Idem.*

*Cornelii Marcelli in Hispania.*] Fatetur candide Lipf. hominem hunc alia sibi ignotum. hoc facit nempe, quod memoria nobis minime immortalis. nam est is ipse, qui nominatus Tacito satis vocaliter, libro 16. Ann. 8. *Trahebantur ut conscii, Vulcatius Tullinus, ac Marcellus Cornelius Senatores* &c. *Gruterus.*

8 *Bervichilonis in Gallia.*] Codex Budens. *Betwichilonis*. Forte, *Vettii Chilonis*. Rhenanus. Ex opinione Rhenani melius *Vectii Chilonis*. Est enim in regio *Betui Chilonis*: quæ non hic solum, sed & apud Cæcilium commutatio literarum est: ubi is habet libro epist. 6. *Bettio Prisco*, pro *Vettio*. Vertranius. Evidentissimam Rhenani conjecturam, Lipsio quoque probatam in textum merito recepimus: tota enim inest in istis corruptis aliarum editionum *Bervichilonis*. Chilonis aut Cilonis cognomentum, reperias etiam apud Gruter. Inscription. pag. 47. num. 10. *quæ munera Cilo Aris Urbanus dedicat ipse sacris:* & notavit de illo Lipsius ad Tac. 12. 21. *Freinshemius.* Quocunque modo versatus fuerit in corpore Gruteri Inscriptionum Freinshemius, non potuit vir doctus progredi ad liquidum ductu alterius ibidem lapidis Perusini pag. 375. in quo legitur *C. Betuo. C. F. Tro. Ciloni. Minuciano* &c. Certe hæc ipsa debuerat summam manum illustrationi hujus appellationis imposuisse hæsitationes & conjecturas universas dissipans, cui similem alteram studiis attulit erudita peregrinatio Cl. Jac. Sponii inter alias delicias deportata inscriptione ex Fulcinio, ubi legitur C. BETUO. TRO. CILONI. MINUCIANO. XV POPULORUM UMBRIAE. PATRONO, tomo 1. Itinerarii pag. 339. Ad Cl. Ryckium, satis certe sedulum & habilem & in hac parte, quum attendisset, aliquid subodorantem, ut poneret (non forte rejiciendum *Betui Chilonis*) quemadmodum hæc monumenta non venerint, vix capio. Attamen ut hoc blandum, ita ridenda nominis etymologia ab Batavorum Betua vel Battua. An inde jam peti potest Romanum nomen, cui Græcum dabatur cognomen? Quis hoc tempore tantus hybrida? præsertim quum medio situ fuerit cognitissimus Betuitus. *Jac. Gronovius.*

I 8 *Septem*

*& jam plus rapuit Icelus,* [1] *quam quod Polycleti, & Vatinii, & Elii, paraverunt. Minore* [2] *avaritia ac licentia grassatus esset T. Vinius, si ipse imperasset. nunc & subjectos nos habuit tamquam suos, & viles ut alienos. Una illa domus sufficit donativo, quod*
38 *vobis nunquam datur, & cotidie exprobratur. Ac ne qua saltem in successore Galbæ spes esset, accersit ab exsilio, quem tristitia & avaritia sui simillimum judicabat. Vidistis, commilitones, notabili tempestate, etiam deos* [3] *infaustam adoptionem adversantes.*

*Idem*

8 *Septem à Neronis fine menses sunt.*] Simillima illis repcriuntur nostro libro 2. Histor. 95. *Nondum quartus à victoria mensis, & libertus Vitellii Asiaticus, Polycletos, Patrobios, vetera odiorum nomina æquabat.* Freinshemius.

1 *Vatinii, & Elii, & alii.*] Vulgatis libris erat, *& Egii.* qui mihi quidem inter potentiores libertos irrepertus. At Elium invenio (Dioni scribitur Ἥλιος) qui magnus apud Neronem, quique abeunte eo in Græciam cantillatum, præfectus mansit urbi Romæ. Est isipse, de quo Tacitus libro XIII. *P. Celer eques Romanus & Elius libertus, rei familiari Principis in Asia impositi.* Quod sequitur, *& alii:* videndum ne superfluat, natumque sit ex hæsitantia librarii, & adfinitate vocis prioris. *Lipsius.*

*Quam quod Polycleti, Vatinii & Helii paraverunt.*] Erat hic, *Vatinii, & Egii, & alii parav.* Sed quo quis indefinitum illud, *& alii* produxerit? anne plus omnibus, qui ante eum unquam fuerunt, unus Icelus paravit? Adhæc illud, *& Egii*, quibus poterit accommodari? Quis *Egios* in aula Neroniana vidit, legit, scripsit? Ego invenio apud auctores Neronem habuisse libertos dominationis suæ, non fautores, sed magistros atque rectores, quibus summam rerum publicarum privatarumque permiserat. Ac de iis Dio Cassius scripsit: *Polycletum Neronis libertum in urbe cum Helio expilasse & diripuisse omnia quæ occurrerent.* Rursus idem, *Eodem tempore imperium pop. Rom. duobus imperatoribus serviebat, Neroni & Helio* &c. Super hos erat Vatinius intima Neronis familiaritate in audaciam facinorum evectus, illi vero propterea maxime gratus, quod semper diceret; *Odi te Cæsar, quod Senator es.* Itaque tres ii, quod iniquissimi principis familiares essent, nacti amplam occasionem rapiendi modum finemve nullum tenebant: adeo ut se magnum quiddam dicere putaverit Otho, cum ait, *Jam plus rapuit Icelus quam quod Polycleti*, &c. Sane *Icelus* prænomine *Cajus*, cognomine *Martianus*, de servo libertus illi factus, jam summæ equestris gradus candidatus, Galbam magna ex parte regebat, qui cum intra Palatium una cum illo habitaret, nec unquam ei non adhæreret, vulgo *Pædagogus* vocabatur. *Vertranius.* Helius, quem Nero cum Achaiam peteret, sibi vicarium Romæ subsistere jusserat, cum auctoritate quanta poterat maxima, adjuncto ei Polycleto; qui ambo, ut Xiphilin. notat, ἦγον, ἐπόρθουν, ἐσύλων πάνθ' ὅσα ἐνεδέχετο. id est, *rapinas exercuerunt quantas poterant maximas.* Tac. Vatinii mentionem facit 15. Ann. *Vatinius inter fœdissima ejus aula ostenta fuit.* Savilius. Indubie delendum istud *& alii*, quomodo Lipsio visum. Sed nec incertius expungendum etiam *quod*, meo quidem judicio. *Acidalius.* Inculcata fuit in libris editis vox præter veterum fidem, *& Elii, & alii par.* quam suadente Lipsio delevimus. Flor. corrupte: *& Vatinii, & Egiali perierant.* Pichena. Placet *Elii.* verum *& alii* non assignem incuriæ transcriptoris: nam plerique Neroni (ultra dictos) dites & præpotentes liberti: inter quos (ni fallor) Sporus & Doryphorus: an iis minus indulsisset perditissimæ luxuriæ vir, quibus (dictu nefas) maritus & conjux fuit? Suet. Ner. 28. *Et quum affatim deseviisset conficeretur à Doryphoro liberto, cui etiam sicut ipsi Sporus ita ipse denupsit.* Anicetus scil. ei tot flagitiorum conscius, minus rapuit, qui classi apud Misenum præfectus, quique tandem in Sardinia *Non inops exilium toleravit, & fato obiit.* Salinerius. Conjiciebam: *& jam plus rapuit Icelus, quam Polycleti & Vatinii & Elii & Tigellini paraverunt.* Gronovius. Non satis clare aperiunt viri docti, quemadmodum in MS. vetertimo sit scriptum, nempe *Polycliti & Vatinii & egi alii perierunt.* Hic conspectus ejus sic editus verissime. Ex quibus certe ita positis lux adfulget conjecturæ paternæ. Sed nos aliter videntur instruere. Nam ibi ex ipsis literis post τὸ *Vatinii*, vides poni *etegi*, in quo abest prima litera ut videtur, in autographo omissa, ut majuscula forma apponeretur, quod forsan negligi contigit. Hinc tamen penitus colligis nomen *Cethegi*, bene Romæ cognitum, quicunque isto nomine sub Nerone lurco fuerit. Restant postrema, in quibus jam similiter supersunt ista *aliique eruerunt*, sive credas ceteros intelligi per istud *alii*, sive etiam neglecta prima litera pro *Halii*, pro *Helii*, cui adnecto copulativam latentem in litera *p* prima verbi sequentis, quod impotenter corruperunt, quum ex reliquiis libri MS. ultro procedat illud *eruerunt* per vim & astus fraudesque artificiosas ex abditis thesauris ad se prompserunt. *Jac. Gronovius.*

2 *Avaritia ac licentia grassatus.*] Ita Flor. Vulgo, *aut licentia.* Pichena.

3 In-

*Idem senatus, idem populi Romani animus est. Vestra virtus expectatur, apud quos omne honestis consiliis robur, & sine quibus quamvis egregia invalida sunt. Non ad bellum vos, nec ad periculum voco: omnium militum arma nobiscum sunt.* [1] *Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet. Cum vos aspexerit,* [2] *cum signum meum acceperit, hoc solum erit certamen,* [3] *quis mihi plurimum imputet. Nullus cunctationi locus est in eo consilio, quod non potest laudari* [4] *nisi peractum.* [5] Aperiri deinde armamentarium jussit; rapta statim arma, sine more & ordine militiæ, ut prætorianus, aut legionarius insignibus suis distingueretur. [6] Miscentur auxiliaribus, galeis scutisque. Nullo tribunorum centurionumve adhortante, sibi quisque dux & instigator & præcipuum pessimorum incitamentum, quod boni mærebant. Jam exterritus Piso fremitu crebrescentis seditionis, & vocibus in urbem usque resonantibus, egressum interim Galbam & foro appropinquantem assecutus erat: jam Marius Celsus haud læta rettulerat: cum alii *in Palatium redire*, alii *Capitolium petere*, plerique *Rostra occupanda* censerent, plures tantum sententiis aliorum contradicerent, utque evenit in consiliis infelicibus, optima viderentur, quorum tempus effugerat. Agitasse Laco, ignaro Galba, de occidendo T. Vinio dicitur, sive ut pœna ejus animos militum mulceret, seu conscium Othonis credebat, [7] ad postremum vel odio. hæsita-

3 *Infaustam adeptionem adversantes.*] Faërnus mutabat ex v. c. verbum *adversantes*, in *aversantes.* Ursinus. Muretus correxit *aversantes.* Vulgo, *adversantes.* Sic Ann. lib. 1. *sua facinora aversari deos lamentantur.* Hist. lib. 3. *neve se ut parricidam aversarentur.* ita enim in optimis libris. *Pichena.* Libri, *adversantes:* postea ex Mureti conjectura ediderunt *aversantes.* nec impugnem istam lectionem, si a libris esset: cum autem non sit, nec altera illa deterior videatur, nescio cur libeat mutare, quod ferre possis, forte etiam debeas. Nam etiam efficacius hic *adversari* ponas. hanc enim vim habet, non modo ostendisse sibi displicere, nam id *aversari* sit; sed etiam impedire voluisse. *Aversus* enim is dicitur, qui non juvat, *adversus* qui præter quod auxilium negat, damnum infert. *Freinshemius.*

1 *Nec una cohors togata.*] Quare Togata? & satisne ea vox sana? sana. Appellat enim ita velut elevans & infirmans, quia moris ut illa cohors quæ more militiæ excubabat, id ipsum faceret sine armis, gladiis tantum lanceisque contenta. Itaque & togis induti erant, non sagis. Modestiæ caussa institutum id videtur: & ne Mars palam habitare videretur in sua urbe. Huc spectat quod infra legis, *apertum in castris armamentarium fuisse, rapta arma.* quorum scilicet armorum non iis vulgo jus aut usus, nisi Tribunis aut Præfecto permittente. Ideo in Martiali de Fusco, Præfecto Prætorii:

*Ille sacri lateris custos Martisque togati:*
*Credita sui summi castra fuere ducis.*

Vocat ecce *togati Martis* custodem ab hoc habitu: atque adeo in ipsa Italia tota milites togatos esse voluit M. Antoninus, de quo Capitolinus: *Per Brundisium veniens in Italiam, togam & ipse sumpsit, & milites togatos esse jussit. nec unquam sagati fuerunt sub eo milites.* Hæc tamen de ipsis Prætoriis cohortibus tantum accipio, quæ è civibus: de Batavis Germanisque custodibus scimus aliter fuisse. *Lipsius.* Quem in hac explicatione probat Oct. Ferrarius lib. 1. rei vestiar. cap. 32.

2 *Cum signum meum acceperit.*] Codex Budens. *hoc solum cum signum m. acceperis, eris certamen.* Rhenanus. Aut tesseram ipsis militarem dedero: *Savilius.*

3 *Qui mihi plurimum imputet.*] Quis plus pro me contendat, meque sibi plus obnoxium reddat opera gratiaque sua, & plus pro me nitatur. Idem lib. prox. *Neque enim erat adhuc, cui imputaretur.* Ferrettus.

4 *Nisi peractum.*] Suet. cap. 6. addit. *Ad conciliandos pollicitationibus militum animos, nihil magis pro concione testatus est, quam id demum se habiturum, quod sibi reliquissent.* Savilius. Consilium scil. de Galba occidendo. quo vivente, Otho imperare tuto non poterat. Sic infra: *nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis quam consulto opus esset.* Julius Capitol. in Maxim. & Balb. *Scio P. C. hanc rebus novis inesse oportere constantiam, ut rapienda sint consilia, non quærenda: verbis quinetiam plurimis abstinendum sit atque sententiis, ubi res perurget.* Pichena.

5 *Aperire deinde armamentarium jussit.*] Muret. *aperiri.* melius. *Acidalius.* Correxi sententia volente. Vulgo, *aperire.* Pichena.

6 *Miscentur auxiliaribus galeis scutisque.*] Deest in Codice Budens. vox *galeis.* Rhenanus.

7 *Ad posterum vel odio.*] Malim, *ad postremum.*

sitationem attulit tempus ac locus, quia initio cædis orto, difficilis modus. & turbavere consilium trepidi nuntii, ac proximorum diffugia, languentibus omnium
40 studiis, qui primo alacres fidem atque animum ostentaverant. Agebatur huc illuc Galba, vario turbæ fluctuantis impulsu, completis undique [1] basilicis ac templis, [2] lugubri prospectu, neque populi aut plebis ulla vox, sed attoniti vultus, & conversæ ad omnia aures. non tumultus, [3] non quies, quale magni metus, & magnæ iræ silentium est. Othoni tamen *armari plebem* nuntiabatur. [4] *Ire præcipites*, & [5] *occupare pericula* jubet. Igitur milites Romani, [6] quasi Vologesen, aut Pacorum, avito Arsacidarum solio depulsuri, ac non imperatorem suum inermem & senem trucidare pergerent, disjecta plebe, proculcato senatu, truces armis, [7] rapidis equis forum irrumpunt. nec illos Capitolii aspectus, & imminentium templorum religio, & priores & futuri principes terruere, quo minus facerent scelus, cujus ultor est
41 quisquis successit. Viso cominus armatorum agmine, vexillarius [8] comitantis Galbam cohortis (*Atilium* [9] *Vergilionem fuisse* tradunt) [10] dereptam [11] Galbæ imaginem solo afflixit. Eo signo manifesta in Othonem omnium militum studia, desertum fuga populi forum, destricta adversus dubitantes tela. [12] Juxta Curtii lacum, trepida-

*mum*. Rhenanus. Alias, *ad postremum*. Ferrettus.

1 *Basilicis ac templis.*] Basilicæ ac templa ἐπὶ τοὺς στοὰς καὶ τὰ μετέωρα τῆς ἀγορᾶς, Plutarch. Seneca de Ira l. 3. *Fremitu judiciorum Basilica resonant.* Savilius.

2 *Lugubri prospectu.*] id est, *prospectui*. Tac. 2. hist. *Luxu & sagina mancipatus*. Plutarchus hunc locum vertit ὥσπερ θέαν καταλαμβανόντων. Savilius. Qui Tacito suam Grammaticam exprobrat, videat qualem ipse habuerit. Cicero pro domo: *in Palatio pulcherrimo prospectu porticum cum conclavibus* &c. *Gronovius*.

3 *Non quies, quale magni metus & magnæ iræ silentium est.*] Inserere olim volebam, *sed quale*: errasse nunc video, cum sententiam acutius inspicio. *Acidalius*.

4 *Ire præcipites.*] Ille se castris continuit. Suet. Oth. 6. dum funesti temporis clades sæviret; circumstantia profecto, cujus descriptione nimis leviter Tacitus defungitur. *Savilius*.

5 *Occupare pericula jubet.*] Scripsimus, *occupari pericula jubet*. Rhenanus.

6 *Quasi si Vologesem aut Pacorum.*] De Parthorum imperio ab Arsace condito vide Dion. lib. 40. Herodian. lib. 6. Tempus in quod exacte incidit Parthica defectio, ad Antiochi refertur imperium. Tac. 5. hist. *Antiochus Parthorum bello prohibitus est: nam ea tempestate Arsaces desciverat*. Appian. Συριακῇ diserte notat Antiochum quis fuerit, nempe Antiochus cognomento Deus, nepos Seleuci, qui fundator Syriacæ dominationis. Ab hoc Arsace in Artabanum continua successione devolutum est Parthorum regnum, quem sub Alexandro Severo sceptra tenentem Artaxerxes Persa evertit, & sic illud Orientis imperium denuo coaluit cum Persarum imperio. Herodianus l. 6. Vologeses aut Vologesus (utroque enim modo scriptum nomen occurrit, Græci eum Οὐολόγαισον appellant) Parthis tum imperabat, filius Vononis sub Claudio mortui, A. V. C. 802. frater Pacori Medorum regis, & Tiridatis, quem Nero Armeniis regem imposuit. *Savilius*.

7 *Rapidis equis.*] In MS. Mediceo legitur *rapidi equis*. Ita certe Tacitus istud adjectivum solet referre ad homines, ut 2, 30. *Rapido agmine Cacina junguntur*. Et c. 54. *Cœnus quidem rapidus in urbem vectus*. Jac. Gronovius.

8 *Comitatus Galba cohortis.*] Castigavimus, *comitantis Galbam cohortis*. Rhenanus. Probabilius dixisset *comitata*. Sic enim maneret in iisdem literis, ut bene Ryckius, & MS. Mediceus id vult, in quo est *comitatę Galbę*, non *Galbam*. Jac. Gronovius.

9 *Vergilionem.*] Plutarchus in Galba edit, *Servilionem*. Item *Arcadium*, pro, *Lecanicum*. Sed à Græcis scriptoribus fides in Latinis nominibus non est nimium requirenda. *Ursinus*. Quum in MS. Mediceo legatur *adilium Verg.* hæc scriptura videtur exigere *A. Dilium*, pro *Dillium* vel *Dellium Vergilionem*. Jac. Gronovius.

10 *Dereptam.*] Sic castigavimus. Quamquam ubicumque nos legimus *diripere* sive *diripiendum*, illic plerumque habetur *deripere & deripiendum*. Rhenanus.

11 *Galbæ imaginem solo afflixit.*] Intellige, hanc imaginem Galbæ fuisse super signo cohortis. Nam ut antea deorum imagines signis innectebantur, sic Principum tempore, ipsorum imperatorum. Vide Lipsium De mil. Rom. lib. 4. dial. 5. & ad Tac. 15. Ann. *Pichena*.

12 *Juxta Curtii lacum*] Sic appellavit hunc lo-

pidatione ferentium Galba projectus è sella, ac provolutus est. Extremam ejus
vocem, ut cuique odium aut admiratio fuit, varie prodidere. Alii suppliciter interrogasse,
*quid mali meruisset? paucos dies exsolvendo donativo* deprecatum. Plures
obtulisse ultro percussoribus jugulum, [1] *agerent ac ferirent*, [2] *si ita è republica videretur.*
non interfuit occidentium quid diceret. De percussore non satis constat. quidam
*Terentium evocatum*, alii *Lecanium*, crebrior fama tradidit *Camurium quintæ decimæ legionis militem*,
*impresso gladio*, *jugulum ejus hausisse*. Ceteri crura brachiaque
(nam [3] pectus tegebatur) fœde laniavere: pleraque vulnera, feritate & sævitia
trunco jam corpori adjecta. T. inde Vinium invasere. de quo & ipso ambigi- 42
tur, consumpseritne vocem ejus instans metus, an proclamaverit, *non esse ab Othone mandatum ut occideretur*.
Quod seu finxit formidine; seu [4] conscientia conjurationis
confessus est: huc potius ejus vita famaque inclinat, ut conscius sceleris fuerit,
[5] cujus caussa erat. ante ædem divi Julii jacuit primo ictu in poplitem, mox ab
Julio Caro legionario milite [6] in utrumque latus transverberatus. Insignem illa die 43
[7] virum Sempronium Densum ætas nostra vidit. [8] Centurio is prætoriæ cohortis à
Galba

locum Tacitus, ut ex consensu tot vetustorum codicum patet, prout ab pluribus ille fuit vocatus; nihilque illi cum Dionysio Halic. & aliis illis, a quibus dicitur *Curtius lacus*, quod contra fidem huc nonnulli ingesserunt. Videntur offendisse ad hunc scopulum lectores jamdiu, quum nonnihil sit etiam hìc rasum; sed loci spatium demonstrat non esse *ium* ob ejus exiguitatem. Et quæso? an non protulerunt varii ex 2. hist. 55. *juxta lacum Curtii?* Nonne 3. hist. 69. *Circa lacum Fundani?* Jac. Gronovius.

1 *Agerent ac ferirent.*] Muretus legi voluit, *Hoc agerent ac ferirent*. Non accedo. Exprimere Tac. vel innuere nobis saltem voluit hanc ejus hortantis, vel jubentis vocem, *Age*, *feri*, aut, *agite*, *ferite*. Tamen ut Muretus voluit, omnino scribendum videtur è Suet. in Galb. 20. qui sic hoc narrat: *plures autem tradiderunt, obtulisse ultro jugulum; & ut hoc agerent, ac ferirent, quando ita videretur, hortatum.* Acidalius.

2 *Si ita e republ. vid.*] Simulatque animadverti in MS. Mediceo ista legi sine præpositione, quæ tamen erat pernecessaria, cogitavi statim & eodem momento in schedis meis adscripsi innui ab Tacito scriptum esse, *si it*, pro *id*, *e republ. videretur.* Quod sane meum non debuit ab aliis edi. Infra exstat in MS. *Julio Cario*, nec aliter editum fuit ab Beroaldo, quicquid celent posteriores. *Jac. Gronovius.*

3 *Pectus tegebatur*] Thorace aut lorica lintea: supra. *Savilius.*

4 *Conscientia conjurationis confessus est.*] Videtur *conscientiam* legendum. *Acidalius.*

5 *Cujus caussa erat.*] Tac. supra, *Galbam Titus Vinius deterrimus mortalium odio flagitiorum onerabat.* Savilius.

6 *In utrumque latus transverberatus.*] Suspicor præpositionem non esse à Tacito, Liv. lib. 21. *adversum femur tragula graviter ictus.* Auctor Africani belli: *pilo per cassidem caput ictus.* Idem: *Rufus brachium gladio percussus.* Suetonius Augusto: *crus & utrumque brachium consauciatus.* Gronovius.

7 *Virum Densum quem.*] Has duas postremas voces expunximus. Ut nunc legatur sententia: *Insignem illa die virum Sempronium ætas nostra vidit.* Arbitror concinnatori formularum apud typographum, aliquid superfuisse spacii, quod iteratis & inculcatis verbis istis expleverit. Post *virum* hæc verba etiam legebantur: *& senem trucidare pergunt disjecta plebe:* Quæ nos ex superioribus hic perperam repetita delevimus. *Rhenanus.*

*Sempronium Densum.*] Plutarchus & Xiphilin. scribunt non Pisonem, sed Galbam à Denso protectum. *Savilius.*

8 *Centurio is prætoria cohortis ad Galba.*] Aliter concepta lectio in Farnesii codice: *Centurio is prætoria ac Galba custodia à Pisone additus.* Quæ utravis tamen parum mihi certa. Quid enim? à Pisone custos hic Galbæ appositus? Quomodo potuit aut debuit? cum Galbæ sane, ut Principi, legitimi sui custodes & stipatores fuerint. Denique unde ea auctoritas Pisoni? Tacitum etiam ipsum lege: videbis clare Sempronium hunc non Galbæ tutorem sed Pisonis fuisse; cui quamvis vulnerato effugium etiam præbuit. Igitur inclinabam ut legerem: *Centurio is Prætorii, à Galba custodia Pisonis additus.* ut in illo motu rerum, Galba de Pisone anxius addiderit ei custodem centurionem. Hoc probabile. Sustinet me tamen à pleno adsensu Dio & Plutarchus: qui ita narrant, ut Sempronius Galbam defenderit, non Pisonem. Si eos sequimur: tum mentem verborum Taciti faciam, ut hic Sempronius venerit in cohortes Prætorias, promotusque sit beneficio Pisonis: atque ita additus insertusque custodiæ. Vix tamen est, ut Taciti narratio cum Græcis iis non pu-

Galba custodiæ Pisonis additus, [1] stricto pugione [2] occurrens armatis. & scelus exprobrans, ac modo manu, modo voce, vertendo in se percussores, quamquam vulnerato Pisoni effugium dedit. Piso in ædem Vestæ pervasit, exceptusque misericordia publici servi, & contubernio ejus abditus, non religione, nec cærimoniis, sed latebra imminens [3] exitium differebat: cum advenere, [4] missu Othonis, nominatim in cædem ejus ardentes, Sulpicius Florus è Britannicis cohortibus, nuper à Galba civitate donatus, & Statius Murcus speculator: à quibus protractus Piso,
44 in foribus templi trucidatur. Nullam cædem Otho majore lætitia excepisse, nullum caput tam insatiabilibus oculis perlustrasse dicitur: seu tum primum levata omni solicitudine mens, [5] vacare gaudio cœperat: seu recordatio majestatis in Galba; ami-

gnet. Certe nec Suetonius opem quemquam tulisse Galbæ refert. *Lipsius.*

*Centurio is prætoriæ cohortis ad Galbæ custodiam à Pisone.* ] Erudite Lipsius hanc lectionem impugnat: ac valde probabiliter ex vestigiis Farnesiani Codicis aliam substituit. Nec ego vel hanc Taciti sententiam fuisse, vel ipsam sententiam ex historiæ fide & veritate esse dubito: quidquid Dio & Plutarchus contradicant, ad quorum narrationem, quod Lipsius idem flectere Taciti verba conatur, frustra est. Manifesta inter eos pugna & dissensio, quam nulla interpretatione recte conciliies. Nec refert, quod innumeris alibi locis hi & historicorum quotquot sunt plurimi, non idem dicunt. Ego Tacito hic potius credam. Sed in scripturæ emendatione, etsi de sensu, non & de verbis Lipsio penitus assentior. Nec enim putem *Centurionem prætorii* recte dici pro Centurione cohortis Prætoriæ; nec valde eleganter, *custodia alicujus addi.* Quocirca non audiam hic Farnesianum librum, sed vulgatam lectionem traductione saltem præpositionum *ad* & *à*, quæ permutatæ errorem peperere, concinnem: *Centurio is Prætoriæ cohortis à Galba ad custodiam Pisoni additus.* Ubi & *Pisoni* scripsi poscente sic elegantia sermonis. Plaut. in Aulul. *Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit*; & Captiv. & Milite sæpius in eundem modum. Sic & verbum *apponere* Suetonio usurpatum Tib. 12. & sæpe alibi: *hunc tribunus militum custos appositus occidit.* Ceterum non omittam etiam Mureti lectionem, etsi falsam & ineptam: quam tamen è libro videtur hausisse, non ex ingenio prompsisse. *Insignem illa die virum & senem trucidare pergunt, disjecta plebe Sempronium Densum, quem ætas nostra vidit. Centurio is Prætoriæ cohorti ac Galbæ custodia à Pisone additus.* Puto è libro, quia multo quam vulgata auctior. Sed quæ inserta, inscite è proxima præced. pag. ubi ardor militum in Galbæ cædem narratur, repetita sunt. *Imperatorem suum inermem & senem trucidare pergerent* &c. Unde vides integram lineam pessimo errore huc translatam. *Acidalius.* Conversa fuerunt in vulgatis, & verba, & sensus: *ad Galbæ custodiam à Pisone additus.* Lipsius correxit & Flor. fere congruit, qui corrupte habet: *à Galba custodi & a Pisonis additus.* Pichena. Is favore Pisonis centurio prætoriæ cohortis, & inter Galbæ custodes, cuique imperator beneficiis cognitus non erat. Plutarch. in Galb. *Sempronius enim centurio, qui nullo privatim beneficio à Galba esset affectus.* Cæterum nostro adversatur (ait erud. tiss. vir) Plutarchus & Dio, qui dicunt hunc Densum tulisse auxilium Galbæ, facile conciliari possunt. Piso tunc lecticæ Galbæ adhærebat. *Egressum interim Galbam, & foro appropinquantem assecutus erat.* Pugnabat pro sua ejusque salute: at Densus hostibus sese objiciendo tam Galbam quam Pisonem protegebat, quod nec Plutarchus inficiatur, apud quem Piso vulneratus illinc aufugit, & oppetiit alibi mortem: *Vulneratus enim adolescens fugiebat, eumque Marcus quidam insecutus jugulavit juxta sacellum Vestæ.* Unde ei effugium? a Denso: *Quanquam vulnerato Pisoni effugium dedit.* Salmerius.

1 *Stricto pugione.*] Plutarch. notat. terruisse ipsos primum vite, *ᾧ κολάζουσιν ἑκατοντάρχαι τοὺς πληγῶν δεομένους. qua centuriones utuntur in castigandis militibus.* Savilius.

2 *occurrens armatus.* ] Scripsimus, *armatis.* Rhenanus.

3 *Exitium differebat. Tum advenere.*] Emendavimus, *differebat, cum advenere.* Idem.

4 *Missu Othonis.* ] Nos, *jussu Othonis.* Rhenanus. Elegantius alii libri, *missu Othonis.* Loquitur ita Cic. quoque ad Att. 8, 9: *Balbus minor ad me venit, occulta via currens ad Lentulum Cos. missu Cæsaris, cum literis & mandatis.* Et recte Guilielmius in perioche Curculion. Plauti emendavit: *Curculio missu Phædromi is in Cariam.* Tac. 5. Hist. *Missu Neronis Vespasianus fortuna famaque & egregiis* &c. *Acidalius.* Restitui vocem *missu* ex Flor. & Ven. quod sæpe Tacito usurpatum. Vulgo, *jussu.* Pichena.

5 *Vagare gaudio.* ] Repertum in opt. Vatic. non sprevi: quoniam passim veteres ita locutos sciebam. Vox autem apta, ad habitum explican-

amicitiæ in T. Vinio, quamvis immitem animum imagine trifti [1] confuderat: Pifonis, ut inimici & æmuli, cæde lætari, jus fafque credebat. Præfixa contis capita geftabantur, inter figna cohortium [2] juxta Aquilam legionis, certatim oftentantibus cruentas manus qui occiderant, qui interfuerant, [3] qui vere, qui falfo, ut pulchrum & memorabile facinus jactabant. Piures quam centum viginti libellos præmium expofcentium, ob aliquam notabilem illa die operam, Vitellius poftea invenit. omnefque conquiri & interfici juffit, non honore Galbæ, [4] fed tradito prin-

candum mentis gaudio diffufæ & velut natantis. *Lipfius.*

*Vagare gaudio cœperat.*] Non nego aptum verbum *vagare* ad habitum mentis explicandum, quæ gaudio diffufa velut natet. Nego hoc loco aptius, quam *vacare*, cui præferri alterum a Lipfio minime debuerat. Concinnitas fermonis hoc requirit, in quo quafi metaphora quædam ab homine occupato. Mens Othonis antea follicitudine occupata, nunc demum levata, gaudio vacare cœperat. *Acidalius.* Vett. editt. quas fequimur, *vacare gaudio.* quod iftud *vagare* quod ex Vaticano fuo Lipfius repofuerat, non videretur germanum, præ altero ifto, quod elegantem fenfum reddit: tum demum otium fuiffe menti Othonis, eique vacaffe, ut gaudium ex mutatione fortunæ plene guftaret, poftquam æmulo remoto, nulla amplius follicitudo inerat. *Vacare gaudio* hic dictum, ut apud Plin. ep. 1, 9. *vacare corpori*, apud Curt. 6, 7. *Vacare fermoni.* Itaque hoc quoque loco iftud *gaudio* pro tertio cafu habendum eft, non pro fexto. *Freinshemius.*

1 *Confuderat. Pifonis.*] Non hæc particula πολλῇ σιγῇ divellenda erat à fuperioribus, quibus fententia cohæret. Tu fic diftingue, ut recte capias. *feu reverdatio majeftatis in Galba; amicitia* &c. *confuderat; Pifonis ut inimici & æmuli* &c. Pendet enim verbum *credebat* à particula *feu*, non minus quam alterum *confuderat.* Acidalius.

2 *Juxta aquilam legionis.*] Cujus? claffiariæ puto, cum in hanc rem non alia occurrat legio. Illi *aquilam & figna* accipiebant ex Othonis manu, ut apparet ex Tacit. ult. à Galba initio Principatus petierunt quidem, fed alia mercede conftitit illis, qui in vanum ceciderat, labor. *Savilius.*

3 *Quive vere, quive falfo.*] Franc. Modius me monet in Rom. codice legi, *qui vere, qui falfo.* Quod idem etiam fcriptus Covatruviæ liber habebat. *Lipfius.*

*Quive vere, quive falfo, ut pulchrum.*] Rom. Codex, *qui vere qui falfo.* Hic particula una deeft: illic fupereft. Vix enim concinna oratio, ni fcribat, *qui vere, quive falfo, ut pulchrum* &c. Si *quive* ubique retines; vide, ne alia vocula defit, atque ita diftinctione fententia juvari debeat, *quive vere, quive falfo; ceterum ut pulchrum* &c. Acidalius. Lipfius ex libris, *qui vere, qui falfo* & Florent. eandem fere lectionem confirmat. Vulgo, *quive vere, quive falfo.* Pichena. Immo in Mediceo legitur *quive vere qui falfo.* Mox etiam ex illo edidi *centum viginti* & *præmium*, non cxx. & *præmia.* Jac. Gronovius.

4 *Tradito Principibus more.*] Diu in hoc loco mei atque alieni fluctus. Nunc fifto in emendatione mea ultima: vera, etfi quidam renituntur. fed neque omnium eft veram Criticam approbare, quid exercere? De re: ita lego. *Tradita Principibus more, munimentum ad præfens, in pofterum ultione.* Ita verba ftructa apte, quæ alioqui non redigas fub Grammaticæ leges: ita fententia concinna & vera. Ultio, inquam, hæc tradita eft Principibus more, ad præfens munimentum & tutelam fui. fed quæ ultio? *in pofterum:* id eft, poft ipfos, & ut fucceffor ulcifcatur. Tacitus in hac re: *Fecere facinus, cujus ultor eft quifquis fucceffit.* Et quo fine? ut ipfi in præfenti tutiores. Ita Claudius (in Suetonio) *Centuriones è conjuratis in Cajum interemit, exempli cauffa.* & Domitianus Epaphroditum (in eodem) *ut oftenderet, ne bene quidem exemplo audendam Patroni necem.* Nimirum Principes, folenniter puniendo Principum interfectores, fe muniunt & tuentur. Oedipus hoc ita pulchre apud Sophoclem, ubi ait velle fe exfequi & punire Laii cædem:

Ὅστις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανών, τάχ᾽ ἂν
Κἀμ᾽ ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι.
Κείνῳ προσαρκῶν οὖν, ἐμαυτὸν ὠφελῶ:
*Nam quifquis ille eft Laium qui occiderit:*
*Is dextra eadem me quoque aufit aggredi.*
*Cum vindico igitur hunc, meipfe munio.*

Lipfius.

*Sed tradito principibus more.*] Tentaffe olim Lipfius fatetur, poftrema editione ad verum perveniffe putat. Refcribit, *tradita princip. m.* &c. *ultione.* atque exponit, quia more tradita hæc in pofterum ultio principibus, ad præfens munimentum. Quam etfi ipfe lucidam & veram fententiam dicit, ego tamen valde adhuc obfcuram & incertam video. Quid enim eft *ultio in pofterum?* & cur mutat elegantiffimam locutionem *tradito more?* Cujus exempla ubique multa. Curt. l. 3. *Ita tradito more, ut victorem victi regis tabernaculo exciperent.* Idem lib. 5. *Sed rex deferere milites inse-*

principibus more, munimentum ad præsens, in posterum ultionem. Alium crederes

*insepultos erubescebat, ita tradito more, ut vix ullum militiæ tam solenne esset munus, quam humandi sues.* Ipse Tac. hoc ipso libro. *Neque illis judicium aut veritas; sed tradito more, quemcunque principem adulandi.* At inquit, alias peccat Tac. contra Grammaticorum regulas, neque eum à ferulis illorum quisquam liberabit. Jubeo securum esse Taciti nomine. Ego liberabo. Nec in verbis quidem ipsis quicquam muto, saltem in eorum ordine. Trajectio enim manifesta est. quam & Muretus viderat. Eaque corrigi dupliciter potest, vel *sed tradito principibus more, ultionem ad præsens, in posterum munimentum*: vel *munimentum in posterum, ad præsens ultionem.* quo posteriore modo Muretus restituerat, & mihi sane restitui magis placeat. Sensus nunc liquidissimus est, itemque verissimus, Non honore Galbæ, sed quia principibus mos est, ut scelus in præsens ulciscendo, in posterum ab iis sese muniant; ut sic nec interprete nec assertore ulterius egeat: sed constructio adhuc dubia. Facile firmavero Taciti exemplis: In Germ. *suam quisque demum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi.* Ibidemque: *solent & subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hyemi, & receptaculum frugibus.* Libro 3. Hist. *Qui suas centurias turmasque tradere donum victori, & sibi in posterum gratiam, certabant.* Libro 4. Hist. *Simul omnium conjuges parvosque liberos consistere à tergo jubet, hortamenta victoriæ, vel pulsis pudorem.* Ibid. *Donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum, promissa sane à Vitellio, postulabant, non ut assequerentur, sed causam seditioni.* Si hoc nolis, possis etiam aliter: *ad præsens ultioni*: æque bona vel meliore, Tacito certe non minus usitata phrasi. Ita 13. Ann. qui locus huic, de quo agimus, etiam sententia est assimilis: *Factum & SCtum ultioni juxta & securitati.* Sic libro 15. *Multa Romanis secunda, quædam Parthis evenisse: documenta adversus superbiam.* Et aliis passim innumeris locis. *Acidalius.* De sinceritate hujus loci adhuc dubito. nam neque priorem, neque postremam Lipsii emendationem satis probaverim: præsertim cum illud, *tradito more*, sit auctori nostro familiare, qui supra eod. lib. dixit: *tradito more, quemcunque principem adulandi.* Tentavi ita construere: tradito principibus more, ad munimentum præsens, & ad ultionem in posterum. ut scil. vox, *ultionem*, pendeat ex antecedenti præpositione, *ad*: quomodo paulo infra dixit: *ad seditionem & discordias, & ad extremum bella civilia ruebant.* Novissime vero alia mihi defensio hujus loci succurrit: si appositive quarto casu, *munimentum*, accipias, pendens à superiori voce, *omnes.* tunc enim recte sibi invicem respondebunt, *munimentum* & *ultionem.* Pichena. Jam dixi casum pro casu magnificentiam dicere, simillimoque rem firmavi. Plaut. Trinumm. *Is homo exornetur graphice in peregrinum modum, Ignota facies, quæ non usitata sit, Falsidicum confidenter.* Quapropter hic emendationes non inducam: quæ enim clarior gnome? Et sine schema ultio, quam manere scimus ausos cædem principis, munimentum est dominantis. nam inter ejus conjuratos is facile nomen non dabit, qui sciat successorem facinus omnimode vindicaturum. Hoc libro cap. 40. *quo minus facerent scelus, cujus ultor est quisquis successit.* Allusit ad hunc morem Darius moribundus. Justin. lib. 11. *Ultionem sceleris* erga se perpetrati *non solum sua, sed exempli omniumque regum causa non negligere illi cum decorum tum utile futurum.* Salinerius. Locus, si quisquam, toto libro, sanus & integer. Sic enim alibi locutum ostendi infra. At sententia auctoris ista est; duabus de caussis id hominum genus è medio tolli à principibus, una ut in præsens securiores agant; altera, ut in posterum, hoc est, in futurum vindicentur: notum enim illud P. Syri. *Inimicum ulcisci, vitam accipere est alteram.* Unde & 13. Ann. 32. Factum *& SCtum ultioni juxta & securitati; ut si quis à suis servis interfectus esset, ii quoque qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter servos supplicia penderent.* Quæ verba ita explicat C. Cassius lib. 14. Ann. 44. *Multa sceleris indicia proveniunt servi. Si prodant, possumus singuli inter plures; tuti inter anxios, postremo si pereundum est, non inulti inter nocentes agere.* Tali ultioni allusit Florus 4. cap. ult. *Cæterum Barbarus undique infesto exercitu oppressus, gladio & pyra, in quam se perculsus immisit, superstiti etiamnum Cæsari satisfecit.* Sic Plin. 3. ep. 14. *Ipse paucis diebus ægre refocillatus, non sine ultionis solatio decessit; ita vivus vindicatus, ut occisi solent.* Sed & isthæc hujus loci. *Gruterus.* Firmavit evidentissime lectionem ad Sueton. Titum c. 6 Socer meus. quo benignum lectorem remittimus. Insignem autem Livii locum occasione hujus ipsius phraseos in contrariam omnino sententiam corruptum, eadem opera restituam. Sic enim ille 30, 22. *Quum more tradito à Patribus potestatem interrogandi, si quis quid vellet, legatis prætor fecisset.* Ait legatis potestatem factam, ut patres interrogarent, quod omnino falsum, nec ratio rem tam absurdam siverit, nec mens auctoris hæc fuit, & sequentia reclamant. Legam: *Quum more tradito, Patribus potestatem interrogandi, si quis quid vellet, legatus prætor fecisset.* Freinshemius.

Non

res senatum, alium populum. ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum præcurrentibus, increpare Galbam, laudare militum judicium, exosculari Othonis manum: quantoque magis falsa erant quæ fiebant, tanto plura facere. Nec aspernabatur singulos Otho, avidum & minacem militum animum, voce vultuque temperans. Marium Celsum consulem designatum, & Galbæ usque in extremas res amicum fidumque, ad supplicium expostulabant; industriæ ejus innocentiæque quasi malis artibus infensi. Cædis & prædarum initium, & optimo cuique perniciem quæri apparebat. sed [1] Othoni nondum auctoritas inerat [2] ad prohibendum scelus, jubere jam poterat. [3] Ita simulatione iræ, *vinciri* jussum, & *majores pœnas daturum* affirmans, præsenti exitio subtraxit. Omnia deinde arbitrio militum acta. 46
Prætorii præfectos sibi ipsi legere; Plotium Firmum è manipularibus quondam, tum vigilibus præpositum, & incolumi adhuc Galba partes Othonis secutum. adjungitur Licinius Proculus, intima familiaritate Othonis, suspectus consilia ejus fovisse. Urbi Flavium Sabinum præfecere, judicium Neronis secuti, sub quo eamdem curam obtinuerat; plerisque Vespasianum fratrem in eo respicientibus. Flagitatum, *ut* [4] *vacationes præstari centurionibus solitæ remitterentur.* Namque gregarius

Non memini me unquam, ex quo Taciti cum fructu tractandi fiduciam habui, hic loci hæsisse. Quid enim? nonne clamat auctor se dicere, Vitellium de istis supplicium sumpsisse, non ut Galbæ manes hac vindicta coleret, sed ut solent principes punire omnes interfectores principum, quo & ipsi in præsens sint ab insidiis hujusmodi tutiores, & successori exemplum ulciscendi, si quid ipsis contigerit, præbeant. *Ad præsens, in posterum*, sic libro 4. hist. *Clara ea victoria in præsens, in posterum usui.* Τὰ *munimentum* & *ultionem* sunt ἐπεξήγησις totius illius *conquiri & interfici jussit*: quasi foret: interfici jussit, quo recte principes & more veteri judicant se sibi munimentum circumdare ad præsens, in futurum parare ultorem: vel quali animadversione putant principes se comparare sibi, dum sunt, statum securiorem; si quid durius eveniat, ne desit vindex, ab ipsorum exemplo doctus decessorem non inultum pati. Collegeram ob genus loquendi fere omnia, quæ jam alii ediderunt, neque repeti necesse est. Sic & libro 16. *Annæum Lucanum genuerat grande adjumentum claritudinis.* Ad rem pertinent ista. Suetonius Claudio cap. 11. *Paucis è conjuratorum numero interemptis, exempli simul causa, & quod suam quoque necem depoposcisse cognoverat.* Dio libro 47. pag. 337. de triumviris: ἅτε γὰρ τῆς μοναρχίας ἐφιέμενοι καὶ αὐτοὶ αὐτὴν ἐπειγόμενοι τούς τε σφαγέας αὐτοῦ (τοῦ Καίσαρος) τοὺς λοιποὺς ὀργῇ μετῄεσαν (quare? non profecto honore Cæsaris, ut Vitellius *non honore Galbæ, sed*) ὡς καὶ ἐκ τούτου τήν τε ἄδειαν σφίσιν, ὧν ἐποίουν, καὶ τὴν ἀσφάλειαν πρόσθεν προπαρασκευάσοντες, (hoc utique *munimentum ad præsens*) καὶ ποινὴν ὅσα (hoc pro illo, *in posterum ultionem*, etsi melioris ominis & latius pateat) ἐς τιμὴν αὐτοῦ ἔφερε, προθύμως ἔπραττον, ἐς ὑποδοχὴν τοῦ καὶ αὐτοί ποτε τῶν ὁμοίων ἀξιωθῆναι. Notabile quoque in hanc rem, quod Zonaras narrat in imperio Theophili. Pater hujus Michaël Balbus Leonem Armenium conspiratione sustulerat regnumque invaserat. Filius αὐταρχήσας πρῶτον ἐποιήσατο ἔργον, τὴν κόλασιν τῶν τῷ πατρὶ αὐτοῦ συναραμένων εἰς τὸ τῆς βασιλείας τυχεῖν καὶ ἀνελόντων τὸν Λέοντα. & quæ cætera penes ipsum legi possunt. *Gronovius.*

1 *Othoni nondum auctoritas.*] Plutarch. φοβούμενος δὲ ἀντιλέγειν (ὁ Ὄθων) οὐχ' οὕτως ἔφη ταχέως ἀποκτενεῖν αὐτόν, εἶναι γὰρ ἃ δεῖ πρότερον ἐκπυθέσθαι παρὰ τοῦ ἀνδρός. Savilius.

2 *Ad prohibendum scelus: jubere jam poterat.*] Fieri potest ut oscitantia librarii hæc verba fuerint in codice regio omissa. *Rhenanus.*

3 *Simulatione iræ.*] Seneca explicat, qui callide hoc ad primam magnamque iram adhibendum suadet, III. De ira, cap. XXXIX. ut *quem non audet lenire, fallat. Simulabit*, inquit, *iram, ut tamquam adjutor, & doloris comes, plus auctoritatis in consiliis habeat: moras nectet, & dum majorem quærit pœnam, præsentem differet.* Ipsa hæc nostra sunt, & moniti illius clarum hic exemplum. *Lipsius.*

4 *Vacationes.*] De his militarium operum vacationibus Justinus capiendus fuit libro XXXVII. *Hieme deinde imminente, non in convivio, sed in campo, non in vacationibus, sed in exercitationibus, nec inter sodales, sed inter æquales, aut equo aut cursu aut viribus contendebat.* Nec acutissimum Palmerium audire amicus meus debuit *Vocationes* substituentem, & invitationes interpretantem. Imo vero has militares Vacationes intelligit, & recte proprieque Exercitationibus opponit. Tacitus libro 1. Annal. *Vacationes munerum* appellat. & iisdem verbis Quinctilianus pro Milite: *Transeo oblatam*

rius miles, [1] ut tributum annuum [2] pendebat. Quarta pars manipuli sparsa per commeatus, aut in ipsis castris vaga, dum mercedem centurioni exsolveret, neque modum oneris quisquam, neque genus quæstus pensi habebat. per latrocinia & raptus, aut servilibus ministeriis, militare otium redimebant. Tum locupletissimus quisque miles, labore ac sævitia fatigari, donec vacationem emeret. ubi sumptibus exhaustus, [3] socordia insuper elanguerat, inops pro locuplete, & iners pro strenuo, in

*tam nolenti munerum vacationem, & blandius quam militiæ disciplina postulat adulatum militi Tribunum: imperatas asperrimas expeditiones, ut remitterentur.* Talem vacationem & Livius intellexit lib. VII. de cohortibus Hernicorum, *Immunes quoque operum militarium erant, ut in unum pugnæ laborem reservati plus quam pro virili parte adnitendum scirent.* Lipsius.

*Vacationes præstari centurionibus.*] Non erant hæ militiæ vacationes, sed largitiones pecuniæ ob spectatam per multos annos fidem. illam vero pecuniam honoris causa milites singuli primum tribuebant, quam post Othonem ex fisco imperatoris exsolvi solenne fuit. Quod hic locus aperte docet, eo usque, *Laco præfectus.* Sane de hujusmodi vacationibus idem Cornel. intellexerit libro 1. Ann. ubi milites indiscretis vocibus, inquit, *pretia vacationum, angustias stipendii* &c. incusant. *Vertranius.* Male Vertranius. Erat hæc vacatio non solum temporanea, sed & particularis, non quidem ab universa militia eximens, sed tantum à quibusdam militiæ muneribus, & hæc a Centurionibus obtinebatur, certa pecunia illis persoluta; nam sicuti duces tribunis, ita tribuni centurionibus, & hi gregario militi, seu manipularibus imperabant. Hinc eveniebat, ut Centuriones milites quosque locupletissimos labore ac sævitia fatigarent, donec vacationem emerent, unde factum, ut miles redemta laborum temporanea vacatione hujusmodi a Centurione suo sumptu exhauriretur. Adde l. 1. Ann. Quamobrem Otho ex fisco suo vacationes annuas exoluturum promisit. Quod pariter factum a Vitellio. Marc. Donatus. *Vacationes*, id est, pretia vacationum. Sic enim vocat 1. Ann. *mox indiscretis vocibus pretia vacationum incusant.* *Vacationum* cujus rei? munerum. Sic enim alibi loquitur, *hinc vacationes munerum redimi.* ut *vacationes* hoc & aliis locis idem sint quod pretia vacationum munerum. Gregarius enim miles severitate disciplinæ ad complura adigebatur ministeria servilia in castris quæ 1. Ann. vocat *munera*, ut jam diximus, & Vegetius (2, 19) *munia*; ut in pabuli, materiæ, lignorum aggestu, & si qua alia ex necessitate &c. Segniter & negligenter agentes centurio plagis excipiebat aliove modo rigide plectendos dabat. Tac. 1. Ann. *fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat Centurio Lucillius*; ut in omnibus seditionibus in centuriones præcipue sævierint ex odio gregarii milites. In Germanorum seditione sub initium Tiberii, intra sese prius querulii velut irarum stimulos acuebant, *venisse tempus quo cuncti modum miseriarum exposcerent, sævitiamque centurionum ulciscerentur* &c. Jam illi, quibus facultas erat, milites pecunia redimebant à centurionibus munerum vacationem. *Savilius.*

1 *Ut tributum annuum pendebat.*] Nihil post hæc addendum, aut sequentibus præponendum, etiamsi lib. vett. inserunt *quarta.* quæ vox fallor, aut à nasuto aliquo huc translata ex illo inferius loco, *qui remissam sibi à Galba quartam partem tributorum.* Tota certe orationis concinnitas vitiatur, si alterutram Lipsii conjecturarum admittas. *Acidalius.* Et hoc in juniorum gratiam adnotabo, gregarios milites, alio vocabulo, Munifices appellari. Veget. 2. 7. *Munifices appellantur, qui munus facere coguntur.* Pomp. Festus. *Beneficiarii dicuntur milites, qui vacant muneris beneficio: è contrario Munifices vocantur, qui non vacant, sed munus Reip. faciunt.* Iisque oppositi sunt, Immunes, qui ab omnibus operibus muneribusque vacabant, ut Beneficiarii. Ammian. libro 25. *Portio pultis paratatur exigua, etiam munifici fastidienda gregario* Vide latius Lipsium de mil. Rom. 5. dial. 6. *Pichena.*

2 *Pendebat. Pars manipulis.*] Libris veteribus vox inseritur, *pendebat quarta pars.* Numquid, *pendebat quartam?* ut velit in hoc tributum quartam stipendii partem erogatam? an magis Pichenam audimus? *Quarta pars manipuli sparsa per commeatus.* Audio, audio, & nihil melius veriusve. *Lipsius.*

*Pars manipulis, pars per commeatus.*] Auctior hic Florent. *quarta pars manipulis.* An intelligit, quartam militum partem commeatibus & vacationibus, à castris abfuisse, corrupto illius militiæ more? Ita ex his Taciti verbis, quamvis corruptis, conjici videtur. quæ fortasse ita restituas: *Quarta pars manipuli sparsa per commeatus.* Nihil tamen affirmare ausim. *Pichena.* Lectionem hanc ingenio Pichenæ & ope Msc. Flor. ut. Tacito restitutam merito jure prætulimus ei monstro, quod alias editt. inquinat. *Pars manipulis, pars per commeatus* &c. *Fronshemius.*

3 *Socordia miser elanguerat.*] Mallem, *misere*, pro

in manipulum redibat: ac rursus alius atque alius, eadem egestate ac licentia corrupti, ad seditiones & discordias, & ad extremum, bella civilia ruebant. Sed Otho, ne vulgi largitione, centurionum animos averteret, [1] *fiscum suum vacationes annuas exsoluturum* promisit: rem haud dubie utilem, & à bonis postea principibus, perpetuitate disciplinæ firmatam. Laco præfectus, [2] tamquam in insulam seponeretur, ab evocato, quem ad cædem ejus Otho præmiserat, confossus. In Martianum Icelum, [3] ut in libertum, palam animadversum. Exacto per scelera+7 die, novissimum malorum fuit lætitia. [4] Vocat senatum prætor urbanus. certant adulationibus ceteri magistratus. Accurrunt patres, [5] decernitur Othoni *tribunicia potestas*, *& nomen Augusti*, [6] *& omnes principum honores*, annitentibus cunctis abolere

pro *miser*: aut cum Pichena, *insuper*. Lipsius.

*Socordia insuper elanguerat.*] Vulgo, *socordia miser*. Restitui, *insuper*, quia Florent. habet, *in* ſ' nam sæpissime in eodem MSc. invenias S'pro, *super*. Pichena. Perperam hæc compendiosa nota transfertur ita sub aspectum publicum: est enim clarissima ʒ, de qua actum 11. an. 38. Mox recepi, quod ibidem legitur *seditiones*, ut cap. 38. *Seditionibus & ambitioso imperio læti*, non *seditionem*. Jac. Gronovius.

1 *Ex fisco suo.*] Omnia ista, quæ huc confert de voce ista Savilius, nihil ad Tacitum, & Latinis bene cognita, unde omisi. Cæterum non debet præteriri, quod proposuit etiam Ryckius, in MS. Mediceo legi *& fiscum suum*, quod præferri meretur Beroaldinæ inventioni, quæ petita est ex cap. 58, ubi Vitellius vacationes *ex fisco* numerare scribitur. Hæc sedes & origo vulgatæ lectionis. Sed longe debet anteponi alterum, utpote non modo vere vetus & genuinum, fed & opinor electum ab auctore, tanquam magnificentius huic novo Principi jam pro dignitate loquenti, modo ipsius egestatis suboli. Dejeci τὸ *et* ut non necessarium & vane iteratum. *Jac. Gronovius.*

2 *Tanquam in insulam seponeretur.*] Fortasse in insulam Otho seponere Laconem simulavit, ad declinandam invidiam, aut ne militum animi alienarentur. *Pichena.*

3 *Ut in libertum* &c.] Non hoc odio Galbæ factum, quod Icelus ejus libertus fuisset, sed quod esset libertini generis, ideo non in carcere, ut de ingenuis retuli ad lib. Ann. sed publice necatus est. At aliquis fortasse quæret, ex quo fonte mores tam diversi prodirent? scil. constat jure civili gravius cum servis, quam cum libertis actum, & inter hos melioris conditionis ingenuos usquequaque & deterioris libertinos semper fuisse. *Vertranius.* In ingenuos cæde plerumque clandestina sævitum; *servi*, aut *libertini generis* publice suppliciis affecti. Sic Asiaticus, Vitellio gratus, è medio sublatus est, cum Vespasianus principatum adeptus esset. 4. histor. 11. *Savilius.*

4 *Vocat Senatum Prætor urbanus.*] Uterque enim Consul cæsus erat. Atque tali casu, aut alioquin illis absentibus, jus vocandi Senatum pertinebat ad Prætorem urbanum. Cicer. ad fam. 10. ep. 12. *Placuit nobis ut statim ad Cornutum prætorem Urb. literas deferremus: qui quod Coss. aberant, Consulare munus sustinebat more majorum.* Idem.

5 *Decernitur Othoni tribunicia potestas.*] Apud Sueton. 7. patet Othonem interfuisse Senatui. *Vergente jam die ingressus senatum* Otho scil. *Savilius.*

6 *Et omnes Principum honores.*] Tituli quibus præcipue decorari solebat in principatu constitutus, hi erant. 1. *Princeps*, 2. *Imperator*, 3. *Cæsar*, 4. *Augustus*, 5. *Tribunitiæ Potestatis*, 6. *Pater Patriæ*, 7. *Pontifex Maximus.* Tac. 1. Ann. *Augustus cuncta civilibus dissidiis fessa nomine Principis sub imperium accepit.* Et puto hunc *Principis* titulum ex illis ante Principes temporibus derivatum, cum *Princeps Senatus* vocaretur. 2. *Imperator* vox geminæ significationis, sed quam utramque Dio recenset l. 52. ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ, καὶ τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἐπίκλησιν ἐπέθετο (Αὔγουστος) λέγω δὲ οὐ τὴν ἐπὶ ταῖς νίκαις κατὰ τὸ ἀρχαῖον διδομένην ποτὲ, ἀλλὰ τὴν ἑτέραν τὴν τὸ κράτος σημαίνουσαν. i. *hoc anno Augustus adscivit Imperatoris nomen non ea significatione, qua olim post victorias quibusdam tribuebatur, sed qua dominationem notat.* Neque hæc ultima significatio tantum, quæ cum Julio Cæsare incepit A. V. C. 709. & Principatum nullis constrictum legibus notat, sed & altera fuit Imperatorum usitata temporibus, & exprimendo Principis honori adhibita, & privatorum, si qui hunc titulum promeriti fuissent. Tac. 3. Ann. 74 Principis tituli hoc stilo concipiebantur, *Imper. Cæsar Augustus*, *Imp. XVI.* atque ibi quidem vox *Imperator* majestatem Principis, hic τὴν ἐπὶ ταῖς νίκαις notat sive eas ipsi obtinuissent per se, sive delegatorum opera. Sic Nero Romæ subsistens *ob rem bene gestam à Corbulone in Armenia consalutatus Imperator.* Tacit. 13. Ann. 3. *Cæsar* aut ex progenie aut adoptione à Julio

re convicia ac probra, quæ promiscue jacta hæsisse animo ejus nemo sensit. [1] omisisset offensas, an distulisset, brevitate imperii in incerto fuit. Otho cruento adhuc foro, [2] per strages jacentium, in Capitolium atque inde in Palatium vectus, *concedi corpora sepulturæ, cremarique* permisit. [3] Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus, T. Vinium Crispina filia composuere, [4] quæsitis redemptisque capitibus,
48 quæ venalia interfectores servaverant. Piso unum & tricesimum ætatis annum explebat, fama meliore quam fortuna. Fratres ejus [5] Magnum Claudius, Crassum Nero

Cæsare usque ad Neronem, *in quo progenies Cæsarum defecit*, ait Suet. Galba, cæterique nullo gradu contingentes Cæsarum domum appellati Cæsares respectu potius successionis in principatum, quam sanguinis; neque ipsi tantum Principes, sed & filii, & successores designati. 5. Hist. *ejusdem anni principio Cæsar Titus* vivo patre & antea 3 histor. *milites Domitianum Cæsarem consalutant.* Piso hoc lib. *ex quo Cæsar adscitus sum.* 4. *Augusti* nomen regnanti proprium, ab Octavio descendit, cujus notationem Dio adfert lib. 53. *Octavius expetebat Romulus vocari, sed cum hinc suspectum se fieri sentiret invadendi regni, instare desiit, assumpsitque Augusti cognomen, velut jam homine major. Latinis enim pretiosissima & consecrata vocantur Augusta. Græci eum Σεβαστὸν appellant origine vocis à religiose adorandi cultu.* 5. *Tribuniciæ potestatis.* Dio l. 53. *Tribunicia auctoritas Cæsaribus jus dat improbandi quicquid non esset ad libitum* &c. *Et quanquam Tribunatu per se non funguntur Principes, utpote Patritii, quicquid tamen auctoritatis secum fert, adsciscunt, numeratis quoque per eam Imperii annis* (ex gr. *Tribunitiæ potestatis quartum, Tribunit. pot. quintum*, cum designant quartum aut quintum Imperii sui annum) *quasi cum annuo Tribunatu & de novo susciperent totius Imperium.* Tac. 3. Ann. 56. & 1. Ann. 2. Vopiscus in Tac. cap. 1. Quod ad officium Tribuni plebis, sub Imperatorib. nominis potius quam auctoritatis servata vestigia, nisi quod nondum sublatum penitus *intercedendi jus* esset. Tempore Tiberii, *cum præmium accusatori decerneretur, Junius Otho trib. pl. intercessit.* Et Neronis, Rusticus Arulenus flagrans juvenis, & cupidine laudis offerebat se intercessurum SCto, nam pl. tribunus erat. Tacit. 16. Ann. 6. Nomen & honor *Patris Patriæ* Ciceroni obvenerat ex conjuratione Catil. tribuente M. Catone; postea ad Principes transiit, nisi quod modestia quorundam aut juventus defugeret appellationis invidiam. Appian. 2. ἐμφυλ. 7. Dignitas Pontificis Maximi libera rep. sui generis fuit, addita Cæsari, & postquam is invasit remp. tradita successoribus: sed postea, ex occasione de hac materia agemus. Præter hæc honorum vocabula Principibus adscribi solita, aliæ dignitatum prærogativæ in Augustum collatæ, primosque Cæsares diversis temporib. & prout res flagitaret, in unum redactæ decretum primis Senatus Comitiis concedebantur Principi cum ad imperium pervenisset, ut 8. *Imperium Proconsulare*, 9. *jus relationis* consulatum scil. non gerenti, & quod supra omnes leges esset. 10. *legibus solvi.* Dio libro 53. Vopiscus in Probo 12. *Savilius.*

1 *Omisisset offensas an distulisset.*] Inseruimus hic vocem *tot*, & quia Budense exemplar habet *omisisse*, nos fecimus etiam *distulisse.* quæ lectio stare potest, si quis subaudiat *eum.* non displicet tamen, quod est in contextu. *Rhenanus.* Muretus, *tot*, delet, & ego facile patior. *Acidalius.* Inseruit Rhenanus vocem, *tot offensas*, præter librorum mentem. Erroris causa fuit; quod in Flor. corrupte legitur, *omisisse tot sensas.* Venetus etiam eandem emendationem asserit. *Pichena.*

2 *Per strages jacentium* &c. *concedi corpora sepulturæ, cremarique permisit.*] Mur. *stragem*, quod nec improbo, nec probo. Ceterum inconcinne dictum videtur, *concedi permisit.* Acidalius.

3 *Pisonem Verania.*] Plutarchum hinc emendemus in eadem ista re: Τὴν δὲ Πείσωνος (κεφαλὴν) ἡ γυνὴ ἔλαβεν ἡ κρανία δεηθεῖσα. & scribamus, Οὐερανία δεηθεῖσα. ut interpretes aliquando nubecula ista liberentur. Nam Verania est, quæ precibus caput mariti abstulit. De hac Plinius lib. 11. epistola ultima: *Verania Pisonis graviter jacebat, Pisonis dico illius quem Galba adoptavit.* Lipsius.

4 *Quæsitis redemptisque capitibus.*] Crispina Patris sui redemit decem millibus sestertium id est 78. l. 2. sch. 6. d. Plutarch. *Savilius.*

5 *Magnum Claudius, Crassum Nero.*] Atqui Seneca in Menippea, etiam Crassum videtur adserere à Claudio interfectum. *Occidit*, inquit, *in una domo Crassum, Magnum, Scriboniam, Assarionem, nobiles tamen: Crassum vero tam fatuum, ut regnare posset.* Lipsius.

*Crassum Nero.*] Accusante Regulo. Huc enim illa Plinii faciunt, lib. 1. epist. v. *Quid tibi cum mortuis? numquid ego aut Crasso aut Camerino molestus sum? quos ille* (Regulus) *sub Nerone accusaverat.* Idem.

*Magnum Claudius, Crassum Nero, interfecerant.*] Sic ex Flor. verius, quam vulgo *interfecerat.* Pichena.

1 *Adi*

Nero interfecerant. Ipse diu exsul, quatriduo Cæsar, properata adoptione [1] ad hoc tantum majori fratri prælatus est, ut prior occideretur. T. Vinius [2] quinquaginta septem annos variis moribus egit. [3] Pater illi è prætoria familia, [4] maternus avus è proscriptis. Prima militia infamis, [5] legatum Calvisium Sabinum habuerat: [6] cujus uxor, mala cupidine visendi situm castrorum, per noctem militari habitu ingressa, cum vigilias & cetera militiæ munia [7] eadem lascivia temerasset, [8] in ipsis principiis stuprum ausa, & criminis hujus reus T. Vinius arguebatur. Igitur jussu C. Cæsaris oneratus catenis; mox mutatione temporum dimissus, cursu honorum inoffenso, legioni post præturam præpositus, probatusque; servili deinceps probro respersus est, tamquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus: & Claudius postera die soli omnium Vinio fictilibus ministrari jussit. Sed Vinius [9] proconsulatu Galliam Narbonensem severe integreque rexit. mox Galbæ amicitia in abruptum tractus, [10] audax, callidus, promptus, & prout animum intendisset, pravus aut in-

1 *Adhac tantum majori fratri prelatus est.*] Nos, *ad hoc.* Rhenanus.

2 *Quinquaginta septem.*] Id quum invenissem in MS. Mediceo, miris modis me commovebat & ratio Beroaldi substituentis numeros XLVII & Pichenæ ista taciturna tolerantis, quum hinc appareret non fuisse autorem nostrum numeris usum; nec suppressæ sunt omnes scintillæ, unde iste temporis cumulus possit colligi, ad quàm rem se accinxit Ryckius. *Jac. Gronovius.*

3 *Pater illi e familia pretoria.*] Sic 12. ann. 1. *Ælia Patina e familia Tuberonum.* Et lib. 15. *Cornelia ex familia Cossorum*, quomodo & sæpius potuit efferre. Sed hic locus in MS. Mediceo non habebat præpositionem, ut 4 h. 13. *Claudius Civilis regia stirpe.* Mox cap. 52. *Virginium equestri familia.* Idem.

4 *Maternus avus è proscriptis.*] Ego censuissem, Paternum. Nam reperio in Dione T. Vinium proscriptum à Triumviris, & mira fide atque astu ab uxore Tanusia servatum lib. 47. Fieri autem potest, ut hujus avi etsi materni nomen sumpserit, testamento an adoptione. *Lipsius.*

*E proscriptis.*] Scil. ab Octavio, Antonio, Lepido, triumviris reip. perdendæ. *Savilius.*

5 *Legatum Calvisium Sabinum habuerat.*] De quo Seneca ep. 27. *Savilius.* Id est sub eo legato militaverat. *Pichena.*

6 *Cujus uxor mala cupidine.*] Historiola hæc apud Dionem, in rebus Caii. Καλουίσιος δὲ Σαβῖνος ἔν τε τοῖς πρώτοις τῆς βουλῆς ὤν, καὶ τότε ἐκ τῆς ἐν τῇ Παννονίᾳ ἀρχῆς ἀφιγμένος, ὅτι γυνὴ αὐτοῦ Κορνηλία γραφεῖσα (καὶ γὰρ ἐκείνη τάς φυλακάς τε ἐφοδεύουσα, καὶ τοὺς στρατιώτας ἀσκοῦντας ἰδοῦσα αἰτίαν εἶχεν) οὐχ ὑπέμειναν τὴν κρίσιν; ἀλλ' ἑαυτοὺς προαπώλεσαν. *Calvisius autem Sabinus inter Senatorum primos & recens à Prefectura Pannonie, unaque uxor ejus Cornelia accusati (crimini huic dabatur vigilias circumivisse, & milites exercentes inspectasse) non exspectata sententia seipsos interfecerunt.* Lipsius.

7 *Eadem lascivia tentasset.*] Regius codex, *temperasset.* ex quo Rhenanus, *temerasset.* Idem.

*Eadem lascivia temperasset.*] Liber manuscriptus, *temperasset*, forte legendum *temerasset.* Mox abest illi ablativus *jussa* fortassis omissus per incuriam librarii. *Rhenanus.* Legendum conjecit Rhenanus ex Regio Codice, *eadem lascivia temerasset*, alii editores *ead. lasc. tentassent.* nos illud ut aptius & magis apposite dictum antehabuimus. *Freinshemius.*

8 *In ipsis principiis.*] Plutarchus expressit, ἐν διέφθειρεν ἐν τοῖς ἀρχείοις ἃ πραίτωρια Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Principia autem sacra, quia in iis aquilæ & signa, id est, dii militares. Sententiam ex eadem re Quinctilianus petiit, pro Milite. *Sed neque hoc Mars parens, nec signa militaria aquilaque victrices sinant, ut tua quoque sententia quisquam vir & Romanus & miles, nimium pudicus sit, apud quem ante principia agendum est.* Hæc Principia Statius, etsi in re Græca, circumscribit libro 10.

*Ventum ad concilii penetrale, domumque verendam Signorum.* Lipsius.

*In ipsis principiis.*] Principia locus in castris ubi aquila & insignia. *Savilius.*

9 *Proconsulatu, Galliam Narbonensem severe integreque rexit.*] Mur. *proconsul Gallia.* Non mutem vulgatum, etsi neque hoc spreverim. *Acidalius.*

10 *Audax, callidus, promptus.*] Hæc jungit, utrum quia debent coire & vicina sunt, an quia vere ei singula ista tria inerant, ut cap. 25, *Postquam vario sermone callidos audacesque cognovit.* Alioquin quomodo callidus, qui patitur se trahi in abruptum, ut modo testatus fuit? Etiam prior & posterior indoles est ejus generis, ut ipsæ postulent jungi, & mediam elidant velintque vel primam vel postremam poni. Quid quæris, mi lector? In illo præstantissimo exemplari Mediceo exhibetur clare *calido*, ut egregie cognoscas non modo tria distincta, sed & ordinis. Nam certe

 etiam

industrius, eadem vi. Testamentum T. Vinii magnitudine opum irritum. Pisonis
49 supremam voluntatem paupertas firmavit. Galbæ corpus diu neglectum, & licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, [1] dispensator Argius, [2] è prioribus servis, [3] humili sepultura in privatis ejus hortis contexit. Caput per [4] lixas [5] calonesque suffixum, laceratumque ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis punitus à Galba fuerat) postera demum die repertum, & cremato jam corpori admixtum est. Hunc exitum habuit Ser. Galba [6] tribus & septuaginta annis, quinque principes prospera fortuna emensus, & alieno imperio felicior, quam suo. Vetus in familia nobilitas, magnæ opes. ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus. Famæ nec incuriosus, nec venditator. [7] Pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicæ avarus. Amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens: si mali forent, [8] usque ad culpam ignarus. Sed claritas natalium, & [9] metus temporum obtentui, ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur. Dum vigebat ætas, militari laude [10] apud Germanias floruit. [11] Pro-

con-

etiam ex restitutione paterna Livius 35, 32. jungit *calida & audacia*, quem vide. Similiter noster nunc hæc ejus præcipua, tria tamen, totidem affinibus vocabulis extulit; neque aliter sentio de altero loco. Hoc tam suave & eximium noluerunt tangere aut Pichena aut Ryckius. Itaque reddidi Tacito suum. *Jac. Gronovius.*

1 *Dispensator Argius* &c.] Dispensatores dicebantur a pecunia dispensanda, quales hodie in nobilium domibus vulgo *Argentarii* dicuntur. Meminit Plinius 3, 11. Atque Justinianus in tractatu Pandectarum de statuliberis, dispensatorem servum dignum libertate, si diligenter tractaverit dominicas rationes. *Lupanus.*

2 *E prioribus servis.*] Forte *servis primoribus* si quid video. Servorum enim alii primores, alii mediastini. Primorum apud Tacitum mentio 4. Ann. *Lygdus ætate atque forma carus domino: interque primores ministros erat.* Dispensatores autem loco fuisse digniore ex Sueton. apparet Ner. 44. *Certum dominis servorum numerum indixit* (Nero) *nec nisi ex tota cujusque familia probatissimos, ne dispensatoribus quidem aut amanuensibus exceptis, recepit.* Savilius. Faërnus recte ex V. C. restituebat, *è primoribus servis.* Ursinus. Savilius corrigit, *è primoribus.* Pichena. Ingeniose quidem, qui substituitum eunt, *primoribus*, sed quod pace eorum liceat, retinuerim hactenus vulgatum: vocat enim, *servos priores*, quibus dominus Galba, fuerat ante imperium, adhuc privatus, *Gruterus.*

3 *Humili sepultura.*] Τὸ δὲ σῶμα τοῦ Γάλβα Πρίσκος Ἑλβίδιος ἀνείλατο, τοῦ Ὄθωνος ἐπιτρέψαντος, ἔθαψε δὲ νυκτὸς Ἀργεῖος ἀπελεύθερος h. e. *Galbæ cadaver sustulit Helvidius Priscus, & terra mandavit noctu libertus ejus Argius, mandante Othone.* Plutarch. *Savil.*

4 *Lixæ.*] Qui extra ordinem sine armis exercitum sequuntur quæstus gratia. Polyb. Festus. *Savilius.*

5 *Calones.*] Militum servi, sic dicti, quod post dominos baculos gestarent, Græcis κᾶλα. Servius, Festus. *Idem.*

6 *Tribus & septuaginta annis.*] Natus erat Galba referente Sueton. 4. Messala & Lentulo Coss. 9. Calendas Jan. anno ab Urbe condita 751. Occisus 822. 18. Cal. Feb. ut Galba vixerit tres & viginti tantum dies supra annos septuaginta. Suetonius tamen duobus aut tribus locis cum Tacito sentit. Solus Xiphilin. habet 72. & cum illis facit qui numerum annorum augent. *Savilius.* Sic interpunge: *Hunc exitum habuit Ser. Galba, tribus & septuag. annis, quinque.* &c. *Acidalius.*

7 *Pecuniæ alienæ non appetens.*] Contrarium dixit Sallustius in Catil. *alieni appetens, sui profusus.* & Plin. 8. ep. 6. *homo est alieni abstinentissimus, sui diligens.* Hunc Taciti locum imitatus est Sidon. Apollinaris 3. ep. 5. *Vir alieni non appetens, sui parcus.* Pichena.

8 *Usque ad culpam ignarus. Sed claritas natalium & metus temporum obtinuit.*] Pro verbo *obtinuit*, nos posuimus dativum *obtentui*, subauditur autem, *fuit*. Habet hoc vocabulum & aliis in locis in usu. lib. 12. *Cupido auri immensa obtentum habebat; quasi subsidium regno pararetur.* lib. 2. Hist. *Deletæque omnes copiæ forent, ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis, obtentui fugientibus.* Rhenanus. Sensus vult, *ignavus.* & sequentia illa confirmant. Ubi miror judicium Lipsii, quod veterem scripturam, *obtinuit*, veriorem censet, quam Rhenani emendationem, *obtentui*. At Rhenanus, si quid unquam bene in Tacito, hoc certe optime correxit, & phrasin hanc Taciti quisquis agnoscit, aliter non judicabit. *Acidalius.*

9 *Metus temporum obtentui.*] A Rhenano est. lib. scripti, *obtinuit*: quod verius hic puto. *Lipsius.*

10 *Apud Germanias.*] Dio lib. 60. τούτῳ τῷ ἔτει (qui Claudio principatum inchoaverat) ὁ Γάλβας ὁ Σουλπίκιος Χάττους ἐνίκησε. i. eo anno *Sulpitius Galba Cattos vicit.* Savilius.

11 *Pro-*

consule Africam moderate; jam senior, citeriorem Hispaniam pari justitia continuit, major privato visus, dum privatus fuit, & [1] omnium consensu capax imperii, nisi imperasset. Trepidam urbem, ac simul atrocitatem recentis sceleris, simulq; 50
veteres Othonis mores paventem, novus insuper *de Vitellio* nuntius exterruit, ante cædem Galbæ suppressus, ut tantum superioris Germaniæ exercitum descivisse crederetur. Tum [2] *duos omnium mortalium impudicitia, ignavia, luxuria deterrimos,* [3] *velut ad perdendum imperium fataliter electos*, non senatus modo & eques, quis aliqua pars & cura reipublicæ, sed [4] vulgus quoque palam mœrere. Nec jam recentia sævæ pacis exempla, sed repetita bellorum civilium memoria, [5] *captam toties suis exercitibus urbem, vastitatem Italiæ, direptiones provinciarum, Pharsaliam, Philippos, & Perusiam ac Mutinam*, [6] nota publicarum cladium nomina, loquebantur. *Prope eversum orbem, etiam cum de principatu inter bonos certaretur. sed mansisse C. Julio, mansisse Cæsare Augusto victore imperium;* [7] *mansuram fuisse sub Pompejo Brutoque rempublicam. Nunc pro Othone, an pro Vitellio, in templa ituros? Utrasque impias preces, utraque detestanda vota, inter duos, quorum bello solum id scires,* [8] *deterio-*

rio-

11 *Proconsul Africam.*] Ut supra alias, ita hic in Flor. legitur, *proconsule*, neque aliter per totum librum. *Pichena.*

1 *Omnium consensu.*] Ausonius:

*Spem frustrate senex, privatus sceptra mereri*
*Visus es; imperio proditus inferior.*
*Fama tibi melior juveni: sed justior ordo est;*
*Complacuisse dehinc, displicuisse prius.*

Savilius.

2 *Duos mortalium deterrimos.*] Otho & Vitellius hic pares bono Principi ex adverso consistunt; 2. hist. ut impares sibi invicem opponuntur cum distinctionis nota. *Vitellii ignavæ voluptates, Othonis flagrantissimæ libidines. Vitellius ventre & gula sibi ipsi hostis: Otho luxu sævitia, audacia, reip. exitiosior ducebatur.* Illic nequitia habitabat torpida penitus virtute, hic audaciæ stimulis exarsit. *Savilius.*

3 *Velut ad perdendum imperium.*] Emendavimus, *ad partiendum imp.* Rhenanus.

*Velut ad perdendum imperium.*] Ita libri flagitant, ita sententia. Beatus tamen. Nos, inquit, *ad partiendum*, emendavimus. *Lipsius.*

4 *Vulgus quoque palam mœrere.*] Tac. *Vulgus & magnitudine nimia curarum expers populus*; & tamen non ubique *expers*, ut hinc colligitur, ne quidem curarum remp. spectantium: *plebs, cui unica ex rep. annonæ cura*, inquit alibi. *Savilius.*

5 *Suis civibus urbem.*] Præfero quod in scriptis, *suis exercitibus*. Lipsius.

*Captam toties suis exercitibus urbem.*] Codex regis Corvini habet, *captam quotiens*. Nos indidem pro *exercitibus*, scripsimus, *civibus*. Rhenanus. Etiam Flor. ac Ven. consentiunt in voce *exercitibus*, ut de aliis libris testatur Lipsius. Illam ergo restitui, ac vocem, *civibus*, delevi, suppositam à Rhenano. cui utinam facultas fuisset conferendi potius hunc nostrum, quam suum Budensem, ex quo ille in Tac. multa depravavit. *Pichena.*

6 *Nota publicarum cladium nomina.*] In Pharsalia Pompejum vicit Cæsar A. V. C. 706. In Philippicis Octavius & Antonius Brutum & Cassium, A. V. C. 712. In bello Perusino Octavius arma gessit adversus Antonium & Fulviam. A. V. C. 713. apud Mutinam Consules Hirtius & Pansa cum M. Antonio hostiliter congressi sunt Anno. 710. *Savilius.*

7 *Mansurum fuisse sub Pompejo Brutoque imperium.*] De Bruto nihil est quod me dubitare patiatur, fido prorsus libertatis oppressæ vindice. De Pompejo plura mihi non permittunt idem judicium, quæ in contrariam potius sententiam impellunt, præeunte quoque Tacito 2. hist. *Mox è plebe infima C. Marius, & nobilium sævissimus L. Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt, post quos Cn. Pompejus occultior, non melior.* Salustius apud Sueton. lib. de clar. Gramm. *Pompeius oris probi, animo inverecundo.* Appianus 2. ἐμφυλ. commemorat, quæ Pompejo, eatenus non solito dissimulanter agere, exciderant verba paulo ante commissos in acie Pharsalica exercitus. Hoc & Tullii judicium est in literis ad Att quod à viro publicis negotiis exercitato & in re præsenti profectum, omni nobis exceptione majus esse debet l. 8. ep. 11. *Neutri σκοπὸς est ille, ut nos beati simus, uterque regnare vult*: de Pompejo & Cæsare l. 9. ep. 6. *Mirandum in modum Cneius noster Sullani regni similitudinem concupivit.* εἰδὼς σοι λέγω. id est: *certus hoc tibi affirmo*: l. 7, 5. *Ex victoria tam multa mala, tum certe tyrannis existet*, Idem.

8 *Deteriorem fore.*] Æquata enim prius scelerum fama, ipsa victoriæ licentia valeret in augenda victoris flagitia. *Victoria etiam egregios duces insolescere* ait Tacitus alibi. *Idem.*

1 So-

*riorem fore qui vicisset.* Erant qui Vespasianum & arma Orientis augurarentur. &, ut potior utroque Vespasianus, ita bellum aliud, atque alias clades horrebant. Et ambigua de Vespasiano fama: [1] solusque omnium ante se principum, [2] in melius
51 mutatus est. Nunc initia caussasque motus Vitelliani expediam. [3] Cæso cum omnibus copiis Julio Vindice, ferox præda gloriaque exercitus, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset, [4] expeditionem & aciem, præmia quam stipendia malebat: [5] diuque infructuosam & asperam militiam toleraverat, [6] ingenio loci cælique, & severitate disciplinæ; quam in pace inexorabilem discordiæ civium resolvunt, paratis utrimque corruptoribus, & perfidia impunita. Viri, arma, [7] equi, ad usum & ad decus supererant. Sed [8] ante bellum, [9] centurias tan-

tum

1 *Solusque omnium.*] Post eum & filius Titus sic mutatus. Sueton. Tit. 6. *Titus amor ac deliciæ generis humani: tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii, vel artis, vel fortunæ superfuit* &c. *Idem.*

2 *In melius mutatus.*] Imitatus hoc palam Ausonius, de eodem Vespasiano:

*Olim qui dubiam, privato in tempore, famam*
*Par aliis Princeps, transtulit in melius.*

Suetonium vide. *Lipsius.*

3 *Cæso* &c.] Exercitus *ex re ipsa atque opere exercitii nomen accepit.* Veget. 2, 1. Et sic Tac. ex proprietate locutus videtur, nomine ad Exercitatos tantum milites restricto, rudes illos Vindicis neque bellis assuetos, appellans *Copias*; cum utrique tamen generi significando ea vox adhiberi soleat. 1. Hist. *Ægyptum copiasque quibus coërceretur*, cum duas legiones ibi relictas designaret. Præter hunc usum, apud Tac. quoque vox *Copia* significat etiam ad victum pertinentia. 3. hist. *ut specie parandarum copiarum civili præda miles imbueretur.* Et, *Lixas, calonesque Bedriacum mittit, copias cæteraque usui allaturos.* Et cap. 6. *tuto copiarum aggestu.* Et 4. hist. 35. Et hoc lib. *privatis & promiscuis copiis juvere militem.* *Idem.*

4 *Expeditionem & aciem.*] Non temere mutem, & elicio sententiam etiam ex hac scriptura. Tamen haud paullo clarior Antithesis videatur, si legas, *expeditionem quam otium.* Idem.

*Expeditionem & aciem, præmia quam stipendia malebat.*] Ut captarum urbium spolia aut provinciarum, donativa, aliudve liberalitatis extra ordinem genus. *Savilius.* Non mutat Lipsius pro sua modestia; sed omnino mutandum, ut conjecit, *expeditionem, quam otium.* In sequentib. deleta copula, velut novam comprehensionem Muretus orditur. malebat: *Diu infructuosam & asperam.* Id non adeo necesse. Quid si *præmia* capias *prædam?* quod exemplis tamen firmandum. *Acidalius.* Ille prompti & amœni ingenii Dominicus Baudius ad oram codicis sui, quem videre mihi contigit in incomparabilis Heinsii ditissima Bibliotheca, notat nobilissimum Rutgersium legere: *pretia quam stipendia malebat*: idque omnino probat. At si attendas ad ea, quæ proxime antecedunt: *Cæso cum omnibus copiis Julio* &c. non dubitabis, quin legendum sit, *prædam quam stipendia malebat.* Nam, ut jam dixit, erat ferox præda exercitus, ac ideo ejus nunc quoque avidus. Reddi enim quisque ac denuo offerri sibi cupit, per quæ jam ante profecit. *Boxhornius.* Quasi *præmia* non sint interdum idem quod prædæ. Diximus ad Livii epitomen 89. *Gronovius.*

5 *Diuque infr. & asp. mil. toleraverat.*] Hæc est libido Beroaldi, non Taciti, quippe de quo sic testatur veterrimus codex illud *que* esse incondite allitum, & ipsum scripsisse *toleraverant.* Hoc enim utrumque Florentiæ vidi. Quem igitur non horror invadit, animadvertentem quo consensu viri docti in falso delectentur, & junctam velint orationem habere, quam auctor divisit? Quam pulchre enim leges! *stipendia malebat. Diu infructuosam & asperam militiam toleraverant.* Jac. Gronovius.

6 *Ingenio loci cælique.*] 2. Hist. *Germanica hiberna cælo ac laboribus dura.* Savilius.

7 *Ad usum & ad decus.*] Id est, arma, equi, iis suppetebant, non ad necessitatem modo sed & ornatum. Tale est quod iisdem infra tribuit, *baltheos & faleras insigniaque armorum argento decora.* Tamen libri quidam *dedecus*: ex quibus alii scribendum, *ad abusum & ad dedecus*, censuerunt. ut mea mens est, procul a Taciti mente, &

*Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.*

Lipsius.

*Equi ad usum & ad decus supererant.*] In codice Regis Corvini legitur, *ad dedecus.* Itaque suspicor scribendum *ad abusum*, nisi quis malit, *abusui.* Id exposcit sensus. Paratis utrinque corruptoribus, & perfidia impunita, viri, arma, equi, ad abusum, & ad dedecus supererant. *Rhenanus.* Scriptum oportuit, *ad abusum & ad dedecus supererant*, uti fere in Corviniano exemplari est, Beatoque placet, & filum orationis arguit. *Vertran.*

8 *Ante bellum.*] Adversus Vindicem. *Savilius.*

9 *Centurias tantum suas turmasque noverant.*] Budense volumen non habet *turmas*, sed tantum, *suasque.* Forte legendum. *Sed ante bellum centurias*

tum suas turmasque noverant; exercitus [1] finibus provinciarum discernebantur: tum adversus Vindicem contractæ legiones, seque & Gallias expertæ, quærere rursus arma, novasque discordias: [2] nec *socios* ut olim, sed *hostes* & *victos* vocabant. Nec deerat pars Galliarum quæ Rhenum accolit, easdem partes secuta, ac tum acerrima instigatrix adversus *Galbianos*. [3] hoc enim nomen fastidito Vindice indiderant. Igitur Sequanis Æduisque, ac deinde prout opulentia civitatibus erat, infensi, expugnationes urbium, populationes agrorum, raptus penatium hauserunt animo: [4] super avaritiam & arrogantiam, præcipua validiorum vitia, contumacia Gallorum irritati, [5] qui *remissam sibi à Galba quartam tributorum partem*, & [6] *publice donatos in ignominiam exercitus* jactabant. Accessit callide vulgatum, temere creditum, [7] *decumari legiones*, & *promptissimum quemque centurionum dimitti.* undique atro-

*turias tantum suas quisque noverant.* Aut distingue: *centurias tantum, suasque noverant.* Et expone, centurias tantum noverant, sed suas. *Rhenanus.* Sic distingue; *turmasque noverant exercitus: finibus provinciarum* &c. *Acidalius*

1 *Finibus provinciarum discernebantur.*] Substiterunt ergo ibi (quantum mihi constat) in bello adversus Vindicem ubi superior tantum exercitus præsens fuit ex consensu omnium scriptorum, imo & ipsius passim Taciti. *Savilius.*

2 *Nec socios.*] Gallos nempe, in quos pugnaverant. *Idem.*

3 *Hoc enim nomen.*] Ita solita plebs, mutare per fastidium & innovare hæc contumeliæ nomina. At Dionysio Gothofredo JC. legendum videbatur, *fatis dato Vindice.* Lipsius.

4 *Super arrogantiam & avaritiam.*] Idem error hic, de quo c. 46. dixi. Nam cum in Florent. scriptum esset, *S'avaritiam*, interpretatum fuit, *secundum avaritiam.* Notavi etiam ad lib. 12, 9. *Pichena.* Retinemus cum libris, *secundum avaritiam.* Nam quæ in Florentino MSC. nota est, æque *secundum* valere possit, quam *super.* præsertim cum optimum habeat sensum: præcipuas causas fuisse arrogantiam & avaritiam; sed accessisse contumaciam quoque Gallorum. ea significatio in his Ciceronis de Off. 2, 3. *Proxime & secundum deos, homines hominibus maxime utiles esse possunt.* Freinshemius. Justissime his se opposuit Ryckius, quem ideo & laudare cogor, & conspectus mei intentione justissimam ejus sententiam electionemque stabilire. De nota vocis *super* dixi ad finem libri undecimi; a qua sane illa, quæ exprimit *secundum*, non abludit multum, sed hoc habet, ut semper exhibeat appositum m. Cæterum in explicatione nimium delirat Freinshemius. Non enim dicit Tacitus præcipuas causas fuisse arrogantiam & avaritiam, sed accessisse contumaciam. Immo mens ejus est; quum vulgo apud alios validiores soleat hæc esse primaria vitiositas, ut peccent per avaritiam & arrogantiam, hos ita irritatos ab contumacia Gallorum, ut in ea fuerit tertius stimulus, & fere talis, ut eos impulerit plus quam avaritia & arrogantia, solita duo alioquin præcipua vitia, quæ validiorem molestum faciant. Sic certe patet longa differentia inter syntaxes, quæ per alterutram præpositionem constituuntur. Nec bene expedivit Ryckius, quum *super* ita notet *præter*, ut etiam plus apponet, quam illa quibus est adnexum. 2. hist. 8. *Cithara & cantus peritus, unde illi super similitudinem oris propior ad fallendum fides.* Hinc vero emendavi, prout legebam in MS. *Jac. Gronovius.*

5 *Qui remissam sibi à Galba.*] Dixit Ann. 11. Galliæ Comatæ liberos & bene meritos populos fœdera & civitatem assecutos: nullum igitur ab illis stipendium exactum. Proinde accipiendum est de cæteris, qui stipendia singulis annis penderent, quique censione res suas profiterentur, ubi libri hujus initio legimus, *Gallia super memoriam Vindicis obligata recenti dono Romanæ civitatis, & in posterum tributi levamento*, id est, remissa Gallis stipendiariis quarta pars tributorum, qua se à Galba publice donatos, in contumeliam exercitus jactabant. *Vertranius.*

6 *Publice donatos.*] Agris, quos Galba Treviris eripuerat, aliisque: *& damno finium perculerat*, ut infra dicit. *Lipsius.*

*Publice.*] Id est, πανδημεὶ. Primores enim Galliæ privilegium illud ante Claudii tempora impetraverant. 1. Ann. *Primores Galliæ fœdera & civitatem Rom. pridem assecuti.* Savilius. Faërnus ex V. C. restituebat. *Et publice civitate Romana donatos.* cum in vulgatis tantum sit, *publica donatos.* Ursinus.

7 *Decumari legiones.*] Olim apud Romanos, si magna exercitus pars signa amisisset, & abjectis armis turpiter profugisset, signiferi & centuriones damnante præfecto ad mortem rapiebantur, atque ex gregario milite pars decima. Exemplum in Livio est, l. 2. Appii Claudii in bello Volscorum, in Dione Augusti & Antonii, l. 49. & in Tacito L. Apronii Proconsulis Africæ, collapsa jam veterum disciplina, Annal. 3. Mo-

atroces nuntii, sinistra ex urbe fama, [1] infensa Lugdunensis colonia, & pertinaci pro Nerone fide fecunda rumoribus. Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipsis castris, odio, metu, & ubi vires suas respexerant, securitate.

52 Sub ipsas superioris anni Kalendas Decembris A. Vitellius inferiorem Germaniam ingressus, hiberna legionum cum cura adierat: redditi plerisque ordines, remissa ignominia, allevatæ notæ: plura ambitione, quædam judicio: [2] in quibus sordem & avaritiam Fonteii Capitonis, adimendis [3] assignandisve militiæ ordinibus, integre mutaverat. Nec consularis legati mensura, sed in majus omnia accipiebantur. [4] Et Vitellius apud severos humilis. Ita comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine judicio donaret sua, largiretur aliena. Simul

[1] avi-

dum describit Polybius lib. 6, 36. Neque huic tantum pœnæ eos obnoxios reddidit λειποταξία & ὁπλοῤῥιψία i. quod *ordines deseruissent, armaque abjecissent*, sed & seditio. Scipio in Hispania bello Punico secundo (cujus etiam rei exempla consecutis exstant temporibus, cum penitus eviluisset militaris disciplinæ auctoritas) Cæsar Placentiæ revocarunt obliteratum pene morem, & Antonius Brundusii Liv. 28. Appianus 2. & 3. ἐμφυλ. Dio l. 43. *Savilius.*

1 *Infensa Lugdunensis colonia.*] Senatus metuens, ne Lepidus & Plancus, à se in Italiam exciti, proditis suis partibus ad Antonium deficerent, in Gallia eos subsistere jusserat, qui condiderunt Coloniam Lugdunensem ad confluentes Rhodani & Saonæ, recipiendis, quos Allobroges antea Vienna expulerant. Dio l. 46. Postquam autem sub Nerone Lugdunum conflagrasset, *hanc cladem*, inquit Tacitus 16. Ann. *quadragies HS.* id est, 3125. libb. Anglicanæ monetæ, solatus est Princeps, ut sui in Neronem studii justas haberent causas, & odii in Galbam, qui reditus ipsorum occasione iræ in fiscum verterat. *Savilius.*

2 *In quibus sordem & avaritiam mutaverat.*] Alias, *notaverat*. Ferrettus. Usitatius erat, *sordes*. Nec sane unquam aliter, vel alii, vel ipse Tacitus alibi. *Acidalius.*

3 *Assignandisve sua militia ordinibus.*] Pronomen *sua* per repetitionem ultimæ syllabæ ejus dictionis quæ proxime præcedit, hic natum, erasimus. *Rhenanus.*

4 *Et Vitellius apud severos humilis.*] Forte, *Et ut Vitellius apud severos humilis; ita comitatem bonitatemque faventes vocabant.* Danesius ex V. C. statim addebat: *simul aviditate imperandi quod sine modo, sine judicio donaret sua* &c. *Ursinus.* Muretus particulam *ita* delet: ego etiam inserendam aliam puto, huic respondentem. Certo enim sic Tacitus scripsit: *Et Vitellius ut apud severos humilis, Ita comitatem, bonitatemque* &c. *Acidalius.* Hoc itidem factum fuit in seditionib. Græcorum. Thucyd. lib. 3. Καὶ τὴν εἰωθυῖαν ἀξίωσιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει. Τόλμα μὲν γὰρ ἀλόγιστος, ἀνδρεία φιλέταιρος ἐνομίσθη, μέλλησις δὲ προμηθὴς, δειλία εὐπρεπής. i. *Et solitam nominum significationem pro libidine mutaverant; audacia enim inconsiderata fortitudo amicorum dicebatur, cunctatio vero pavida timiditas specioso prætextu.* Eodem fere Romanus Thucydides Sallust. Catil. *Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus, quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur.* Salinerius. Quid? hocne faventium comitatem appellare nomine humilitatis quæ Latine loquentibus (Christiani enim significationem mutarunt) nihil boni notat? Imo contra, ut ait, vitia pro virtutibus interpretabantur, ut apud Horatium lib. 1. Sat. 3.

*Parcius hic vivit, frugi dicatur: ineptus*
*Et jactantior hic paullo est, concinnus amicis*
*Postulat ut videatur* &c.

Quare pro *ita* lege *id*. Quod erat humilitas, id comitatem blandientes appellabant. *Grotius.* Forte legendum: *Vitellius ut apud severos humilis, ita* &c. Severi inquit rerum æstimatores, Vitellii morem contemptissimo cuique adulandi, accipiebant pro humilis & abjecti animi nota; sed faventes id comitatem interpretabantur bonitatemque. Supra etiam diversa judicia protulit de iisdem moribus, ut 1. H. 14. *Æstimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur.* Freinshemius. Non video, quis hic usus sit particularum comparandi. Lege, *id comitatem*, ut & Grotius scribendum notavit. Vitellius, inquit, recta æstimatione hominum gravium & disciplinæ studiosorum nimis se demittebat abjiciebatque, & indignis persona sua ac propemodum vernilibus blanditiis utebatur (*tota via caligatorum quemque exosculans; perque stabula ac diversoria mulionibus & viatoribus præter modum comis, ut mane singulos, jamne jentassent, sciscitaretur, seque fecisse ructu ostentaret* teste Suetonio) *id*, inquit, hanc vilitatem sui illi *comitatem* vocabant. quemadmodum etiam *bonitatem* appellabant, *quod sine modo, sine judicio, donaret sua, largiretur aliena.* Neque enim *bonitatis* vocabulum etiam pertinet ad humilitatem excusandam, ut viri docti accepisse

[1] aviditate imperandi, ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur. Multi in utroque exercitu [2] sicut modesti quietique, ita mali & strenui. [3] Sed profusa cupidine, & insigni temeritate [4] legati legionum, [5] Alienus Cæcina, & Fabius Valens: è quibus Valens infensus Galbæ, tamquam [6] detectam à se Verginii cunctationem, oppressa Capitonis consilia ingrate tulisset, instigare Vitellium, *ardorem militum* ostentans. *Ipsum celebri ubique fama: nullam in Flacco Hordeonio moram: affore Britanniam: secutura Germanorum auxilia: male fidas provincias: precarium seni imperium, & brevi transiturum. panderet modo sinum, & venienti fortunæ occurreret. Merito dubitasse* [7] *Verginium, equestri familia, ignoto patre: imparem si recepisset imperium, tutum*

pisse videntur. Nempe *bonitas* est ei liberalitas vel munificentia: quemadmodum alibi *malitiam* dicit pro avaritia, ut lib. 13. ann. 31. & 15, 21. Plutarchus pro utroque dicit χρηστότητι καὶ μεγαλοφροσύνῃ. Gronovius.

1 *Aviditate imperandi, ipsa vitia p. v. int.*] An sua vitia Vitellius aviditate imperandi adeo velaverat, ut alii pro virtutibus ea interpretarentur? Potius crediderim, aviditatem hanc, non ad ipsum Vitellium referri, sed ad ejus duces fautoresque: qui avidi erant imperandi, id est, Imperatorem a se ipsis electum habendi, ut sibi potentiam inde acquirerent. *Pichena.*

*Aviditate imperandi.*] Ne noceat Ryckio, quod paternæ scholæ eruditiones detegat nimis quam pater ipse voluit, tempore isto mentem fovens, a qua sic recessit, ut in edendo Tacito postea illam suppresserit. Nemo dixent, immò nec dixit opinor de Vitellio hic sermonem esse, sed laudatoribus: cæterum hi non sic agunt, ut quodvis quocunque modo ab eo impetrare contendant; immo accipiunt illa omnia abunde, & quidquid flagitant benigne affunditur sine ulla recusatione; & quia sic facile accipiunt, ideo dicuntur laudavisse, non vice versa. Interim inter hæc privata dicit Tacitus repente aliud jactatum, quod legati mensuram egredcretur. Immo aviditate imperandi ipsa vitia noluisse qualia erant vocare, sed virtutum vocabulis. Quod qui faciunt, quid aliud quam indulgent adfectui insanabili, ut etiam in vitiis virtutes agnoscant, & cogitent de illo per tanta merita promovendo ad imperium. *Aviditate imperandi* non est ut ipsi imperent, sed ut ab eo imperentur vel imperium gubernari videant. Hæc vox turpiter interpolata dedit Ryckio perversam speciem *impetrandi.* Manifeste dicit singula Tacitus. Cæterum hæc quum scripsissem ita, animadverto nescio qui contigisse, ut in editione paterna fuerit hoc loco omissum, quod ab Pichena scriptum fuit, & quod mireris, propterea Ryckio non visum, nunc a me repositum, id ipsum nempe quod vides proxime antecedere. *Jac. Gronovius.*

2 *Sicut modesti quietique, ita mali & strenui.*] Depravate omnino. lego: *Sicut immodesti quietique.* Immodesti quietis opponuntur, sicut mali strenuis. *Colerus.*

3 *Sed profusa cupidine, & insigni.*] Castigavimus, *Et profusa cupidine, insigni temeritate legati legionum.* Rhenanus. Muretus *Sed.* non valde necesse: tamen forte rectius. *Acidalius.* Ex Flor. ac Ven. *Sed profusa cupidine, & insigni* &c. Vulgo, *Et profusa cupidine & insigni tem.* Pichena.

4 *Legati legionum.*] Valens in Germania inferiore, Vitellius & Cæcina in superiori, ubi penes Hordeonium Flaccum præfectura. *Savilius.*

5 *Alienus Cæcina.*] Mihi, imo libris debetur verum hoc Cæcinæ nomen. Nam illi constanter *Alienum* scribunt. Etiam in Dionis Epitoma semper Ἀλιηνός. Romanum verò id nomen: & nummi exstant, C. CAESAR. IMP. COS. ITER. ALIENUS. PROCOS. Nominat & quemdam Alienum Cicero Divinatione in Verrem. Vulgatis tamen Taciti libris hic A. Cæcina dicitur: & Fastis, quos eruditi viri concinnarunt. *A. Licinius.* Unde eruerint, miror. *Lipsius.*

*A. Cæcina.*] Non putamus pro A. recte emendatum esse *Allienus*; nam *Cæcina* non cognomen, sed nomen familiæ fuisse, constat ex alio Cæcina, qui *C. CÆCINA LARGUS* dicitur in inscriptione fratrum Arualium, & alio item, qui in basi statuæ Vespasiani Imperat. dicitur *C. CÆCINA PÆTUS.* Hic autem ipse A. Cæcina habetur apud me in antiquo lapide, ita plane inscriptus, *A. CÆCINA.* Nomina vero familiarum apud Romanos omnibus litteris scribebantur, cum prænomina unicis tantum, vel duabus, aut ad summum tribus litteris notarentur. *Ursinus.*

6 *Detectam à se Verginii cunctationem.*] Scripsimus, *detecta à se Virg. cunctatione.* Rhenanus.

7 *Verginium equestri familia.*] Plinius vicina Como urbe genitum Virginium tradidit, quapropter secum habuisse conjunctas possessiones, tum suæ villæ nomen Alsiam, ut dubio procul Virginius Mediolanensis fuerit. Quod ostendunt frequentia marmora, quæ passim hic occurrunt Virginii nomine inscripto. Sed & Alsiæ adhuc servat nomen in Varisiensi præfectura. Unde & familia est mea. *Alciatus.*

*tum si recusasset. Vitellio tres patris consulatus, censuram,* [1] *collegium Cæsaris, & im-*
53 *ponere jampridem* [2] *imperatoris dignationem, & auferre privati securitatem.* Quatieba-
tur his segne ingenium, [3] ut concupisceret magis, quam ut speraret. At in [4] su-
periore Germania, Cæcina decora juventa, corpore ingens, animi immodicus,
[5] cito sermone, erecto incessu, studia militum inlexerat. Hunc juvenem Galba,
quæstorem in Bætica, impigre in partes suas transgressum legioni præposuit, [6] mox
compertum publicam pecuniam avertisse, ut peculatorem flagitari jussit. Cæcina
ægre passus, miscere cuncta, & privata vulnera, reipublicæ malis operire statuit.
Nec deerant in exercitu semina discordiæ, quod & bello adversus Vindicem uni-
versus affuerat; nec nisi occiso Nerone translatus in Galbam, atque in eo ipso sa-
cramento vexillis inferioris Germaniæ præventus erat. Et Treveri ac Lingones,
quasque alias civitates atrocibus edictis, aut damno finium Galba perculerat, hi-
bernis legionum propius miscentur. Unde seditiosa colloquia, & inter [7] paganos
54 corruptior miles, & [8] in Verginium favor [9] cuicumque alii profuturus. Miserat
civitas Lingonum, vetere instituto, dona legionibus, [10] dextras hospitii insigne.
Legati

1 *Collegium Cæsaris.*] Suet. Vit. 2. *L. Vitellius Imperatoris pater cum Claudio principe duos ordinarios consulatus censuramque gessit.* Savilius.

2 *Imperatoriam dignationem & auferre.*] Faernus omissa copula, *&*, legebat: *imponere jam pridem imp. dignationem, auferre.* Ursinus. Restitui ex Floren illud, *&*, *Et imponere* &c. quod cum altero sequenti conjunctum, vim orationi addit. Quod autem sequitur, *& auferre privati securitatem:* similis est sententia Muciani ad Vespasianum, lib. seq. *Confugiendum est ad imperium.* Magni enim viri, suspecti semper imperantibus: & ideo vita eorum in discrimine versatur. ut passim ex Tacito. *Pichena.*

3 *Ut concupisceret magis quam ut speraret.*] Expunxi particulam, *ut.* Rhenanus. Adjeci postremum, *ut*, ex Floren. ac Ven. etsi non necessarium. *Pichena.*

4 *Superiore Germania.*] Ammianus scribit ita divisas Galliæ Germaniæque provincias. Prima Germania Moguntiaco Argentoratoque nobilis, secunda Germania, in qua Agrippina & Tungri. Prima Belgica Mediomatrices & Treviros habens, tum secunda Remos, Sequanos, Ambianos complexa. Hinc Lugdunensis prima, Senones, Bituriges, Lugdunum, Augustodunum. Secunda Rothomagum, Mediolanum, Tricastinos, Alpes continebat Eodem modo & Aquitaniæ fines distincti. *Alciatus.*

5 *Cito sermone.*] An, *scito?* Lipsius.

*Cito sermone, erecto incessu, studia militum allexerat.*] Credam potius, *scito sermone.* hic enim prorsus valeat studiis alliciendis, quam *citus.* Acidalius. Flor. *inlexerat.* Vulgo, *allexerat.* Pichena.

6 *Mox compertum.*] Non item male, *comperto.* Lipsius.

7 *Paganos.*] Paganus civitatis aut regionis notat incolam ex oppositione militis. Veget. 2, 3. *Nam si doctrina cesset armorum, nihil paganus distat à milite*; consentiente Sueton. Galb. 19. his verbis *dimota paganorum turba:* Pro quo Tacitus: *Disjecta plebe, conculcato senatu.* idem 2. Histor. 88. & 3, 24, & 4, 20. Antonius Primus prætorianos à Vitellio exauctoratos, motu Flaviano ad arma revocatos, per contumeliam *paganos* appellat, ut Cæsar Romæ in seditione, & postea Alexander Severus Antiochiæ per iram sacramenti religione milites solvens, *Quirites* eos vocat. Sueton. Cæs. 7. Lampridius Severo. *Savilius. Pagani* hic non accipiuntur pro villas habitantibus, ut vulgo creditur; sed pro non militantibus, licet in urbe habitarent. Qui enim non militabat, paganus dicebatur. 2. Histor. *Ut pars classicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exurgeret.* Et paulo post. *Apta ad jaciendum paganorum manus,* &c. *Lupanus.*

8 *In Verginium favor.*] Τῆς ἐπιθυμίας σφῶν ἁμαρτόντες ἐπὶ τοῦ Οὐεργινίου, ἐζήτουν αὐτὴν ἐφ' ἑτέρους τινὰς ἀποπληρῶσαι. Xiphilin. hoc est. *Cum sua in Verginium spe excidissent, alio eam transtulerunt.* Savilius.

9 *Cuicumque alii profuturus.*] Codex Budensis, *cujusque alii* &c. *Rhenanus.*

10 *Dextras hospitii insigne.*] Fidei etiam & pacis. Cæsaris locus est, quem correctione libens huc traxerim, libro VII. De bello Gall. *Ædui visi ab latere nostris aperto. ii similitudine armorum vehementer nostros perterruerunt. ac tametsi dextris humeris exertis animadvertebantur, quod insigne pacatis esse consueverat; tamen id ipsum sui fallendi caussa milites ab hostibus factum existimabant.* De humeris, & quomodo exeri ii potuerint, nec capio, nec legi. Glossema subolet, & insitio non proba: legamque, *dextris exertis.* voce *humerorum* ejecta, nisi si ea aliter conformanda. Dextras

Legati eorum in squalorem mæstitiamque compositi, per principia, per contubernia, modo *suas injurias*, modo *civitatum vicinarum præmia*, & ubi [1] pronis militum auribus accipiebantur, *ipsius exercitus pericula & contumelias* conquerentes, accendebant animos. Nec procul seditione aberant, cum Hordeonius Flaccus *abire legatos*, utque occultior digressus esset, *nocte castris excedere* jubet. Inde atrox rumor, affirmantibus plerisque *interfectos*; [2] *ac nisi ipsi consulerent, fore ut acerrimi militum & præsentia conquesti*, [3] *per tenebras & inscitiam ceterorum occiderentur*. Obstringuntur inter se tacito fœdere legiones. Adsciscitur auxiliorum miles, primo suspectus, tamquam circumdatis cohortibus alisque, impetus in legiones pararetur: mox eadem acrius volvens, faciliore inter malos consensu ad bellum, quam in pace
ad concordiam. [4] Inferioris tamen Germaniæ legiones solenni Kalendarum Janua- 55
riarum sacramento pro Galba adactæ, multa cunctatione, & raris primorum ordinum vocibus; ceteri silentio, proximi cujusque audaciam exspectantes; [5] insita mortalibus natura propere sequi, quæ piget inchoare. Sed ipsis legionibus inerat diversitas animorum: primani quintanique turbidi adeo, ut quidam saxa in Galbæ imagines jecerint; quintadecima ac sextadecima legiones, nihil ultra fremitum & minas ausæ, initium erumpendi circumspectabant. At in superiore exercitu, [6] quarta ac

tras quidem attolli, etiam nunc pacis ac socii adventus signum habetur. *Lipsius.*

ADD. In Cæsaris loco libenter nunc legerim, *dextris nudis exertis*. Livius suadet libro XXVIII. qui scribit opidanos quosdam deditionem & amicitiam significantes, egressos: *dextras nudas ostentantes*. Lacedæmonii etiam apud Thucydidem libro IV. circumventi ab Atheniensibus, *τὰς χεῖρας ἀνέσειον*, *manus quatiebant*, signum pacis & deditionis. In Frontino quidem lego, humeros etiam exeri à militibus, sed longè alio sensu. libro II. Stratag. cap. I. *Cum Sertorianos milites animadvertisset magno impetu instinctos, deposcentes pugnam, humerosque exercentes* (lego, *exerentes*) *& lanceas vibrantes*. Itaque hoc magis in Cæsariana correctione nostra firmamur. *Idem.*

*Dextras hospitii insigne.*] 2. Histor. *Centurionem Sisennam dextras, concordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine, ad prætorianos ferentem, variis artibus aggressus est.* Savilius. Dextræ quod quædam insit religio, ea in fide porrigitur: & cum fidem exigimus, per dextram oramus, & cum fidem damus, dextram conjungimus, ut est passim apud auctores. Sic manuum conjunctio, pignus præsens eorum fuit, qui pacem communicarent, cujus in legibus de mutuo hospitii jure & contesseratione hospitalitatis fit quandoque mentio: ut apud Virgilium libro 3. Æneid. *Jungimus hospitio dextras.* Inde reperias in numismatis Antonini Pii Cons. IV. conjunctas manus, & in nummo Triumvirali circum eas scriptum CONCORDIA. Illo respexit M. Tullius, Pro domo: *Q. Marcius signum Concordiæ fecerat, idque in publico collocarat.* Quare in militare signum cohortium venit Manus hastæ imposita. Ea insigne hospitii est, quod missum Tacitus hic ait; & libro seq. 8. *Vertranius.*

1 *Pronis militum auribus accipiebantur.*] Vulgo, *militum animis*. Sed rectius ex Flor. *auribus*, propter verba sequentia, *accendebant animos*. Pichena.

2. *Ac nisi ipsi consulerent.*] Scripsimus, *ac nisi sibi consulerent*. Rhenanus. Mirum, cur non addat causam, quæ huc eum detulerit. In MS. Mediceo vidi id ipsum, quod ab Beroaldo est editum & ab Rhenano fastiditur; sed retineri debet. Ex eodem statim edidi *volvens*, ubi vulgo *volens*, quod ibi nullam habet vim, unde absurde vertitur in vernacula *thans beeter in den zelven wille*, quum contrarium intelligit, nempe auxiliares vehementius & exactius eandem rem inspicientes venisse ad concordiam cum legionibus. Utique quid velint, ipsi etiamnum nesciunt. Denique idem habebat *superiore*, non *superiori*, ut cap. 61. *Jac. Gronovius.*

3 *Per tenebras & inscitiam ceterorum occiderentur.*] In cod. Budensi, *& inscientia*. Legerim, *per tenebras & inscitiâ cat.* &c. *Rhenanus.*

4 *Inferioris inde Germaniæ legiones.*] Nos, *Inferioris tamen Germ. leg.* Idem.

5 *Insita mortalibus natura propere.*] Melius, *insite*. Vidi qui sequentia perverteret, *non tam propere*. Verè perverteret. Nam Taciti gnome, arcanæ, ut solet, veritatis est: & plebs ita facta, ut rebus arduis nemo facilè ducem se præbeat, comitem quivis. Facit huc illud III. Histor. *Dum quæritur locus tempusque: quodque in tali re difficillimum est, prima vox.* Lipsius.

6 *Duo & vicesima.*] Covarruviæ scriptus codex, ita passim. Probamus. Sæpè erratum etiam infrà. Recte tamen integreque scriptum libro III.

ac duodevicesima legiones [1] iisdem hibernis tendentes, ipso [2] Kalendarum Januariarum die [3] dirumpunt imagines Galbæ: quarta legio promptius, duodevicesima [4] cunctanter, mox consensu. Ac ne reverentiam imperii exuere viderentur, [5] in senatus populique Romani oblitterata jam nomina, sacramenta advocabant; nullo legatorum tribunorumve pro Galba nitente, quibusdam, ut in tumultu, notabilius turbantibus. Non tamen quisquam in modum concionis, aut suggestu locutus.
56 neque enim erat adhuc cui imputaretur. [6] Spectator flagitii Hordeonius Flaccus consularis legatus aderat, non compescere ruentes, non retinere dubios, [7] non cohortari

*sextadecimanos duoetvicesimanosque levum cornu complesse* Nos alibi textu reposuimus. *Idem.*

*Quarta & duodevicesima legiones.* ] Etiam in Flor. legitur, *duo & vicesima*; idque cum Lipsio verum censebam; nunc falsum, ipso Tacito auctore. Duo exercitus in Germania fuerunt. Superior Hordeonio Flacco, inferior Vitellio, parebat. Vitellius ad bellum in Italiam proficiscens, suum militem, aut cum Valente præmisit, aut ipse duxit; & ex superioris Germaniæ legionib. partem Cæcinæ ducendam tradidit, partem ad tutandam Rheni ripam Flacco reliquit, & inter eas, ut paulo infra ostenditur, *duodevicesimam.* nam *duoetvicesima* cum Vitelliano in Italia exercitu semper fuit, ut libro seq. in fine: & libro 3. non semel apparet. Et quod duodevicesima in Germania remanserit, patet libro 4, cum à Civili vetera castra obsessa fuerunt, ubi in optimis exemplaribus legitur, *Dillio Vocula duodevicesima legionis legato:* quod perperam mutavit Rhenanus, *duoetvicesima.* nam & inferius eod. libro 4. has duas legiones scil. quartam & duodevicesimam, simul nominat. ait enim, *primani, quartanique, & duodevicesimani.* Recte igitur hic, *duodevicesima.* & paulo infra, *duodevicesima*; &, *duodevicesimam.* Pichena.

1 *Iisdem hibernis.* ] Ad Moguntiacum. *Savilius.*

2 *Kalend. Januar. die.* ] Et ante hunc diem, teste Plutarcho, exercitus superioris Germaniæ indignari se Galbæ non obscure significaverat, εἶτα ταῖς ἀρχαῖς ἐπιμενόντων ἐκείνων, ἀντεφώνουν, οὐκ ἄξιος. i. *illis acclamationes repetentibus reclamabant illi, Indignus est.* Frangendi autem Principum imagines usus in omnibus rebellionib. obtinuit. 3. Hist. *Trierarchi magno tumultu Vitellii imagines invadunt.* eod. loco. *Simul Vitellii imagines direpta.* Savilius.

3 *Dirumpunt imagines.*] An verius *diruunt?* an *deripiunt?* ut supra, *dereptam Galba imaginem solo afflixit.* Et de hac ipsa re paulo post: *Projectis Galba imaginibus.* libro 3. *Vitellii imagines direpta.* Acidalius. Forte melius? *deripiunt.* Supra 1, 41. *Dereptam Galba imaginem solo afflixit.* Freinshem.

4 *Cunctanter. Mox consensu, ac.* ] Melius distingui. *Cunctanter, mox consensu. Ac ne r.* Lipsius.

*Mox consensu.* ] Sane quod prima facie videatur digna distinctione, hæc rite distincta sunt, *Quarta legio promptius, duodevicesima cunctanter. Mox consensu, ac ne reverentiam.* Nec aliquid Eruditiss. viro debent, corrigenti. Non eadem alacritate legio duodevicesima afflixit imagines Galbæ, qua id quartanis factum est: At ii omnes postea *consensu*, id est, ne æmulatione principis loci in discordias traherentur, & ne viderentur à Romanis descivisse, jurant in nomen S.P.Q.R. Similis æmulatio visa fuit in consternatione Pannonicarum legionum. lib. 1. ann. *Postremo eo furoris venere, ut tres legiones miscere in unam agitaverint, depulsi æmulatione, quia sua quisque eum honorem quærebant.* Salinerius. Longe aptior hæc distinctio, a Lipsio reposita, quam vulgata, *cunctanter. Mox consensu ac ne* &c. *Pichena.* Suet. c. 6. *Statimque legationem ad prætorianos cum mandatis destinaverunt, displicere Imperatorem in Hispania factum, eligerent ipsi, quem cuncti exercitus comprobarent.* Sed legationis, ut videtur, revocatæ negotium intercidit ex seditione in Vitellium mota. *Savilius.*

5 *In S. P. Q. R. oblitterata jam nomina.* ] Unde primam voculam arcessiverit Beroaldus, aut quid statuerit Pichena cernens eam ab MS. Mediceo abesse, vel etiam reliqua edentium tribus, non facile dixerim. Certe illic Tacitus eam non locavit, quantum scimus. Unde nisi placuerit legere *Senatus populique Romani obl. jam nomina sacramento advocabant*, fere opinarer scriptum fuisse *Senatus populique Romani oblitterata jam in nomina.* Non autem nunc agimus de titulo aut inscriptione aliqua, ut per primas literas debeant quatuor voces scribi in Tacito, ut habet Ryckii editio, quem volumus cuncta planum esse. *Jac. Gronovius.*

6 *Spectator flagitii.*] Et tamen relictus erat à Vitellio, utriusque Germaniæ rector. 2. Histor. postea secutus Vespasiani partes, & tandem à suis militib. cæsus, 4. Hist. *Savilius.*

7 *Non cohortari bonos ausus, sed segnis, pavidus, & socordia innocens.* ] An Hordeonius ergo, tot indignis legato consulari vitiis opertus, innocens judicio Taciti rigidissimi ubique scriptoris, dicam, an censoris? Hactenus innocentem agnoverim, dum dicit Tacitus, *non ausus.* Malum enim

hortari bonos ausus; sed segnis, pavidus, & socordia innocens. Quatuor centuriones duodevicesimæ legionis Nonius Receptus, Donatius Valens, Romilius Marcellus, Calpurnius Repentinus, cum protegerent Galbæ imagines, [1] impetu militum abrepti, vinctique. Nec cuiquam ultra fides, aut [2] memoria prioris sacramenti: sed, quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere. Nocte quæ Kalendas Januarias secuta est, [3] in coloniam Agrippinensem aquilifer quartæ legionis epulanti Vitellio nuntiat, *quartam & duodevicesimam legiones, projectis Galbæ imaginibus, in senatus & populi Romani verba jurasse*. Id sacramentum inane visum. [4] *occupari nutantem fortunam, & offerri principem* placuit. Missi à Vitellio ad legiones legatosque, qui *descivisse à Galba superiorem exercitum* nunciarent; *proinde aut bellandum adversus desciscentes, aut si concordia & pax placeat, faciendum imperatorem: & minore discrimine sumi principem, quam quæri*. Proxima legionis primæ hi- 57
berna erant, & promptissimus è legatis Fabius Valens. Is die postero coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis, auxiliariorumque ingressus, [5] *Imperatorem* Vitellium consalutavit. [6] Secutæ ingenti certamine ejusdem provinciæ legiones: & superior exercitus, speciosis senatus populique Romani nominibus relictis, [7] tertium Nonas Januarias Vitellio accessit. scires illum priore biduo non penes rempublicam fuisse. Ardorem exercituum Agrippinenses, Treveri, Lingones æquabant, *auxilia, equos, arma, pecunias* offerentes, [8] ut quisque corpore, opibus, ingenio validus

enim ubi majus remedio est, non peccat, cum deficit, cujus alias fuisset mederi. Quamquam fortean ne hoc quidem nomine excusandus veniat Hordeonius. Quid si enim ausus non fuerit, cum debuerit potueritque audere? Jam vero cum addat fuisse *segnem, pavidum, socordem*, quis non judicet fuisse eum *inter nocentes?* Atque ea de causa sic lege. Haud sum nescius, *segnem innocentiam* tribui Annal. 14. Fenio Rufo. Sed id idem eo loco significat, quod alibi *silentium*. Ut in Agric. *Idem prætura silentium*, Et hæc segnities plane fuit innoxia. qualem hanc Hordeonii nec esse, nec hic describi, quivis videt. *Inter* autem hic positum, qua forma alibi *ante*. Annal. 1. *Cn. Lentulus ante alios ætate & gloria belli*. Hist 4. *Classicus nobilitate opibusque ante alios*. Et similia passim. *Boxhornius*. Si quid mutandum, vellem *socordia nocens*. Gronovius.

1 *Impetu militum abrepti.*] Codex scriptus habet, *obtecti*. Rhenanus.

2 *Memoria prioris sacramenti.*] Quod Galbæ dixerant urgente Verginio post mortem Neronis. *Savilius*.

3 *In coloniam Agrippinensem.*] Præpositionem *in* ex Flor. reposui, quæ a vulgatis aberat. Pichena. Nec debuit de ea dubitare Ryckius, etsi in schedis meis annotatum nihil reperiret; quippe ad conferendum utebar exemplari editionis Pichenæ, in qua exstat expressa illa præpositio. Hunc errorem suum describit *in illo, puto Longobardico, juxta collationem hæc non comparet*. Jac. Gronov.

4 *Occupari nutantem fortunam.*] Recte. est qui malit, *invitantem*. Lipsius.

*Occupari nutantem fortunam.*] Proprie fortassis est, aut invadere eam prensando, aut dominum se facere huc illuc dubiæ se versantis fortunæ. *Savilius*.

5 *Imperatorem Vitellium consalutavit.*] Suet. Vit. 8. nonnihil varians: *vespere à militib. è cubiculo raptus, ita ut erat in veste domestica, Imperator est consalutatus*. Plutarch. meridiem fuisse dicit. *Idem*.

6 *Secuta ingenti certamine.*] Hispanus liber, *ingenti agmine*. Lipsius.

7 *Tertium nonas Januarias.*] Existimavi publice exhibendum, quod in membrana Medicea contineretur & in editionibus per numeri notas solet exarari. Sic autem manifeste ibi legitur, quod cur Ryckius explanaturus scripserit *tertio*, ipse viderit. Id quod ego prompsi, vetus est & quidni inde verum? Vide ad 6, 25. *Jac. Gronovius*.

8 *Corpore, opibus, ingenio validus.*] Cur hîc de ingenio; aut quis ejus usus? nisi forte ad orandum, aut impellendum. *Lipsius*.

*Ut quisque corpore, opibus, ingenio validus.*] Alienam & ineptam hic vocem Lipsius censuit, *ingenio*, etiam ego, nec tamen scio, an satis apte mutem, *Ut quisque corpore ingens, opibus validus*. Sic de Cæcina sup. *Corpore ingens, animi immodicus*. Acidalius. Mihi incongruens vox, *ingenio*, non videtur. Respicit enim senes, invalidos, tenuiores: qui cum neque corporibus neque opibus Romanos juvare possent, juvabant saltem ingenio, scil. ceteros populares ambitu, concionibus, & consiliis accendendo. *Pichena*.

1 *Prin-*

validus. Nec [1] principes modo coloniarum aut caſtrorum, [2] quibus præſentia ex
affluenti, & parta victoria magnæ ſpes; ſed [3] manipuli quoque & gregarius miles,
viatica ſua, & [4] balteos, phalerasque, inſignia armorum argento decora, loco
58 pecuniæ tradebant, [5] inſtinctu, & impetu, & avaritia. Igitur laudata militum ala-
critate Vitellius, miniſteria principatus per libertos agi ſolita, in equites Romanos
diſponit. Vacationes centurionibus ex fiſco numerat. Sævitiam militum pleroſque
ad pœnam expoſcentium ſæpius approbat, [6] partim ſimulatione vinculorum fru-
ſtratur. Pompejus Propinquus procurator Belgicæ ſtatim interfectus. Julium Bur-
donem Germanicæ claſſis præfectum aſtu ſubtraxit. exarſerat in eum iracundia exer-
citus, tamquam crimen, ac mox inſidias, Fontejo Capitoni ſtruxiſſet. grata erat
memoria Capitonis; & apud ſævientes occidere palam, ignoſcere non niſi fallen-
do licebat. Ita in cuſtodia habitus; & poſt victoriam demum, [7] ſtratis jam mili-
tum odiis, dimiſſus eſt. Interim [8] ut piaculum objicitur centurio Criſpinus,
[9] qui ſe ſanguine Capitonis cruentaverat: eoque & poſtulantibus manifeſtior, &
[1] pu-

1 *Principes coloniarum.*] Sunt *Decuriones: Principes caſtrorum*, quos Veget. quoque 2, 9. vocat *milites principales*. & Tacit. 3. hiſt. *primores caſtrorum* ſunt *aquiliferi*, *ſigniferi*, *optiones* &c. *qui privilegiis muniuntur*, cum reliquum vulgus & gregarii milites vocarentur *munifices*, *quod munia facere coguntur*. Savilius.

2 *Quibus præſentia ex affluenti.*] Muret. mutat, *quibus ex præſenti affluentia*. Inſcite. *ex affluenti*, id eſt, affluenter, abunde. ut ſæpe alias dicit, *ex facili*, facile. eadem forma. *Acidalius*. Præſentia ex affluenti earum rerum ſcil. quas tunc largiebantur, affluens ſeu abundans copia illis ſuppetebat. Cic. Offic. lib. 1. *ut omnium rerum affluentibus copiis ditetur*. Pichena.

3 *Manipuli*] Id eſt, manipulates, contradiſtincti primoribus caſtrorum. *Savilius*.

4 *Balteos.*] Varro lib. 4. de L. L. *balteum*, *cingulum è corio bullatum*, plerumque argento aurove pictum. Spartianus Adrian. *veſtem humillimam frequenter, & ſine auro balteum ſumebat*. Idem.

5 *Inſtinctu & impetu & avaritia.*] Avaritia eo ſpectabat, ut ea, quæ ipſi largiebantur, multiplicata ſibi à Vitellio reddi ſperarent. Vel potius, ut ſibi majorem rapiendi licentiam ſumerent, principe ob accepta dona connivente. *Pichena*. *Inſtinctu*, legatorum nempe tribunorumque & centurionum: *impetu*, proprio: *avaritia*, quod crederent ſe, quæ darent, cum ingenti lucro recepturos. Vide ſimilem locum infra H. 2. 84. quem ideo inter parallela adnotavi. *Freinshemius*.

6 *Pari ſimulatione vinculorum fruſtratur.*] Manifeſtum mendum. quo enim illud, *pari*, referetur? Tu vel meo periculo lege, *partim*. Sævitiæ militum, inquit, ſæpe indulgeı, & ad pœnam iis pleroſque largitur: quoſdam ſimulatione vinclorum ſubtrahit. Priſca lectio ſuffragatur huic correctioni, quæ præfert, *Parum*. ex quo, *pari*, emendaſſe fatetur Rhenanus. *Partim* autem, ſolitarium ſæpe poni nec geminari ſemper, notius eſt quam ut oſtendam. *Lipſius*.

*Parum ſimulatione vinculorum fruſtratur.*] Emendavimus, *Pari ſim.* &c. *Rhenanus*. Faërnus emendabat, *partim ſimulatione*: & ita poſtulat ſententia. *Urſinus*. Indubia mihi hæc Lipſii emendatio, *partim*. Male vulgo, *pari*. Pichena. Otho ficta vinctione Celſum iræ militum ſubduxit. Tac. *Ita ſimulatione iræ vinciri juſſum, & majores pœnas daturum affirmans præſenti exitio ſubtraxit*. Quid Vitellius? octo erant, quorum pœnas milites poſtulabant. Pompejus, Burdo, Civilis, Criſpinus, Nonius, Donatius, Romilius, Calpurnius: ex quibus Burdonem duntaxat eximit prætextu vinculorum, Civilem metu Batavorum miſſum fecit, exteros vere morte affecit. Hinc dictum *ſæpius approbat* & *parum fruſtratur*. Cum haud ægre potuiſſet ſex reliquos eripere per ſimulationem. *Et apud ſævientes occidere palam, ignoſcere non niſi fallendo licebat*. Salinerius.

1 *Stratis jam militum odiis.*] Suſpicor, *Fruſtratis jam militum animis*, Rhenanus. Lectionem hanc *ſatiatis jam mil. odiis* ex conjectura mea Tacito reſtituimus. erat ante, *ſtratis* &c. nullo bono ſenſu, & manifeſtis veræ ſcriptionis veſtigiis. *Freinshemius*. Nos vero reſtituimus in locum ſuum vetus *ſtratis*, quo nihil elegantius, idque juvimus exemplis Obſerv. 3, 22. *Gronovius*.

2 *Ut piaculum.*] ὡς ἄγος. Savilius.

3 *Qui ſe ſanguine Cap. cruentaverat.*] Priores duæ voces non leguntur in MS. Mediceo, quod cur ita celetur ab iis, qui conſcii fuerunt, merito quis miretur. Omnino enim manum Taciti apparet fuiſſe: *Interim ut piaculum objicitur centurio Criſpinus. Sanguine Capitonis ſe cruentaverat; eoque* &c. Plane tales præcipites & abciſas periodos ſic amat Tacitus interponere; unde ſic occurrebat modo in cap. 51, & lib. 15. Ann. 4. *Jac. Gronov.*

1 *Pu-*

[1] punienti vilior fuit. [2] Julius deinde Civilis periculo exemptus, præpotens inter Batavos, ne supplicio ejus ferox gens alienaretur. Et erant in civitate Lingonum [3] octo Batavorum cohortes, quartædecimæ legionis auxilia, tum discordia temporum à legione digressæ: prout inclinassent, [4] grande momentum, sociæ aut adversæ. Nonium, [5] Donatium, Romilium, Calpurnium, centuriones, de quibus supra rettulimus, occidi jussit, [6] damnatos fidei crimine gravissimo inter descifcentes. Accessere partibus Valerius Asiaticus, Belgicæ provinciæ legatus, quem mox Vitellius generum ascivit: & Junius Blæsus Lugdunensis Galliæ rector, cum Italica legione, & ala Taurina, Lugduni tendentibus. Nec in Ræticis copiis mora, quo minus statim adjungerentur. Ne in Britannia quidem dubitatum. Præerat [7] Trebellius Maximus, per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque. Accendebat odium ejus Roscius Cælius legatus vicesimæ legionis olim discors, sed occasione civilium armorum [8] atrocius proruperant. Trebellius *seditionem & confusum ordi-*

1 *Punienti vilior.*] Fortassis enim in suum id caput recidisset. *Idem.*

2 *Julius Civilis.*] Idem qui postea Batavis sociis, auxiliaribus Gallis Germanisque, tam diuturnum adversus Romanos bellum gessit, ut docemur 3. & 4. hist. Eventus, quem hic locus respicit, apud Tacit. mentio 4. hist. *Julius Paulus & Claudius Civilis regia stirpe, multo ceteros* (Batavos nobiles) *anteibant. Paulum Fontejus Capito falso rebellionis crimine interfecit. Injecta Civili catena* &c. Observandum ibi Claudium Civilem, hic Julium appellari. Lapsus alterutro loco auctor, vel culpa in consuetam librariorum negligentiam rejicienda est. *Savilius.* Ejus notabilem memoriam retinet lapis, quem publico indicavit maximus & primus Vossius in Idololatriæ lib. 2. BELATUCADEO IVL. CIVILIS. OPT. V. S. L. M. *Jac. Gronovius.*

3 *Octo Batavorum cohortes.*] Cum magnam & memorandam Britanniæ rebellionem virtus Suetonii Paulini, & fortitudo quartæ decimæ legionis compressisset ingenti hominum clade, recentem submittit ex Germania militem Nero, 2000 legionariorum, equites mille, octo cohortes auxiliariorum, quas octo fuisse Batavorum cohortes arbitror, hoc loco notatas, quidquid tandem fuerit, nihil certius, quam has Batavorum cohortes, ut auxilia, fuisse adscriptas quartæ decimæ legioni; Neronem perspecta ejus fide & audacia legionem illam & auxilia, quacunque tandem occasione, in Italiam præmisisse, Vindice res novas moliente, auxilia se ex dissidiis obortis à legione separasse cum aliquo, ut patet, Neronis incommodo; Galba principatum adepto in Illyricum legationem missam & Batavos in Britanniam rediisse, atque in itinere percepta Vitelliani motus fama, transisse in ejus partes. Astruendis, quæ diximus, unicus suffecerit Tacit. 14. Ann. *Auxitque copias Cæsar missis è Germania duobus legionariorum millibus, octo auxiliorum cohortibus, ac mille equitibus.* 2. hist. *Mota ad Imperium Othonis è Dalmatia, Pannoniaque legiones, præcipui fama quartadecimani rebellione Britannia compressa.* Eodem lib. *Cohortes Batavorum, quas bello Neronis à quartadecima legione digressas, cum Britanniam peterent, audito Vitellii motu in civitate Lingonum Fabio Valenti adjunctas retulimus, superbe agebant.* &c. *Savilius.*

4 *Grande momentum.*] Justini illud simile est: *Ingens momentum futurus, utri parti accessisset.* Lucanus:

*Momentumque fuit, mutatus Curio, rerum.*

Lipsius.

5 *Donatum, Romulium.*] In codice scripto, *Donatium, Romilium.* Rhenanus.

6 *Damnatos fidei crimine.*] Crimen fidei erat, quia fidem Galbæ servaverant, & proditores esse noluerant. *Pichena. Damnatos fidei, crimine gravissimo*, sic distinxi: quomodo acutiorem multo sensum exhibent, quam si cum aliis retineas, *damnatos fidei crimine, gravissimo* &c. *Freinshemius.* Vocat hic *fidei crimen*, sicut Lucanus sub initium 1. Pharsal. *jus datum sceleri.* Ubi enim bella civilia & iniqua tempora sunt, scelera virtutum, virtutes criminum nomine induuntur. *Boxhornius.*

7 *Trebellius Maximus.*] 2. Hist. vita Agric. *Savilius.*

8 *Atrocius proruperant. Trebellius.*] Sic vulgo, & sensus est satis plenus, quum in isto comparativo intelligatur æquo, vel quam decebat. Itaque de ambobus sermonem esse patere ex sequentibus scribit Ryckius, quum ex schedis meis didicisset in MS. Mediceo scribi *proruperat*, utique ab manu antiqua, sed cui recens manus literam n superposuit. Atqui de ambobus agi opinabar magis patere ex antecedentibus, ubi & nominati sunt & traducuntur olim discordes. At nunc speciatim criminibus certis involvuntur, & gravissimum Cælio immittit Trebellius, idque

M yo-

*ordinem disciplinæ* Cælio; *spoliatas & inopes legiones* Cælius Trebellio objectabat,
cum interim fœdis legatorum certaminibus, modestia exercitus corrupta, eoque
discordiæ ventum, ut auxiliarium quoque [1] militum conviciis proturbatus, & ag-
gregantibus se Cælio cohortibus alisque, desertus Trebellius ad Vitellium perfuge-
rit. quies provinciæ, quamquam remoto consulari mansit. rexere legati legionum,
61 pares jure, Cælius audendo potentior. [2] Adjuncto Britannico exercitu, ingens vi-
ribus opibusque Vitellius, duos duces, duo itinera bello destinavit. Fabius Valens
*allicere, vel si abnuerent, vastare Gallias &* [3] *Cottianis Alpibus Italiam irrumpere*;
Cæcina *propiore transitu*, [4] *Peninis jugis* [5] *degredi* jussus. Valenti inferioris exerci-
tus electi [6] cum aquila quintæ legionis, & cohortibus alisque ad [7] quadraginta
mil-

voluit dicere Tacitus, scribendo: *sed occasione civ. arm. atrocius proruperat Trebellius; seditionem & conf.* Certe enim hoc crimen longe atrocius est quam spoliatas & inopes legiones, quippe quod frequens admissum est ab ducibus. *Jac. Gronovius.*

1 *Conviciis proturbantibus.*] Priscæ editiones, *proturbatus.* quas sequor. *Lipsius.*

*Militum convitiis proturbatus.*] Emendavi, *proturbantibus.* Rhenanus. Vett. libb. & inter eos Floren. hanc lectionem asserunt, *proturbatus*, & Lipsio probatur. Dispunximus ergo Rhenani emendationem. *Pichena.*

2 *Adjuncto Britannico exercitu.*] Si verum quod *Trebellius desertus* (à militib.) *ad Vitellium profugerit*; & quod Paulinus adfert 2. hist. *Britannicum militem hoste ac malo distineri*, quod ipse scribit Tacitus: *In Britannico exercitu nihil irarum. Non sane aliæ legiones per omnes civilium bellorum motus, innocentius egerunt*, quomodo à vero non abeunt quæ hic refert, *adjuncto Britannico exercitu*, & alibi, *Vitellius è Britannico delectu octo millia sibi adjunxit?* Savilius.

3 *Quotidianis Alpibus.*] Nemo opinor vel semidoctus non cognoscet *Cottianis* legendum: ut inde eorum sententia confutetur, qui Genuam quoque in Cottiis esse dixerunt, nec enim illac transiisse Vitellianos quisquam prodidit. *Alciatus.* De Alpium populis lib. 15. Alciatus scribit. non abs re tamen fuerit dicere, Cottiarum & Pœninarum Alpium Gallis nostris in Italiam euntibus pervia esse itinera. Cottias vero Alpes vel ut vult Tacitus Cotianas, nostrates montem Genebræ vocant in Delphinatu. Via militaris & convehendis machinis bellicis accommoda. Ea Carolus octavus Italiæ terror, & belli fulmen, primus immensæ magnitudinis tormenta bellica in Italiam transvexit. Pœninæ Alpes sunt in Sabaudia, vulgo *Mons Cinis.* Eas transcendit Carolus Magnus Regi Longobardorum bellum illaturus. *Lupanus.* Easdem Alpes infra eodem lib. *Cottias* appellat; & lib. 14. *Cottianas.* Pichena. Adde Suetonium Tib. c. 37.

4 *Peninis jugis.*] Ita scribendum ubique, auctore Livio. qui negat eas Alpes sic dici quod Annibal Pœnus ea transmiserit, sed à jugo excelsi montis quod Penum incolæ dicunt. Fidem ei notæ etiam nostra lingua hodie facit, qui excelsa omnia & in acutum fastigiata Pennas vocamus sive Pinnas. *Lipsius.*

5 *Digredi jussus.*] Codex manuscriptus pro *digredi* plerunque habet *degredi.* Id locum habet, ubi descensus ex alto significatur. *Rhenanus.*

6 *Cum aquila quinta legionis.*] Vatic. habet, *aquilex quinta.* è quo legendum esse, *aquila xquintæ*, aut si magis placet, *quintadecimæ*, ego censebam. *Lipsius.*

*Cum aquila quinta legionis.*] Valenti xl. millia hominum data, lectis roboribus legionum & auxiliorum ex universo inferioris Germaniæ exercitu: nulla integra legione ei data, ut Germanis hostibus, qui ad Rhenum, quatuor legionum nomen fraudem faceret: Aquila tamen unius legionis data, signum præcipuum totius expeditionis. Cæcinæ xxx. millia hominum data, ex lectis duarum legionum, & auxiliorum inferioris exercitus, addita una legione integra, una & vicesima Rapaci: eodem consilio, ut duarum legionum nomen prætexeretur vicinis Barbaris. Inde factum, ut mox in Italia septem legiones Germanicæ numerentur, prima, quinta, quintadecima, & sexta decima ex inferiori exercitu; quarta, una & vicesima excepta; quia ex aliis partem eduxerant in Italiam Vitelliani, partem reliquerant. Quod docte & curate observavit idem Savilius, ut pleraque alia in his histor. libris, qua illustrandæ Taciti historiæ, qua ostendendo, in quibus Tacitus ipse incuriosius aut minus explicarit rerum gestarum ordinem, aut contraria sibi ipsi & repugnantia scripserit. Quæ omnia summa industria, diligentia, judicio ab eo relata, aut ipse non invidebit nobis cismarinis Latina Lingua dari, aut erunt qui audeant. Mihi hic ea tantum decerpere consilium, quæ ad Taciti scripturam constituendam. Uti hic, vulgatam lectionem turbant viri docti, quia corrupte in Vaticano, *cum aquilex quinta legionis*; è quo Lipsius, *cum aquila x. quinta legionis*; cui cave credas: non
quin

millia armatorum data. triginta millia Cæcina è ſuperiore Germania ducebat, quo-
rum [1] robur legio una, prima & viceſima fuit; addita utrique [2] Germanorum auxi-
lia, è quibus Vitellius ſuas quoque copias ſupplevit, tota mole belli ſecuturus. Mi- 62
ra inter exercitum imperatoremque diverſitas. Inſtare miles, arma poſcere; *dum
Galliæ trepident, dum Hiſpaniæ cunctentur.* [3] *non obſtare hiemem, neque ignavæ pacis
moras. invadendam Italiam, occupandam urbem. nihil in diſcordiis civilibus feſtinatione
tutius,* [4] *ubi facto magis quam conſulto opus eſſet.* Torpebat Vitellius, & fortunam
principatus [5] inerti luxu ac prodigis epulis præſumebat, [6] medio diei temulentus,
& ſagina gravis; cum tamen ardor & vis militum ultro ducis munia implebat, ut
ſi adeſſet imperator, & ſtrenuis vel ignavis ſpem metumque adderet. Inſtructi in-
tentique *ſignum profectionis* expoſcunt: [7] nomine *Germanici*, Vitellio ſtatim addito:
*Cæ-*

quin de utraque legione id credi poſſit ex cætera hiſtoriæ ſerie, ſed *decimam quintam*, *decimam quartam*, aliaque ad eum modum nunquam Tacitus, ac vix unquam ullus alius veterum, omnes conſenſu minorem numerum præponunt, *quartamdecimam*, *tertiamdecimam*, *quintamdecimam*. Mercerus. Lipſii lectionem repellit Mercerus, quia non dixiſſet Tacitus *decima quinta*, ſed, *quintadecima*. Ego tantum moneo, Florentinum cum vulgatis congruere. *Pichena.*

7 *Quadraginta millia,*] Hic numerus longe excedit cujuſcunque tandem ætatis legionem, collectus ex aliis in iſta provincia legionibus imminutis, relicta & aquila & nomine; atque ex Germanicis auxiliis, ut ex verbis Taciti apparet. *Savilius.*

1 *Legio una, prima & viceſima.*] Diſtinctione locum juvi. Nec tamen nunc abnuo, quin gloſſematium hic ſit, ſcribendumque, *una & viceſima*. Lipſius.

*Legio una & viceſima.*] Judicium doctiſſ. Virorum ſequuti, gloſſematium ejecimus, nam fuerat: *Legio una prima & viceſima.* Freinshemius. Potuit levi manu id facere; ſed quid officit ſenſui illa vox interpoſita, præſertim quum Mediceus codex teſtetur ab ipſo Tacito eam interpoſitam? Senſus eſt clariſſimus in verbis ex arbitrio Lipſiano diſtinctis. *Jac. Gronovius.*

2 *Germanorum auxilia.*] Non ex Gallica tantum Rheni ripa, ſed & è Transrhenanis; quos præcipue hoc Taciti loco ſpectari puto. *Savilius.*

3 *Non obſtare hiemem.*] Excuſationes moraſque omnes rejiciebat miles: Ideo clamabat: impedimento eſſe non debere hiemem, neque moras pacis, quæ ab ignavis proponebatur. *Pichena.*

4 *Ubi facto magis* &c.] Non parum civile intereſt aliis bellis. Salluſt. Catil. *Sed diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis, an virtute animi res magis militaris procederet: nam &, priuſquam incipias, conſulto, &, ubi conſulueris, mature facto opus eſt.* Salinerius.

5 *Inerti luxu.*] Libet hic ex Xiphilini epitome addere Vibil Criſpi dictum elegans, qui cum ex nimia ciborum ingluvie ægrotaſſet, reſpondit, niſi ægrotaviſſet, ſe periturum fuiſſe. Itaque ut ipſe Xiphilinus ſcribit, totus Vitellii principatus, nihil aliud quam ebrietas fuit. Etenim pretioſiſſima quæque tam ſtudioſe undique conquirebantur, & conquiſita tam opipare apparabantur, ut omnes cupediæ Vitelliani cibi dicantur. Vide Tacitum 2. hiſtor. 31, & 62. Itaque Livius lib. 9. belli Macedonici ait, poſt Aſiam devictam luxum epularum invectum, & cocum, viliſſimum antiquis mancipium, in pretio haberi cœpiſſe. Hinc apud JCtos dicitur, venditorem, qui optimum cocum dixerit, optimum in eo artificium præſtare debere, in tractatu De Ædilitio edicto. *Lupanus.*

6 *Medio diei temulentus.*] Idem de Nerone dixit initio lib. 14. *medio diei, cum id temporis Nero per vinum & epulas incaleſceret.* Vide ibi Lipſium, & multa abeo diſce ad hunc morem. *Pichena.*

7 *Nomen Germanici Vitellio ſtatim additum.*] Correxi, *Nomine Germ. Vit. ſtatim addito.* Rhenanus. Primus apud Romanos, qui ab expugnato loco cognomen ſibi adſcivit, fuit Cn. Marcius à Coriolis dictus Coriolanus. Poſt eum ſeniori Scipioni à devicta Africa hæſit Africani cognomen. Lucius quoque ejus frater ab Aſia ſumpſit Aſiatici cognomen. Ex Metellis multi, ſed diſcernendi ſe magis gratiâ, quam ullo inſignioris victoriæ merito. Primi Imperatores interdum ex libitu pauca quædam adſciverunt nomina, interdum in alios transfuderunt. Poſtera ætas, ut virtute degener, ita ambitioſa in titulos. Xiphilin. Commodo. *Tanta erat futilitas iſtius monſtri abjectiſſimi Commodi, ut hoc ſtylo exaratas ad Senatum literas dederit. Imperator Cæſar L. Ælius Aurelius Commodus, Auguſtus, Pius, Felix, Sarmaticus, Germanicus, Maximus, Britannicus, concordia orbis terrarum, invictus, Romanus Hercules, Pontifex Maximus, Tribunitia poteſt.* XVIII. *Imperat.* VIII. *Conſul.* VII. *Pater Patriæ.* Et qui mo-

*Cæsarem* se appellari etiam victor [1] prohibuit. [2] Lætum augurium Fabio Valenti
exercituique, quem [3] in bellum agebat, ipso profectionis die, [4] aquila leni meatu,
prout agmen incederet, velut dux viæ prævolavit: longumque per spatium, is
gaudentium militum clamor, ea quies interritæ alitis fuit, ut haud dubium magnæ
63 & prosperæ rei omen acciperetur. Et Treveros quidem ut socios securi adiere.
[5] Divoduri (Mediomatricorum id opidum est) quamquam omni comitate exceptos,
subitus pavor terruit, [6] raptis derepente armis, ad cædem innoxiæ civitatis; [7] non
ob prædam, aut spoliandi cupidinem: sed furore & rabie, & caussis incertis, eoque
difficilioribus remediis. donec precibus ducis mitigati, ab excidio civitatis tempe-
ravere. cæsa tamen ad quatuor millia hominum. Isque terror Gallias invasit, ut
venienti mox agmini universæ civitates, cum magistratibus & precibus occurre-
rent, stratis per vias pueris feminisque, [8] quæque alia placamenta hostilis iræ,

[1] non

destiæ laude censetur Justinianus, eadem inflatæ scriptionis ambitione turget. *Imp. Cæsar Flavius Justinianus, Alemannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, inclitus Victor ac Triumphator, semper Augustus.* Quo autem jure Vitellius arrogarit sibi Germanici cognomen, toto imperii tempore nunquam cum hoste congressus, non disputo. *Savilius.*

1 *Prohibuit.*] In perpetuum ait Suet. Vit. 8. sed Tac. 3. hist. aliud docet. *Quin & Cæsarem dici se voluit aspernatus antea.* Idem.

2 *Letum augurium.*] Plerique ex Latinis Historicis (iis enim & quotquot ex eorum schola prodierunt illud peculiare) non bene se putant officio functos, me judice, nisi insigniores in Rep. mutationes illustrent per *portenta, omina* &c. inducentia rerum fatales revolutiones; cum tamen pars longè maxima esset conficta & adornata in pompam serviret terrendo & in stuporem rapiendo lectori: αὔξει τὴν ἔκπληξιν τῶν ἀκροατῶν. Alia sæpius evenire solita tum demum solebant observare, si memorandi qui casus consequerentur. lib. 2. Othone mortuo, alia extat fabula ad similem pene modum conficta, nisi quod paulo deterior sit, cum præfatione ut proniori fide admittatur. Quod ad aquilam nostram, fuerit fortasse potius vel manifestus impostor, aut penitus ignarus futuri, quam ut præbere potuerit *omen haud dubium* duraturæ ad momentum felicitatis. *Savilius.*

3 *In bellum agebat.*] Corrupte vulgo, *in bellum cogebat.* Falso: jam enim coactus erat exercitus, & proficiscebatur. ideò ex Flor correxi, *agebat.* Pichena.

4 *Aquila levi meatu, prout agmen incederet.*] Lego, *leni.* Sueton. *sensim antecessit*, inquit. *Acidalius.* Sic magis proprium. Vulgo, *levi.* Pichena.

5 *Divodurium.*] Castigavi, *Divoduri.* Rhenanus.

6 *Raptis repente armis.*] Flor. habet, *raptisve*, forte, *raptisque.* Pichena. Non hic locus est copulativæ: sed si non omnino incassum sunt inculcatæ literæ, significant: *raptis derepente.* Gronovius. Notam hanc Pichenæ omiserunt in editione Francofurtina Marnii. Cæterum scias, quidquid id sit, in Mediceo non esse ita scriptum, ut proditur sub nomine Pichenæ, sed propius ad conjecturam patris, *raptis acrepente*, ut jam publicavit Ryckius; sed ita ut duæ istæ literæ finiant versiculum, & sequens vox inchoet novum, ad exemplum cap. 5. Unde sustinui Tacitum restituere ex industria paterna, quippe clarissima ejus præstantia. Illam particulam *de* similiter inde restitutam videbis 2. h. 41. Sed hoc præteriri non oportuit in eodem MS. legi *terruit*, non *exterruit*, ut dixi ad finem capitis 25. Ac mox *feminis puerisque.* Porro adde paterna in capite 46 Diatribes Statianæ. *Jac. Gronovius.*

7 *Non ob prædam aut spoliandi cupidinem, sed furore.*] Rectum quis negat? *cupidinem.* Tacitus tamen scripsit, *cupidine.* Acidalius.

8 *Quæque alia placamenta hostilis iræ.*] Locum obscurum & corruptum clamat Lipsius, neque se vel illustrare vel emendare. Est verum utrumque, sed non usque adeo. Et facile restituere, *quæque alia placamenta hostilis iræ non quidem in bello, sed pro pace tentabantur.* junctim enim hæc legenda & intelligenda. Muret. *tendebat* notaverat, quod non satisfacit. *Acidalius.* Fortasse sanus erit hic locus; si intelligas civitates Galliarum, nullum quidem bellum cum exercitu Valentis habere, sed ea facere, ne etiam haberent. Sic libro 15. *pavido milite & concedente, ne qua prælii causa existeret.* Pichena. Tacitus hæc ait in invidiam discordiæ civilis, qua etiam, ubi pax est, belli mores usurpantur. Galliæ enim erant pacatæ, tantumque cunctantes & deliberantes, quem sequerentur. *Instare miles, arma poscere dum trepident Galliæ.* Et *Fabius Valens allicere, vel, si abnuerent, vastare Gallias.* Admonitæ demum strage Divoduri facta, cunctationem exuerunt, Vitelliique partes amplectuntur. *Gallis cunctatio exemta, &*

in

[1] non quidem in bello, sed pro pace tendebantur. Nuntium de cæde Galbæ & imperio Othonis, Fabius Valens [2] in civitate Leucorum accepit. Nec militum animus in gaudium, aut [3] formidinem permotus, bellum volvebat: [4] Gallis cunctatio exempta, & in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio & metus. Proxima Lingonum civitas erat, fida partibus. benigne excepti, modestia certavere. sed brevis lætitia fuit, cohortium intemperie, quas à legione quartadecima, ut supra memoravimus, digressas exercitui suo Fabius Valens adjunxerat. [5] Jurgio primum, mox rixa inter Batavos & legionarios, dum his aut illis studia militum adgregantur, prope in prœlium exarsere; ni Valens animadversione paucorum, oblitos jam Batavos imperii admonuisset. Frustra adversus Æduos quæsita belli caussa. jussi *pecuniam atque arma deferre*, gratuitos insuper commeatus præbuere: [6] quod Ædui formidine, Lugdunenses gaudio fecere. Sed legio Italica & ala Taurina abductæ. [7] Cohortem duodevicesimam Lugduni, solitis sibi hibernis, relinqui placuit. 64

*in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio & metus.* Verum eo terrore civitates adeo perculsæ sunt, ut facie supplicum occurrerent exercitui venienti, quasi ferro igniqne is omnia vastaturus esset. Supplices itaque procedunt obviam Vitellianis, non eo quod adversus eos bellaverint, sed quo paci cautum vellent, qua tunc fruebantur, quamque bello civili infimam esse non ignorabant. At quænam illa sunt, quæ ab iis *tendebantur?* dicat noster; *Cum haud ignari discriminis sui Viennenses velamenta, & insulas praeferentes.* Eurip. Supplic. *ἱκεσίοις δὲ σὺν κλάδοις φρουρεῖ μ' ὡς δέδορκας ἐν κύκλῳ*, i. *ramisque supplicibus Circumdant me ut vides.* Scholiastes Aristophanis. *ἱκετηρία ἐστὶ κλάδος ἐλαίας ἐρίῳ περιπλεγμένος*, i. *ἱκετηρία* est *ramus oleæ lana circumplexus.* Livius: *ramos oleæ ac velamenta alia supplicum porrigentes orare, ut reciperent se.* Et *velata navis infulis & ramis oleæ occurrit ex portu Carthaginis.* Salinerius. Locus aliis obscurus, imo corruptus; quem non emendant, non illustrant, mihi integer est & clarus. Dicit enim, magistratus ac sacerdotes civitatum, velatis manibus ramos oleæ pretendisse, humi interim cum flebili vociferatione procumbentibus uxoribus ac liberis. & hoc (inquit) factum, non ut bellum redimerent, quod nullum erat; sed ut retinerent pacem. Est convicium publicum in militarem disciplinam, nihil minus quam disciplinam. *Placamenta hostilis iræ*, quænam prætenderint, describit noster cap. 66. *Gruterus.*

1 *Non quidem in bello.*] Locus obscurus, sed illustro (si tamen sincerus:) Erant preces & supplicia, ut in bello: neque bellum erat, sed tamen timebant hostilia, & pacem sic orabant. *Lipsius.*

2 *In civitate Leucorum.*] Sueton. Vit. 9. scribit Vitellio innotuisse Galbæ mortem ante Valentis discessum. *Savilius.*

3 *Formidine permotus.*] Sic legitur in cod. Manuscripto. *Rhenanus.*

4 *Gallis cunctatio exemta.*] Vivente enim Galba nonnihil fecerunt adversus ejus beneficia, sed adacti tamen juvando Vitellio. Nunc Othonis, Vitelliique odio, & alterius metu, consultum maxime videbatur in speciem se illi probare, unde præsens periculum timeri poterat. *Savilius.*

5 *Jurgio primum.*] Sic restituo locum: cum ante male legeretur, distingueretur que: *Jurgia primum, mox rixa inter Batavos & legionarios. Dum his aut* &c. Addit infra 2. H. 27. de ipsis Batavis, ubi nota verba; *corrupta jurgiis & rixis disciplina.* Freinshemius.

6 *Quod Ædui formidine, Lugdunenses gaudio fecere.*] Vitellius à Galba missus in Germaniam fuit. Lugdunenses acerrimi Galbianorum hostes erant, atque ut supra dixit, *pertinaci pro Nerone fide:* quomodo nunc gaudio Vitellianos excipiunt? an simulato? nam cæso Galba suspecti potius haberi poterant, tanquam in Othonem proni. Vere gavisos crediderim. Nam etsi missu Galbæ Vitellius præerat, legiones tamen, atque una Lugdunenses, fuerunt adversus Vindicem, & Galbam. Sperabant itaque exercitum contra Viennenses accendere. *Pichena.*

7 *Cohortes octodecim Lugduni.*] At tot cohortes mihi relinqui non placet. Cur enim, cum undique miles conquiratur, & eo ad aciem opus: in uno eoque amico opido, impositæ tot cohortes? Sed ait etiam vetera & solita tot cohortibus hiberna fuisse. quod falsum. Unica enim duntaxat jam olim Lugduni cohors: è Taciti III. Annali: *Andegavos Acilius Aviola, excita cohorte, qua Lugduni præsidium agitabat, coërcuit.* Manuscriptos igitur meos audio, & hic *cohortem decimamoctavam* repono. Vox etiam *Lugduni*, supervacua videtur, & velut interpretamentum inserta. *Lipsius.*

*Cohortes XVIII. Lugduni, solitis ibi hibernis* &c.] Rectissime Lipsius *cohortem decimam octavam*, & ejicienda omnino vox *Lugduni*, ut eidem visum.

cuit. Manlius Valens, legatus Italicæ legionis, quamquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit. ſecretis eum criminationibus infamaverat

65 Fabius ignarum, & quo incautior deciperetur, palam laudatum. [1] Veterem inter Lugdunenſes Viennenſeſque diſcordiam, proximum bellum accenderat. multæ invicem clades, [2] crebrius infeſtiuſque, quam ut tantum propter Neronem Galbamque pugnaretur. [3] Et Galba reditus Lugdunenſium, occaſione Iræ, in fiſcum verterat, multus contra in Viennenſes honor. unde æmulatio, & invidia, & uno amne diſcretis connexum odium. Igitur Lugdunenſes exſtimulare ſingulos militum, & in everſionem Viennenſium impellere, *obſeſſam ab illis coloniam ſuam, adjutos Vindicis conatus, conſcriptas nuper* [4] *legiones in præſidium Galbæ* referendo. & ubi cauſſas odiorum prætenderant, magnitudinem prædæ oſtendebant. Nec jam ſecreta exhortatio, ſed publicæ preces; *Irent ultores, exſcinderent ſedem Gallici belli.* [5] *cuncta illic*

De cetero & pro *ibi*, *ſibi* ſcribendum ex mea vel Mureti conjectura. *Acidalius.* Corrupte vulgo. Rectius Florentinus: *Cohortem XVIIIam.* ut de aliis manuſcriptis teſtatur Lipſius. Correxi etiam ex eodem libro, *ſibi*, pro, *ibi.* Pichena. Tendebat Lugduni legio Italica, & ala Taurina. Vide cap. 70. Verum Doctiſſ. vir potius ducit. *cohortem decimam octavam.* Et *ibi tendentibus* abjecto *Lugduni*: quod una tantum cohors præſidium Lugduni agitaret. libro 3. ann. *quorum Andecavos Acilius Aviola legatus excita cohorte, qua Lugduni præſidium agitabat, coërcuit.* Quodque è re non fuiſſet tot cohortes relinquere in ſocia civitate, maxime dum anxie milites undique contrahuntur. Prioribus obviam ſic iri poteſt. Sub Tiberio minus ſuſpecta fuere Gallorum ingenia, quæ poſt motum Vindicis Romanos uſque ſollicitabant. Poſterioribus hæc ſatis erunt. abducitur legionis robur, & ala Taurina, relinquuntur *inania belli* nempe cohortes auxiliorum. libro 2 hiſtor. *reddita civitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus, & prima ſtatim defectione inter inania belli aſſumtus.* Salinerius.

1 *Veterem inter Lugdunenſes Viennenſeſque diſcordiam.*] Cujus origo hinc repetenda. Primi Lugduni incolæ, Vienna expulſi, jure oderant, quos Iniquiſſime ſua per vim occupaſſe norant. *Savil.*

2 *Crebrius infeſtiuſque.*] *Municipalem æmulationem bellis civilibus miſcentes* ut ſcribit Tac. 3. hiſt. de Capua & Puteolis. *Idem.*

3 *Et Galba redditus.*] Ita Danesius legebat. In vulgatis eſt, *reditus.* Urſinus.

4 *Legiones in præſidium Galbæ referendo.*] Nihil deperiret ſententiæ; quamvis ſua ſede extruderetur in malam rem vox ultima *referendo.* meo certe animo, lepidius ſubintelligitur quam exprimitur. *Gruterus.*

5 *Cuncta illic externa.*] Talis & Vienna. Imperator Claudius ſermone habito in Senatu, qui æri inciſus etiamnum Lugduni legitur: *Ornatiſſima. ecce. colonia. Valentiſſimaque. Viennenſis. quam. longo. jam. tempore. huic. curiae. ſenatores. mittit.* & ipſe Tacitus verbis proxime ſequentibus, *Tum vetuſtas dignitaſque coloniæ valuit.* ubi de Vienna agit. Adeo ut cum utraque tantum eſſet Colonia, utraque externa, intempeſtiva fuerit hujus Rhetorica. *Savilius.* Senatus cum accepiſſet Silanum Antonii rebus favere, Lepidum & L. Plancum veritus, ne hi ſe quoque Antonianis adjungerent, miſit ad eos, qui dicerent, nihil jam eorum opera remp. opus habere. Ac ne quid ſuſpicarentur mali, facinuſque aliquod patrarent, juſſi ſunt à ſenatu urbem iis Ergoſiavorum condere, qui quondam Vienna, provinciæ Narbonenſis oppido, ab Allobrogibus expulſi, ad confluentes Rhodani Arariſque fluminum conſederant. Itaque illi ſubſiſtentes, Lugdunum (antea *Lugudunum* dictum) ædificaverunt. Auctor Dio Caſſius lib. 46. Quæ ſi vera ſunt, perperam ſe Lugdunenſes jactitant, *Coloniam Romanam, & partem exercitus.* Sed qui libenter antiquitatem tueor, Dionis & Cornelii ita ſcriptum accipio, ut Vienna pulſis Ergoſiavis, veterani cives Romani immixti fuerint à L. Munatio Planco: neque enim novum eſt dicere Romanam deductam coloniam, ubi non omnes coloni cives Romani fuiſſent. Inde vero expulſi patrio ſolo Lugdunenſes incolæ, non mirum, ſi in Allobroges, Vienna potitos, odium hæreditarium exercent. *Vertranius.* Pugnam hanc Taciti & ſecum & cum aliis non aliter putem conciliandam, quam rethorica iſta ratione: ex invidia hæc à Lugdunenſibus contra Viennenſes ultra verum aucta, ad odium in militum animis conciliandum. *Acidalius.* Reipſa, non etiam nomine. Itaque non erat, cur heic hærerent Criticorum ſummi. Serviunt enim ſuæ cauſæ Lugdunenſes: cuncta producentes; quibus alienetur à Viennenſibus miles; oratorio more ſcil. extenuando verum: utique cum animo quiſque cenſeatur, non titulo, &c. *Gruterus.* Quid ergo, inquit doctiſſ. interpres? Non etiam Vienna inter Romanas colonias? Equidem haud ſatis hæc con-

*illic externa & hostilia*, [1] *se coloniam Romanam & partem exercitus, & prosperarum adversarumque rerum socios. si fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur.* His & pluri- 66 bus in eundem modum, perpulerant, [2] ut ne legati quidem ac duces partium restingui posse iracundiam exercitus arbitrarentur, cum haud ignari discriminis sui Viennenses, [3] velamenta & infulas præferentes, ubi agmen incesserat, arma, [4] genua, vestigia prensando, flexere militum animos. Addidit Valens [5] trecenos singulis

concilio, Ita ille. Utraque colonia Romana, & Lugdunensis, & Viennensis. Non tamen utraque nunc vere Romana fide, affectu, obsequio in Romanos. Hanc laudem, cum magna Viennensium invidia, hic sibi vindicant soli Lugdunenses. Vides sic optime hæc posse & debere conciliari. *Boxhornius.*

1 *Se coloniam Romanam.*] Quid ergo; non etiam Vienna inter Romanas colonias? Verò pridem. Vel Claudio Imperatori credamus in Oratione quam pro Gallis habuit: *Ornatissima ecce valentissimaque colonia Viennensium, quam longo jam tempore Senatores huic Curiæ confert!* Sed & noster statim, de eadem: *Tum vetustas dignitasque coloniæ valuit.* Equidem haud satis hæc concilio. Nisi si Viennenses prisci, id est, Allobroges sive Galli, donati colonico jure, etsi militibus aut Romanis civibus non deductis: Lugdunum autem contra, magnam partem Romanis familiis stetit. Nam & hic externos immixtos, Dio suadet lib. XLVI. *Lipsius.*

2 *Ut nec togati quidem ac duces.*] Vitium frequens nimis. Lege: *ut ne legati quidem ac duces.* Sic & l. 2, 76. & 4, 38. *Gronovius.*

3 *Velamenta & infulas præferentes.*] *Velamenta & infulæ* signa sunt se demittentis, & veniam implorantis. 3. hist. Antonius Primus cum in muros Cremonensium assultando vim faceret, *Primores velamenta & infulas pro muris ostentant.* Livius lib. 2. de Coriolano & l. 30. de navibus Carthaginiensium. *Infulæ* autem teste Varrone & Festo erant *velamenta lanea, quibus sacerdotes & hostiæ, templaque velabantur.* ut ex hac descriptione, inter velamenta & infulas tenuis omnino differentia sit. *Savilius.* Sic & alibi loquitur Cornelius. Morem autem veteribus etiam Romanis usurpatum significat, quo in belli rebus adversis uterentur. *Sacerdotes suis insignib. velatos isse supplices ad castra hostium*, traditum Livio libro 2. Insignia autem erant *Infulæ, lanea velamenta, quæ capiti imponerentur*, ut est à Varrone scriptum de Ling. Latin. lib. 6. Ideo vero cum res in discrimine versarentur, iracundiæ exercitus restinguendæ, eo amictu sacerdotes prodibant, ait Livius, ut tanta offusa oculis animoque religione, hostes moverentur. Eo enim jure vetustiores utebantur, eratque ex pop. Rom. disciplina, *nequid, quod usquam sanctum esset, apud eos violaretur*, inquit P. Scipio Livii 26. Contrarium autem fuit in re apud hostes religiosa vel sacra: illa enim capi violarique sine religione potuerunt, *captaque religiosa vel sacra esse desiverunt*, Pomponio ad Q. Mucium, & Paullo JCis auctoribus. *Vertranius.*

4 *Genua, vestigia prehensando.*] Locutio & sententia eadem lib. 1. ann. 21. *Obniti trahentibus, prensare circumstantium genua.* Ubi sic ex compacto editur. Quid igitur animi fuit Ryckio, non tantum in notis jactanti suppositum & interpolatum istud *prehensando*, sed & in contextum immittendo? præsertim quum sciret in præstantissimo Mediceo legi, *prensando*, in quod mirifica manuum & concordi castitate conveniebat codex vetustissimus alter, qui librum primum annalium referebat. Certe quis contra illos duos? Sed ignoravit ipse locum ex libro primo, aut utique recordari noluit. Ipse Tacitus vindicat suum *prensando.* Quod amplius est, redit in hoc Historiarum corpus lib. 4. cap. 46. *Prensare commanipularium pectora*, ut exhibuit Pichena ex Longobardico hoc ipso exemplari: sequitur cum aliis & Ryckius, sed apposito in ora *prehensando MS.* Si infra suum librum statuit esse dignitatem codicis Medicei, non debuerat hærere tam incertus, sed utroque loco tenorem custodire eundem. Nam & super hæc omnia locus libri 14. ann. 10. fidem facit ab Tacito vel dum Historias scripsit vel postea Annalibus incumbens, semper unum verbum illud *prensare* infixum fuisse animo, etsi nefanda illic sit segnitia Pichenæ exhibentis *prehensantium manum*, & de postrema voce solliciti, de priore securi ad segnitiæ crimen, ut illic patebit. Et plane talis fuit etiam Pichena in lib. 2. hist. c. 46. *Et proximi prehensare genua.* Ille totus tacet: at MS. Mediceus oggerit & clamat *prensare.* Quid quod tandem se develat vir Cl. lib. 1 hist. 36, ubi rursus est *prehensare manibus*, sed in quo consentiunt *Flor. & Meus* in trisyllabum, nisi quod *pressare* exhibeant. Quid igitur? Nempe objicitur *sed vulgata æque bona*, idque probatur ex Livio. An risus teneri potest? Quis enim dubitavit? Sed non id agitur, verum quid pignoris habeant nostra tempora de calamo & stylo Taciti. Duo exemplaria antiquissima, & quæ purum ubique Tacitum ad venerationem legentis reficiunt, sibi constant: unum recens, incertum, modo sic, modo sic: nonne jure comparantur? *J. Gronov.*

5 Tri-

gulis militibus sestertios. tum [1] vetustas dignitasque coloniæ valuit; & verba Fabii salutem incolumitatemque Viennensium commendantis, æquis auribus accepta. publice tamen armis mulctati, privatis & promiscuis copiis juvere militem. Sed fama constans fuit, *ipsum Valentem magna pecunia emptum.* Is diu sordidus, repente dives, mutationem fortunæ male tegebat, accensis egestate longa cupidinibus immoderatus, & inopi juventa, senex prodigus. Lento deinde agmine, per fines Allobrogum & Vocontiorum ductus exercitus: ipsa itinerum spatia, & stativorum mutationes venditante duce, fœdis pactionibus adversus possessores agrorum, & magistratus civitatum, adeo minaciter, [2] ut Luco (municipium id Vocontiorum est) faces admoverit, donec pecunia mitigaretur. quotiens pecuniæ [3] materia deesset,
67 stupris & adulteriis exorabatur. Sic ad Alpes perventum. [4] Plus prædæ ac sanguinis Cæcina hausit. Irritaverant turbidum ingenium [5] Helvetii, Gallica [1] gens,

5 *Tricenos singulis militibus sestertios.*] Liber Hispanus, *trecenos* quod verius. Nam prius illud non congiarium sit, sed heminarium: ut quidam jocabatur. *Treceni* H S. sunt nobis, septem Philippici & semis. *Lipsius.*

*Trecenos singulis militibus sestertios.*] Id est, 46. S. 10. d. ob. & sic 40000. (in hanc enim multitudinem excreverat exercitus, præter octo cohortes Batavorum, legionem Italicam, & alam Taurinam) 93750. libras. *Savilius.* Ita Flor. male vulgo, *tricenos.* Pichena.

1 *Vetustas dignitasque Coloniæ valuit.*] Proscriptus passim locus iste, tanquam mutilus: sed non est, vult auctor, flexos quidem fere animos militum habitu illo supplicum, sed tum plene ac bona fide agnovisse quales essent, cum donativum eis obvenisset, omni ratione & adfectu valentius. *Gruterus.*

2 *Lucus, municipium id Vocontiorum est.*] *Municipium* & *Colonia* etsi indifferenter classicis usurpentur auctoribus, tamen re, & loquendi proprietate secernuntur, neque miscendas significationes habent. Sic. Tacit. 2. hist. ut sejuncta constituit, *dispersi per municipia & colonias Vitelliani.* Discrimen est, quod municipia, extrinsecus in civitatem assumuntur, & *coloniæ* è civitate educuntur. Gell. 16. 13. ex oratione D. Hadriani ad Italicenses hoc modo distinguit. *Municipes sunt cives Romani ex municipiis, suo jure & suis legibus utentes muneris tantum cum P. R. honorarii participes, à quo munere capessendo appellati videntur: nullis aliis necessitatibus, neque ulla P. R. lege astricti, quum nunquam P. R. fundus factus esset. Coloniarum alia necessitudo est; non enim veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex civitate quasi propagata sunt, & jura institutaque omnia P. R. non sui arbitrii habent.* Quod autem Lucus fuerit *municipium* ex stricto vocabuli usu, discimus ex Plinio 3, 4. *Vocontiorum civitatis fœderata duo capita, Vasio & Lucus Augusti.* Savilius. An sic nunc incendio deformatum nequiverit apud posteros tueri nomen, quod hodie valde obscurum est, proponit doctissimus Sirmondus ad Sidonii Epistolas 5, 6. *Jac. Gronovius.*

3 *Materia deesset, stupris & adulteriis exorabatur.*] Ita legebat Faernus, omissa copula *&*, quæ est ante verbum *stupris.* Ursinus. Melius demseris prius *&*: Muret. habet similiter. *Acidalius.* Additam in vulgatis particulam, *&*, ante vocem, *stupris*, ex antecedenti syllaba ingeminatam sustuli auctoritate Florentini, tanquam supervacuam. *Pichena.*

4 *Plus præda.*] Hinc incipiendum esse caput monui; cum alias hæc verba divellerentur à sequentibus, & initium capitis facerent ista. *Irritaverant turbidum.* non sine damno sententiæ. *Freinshemius.*

*Plus præda ac sanguinis Cæcina hausit.*] Sic dedit publico Beroaldus, non quod debuit aut potuit; & egregiis viris, qui medio tempore fuerunt, subtracta est occasio acuendi se ad reperiendum quid lateret sub eo, quod in veterrimo codice exstat, nempe *sanguinis p̄ Cæcina.* Hæc enim interpositio illic conspicitur, sive illa referri debet ad exempla, quæ velut similia prolata sunt in libro 13. vel ab Pichena in cap. 15. vel a me in cap. 25, sive innuit *plus præda ac sanguinis plus Cæcina hausit*, prout adsuevit hic Cornelius idem vocabulum sic duplicare. Sed totum trado doctioribus. *Jac. Gronovius.*

5 *Helvetii Gallica gens.*] Livius l. 21. videtur eos appellare semigermanos: *Quæ ad Peninum ferunt itinera obsepta gentibus semigermanis fuerunt.* Savilius. Eutropius eorum sedes à Quadis occupatis satis ostendit, ut suspicer omnes deletos, cum Quadi Marcomanique sub Aureliano in Italiam prorupere. Extat adhuc in eis vallis *Marcomana* nomine. Periere & illi. Atque ab Alamannis (colluvies Germanorum erat) superati, in eorum nomen concessere. à Theoderico deinde Gotho victi, Francis ex fœdere dediti sunt. aucti demum Saxonum accessione, quos ob violatam pluries fidem

[1] gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara, de cæde Galbæ ignari, & Vitellii imperium abnuentes. Initium bello fuit [2] avaritia ac festinatio unaetvicesimæ legionis. [3] rapuerant pecuniam missam in stipendium castelli, quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur. ægre id passi Helvetii, interceptis epistolis, quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur; centurionem & quosdam militum in custodia retinebant. Cæcina belli avidus, [4] proximam quamque culpam, antequam pœniteret, ultum ibat. mota propere castra. vastati agri. [5] direptus longa pace in modum municipii exstructus locus, amœno salubrium aquarum usu frequens. missi ad Ræetica auxilia nuntii, ut versos in legionem Helvetios à tergo aggrederentur. Illi ante discrimen feroces, in periculo pa- 68
vidi, quamquam primo tumultu Claudium Severum ducem legerant, non arma noscere, non ordines sequi, non in unum consulere. [6] exitiosum adversus veteranos prœlium, intuta obsidio, dilapsis vetustate mœnibus. hinc Cæcina cum valido exercitu, inde Ræticæ alæ cohortesque. & ipsorum Rætorum juventus sueta armis, & more militiæ exercita. undique populatio & cædes, ipsi in medio vagi abjectis armis, magna pars saucii aut palantes, [7] in montem Vocetium perfugere. Ac statim

dem sedibus ejectos Carolus Magnus in Alpes conjecit, *Suitenses* cœpere dici, paruere deinde regibus Germanorum. Centum fere anni sunt, cum se cæsis præfectis in libertatem asseruere, cum cæde repressis Cæsaribus. Hac ætate prima illis peditatus gloria. A Philippo Vic. quod deletis cohortibus dedecus subierant, frequentibus nunc victoriis recuperavere, nisi quod & memorabili prælio sua inter se perfidia in suburbanis Mediol. à Francisco Francorum rege cæsi, superbos titulos deponere rursus coacti sunt. *Alciatus.*

1 *Gens, soli in armis virisque, mox memoria nominis clara.*] Emendavi distinxique, contra vulgatarum editionum Budensisque voluminis lectionem, *gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara.* Expone, *clara gens memoria nominis*, hoc est ob memoriam nominis. Meminimus hujus etiam loci libro rerum Germanarum primo. *Rhenanus.*

2 *Festinatio undevicesimæ legionis.*] Ut supra narravit, Cæcina unicam legionem habuit, eamque XXI. Quis igitur hæreat, quin hic scribendum, *unaetvicesimæ?* Didici postea sic esse in Florentino. *Lipsius.*

*Avaritia ac festinatio unaetvicesimæ legionis.*] Ita clare ac vere Florentinus. Male vulgo, *undevicesimæ.* Pichena.

3 *Rapuerint pecuniam.*] Ita legebat Faernus, non *rapuerunt*, ut in vulgatis. *Ursinus.* Scripsi *rapuerant*; ex Flor. ac Ven. Vulgo, *rapuerunt.* Pichena.

4 *Proximam quamque culpam.*] Quum satis manifesto sensu sic loquatur auctor, vel ratione temporis vel situ locorum, ut quos reos deprehendere tantum posset; tamen Nic. Heinsius quia culpam pœnitere nequit, hæc legere non potuit, quin aliam adfundens locutionem in notis ad Valer. Flacc. libro 3, juberet emendare *proximum quemque culpa, aut pœn. ultum ibat.* Quod proprie non agit Cæcina, nec forsan agere potest. Ille vero aggressus fuit omnia, quæ potuit, & prout recentissima quæque deliquissent, tanquam omnia meruissent puniri, unde incipiens ab illis, quæ vel situ vel tempore erant proxima, processit ad singula. De proximis culpæ non est dubium, & ubique illi quidem plectuntur. Singulari & nova rabie nititur Cæcina. *Jac. Gronovius.*

5 *Direptus longa pace.*] De Budensi oppidulo possis intelligere, apud quod haberi solent Helvetiorum conventus. Ibi sunt aquæ calidæ, quas vulgus Helvetiorum à pastore pecorum inventas credit, ut scribit Rhenanus rerum Germ. l. 3. *Lupanus.*

6 *Exitiosum adversus veteranos prælium.*] Veterani hic, non qui militiæ ac stipendiorum tempus absolvissent, sed tantummodo veteres milites ad differentiam tironum, notavi etiam lib. 3. Ann. & lib. seq. veteranas legiones appellat, ac sæpe veteranum exercitum. *Pichena.*

7 *In montem Vocetium.*] Quidam libri, *Vocetum.* And. Schotus noster, *Vogesum*, reponebat. Quem fateor non quidem in Helvetiis esse, sed nec longe ab iis. Certe Vocetii non alibi mentio. *Lipsius.*

*In Vocecium montem.*] Germanis den Boetzberg nominari Rhenanus annotavit, B, pro V usurpantibus. Is mons pars est Juræ montis, infamis ob lamas & voragines, maxime pluvio tempore. Viculum habet, quem vulgus *Vocecium* vocat, Rauracos versus. Mons est quoque Vogesus in finibus Lingonum, ex quo Mosam profluere Cæsar lib. 4. Comm. scribit, ab aliis *Vosegus* dictus. Separat Burgundos à Lotharingis, atque Elsatiam ab ipsis Lotharingis. Meminit Lucanus in Pharf. lib.

ſtatim immiſſa cohorte Thraecum depulſi, & conſectantibus Germanis Rætiſque,
per ſilvas atque in ipſis latebris trucidati. multa hominum millia cæſa, multa ſub
corona venundata. [1] Cumque direptis omnibus, [2] Aventicum gentis caput juſto
agmine peteretur; miſſi qui dederent civitatem, & deditio accepta. In Julium
Alpinum è principibus, ut concitorem belli, Cæcina animadvertit; ceteros veniæ
69 vel ſævitiæ Vitellii reliquit. Haud facile dictu eſt, legati Helvetiorum minus pla-
cabilem imperatorem, an militem invenerint. *civitatis excidium* poſcunt, tela ac ma-
nus in ora legatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat;
cum Claudius Coſſus, unus ex legatis, notæ facundiæ, ſed dicendi artem apta tre-
pidatione occultans, atque eo validior, [3] militis animum mitigavit, ut eſt mos vul-
go, [4] mutabilem ſubitis, & tam pronum in miſericordiam, quam immodicus ſæ-
vitia fuerat. effuſis lacrymis, & [5] meliora conſtantius poſtulando, impunitatem ſa-
70 lutemque civitati impetravere. Cæcina paucos in Helvetiis moratus dies, dum ſen-
tentiæ Vitellii certior fieret, ſimul tranſitum Alpium parans, [6] lætum ex Italia
nuntium accipit, *alam Syllanam circa Padum agentem, ſacramento Vitellii acceſſiſſe.*
Proconſulem Vitellium Syllani in Africa habuerant: mox à Nerone, ut in Ægy-
ptum præmitterentur, exciti, & [7] ob bellum Vindicis remorati, ac tum in Italia
manentes, inſtinctu decurionum, qui Othonis ignari, Vitellio obſtricti, robur ad-
ventantium legionum & famam Germanici exercitus attollebant, tranſiere in par-
tes: & ut donum aliquod novo principi, firmiſſima Tranſpadanæ regionis munici-
pia, Mediolanum, ac Novariam, & Eporediam, ac Vercellas, adjunxere. id
Cæcinæ per ipſos compertum. Et quia præſidio alæ unius latiſſima pars Italiæ de-
fendi nequibat, præmiſſis Gallorum, Luſitanorum, Britannorumque cohortibus,
& Germanorum vexillis, [8] cum ala Petrina; ipſe paululum cunctatus, num
[1] Ræ-

lib. 1. 407. *Quæ Vogeſi curvam ſuper ardua ripam Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.* Quam lectionem mutari à Sabellico non ignoro. Si enim vetus lectio vera eſt, *Voſegus*, ſive *Vogeſus* flumen potius, quam mons videri poterat. Hoc docti viderint. *Lupanus.*

1 *Cumque direptis omnibus.*] Flor. *dirutis.* Ven. *diruptis.* Mihi vulgata lectio potior, ut referatur ad prædam. Supra enim dixit: *Plus prædæ ac ſanguinis Cæcina hauſit.* Pichena. Nempe ut 1. ann. 20. *Direptiſque proximis vicis.* Sed interim quum dicuntur omnia diruta, certe credi ſatis ſecure poteſt inde & direpta eſſe omnia; unde nihil tutius antiqua ſcriptura. *Jac. Gronovius.*

2 *Aventicum.*] Hodie Friburgenſis eſt ditionis. Amm. Marcell. ſuis temporibus deſertam civitatem dicit. *Lupanus.*

3 *Militis animum mitigavit, ut eſt.*] Sic reſtitui totum locum adjutus editt. vett. conſenſu, quæ fere ſic habent: *militis animum mitigavit: ut eſt mos vulgo mutabilem ſubitis: & tam pronum in miſericordiam: quam immodicum ſævitia fuerat.* ex quibus, excepta diſtinctione nihil muto, niſi ut *immodicus* faciam ex *immodicum.* quoniam manifeſtum eſt, omnia iſta referenda eſſe ad vocem *animus*, non ad vocem *vulgo*, ut putaverunt, qui iſta ſic mutabant; *militis animum mitigavit: ut eſt mos vulgo, mutabili ſubitis, & tam prono in miſericordiam, quam immodicum ſævitia fuerat.* Freinshem.

4 *Mutabilem ſubitis & tam pronum in miſericordiam.*] Quia regium exemplar habet, *mutabile*, ſum auſus hunc locum ſic mutare, *mutabili ſubitis, & tam prono in miſericordiam* &c. *Rhenanus.*

5 *Meliora conſtantius poſtulando.*] Forte melius, *melliora.* Sic item Lipſ. ad marginem. Sed tamen lib. 4. Hiſt. idem legitur: *Sic accenſum, ſed meliora referre juſſum dimittit.* Acidalius.

6 *Lætum ex Italia nuntium accipit.*] Deeſt hic in Flor. folium, cujus tamen defectum ſupplevi, alterius manuſcripti ab illo proximi collatione. Iſque ſic legit, *nuntium accepit.* Pichena. Cur ſe venditet ſuppleviſſe, quod & Beroaldus edidit, & Rhenanus polire conatus eſt, & tot alii ſuppletum ante eum dedere, nullus intelligo. Interim producit in ſequentibus alias lectiones, ſed ita ut nihil ad felicitatem præcedentium capitum, quibus contigit poſt tot ſæcula ex fideliſſimo codice exornari ad primævum decus. *Jac. Gronovius.*

7 *Ob bellum Vindicis revocati.*] Caſtigavimus, *remorati.* Rhenanus.

8 *In Alpe Graja ipſo.*] Male huic loco eſſe jurem apud omnes Cenſores. Pugnat hiſtoria, pugnant libri. De hiſtoria, quid certius quam Cæcinam non Grajo monte ſed Penino in Italiam
veniſ-

[1] Ræticis jugis in Noricum flecteret, adversus [2] Petronium urbis procuratorem, qui

venisse? Tacitus supra. *Cæcina propiere transitu Peninis jugis digredi jussus.* & paullo infra: *Penino subsignanum militem itinere & grave legionum agmen traduxit.* Atqui diversi & dissiti hi transitus. Jam libri longe abeunt ab hoc scripto. Farnesianus, *in alpe triaria*, sicut & Hispanus: Budensis, *trianna*: optimus Vatic. *cum alpe tarina*: ex quo ego, *ala Taurina*: Savilius, *Petrina*, Et certe Taurina, jam cum Valente, in Italiam iverat. Ergo Savilio assentior, & libens. *Lipsius.*

*In alpe Graja.*] Nusquam magis variant exemplaria quam in nominibus propriis vel locorum vel hominum. Liber MSC. sic habet, *in alpe trianna.* Rhenanus. In editis lib. est *in Alpe Graja*, mendose procul dubio, cum Alpes Grajæ transeuntibus Sabaudia iter in Italiam aperiant, ut ego quidem existimo, apud montem vulgo *Senise* dictum, aut S. Bernardum minorem, via Lugduno recta Mediolanum ferente. Ex Helvetia, ubi Cæcina erat, pergenti occurrunt *Penina* apud montem dictum S. Bernardi majoris. Cottiæ ex Delphinatu in Italiam ducunt apud montem *Geneura.* Vaticanum exemplar habet *cum alpe Tarina*, quod observatis proxime literarum vestigiis, & cum maxima similitudine veri ex circumstantiis, conjicere liceat scriptum fuisse *cum ala Petrina* potius quam *ala Taurina*, quæ aliud eum Valente iter ingressa erat. Meminit 4. hist. cujusdam Claudii Sagittæ, *qui è Vitellianis* & *præfectus ala Petrina* erat. *Savilius.* Nota in singulari *Alpe Graja* l. 4. Hist. montem Grajum idem ipse nominat. Hæ Alpes à transitu Græcorum & Herculis, Grajæ nuncupatæ, quas summas Alpes Cæsar appellat: *montem Sancti Bernardi* vocant, & ea transiisse Hannibalem volunt, tametsi Peninis Alpibus Hannibalem transiisse Livius scribat. *Lupanus.* Felicius Savilius; *cum ala Petrina.* Nam & ala Taurina hic esse non potuit, quæ cum Valente Cottiis Alpibus transiit, & *Petrinam* alam in partibus Vitellii fuisse, indicio est Sagitta præfectus alæ Petrinæ. Inf. l. 4. *Mercerus.* Alter MSC. *in Alpe Triaria.* Lipsius *Taurina*; At Mercerus ex Henrico Savile veram lectionem affirmat, *cum ala Petrina.* Pichena. Miror qui hæc emendatio venire potuerit in mentem doctiss. viro *cum ala Taurina.* Hæc enim ala Lugduno abducta, & comes Valenti, qui Italiam diverso itinere petebat. *Fabius Valens allicere, vel si abnuerent vastare Gallias, & Cottianis Alpibus Italiam irrumpere, Cæcina prepiore transitu Peninis jugis degredi jussus. Et sed legio Italica & ala Taurina abducta: cohortes XVIII. Lugduni solitis sibi hibernis relinqui placuit.* Interpretemur itaque vulgata. Cæcina dum Peninum versus tendit, Transpadanas civitates audit Vitellii partes induisse: ideo metuens, ne tot oppida unius alæ Syllanæ defensioni male relinquerentur, præmittit auxiliares, qui Penino descenderent in Transpadanam regionem, ibique cum Syllanianis fortunam partium sustentarent: ipse vero petit Alpes Grajas, ut inde in Noricum deflecteret adversus Petronium procuratorem: sed cum eas jam teneret, & re melius animadversa præmissis copiis timeret, iter convertit, & milites (ut jussus erat) per Peninum ducit. Τὸ *alpe Graja* ἰσχυρῶς ut 4. hist. *pars monte Graje traducuntur.* At 2. hist. *Germanorum vexillis* scil. equitum & *equitum vexilla cum legione prima* de morib. Germ. maxime quòd Germani equo libenter merebant. Præterea *ala* dicitur de equitibus sociorum, & *vexilla* proprie equites designabant. Lipsius 2. dial. 6. de mil. Rom. & dial. 8. Quapropter jure scriptum est *alasque.* Cæterum noster solita sibi brevitate non exprimit aditionem Alpium Grajarum, ut alibi siluit petitionem proconsulatus. *eoque etiam Asia forte depellendum* (3. ann.) Nempe M. Lepidum. *Salinerius.* Palmariam Savilii correctionem Lipsio etiam, Merceroque atque Pichenæ probatam, ut debuimus, auctori reddidimus. Editt. corrupte, *in alpe Graja.* Freinshemius.

1 *Ræticis jugis.*] Vulgo *Grisonum Alpes.* Lupanus.

2 *Petronium urbis procuratorem.*] Cujus urbis? imo totius Norici procurator erat, non unius alicujus oppidi. Vertranius Maurus JCtus emendat, *urbis Præfectum*, sive *Prætorem.* Haud recte. quæ enim ejus partes in Norico? Ego vero aut oblita ea voce scripserim, *Petronium procuratorem*, aut mutata, *Petronium ibi procuratorem.* Vetus quidem lectio *urbi* habet: quod depravatum facile ex *ubi* vel *ibi.* Lipsius.

*Petronium urbis procuratorem.*] Lego, *præfectum*: licet alius *prætorem* legere possit, ex iis literis, quæ primo positæ sunt, *pr.* Alterutrum certe probabilius est multo, quam si *urbis procurator*, cujus nemo præterea, quod sciam, mentionem fecit, ex hoc uno loco asseratur in Rom. rep. Neque vero intra urbem fuere tributa, quæ procuratores exigerent: quod si ærario populi vindicandum quidpiam erat, Quæstorum ab ærario, præfectorum muneris fuit. *Vertranius.* Castigationes vulgatis de via decedant. *Urbs* κυρίως quæ muris cingitur. lib. 2. D D. de verb. signif. *Urbis appellatio muris finitur.* *Civitas* pro gente Cæs. lib. 7. Gall. *procumbunt Gallis omnibus ad pedes Bituriges, ne pulcherrimam prope totius Galliæ urbem, qua & præsidio & ornamento sit civitati, suis manibus succendere cogerentur.* Sic Q. Sanga, in cujus tutela Allobroges, dicitur patronus *civitatis* Sal-

qui concitis auxiliis, & interruptis fluminum pontibus, fidus Othoni putabatur. Sed metu ne amitteret præmissas jam cohortes alasque, [1] simul reputans plus gloriæ retenta Italia, & ubicumque certatum foret, Noricos [2] in ceteræ victoriæ præmia [3] cessuros, Penino [4] subsignanum militem itinere, & grave legionum
71 agmen, [5] hibernis adhuc Alpibus traduxit. Otho interim, contra spem omnium, non

Salluft. Cat. *itaque Q. Fabio Sanga cujus patrocinio plurimum civitas utebatur.* Cæsar adstipulat Gall. c. 2. *& civitati persuasit.* Nec dissentit Vellejus lib. 1. *qua nunc Thessalia appellatur, antea Myrmidonum civitas vocitata.* quibus noster consonat 3. hist. *Principes Sarmatarum Jazygum penes quos civitatis regimen.* At ii sæpe utramque Istri ripam incoluere. Strab. l. 7. μεθ' ὧς οἱ Ἰάζυγες Σαρμάται &c τύτυς φασὶ καὶ τὸ ὄρος τ Ἴστρου οἰκεῖν ἐφ' ἑκάτερα πολλάκις. Et mirum est, nisi Norici arripuere consilium, quod Jonibus Thales olim dedit. ὃς ἐκέλευσεν ἓν βουλευτήριον Ἴωνας ἐκτῆσθαι. τὸ δὲ εἶναι ἐν Τέῳ (Τέων γὰρ μέσον εἶναι Ἰωνίης) τὰς δὲ ἄλλας πόλιας οἰκεομένας μηδὲν ἧσσον νομίζεσθαι, κατάπερ εἰ δῆμοι εἶεν. At Cornelio *urbs* abusive usurpatur pro civitate, nec sine exemplo: Græci enim utrumque significatum nomine πόλεως amplectuntur. Thucyd. lib. 1. Ἐπίδαμνός ἐστι πόλις i. *Epidamnum est urbs.* Alibi πόλεως κατὰ κώμας τῷ παλαιῷ τῆς Ἑλλάδος τρόπῳ οἰκισμένης. i: *civitate antiquo Græcorum more vicatim habitata.* Dicimus igitur *procuratorem urbis*, id est, totius Norici, quæ gens per procuratores administrabatur. *Duæ Mauretaniæ, Rætia, Noricum, Thracia, & quæ aliæ procuratoribus cohibentur.* Vel, *procuratorem urbis*, non Cæsaris, Nero enim sic Patres affatus est. l. 13. ann. *consulum tribunalibus Italia, & publicæ provinciæ assisterent, se mandatis exercitibus consulturum.* Salinerius. Alter MSC. habet, *urbi*, quod magis firmat Lipsii correctionem *ibi*, quæ apud me indubia. Aliquid simile lib. seq. *trierarchum Liburnicarum ibi navium.* Pichena. Altius quoddam vitium metuo, credamque potius ibi latere cognomen hominis, ut forte fuerit *Petronium Urbicum:* cognomine aliis quoque familiis usurpato. Sic commentator Frontini de agrorum qualitatibus *Aggeni Urbici nomine* noscitur. nisi forte rectius *Adginnius* scribatur, ut in inscriptione apud Gruterum pag. 13. n. 15. ADGINNIUS URBICI FIL. *Freinshemius.* Hanc conjecturam laudat quoque Reinesius ad Inscriptiones pag. 31. ita ut libenter se scribat sequi illum, qui feliciter ex corrupta omnium codicum scriptura cognomen hominis eruerit. Quod miror, quum qualiscunque sit, utique sit incertissima. Nam licet ita 11, 35. etiam occurrat *Pompejus Urbicus*, tamen neuter illorum ignoravit insuper Romæ nomen fuisse *Urbinus*, æque ac *Urbinius.* Utraque satis nota. Itaque si ex vocis *urbi* extensione aut debet aut potest colligi vera antiquitas, apparet alterutri & tertiæ *Urbanus* idem juris ac speciei adesse. Sumat sibi arbitria Reinesius. Sed quæso an non est aliquid lenius? Quanto probabilius est in librarii alicujus manu hæsisse peccatum, dum quod alter scripserat *vibium*, ex eo alter reposuit *urbis*, quum debuit *Vibium?* ut in Inscriptionibus nominatur *Petronius Salvius.* Tu considera, qui legis. Sed in talibus non decet nimis plaudere. *Jac. Gronovius.*

1 *Simul ac reputans.*] Particulam *ac* delevimus. *Rhenanus.*

2 *In cetera victoria præmia cessuros.*] Scripsimus, *accessuros.* Rhenanus. Man. *cessuros*, ceteris fere omnibus consentientibus. Vulgo, *accessuros.* Pichena. Legendum arbitratus, *in cetera victoria præmia:* cum esset, *in cetera vict. præmia.* haud quaquam probe. Sensus enim est: Noricos parum momenti ad rerum summam adferre, sed accessionem fore ceteræ victoriæ, hoc est, ei qui alibi reliquis locis victoriam obtinuisset. *Cetera victoria*, sicut *ceterus orbis* infra Agric. 17. & *ceterum mare* supra 2, 24. *Freinshemius.*

3 *Accessuros.*] Covarruviæ liber & priscæ editiones, *cessures.* Lipsius.

4 *Subsignanum militem & grave legionum agmen.*] *Subsignanus miles, & grave legionum agmen* (cum tamen unica tantum integra legio adesset vigesima prima) re & significatione hic idem esse videntur, qua auxiliaribus contradistinguuntur. 2. hist. *Erupere legionarii in perniciem auxiliorum.* 4. hist. *Id solum, ut in tumultu, monuit, subsignano milite media firmare. Auxilia passim circumfusa sunt.* Et alibi tamen reperias; *quicquid sub signis sociorum.* Savilius. Lipsius de mil. Rom. 2. dial. 2. de velitibus loquens, ait, ab iis secerni subsignanos milites. Sed quod genus militum subsignani fuerint, neque ipse docet, & ego dubito. Legionarii non erant, ut hic apparet. nec auxiliares: nam infra lib. 4. ait, *monuit, subsignano milite media firmare, auxilia passim circumfusa sunt.* unde non nihil suspicor, eosdem esse, quos sæpe Tacitus *Vexillarios* appellat: vere quidem legionarios milites, sed ex absentibus legionibus arcessitos, collectosque, nempe leviores & expeditiores. De iis multa dixi ad l. 1. Ann. *Subsignanorum* etiam meminit Amm. Marcel. l. 29. *hos vero subsignanos milites debuisse lenius corrigi, ad unum prolapsos errorem.* Pichena.

5 *Hibernis adhuc nivibus.*] Iidem libri, *hibernis,*

non deliciis neque desidia torpescere. dilatæ voluptates, dissimulata luxuria; & cuncta ad decorem imperii composita. eoque plus formidinis afferebant falsæ virtutes, & vitia reditura. Marium Celsum consulem designatum, per speciem vinculorum, sævitiæ militum subtractum, [1] acciri in Capitolium jubet. clementiæ titulus, è viro claro & partibus inviso, petebatur. Celsus constanter, servatæ erga Galbam fidei crimen confessus, [2] exemplum ultro imputavit. [3] Nec Otho quasi ignosceret, sed

*nis adhuc Alpibus.* quod interpretor Sallustiano verbo, Alpibus adhuc hiemantibus. Poeta etiam vetus eo sensu dixit:

*Jupiter hibernas cana nive conspuit Alpes.*
Lipsius.

*Hibernis adhuc nivibus traduxit.*] Sic verba ordinavimus. *Rhenanus.* Vulgo, *nivibus.* at, *Alpibus* scripsi, manuscripti auctoritate, & aliorum, teste Lipsio; qui probat, exemplisque confirmat. *Pichena.* Sic solum editio Veneta. Prior illa *hib. adhuc Alpibus*, quod jam sine controversia restituendum Tacito, ejecta voce altera, quæ jam centum annis, injusta infestrix possessionis alteræ. *Gruterus.*

1 *Acciri in Capitolium jubet.*] Proximo post Galbæ cædem die, ut testatur Plutarch. *Savilius.*

2 *Exemplum ultro imputavit.*] Non videtur esse mala lectio, quanquam nos *impetravis* scripsimus, secuti fidem libri vetustioris. Et sequitur: *Nec Otho quasi ignosceret.* Rhenanus. *Imputare* apud Tacitum gemina occurrit significatione, qua in bonam sequioremque partem sumi non repugnat; sed ut sæpius notet *beneficii loco numerare*, aut quicquid in hunc sensum redit. hist. 1. *Neque enim erat adhuc, cui imputaretur*, id est: non erat, qui ex tumultu rebus suis consultum putaret. Hoc loco, *exemplum ultro imputavit*, id est, constantem sacramenti semel dicti fidem, beneficium quoque in Othonem interpretabatur, neque exemplum Principis ullius indignatione excipiendum. Non me latet, aliud Plutarchum tradere in principio Othonis: *Otho jussit ad se adduci Marium Celsum, quem complexum amice compellavit, ut potius, quod fecisset, oblivioni traderet, quam data venia meminisset.* &c. Sed hujus vitii gratiam ei facimus, quod contraxit ex loco Taciti hic perperam intellecto, cum in longe facilioribus apud Cæsarem, quo minus laberetur, præcavere non potuerit. Sed ut ad exempla redeamus. 2. hist. *proditionem ultro imputabant.* 5. hist. eodem sensu: *Potuisse tunc opprimi legiones, & voluisse Germanos, sed dolo à se flexos imputavit Civilis.* Utroque loco significat Tacitus hostium commodo partes suas prodidisse. *Unde metus & ex metu consilium, posse imputari Vespasiano, quæ apud Vitellium excusanda erant.* id est: beneficium in Vespasianum esse, quicquid accusare Vitellius potuit. 4. hist. *Ambiguam fortunam belli Vespasiano imputaturos*, id est: quod infelice belli eventu, & à suis partibus fortuna, pro Vespasiano stetissent, sin ipsi victores evasissent, non adigendos ad reddendam prosperi successus rationem. 3. hist. *Imputare perfidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere.* id est, reip. beneficii loco annumerare non possunt, quasi publico Patriæ bono id præstitissent, qui prius per rebellionem à Galba Imperatore bono descivissent ad Vitellium aut Othonem. De morib. Germ. *Gaudent muneribus, sed nec data imputant, nec acceptis obligantur.* id est, nec ea, quæ conferunt, in partem ullam beneficii deputant, nec iis quæ accipiunt, inest aliquod redhostimenti vinculum. Neque usus verbi *imputare* istius ævi auribus adeo insolens erat. Sueton. Tib. 53. *Imputavit etiam quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit.* Plin. 8. ep. 21. *Recitavi biduo, hoc assensus audientium exegit, & tamen ut alii transeunt quædam, imputantque quod transeunt.* Utroque loco *imputare* pro beneficii loco numerare. Sumitur quoque pro maleficii loco numerare & vitio vertere. 2. hist. *Vitellio initium belli nemo imputabat*, id est: nemo id illi vitio vertebat. 3. hist. *Casum Cremonæ bello imputandum*, in vita Agric. *Approbate Reip. nunquam exercitui imputari potuisse aut moras belli, aut causas debellandi.* Et sic in aliis scriptoribus, quos ista tulit ætas, ut Seneca, Lucano, Statio, Martiale &c. obvia in utrumque sensum significatio istius vocis est. *Savilius.* An ut fidus Galbæ fuit, eodem exemplo se Othoni futurum ait? potius credo, ipsum Othoni imputasse exemplum servatæ ab eo erga Neronem fidei. *Pichena.* Ipsius Othonis interesse, ut fidos ministros habeat Imperator; ejus rei exemplum se dedisse, qui Galbæ, imperatori suo, fidus fuisset. Ex hac mente magni reges ducesque fidem etiam in hoste coluerunt. ut Ptolemæus, cujus exemplum Lipsius in monitis Politicis cap. 13. refert, qui Andronicum, fidum Demetrio, eam ob caussam honore & præmiis adfecit: quale de Antonio etiam, atque Solimanno Turca ibidem reperias. Huc respicit istud Eumenis apud Justin. 14, 1. dum militibus persuadere nititur epistolis, quibus interfectori ejus præmia promittebantur, ab se ipso jactatas fuisse, ut animos suorum experiretur; qua in opinione ut magis eos confirmaret, subjicit: *nec quemquam ducum sic velle vincere, ut ipse in se exemplum pessimum*

sed ne hosti [1] metum reconciliationis adhiberet; statim intra intimos amicos habuit, & mox bello inter duces delegit. mansitque Celso velut fataliter etiam pro Othone [2] fides integra & infelix. [3] Læta primoribus civitatis, [4] celebrata in vulgus

*simum statuat.* Addo simillimam Ciceronis mentem, ex illis epist. penult. lib. ss. famil. *Sed non vereor* &c. *ne etiam ii, qui me non amant, propter meam in Cæsarem constantiam, non malint mei quam sui similes amicos habere.* & Plinii epist. 3, 9. *Fides in præsentia eos, quibus resistit, offendit: deinde ab illis ipsis suspicitur, laudaturque.* Freinshemius.

3 *Nec Otho quasi ignosceret.*] Frons aliqua sententiæ appareat: sed si excutias, vanæ & salsæ. Censeo emendandum: *sed nec hostis metu, reconciliationi se adhiberet.* Duo videlicet, cum Celsum sibi jungeret, Otho cavit. Ne aut ignoscere videretur, ut in vero magnoque crimine, aut ne hostis, id est, Vitellii metu, adsciscere sibi virum nobilem & fortem. Itaque nec obnoxium habere eum voluit, nec suspensum: sed statim assumpsit inter intimos amicos. Plutarchus comitatem hanc ita narrat: *Κελεύσας Μάριον Κέλσον ἀχθῆναι πρὸς αὐτὸν, ἠσπάσατο καὶ διελέχθη φιλανθρώπως, καὶ παρεκάλεσε τῆς αἰτίας ἐπιλαθέσθαι μᾶλλον, ἢ τῆς ἀφέσεως μνημονεύειν. Jubens Marium Celsum ad se adduci, amplexus est virum, & benigne allocutus monuit, ut caussæ magis oblivisceretur, quam veniæ meminisset.* Hæc talia acumina frustra multis verbis approbem iis qui non tales. *Lipsius.*

1 *Metum reconciliationis adhiberet.*] Volumen Budense habet, *metum reconcioni adaivens, statim intra intimos amicos habuit.* Rhenanus. Magis placeret, *inter intimos* &c. *Ursinus.* Muret. *inter.* Sed loco huic non melius Lipsii emendatione factum, pejus potius. Sententia, quam ille vult, nec elici ex ipsis verbis Taciti ita emendatis potest, & est prorsus à Taciti & Othonis mente aliena. Otho nolebat videri ignoscere? cur igitur inter amicos intimos assumebat? assumebat hercle vero ea causa, ut quanquam ex animo non ignosceret, fidem ei tamen faceret, se ignoscere. Deinde quid ad rem, Vitellii metu an contemptu sibi Celsum adjungere videretur? Omnino fatendum est, nihil sani in hac correctione. Non multo plus, aut tantundem in Mureti, qui notaverat: *Sed ne hostis metum reconciliationis amitteret.* quod ego quidem, quo sensu dicatur, non assequor. Nostra conjectura unius litterulæ detractione clarissimam & verissimam sententiam exhibebit. Lego, *Nec Otho quasi ignosceret, sed ne hostis metum reconciliationi exhiberet.* Recepit, inquit, Celsum statim inter intimos amicos. non tanquam, vel quod (id enim hic valet *quasi*) revera ei ignosceret, sed ne in hac reconciliatione metum ei faceret, imo ut metum omnem demeret hostilis adhuc in ipsum animi, id enim est *hostis* in generandi casu. *Acidalius.* De mendo suspicor. nam MSC. corrupte, *sed ne hostes metueret conciliationis adhibens.* Sed utcunque ex vulgata lectione hujusmodi sensum elicio: Otho statim intra intimos amicos Celsum habuit. non quasi illi ignosceret, cum is nullo crimine teneri propter fidem Galbæ servatam prætenderet: sed ne, ut hostis Othonianarum partium, si in nullo aut modico honore haberetur, in metum reconciliationis incideret, id est reconciliationem fidam sinceramque non fuisse suspicaretur, immo ad se decipiendum, ac propterea suspenso animo ageret. *Pichena.* Acute scripta, sed non corrupta, ut opinatus est doctiss. vir. Ludos Cornelius facit & aperit fictam Othonis clementiam, de qua superius: *clementiæ titulus è viro claro & partibus inviso petebatur.* Atque Celsum inter amicos Othonis non clementia statim receptum, sed metu, ne is Vitellii nomine indies invalescente, crederet tunc id factum, non quod ex animo sibi ignosceretur, sed partium timore: & hoc pacto nullas Othoni gratias haberet. Placet attamen (nec inficior) acumen sententiæ doctiss. viri, nempe: Cui magna crimina missa fiunt, is ignoscenti nunquam æquus est. Quod à Q. Curtio quoque scriptum legimus. lib. 6. *Utinam in principio quoque hujus rei nobiscum deliberasses, suasissemus, si Philota velles ignoscere, paterere potius ignorare eum, quantum deberet tibi, quam usque ad mortis metum adductum cogeres de periculo suo, quam de tuo beneficio, cogitare.* Et, *quædam beneficia odimus, meruisse mortem confiteri pudet. Superest, ut malint videri accepisse injuriam, quam vitam.* Salinerius. Levissima mutatione veram mentem reduxisse Socero meo visus sum, pro *hostis*, legendo *hosti.* hoc sensu. Otho revera hac intentione tam facilis erga Celsum fuit, ut illustri clementiæ & moderationis exemplo, hostem etiam, Vitellium, eo facilius inliceret: hoc enim cum maxime agebat, ut patet ex seq. c. 74. Ergo ne metum hujus, quam offerebat, reconciliationis adhiberet, si Celsum durius tractavisset, omnino illa lenitate utendum esse vidit. Porro ne quem sermonis insolentia terreat, *adhibere metum* non aliter hic dicitur, quam supra 13, 18. *necessitas adhibita*, & 1, 23. *adhibiti cruciatus.* Freinshemius.

2 *Fides integra & infelix.*] Vana sententiola, & contra historiæ fidem, quamdiu *infelix* legetur. Contra vero legendum, *felix.* hoc enim vult fataliter, etiam pro Othone, fidem ei integram fuisse, nec infeliciter cessisse apud Vitellium, pror-

gus Celsi salus, ne militibus quidem ingrata fuit, [1] eandem virtutem admirantibus cui irascebantur. Par inde exsultatio, disparibus caussis consecuta, impetrato Tigellini exitio. [2] Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, fœda pueritia, impudica senecta, præfecturam vigilum & prætorii, & alia præmia virtutum, [3] quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam, & [4] virilia scelera exercuit: corrupto ad omne facinus Nerone, quædam ignaro ausus, ac postremo ejusdem desertor [5] ac proditor. Unde non alium pertinacius ad pœnam flagitavere, [6] diverso affectu, quibus odium Neronis inerat, & quibus desiderium. Apud Galbam T. Vinii potentia defensus, prætexentis *servatam ab eo filiam*. & haud dubie servaverat, non clementia (quippe tot interfectis) sed effugio in futurum. quia pessimus quisque, diffidentia præsentium [7] mutationem pavens adversus publicum odium, privatam [8] gratiam præparat: unde nulla innocentiæ cura, [9] sed vices impu- 72

prorsus ut pro Galba constans in fide, & id apud Othonem impune fuerat. Probat eventus, qui lib. 2. sic Tacito breviter narratus: *Mario Celso consulatus servatur. Sed creditum fama, objectumque atrox in Senatu Cæcilio Simplici, quod eum honorem pecunia mercari, nec sine exitio Celsi, voluisset.* &c. *Acidalius.*

3 *Læta pro moribus civitatis.*] Emendavi meum secutus judicium. *Læta primoribus civitatis.* nam sequitur, *celebrata in vulgus Celsi laus.* Rhenanus.

4 *Celebrata in vulgus Celsi laus.*] Ita vulgata: nec male: nam Celsus laudatus est propter magnanimum responsum. *Celsus constanter servatæ erga Galbam fidei crimen confessus, exemplum ultro imputavit.* de quo Plutarch. in Othon. ὁ δὲ Κέλσος μήτ' ἀγεννῶς, μήτ' ἀναισθήτως, ἀλλὰ φρονιμώτερον, αὐτοῦ τὸν τρόπον διδόναι τὸ ἔγκλημα πίστιν i. *Celsus autem non demisse, neque stupide, sed crimen dixit sui moris imprimis fidem facere.* Salinerius.

1 *Eamdem virtutem admirantibus.*] Est vera & notabilis gnome, atque eadem in Livii libro v. de Camillo: *Sed severitate imperii victi, eamdem virtutem & oderant, & mirabantur.* Lipsius.

2 *Sophonius Tigellinus.*] Notissimum omnib. historicis Tigellini nomen. lib. 14. ann. *Sophonium Tigellinum ex intimis libidinibus assumptum.* ἀσελγείᾳ τε καὶ μιαιφονίᾳ πάντας τοὺς καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπους ὑπερφέρων. i. *qui omnes sui temporis homines impudicitia & crudelitate superabat.* Xiphil. & hæ scil. duæ virtutes erant, per quas apud Neronem gratia valuit. 15. Ann. *Fenium vita famaque laudatum, per sævitiam impudicitiamque Tigellinus in animo Principis anteibat.* Rursus, *Poppæa & Tigellino coram, quod erat sævienti principi intimum consiliorum.* 14. Ann. 57. describitur ut omnium calamitatum isto tempore auctor. Prorsus tam malo domino dignus minister, & indignus quem Galba protegeret. *Savilius.*

3 *Qua velocius erat.*] Magis placet, quam *quia*, ut habent vulgatæ editt. *Ursinus.* Cum Mureto legerim & distinxerim, *qua velocius erat, vitiis adeptus.* Id est, qua ratione tum citius & facilius ad honores perveniebatur: quæ via tum compendiaria ad dignitatem erat. *Acidalius.*

4 *Virilia scelera.*] Ex opposito *fœda pueritia:* neque omnia vitia in quamlibet cadunt ætatem. *Savilius.* Cædes interpretor, aliaque in perniciem publicam. *Pichena.* Turbat magis Muretus & copulam delendo. quasi tandem avaritia virile scelus, aut plane scelus sit. Trajecta vox *avaritiam:* quod si non sensus argueret, structura saltem innueret. Quia enim ait, *crudelitatem mox*, necesse est aliudquid præcessisse, quod primo. Itaque traduco has voces & sic lego, *avaritiam, mox deinde crudelitatem, & virilia scelera exercuit.* Turbellæ causa illud *mox deinde* fuit fortasse, quod disjungi debere, & diversis membris accommodari aliquis plus nimio acutus censuit. At jungitur ita sæpe, nec exemplis opus. Si quis tamen malit divelli, non incommode sic etiam scripserit: *avaritiam, crudelitatem mox, deinde & virilia scelera exercuit.* Acidalius.

5 *Ac proditor.*] Hæc non comparent in edit. illa Rom. & vero si item abfuerit Vaticano, nihil certius quam esse à manu aliena. *Gruterus.*

6 *Diverso affectu.*] Cum & odio esset hostibus, tanquam præcipuum Neronis instrumentum ad flagitia quælibet, & apud amicos transfugio & domini proditione infamis. *Savilius.*

7 *Mutationem pavens.*] Duæ voces fere vacant, tanquam ortæ a librariis. *Gruterus.*

8 *Præparat: unde nulla innocentiæ cura.*] Non mutant libri, nisi quod, *vices impunitatis*, habent. Totum locum lego: *privatam gratiam præparatum it: nulla innocentiæ cura, sed vice sua impunitatis.* Palmerii etiam conjectura haud improba: *privatam gratiam præparat undeunde: nulla,* &c. *Undeunde* Latinis valet ὁποθενοῦν. Quod autem ad sententiam, pulchra est, & usu sæpius probata. Ita Dio notat, cum Menas præfectus Sex. Pompeii in mari, *Helenum cepisset, libertum Cæsari admodum carum, statim sine pretio remissum. qui beneficium*

impunitatis. Eo infensior populus, addita ad vetus Tigellini odium recenti T. Vinii invidia, concurrere è tota urbe in palatium ac fora, & ubi plurima vulgi licentia, [1] in circum ac theatra effusi, seditiosis vocibus obstrepere: donec Tigellinus, [2] accepto apud Sinuessanas aquas supremæ necessitatis nuncio, inter stupra concubina-

*ficium hoc multe ante apud Cesarem depenebat, & perfugium sibi, si res ita ferret, apud eum praparans.* Lipsius.

*Gratiam praparat. Unde nulla innocentia cura.*] Malim, *praparat alicunde, nulla innocentia cura.* Rhenanus. Danesius illud *unde* mutabat, in *aliunde*, & sic legebat: *Aliunde nulla innocentia cura.* Ursinus. Mihi integer videtur locus. Intelligo enim, *unde*, id est, postquam privatam gratiam præparaverit, nulla jam innocentiæ cura, sed vitæ (id est, scelerum ac vitiorum) impunitatis. *Pichena.* Conjiciat alius, alius castiget, me juvat solitum obtinere. τὸ *unde*, id est, qua de re. Sic paulo ante, *postreme ejusdem desertor ac proditor; unde non alium pertinacius ad pœnam flagitavere.* Quia (inquit noster ex facto Tigellini sententiam concinnans generalem) pessimus quisque gratia privata sibi cavet adversus odium publicum, clarum est ei innocentiam cordi non esse, sed vices tantum impunitatis. Quod si nimis abrupta videntur, leviter sic emenda. *Unde nulla innocentia cura.* τὸ *nulla* pro non, ut *nullus feceris.* Salmerius.

9 *Sed vices impunitatis.*] Enorme mendum est: castigavi, *sed vita impunitatis.* Rhenanus. Lipsius, *vice impunitatis*, pro *caussa impunitatis.* quis unquam ita locutus? Nec Palmerii mutatio satis apta. nisi alii aptiorem excogitent, ego cum Mureto statuerim prorsus ejiciendam utramque vocem, *unde* & *vita.* Quæ cum absunt, nihil in sententiæ, nihil in sermonis integritate desideres. *Acidalius.* Mirum est non revocari à quoquam primigeniam calamo exaratorum scripturam, adhuc etiam vetustiss. edit. *sed vices impunitatis.* primum ejecta est à Rhenano subjectaque isthæc spuria; perperam. Vult enim auctor hos diffidentes exercere humanitatem, non quod innocentibus bene velint; sed ut per hosce impune auferant ante delicta. Qui *innocentiam* Tigellini personæ accommodant, lucem poscunt à tenebris, virtutem à vitio. Similis locutio restat apud nostrum 6. Ann. 35. *Medo equestris pralii more, frontis & tergi vices* &c. qui locus injuste item periclitatur. *Gruterus.* Mendosam esse scripturam, notatum & aliis. Ego sic sanem: *unde nulla innocentia cura, sed vitia & impunitates.* Quia, inquit, pessimus quisque adversus publicum odium gratiam sibi T. Vinii parat, inde factum, ut nulla cura esset faciendi officium, sed & vitia regnarent & iis comes esset impunitas. *Grotius.* Reduximus lectionem, quam libris suis haberi testatur Lipsius: alii *vita impunitatis.* unde variæ variorum conjecturæ. Nos libris libenter adhæremus, ubi probam sententiam fovent, ut hic: nam ait Tigellinum servasse Vinii filiam, ut si Galba rerum potiretur, in Vinii gratia potentiaque præsidium haberet; idque ita solere pessimos. inde nullam fere innocentiæ curam esse reliquam, sed *vices impunitatis*, ut hoc quasi pro fœdere habeatur, & ab alio servati, vicissim eum servent: atque etiam facinorum in alios exercitorum securitatem impunitatemque præstent. Ita supra 13, 20. Nero suspectum habet Burrhum, *tamquam Agrippina gratia provectum, & vicem reddentem.* Pertinet ad hunc locum Justin. 11, 12. ubi Alexander negat *à se quicquam factum in hostis adulationem, nec quod in dubios belli exitus, aut in leges pacis sibi lenocinia quareret.* Freinshemius. Vix habent hic *vices* locum. Agitur tantum de effugio in futurum. Lege, *sed vita & impunitatis.* Nemo, inquit, de innocenter agenda vita cogitabat, sed tantum de ea quavis ratione conservanda. *Impunitas* & *vita* hic distinguuntur pro ratione diversa pœnarum, quarum aliæ capitales sunt, ut mors, aliæ non capitales, ut exilium, infamia & aliæ ejusmodi, tunc temporis frequentissimæ. *Boxhorn.*

1 *In circum ac theatra effusi.*] Ferme ridiculum est heic, quod quidam adponit; ideo sapienter circo & theatris absterreri Lucillium à Seneca Epist. 8. versantes enim iis locis semper aliquid fere haurire vitiorum, inquinarique cum vulgo ambitione, luxuria, libidine. Quin ab eo exspectabam, ostenderet, iis locis populum quidvis à principe & poscere solitum sæpius, & sæpius impetrare: quod ipsum ostendi pluribus classicorum auctorum monumentis: quorum fundi Sueton. Aug. 67. Tib. 47. Cal. 30. Tit. 18. Dom. 13. Plinius Natural. hist. Josephus, Herodianus, Spartianus, Appianus, Cassius, aliique. *Gruterus.*

2 *Sinuessanas aquas.*] Male vulgo, *Suessanas*, Libri scripti docent, & Plutarchus in hac ipsa re: Ἔπεμψεν οὖν ἐπ' αὐτὸν ὁ Ὄθων εἰς τοὺς περὶ Σινόεσσαν ἀγρούς. Aquæ autem eæ inter salubres habitæ. Plinius: *In eadem Campania regione Sinuessana aqua sterilitatem feminarum & insaniam virorum abolere creduntur.* Et quia ad vitia muliebria: ideo in Martiali,

*Diceret hystericam se forsitan altera mœcha*
*In Sinuessano velle sedere sinu.*

Sed & Claudius apud Tacitum libro XII. *refovendis viribus mollitie cœli & salubritate aquarum, Sinuessam perrexit.* Lipsius.

Ac-

binarum, & oscula, & deformes moras, sectis novacula faucibus, infamem [1] vitam fœdavit etiam exitu sero & inhonesto. Per idem tempus expostulata ad suppli- 73
cium [2] Galvia Crispinilla, variis frustrationibus, & adversa dissimulantis principis fama, periculo exempta est: magistra libidinum Neronis, transgressa in Africam [3] ad instigandum in arma Clodium Macrum, [4] famem populi Romani haud obscure molita, totius postea civitatis gratiam obtinuit [5] consulari matrimonio innixa & apud Galbam, Othonem, Vitellium illæsa: mox [6] potens pecunia, & orbitate, [7] quæ bonis malisque temporibus juxta valent. [8] Crebræ interim, & [9] muliebribus 74
blandimentis infectæ, ab Othone ad Vitellium epistolæ, [10] offerebant *pecuniam & gratiam, & quemcunque quietis locum prodigæ vitæ legisset.* [11] Paria Vitellius ostendebat,

*Accepto nuncio.*] Plutarch. Othone: *Otho ad Tigellinum misit, qui Sinuessæ commorabatur, paratis ad ulteriorem fugam navibus. nuncium autem pecunia corrumpere tentabat, ut se dimitteret, & cum non persuaderet, dona nihilominus dedit, rogavitque illud spacii concederet, quo raderetur barba; sumptaque novacula jugulum sibi præscidit.* Savilius.

1 *Vitam fœdavit exitu sero & inhonesto.*] Quidam emendat, *exitu misero* &c. Inepte. Notat Tacitus, deformes illas moras, quas paulo ante mortem fecerat Tigellinus. Plutarch. de ipso. ἐδεῖτο καὶ ὑπομένειν ἕως ἂν ἀποξύρηται τὸ γένειον καὶ λαβὼν αὐτὸς ἑαυτὸν ἐλαιμοτόμησεν. licet etiam intelligamus exilium Tigellini, quod ἐσχάτην τιμωρίαν merito interpretantur apud eundem Plutarchum οἱ σωφρονοῦντες. Colerus.

2 *Galvia Crispinilla.*] *Calvia* verius: an etiam, *ministra?* nec tamen illud damno. Ceterum hæc Calvia, à veste Sporo fuit, & ejus custos. Breviarium Dionis, in Nerone: Χωρὶς δὲ, ὅ τε Πολύκλειτος καὶ Καλουία Κρισπινίλλα ἦγον, ἐπόρθουν, ἐσύλων πάνθ᾽ ὅσα ἐνεδέχετο, ἐκεῖνος μὲν ἐν τῇ Ῥώμῃ, αὕτη δὲ μετά τε τοῦ Νέρωνος καὶ μετὰ τοῦ Σαβίνου τοῦ Σπόρου. Τήν τε γὰρ φυλακὴν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἐπιτροπείαν τὴν περὶ ἐσθῆτα, καίπερ γυνὴ καὶ ἐπιφανὴς οὖσα, ἐπεπίστευτο, καὶ δι᾽ αὐτῆς πάντες ἀπεδύοντο. *Seorsum autem, & Polycletus & Calvia Crispinilla omnia obvia agebant, ferebant, spoliabant. Ille in urbe, hæc autem cum Nerone & cum Sabina (ita Sporum nominabant:) cujus custodia ei concredita fuerat, & simul vestis procuratio: quamquam mulier esset, & quidem nobilis. Quo prætexto, omnes ab ea exuebantur.* Vides ex ea nota, quid feminæ Calvia hæc fuerit, & cur populo exosa. *Lipsius.*

*Calvia Crispilina.*] Budense exemplar, *Galvia Crispinilla.* Rhenanus. Salvia Crispinilla salutatur ab Pricæo in Notis ad Epistolam Pauli ad Titum 2, 3. *Jac. Gronovius.*

3 *Ad instigandum in arma.*] Ut scil. Neronis ultionem susciperet. *Pichena.*

4 *Famem populi Rom.*] Tac. 3. hist. *Africam eodem latere sitam, terra marique invadere parabat, clausis annonæ subsidiis inopiam ac discordiam hosti facturus.* Ægyptus enim & Africa populi Rom. horrea erant, & Ægypto in cujusque anni quadrimestre conferente frumentum, Africa in reliquos octo menses suppeditabat. Josephus ἁλώσ. 2. c. 28. *Savilius.* Malim, *populo Rom.* Acidalius.

5 *Consulari matrimonio innixa.*] Manuscript. *subnixa.* Sed vulgatam prætuli. *Pichena.* Ego fere alterum, quod sensu prægnantius. nam *subnixa* dicit pro superba, elata. Ut apud Silium Varro *Subnixus rapto plebeii muneris ostro.* Gronov.

6 *Potens pecunia & orbitate.*] Divitiæ & orbitas duo bona adminicula parandorum amicorum, cum nemo non laboret ei placere, cui sperare potest se futurum hæredem. Silvanus sub Nerone accusatus repetundarum *valuit*, inquit Tac. 13. Ann. *pecuniosa orbitate & senecta.* & tamen omnium spem elusit, superstes illis, *quorum ambitu evaserat.* In civitate nostra (scribit Seneca Consol: ad Marciam 19.) *plus gratia orbitas confert quam eripit.* Alii Germanorum mores, *Nulla orbitatis pretia, sed quanto plus propinquorum, quo major affinium numerus, tanto gratiosior senectus.* Savilius.

7 *Quæ bonis malisque temporibus valent.*] Ablativus *temporibus* non est in libro Regio. Expone, *quæ bonis malisque* subaud. *hominibus, juxta valent*, in dandi casu. *Rhenanus.*

8 *Crebræ.*] Sueton. Oth. 8. *Otho per internuntios & literas consortem imperii generumque se Vitellio obtulit.* Savilius.

9 *Muliebribus blanditiis.*] Nos, *blandimentis.* Rhenanus.

10 *Offerebantur, pecuniam & gratiam.*] Scripsimus erasa hypostigme, *offerebant pecuniam & gratiam.* Rhenanus. Similes conditiones per Flavium Sabinum nomine Vespasiani oblatas non rejecit Vitellius quantum in se fuit, sed pacta evertere amici ejus 3. histor. *Savilius.* Tacitus scripsit: *epistolæ. Offerebat pecuniam.* Pichena.

11 *Paria Vitellius ostendebat, primo mollius.*] Codex regis Matthiæ, *paria Vitellius ostendebat. Vocontiorum primo mollius.* Nescio quid sibi hic velit

bat, primo mollius, stulta utrimque & indecora simulatione: mox quasi rixantes
stupra & flagitia invicem objectavere, neuter falso. Otho, revocatis quos Galba
miserat legatis, rursus ad utrumque Germanicum exercitum, & ad legionem Itali-
cam, easque quæ Lugduni agebant copias, specie senatus misit. Legati apud Vi-
tellium remansere, promptius quam ut retenti viderentur. Prætoriani, [1] quos per
simulationem officii legatis Otho adjunxerat, remissi, antequam legionibus misce-
rentur. Addit epistolas Fabius Valens, nomine Germanici exercitus, ad prætorias
& urbanas cohortes, de viribus partium magnificas, & concordiam offerentes.
[2] Increpabant ultro, *quod* [3] *tanto ante* [4] *traditum Vitellio imperium, ad Othonem
vertissent*. Ita promissis simul, ac minis tentabantur; [5] *ut bello impares, in pace ni-*
75 *hil amissuri*. [6] neque ideo prætorianorum fides mutata. Sed insidiatores ab Othone
in Germaniam, à Vitellio in urbem missi. utrisque frustra fuit; Vitellianis impu-
ne, per tantam hominum multitudinem, mutua ignorantia fallentibus: Othonia-
ni, novitate vultus, omnibus invicem gnaris, prodebantur. Vitellius litteras [7] ad
Titianum fratrem Othonis composuit, *exitium ipsi filioque ejus* minitans, *ni incolu-
mes sibi mater ac liberi servarentur*. [8] Et stetit domus utraque: sub Othone, incer-
76 tum an metu; Vitellius victor clementiæ gloriam tulit. Primus Othoni fiduciam
addidit ex Illyrico nuntius, *jurasse in eum Dalmatiæ, ac Pannoniæ, & Mœsiæ legio-
nes*. Idem ex Hispania allatum, laudatusque per edictum Cluvius Rufus; & statim
cognitum est, conversam ad Vitellium Hispaniam. [9] Ne Aquitania quidem, quam-
quam à [10] Julio Cordo in verba Othonis obstricta, diu mansit. nusquam fides aut
amor,

lit *Vocentiorum* vocabulum. Forte leg. *Vacationem primo mollius stulta utrinque & indecora simulatione.* subaudi *accepere*. nam ex verbis istis apparet utrumque non abhorruisse à vacatione, si cum dignitate contigisset. Sed simulatio ea erat. *Rhenanus.*

1 *Quos per simulationem officii legatis* &c.] Vere enim corrumpendis legionibus submittebantur. *Savilius.* An prætoriani eo prætextu missi, ut tentarent animos Vitellianorum? apparet enim, id ipsum forte suspicatum Vitellium, eos, antequam legionibus suis miscerentur, remisisse. An potius Otho, legatorum suorum fidem suspectam habens, prætorianos, qui illos observarent, honoris specie misit? Utrumque certe imperatoriis artibus haud alienum: tamen hoc postremum verisimilius, ut ex verbis Taciti conjicitur. Ad idem fere prætoriani ab Othone adhibiti, prope finem hujus libri: *Addidit classi urbanas cohortes, & plerosque è prætorianis, vires & robur exercitus, atque ipsis ducibus consilium & custodes.* Pichena.

2 *Increpabant ultro.*] Posset etiam legi, *Increpabat ultro.* Subaudi Fab. Valens. *Rhenanus.*

3 *Tanto ante.*] Majora verba quam pro re. Nam intervallum sane, inter Vitellii Othonisque imperium, exiguum.. Jurarunt enim Germanici exercitus in Vitellii nomen Kalendis Januariis: at postridie Idus Galba cæsus, & Princeps factus Otho. Ita pauci dies interfuerunt, & aut militum aut Taciti adsertio non usquequaque cauta. *Lipsius.*

4 *Traditum Vitellio imperium.*] Vitellius enim Imperator salutatus 2. Januarii, Otho 15. die. *Savilius.*

5 *Ut bello impares, in pace nihil amissuri.*] Lege, *ita pace.* Acidalius.

6 *Neque ideo Prætorianorum.*] Hæc adeo à prioribus divulserant, ut etiam novum inde caput ordirentur. Cum tamen tam præcedentibus, necessario cohæreant, quam à sequentibus, quibus conjungebantur, sint alienissima. *Freinshemius.*

7 *Ad Tucianum fratrem.*] Scripsimus. *Titianum.* Salvius Titianus vocabatur. *Rhenanus.*

8 *Et stetit domus utraque sub Othone.*] Tu vero interpunge, *stetit domus utraque. sub Othone incertum an metu.* Lipsius.

*Domus utraque.*] Vitellii scil. ac Titiani. *Savilius.*

1 *Ne Aquitania quidem.*] Sic prorsus est scriptum in optimo Mediceo, non *nec* quod vulgo legitur, ut rite ad caput 66. pater monuerit id ipsum, eoque exemplo plerumque delevi illud c. Et id patefecit quoque Ryckius, sed improbavit, quia in ipsius codice id non observabatur. Apparet ergo ejus arbitrium, cujus tantam perversitatem quis crederet? Sed & mox leges ex MS. eodem *prætexto*, non *prætextu*. sicut etiam cap. 77. *Prætexto veteris amicitiæ*, ut bene præceptum ab aliis. *Jac. Gronovius.*

10 *Julius Cordus.*] Existimo castigatiorem lectionem esse *Manilius Cordus.* Extat Bononiæ post Petronii fanum tumulus in hæc verba: Q. MA-
NILIO

amor, metu ac necessitate huc illuc mutabantur. Eadem formido provinciam Narbonensem ad Vitellium vertit, facili transitu ad proximos & validiores. Longinquæ provinciæ, & quidquid armorum mari dirimitur, penes Othonem manebant, non partium studio; sed erat grande momentum in nomine urbis ac prætexto senatus, & occupaverat animos prior auditus. Judaicum exercitum Vespasianus, Syriæ legiones Mucianus sacramento Othonis adegere. Simul Ægyptus, [1]omnesque versæ in Orientem provinciæ, nomine ejus tenebantur. Idem Africæ obsequium, initio à Carthagine orto. Neque exspectata [2] Vipsanii Aproniani proconsulis auctoritate, Crescens Neronis libertus ([3] nam & hi malis temporibus [4] partem se reipublicæ faciunt) epulum plebi, ob lætitiam recentis imperii, obtulerat, & populus pleraque sine modo festinavit. Carthaginem ceteræ civitates secutæ. Sic distractis exercitibus ac provinciis, Vitellio quidem ad capessendam principatus fortunam bello opus erat.
[5] Otho, ut in multa pace, munia imperii obibat: quædam ex digni- 77
tate reipublicæ; pleraque, contra decus, [6] ex præsenti usu properando. [7] Consul



NILIO C. F. CORDO. TR. LEG. XXI. RAPAC. PRÆF. EQUIT. EXACT. TRIBUT. CIVITAT. GALL. FAC. CUR. CER. LIB. IN. AGR. P. XLIX. IN. FRO. P. XLIX. *Alciatus.*

1 *Omnesque versa in Orientem.*] Credo germanum esse. aliquot tamen lib. *omnesque versus Orientem.* Lipsius.

*Omnesque versa in orientem provincia.*] Florent. corrupte, *versam in Orientem.* Alter Man. non male, *versus Orientem.* Sed nihil muto. *Pichena.*

2 *Vipsanii Aproniani.*] *Vipstani* in Fragmento fratrum Arvalium. Vide ad 14. ann. 1.

3 *Nam in malis temperibus.*] Malim, *in malis temporum.* quod magis ad sententiam, si recte perscrutaris: etsi parum in ea mutat. *Acidalius.* Vera lectio, ni fallor, *Nam & hi malis temporibus partem se reip. faciunt*, à Florent. indicata, qui habet; *Nam & in malis* &c. *faciunt.* Vulgo minus apte: *nam in malis* &c. *fecerat.* Pichena. Vaticanus non abit à membranis Florentinis, ut tuto liceat amplecti emendationem amicissimi mei Pichenæ. tanquam perstringat totum ordinem libertorum, qui nullus in rep. locus ævo castiori. ut vel ex Plinio uno ad Trajanum cognitissimum. *Gruterus.*

4 *Partem se Reip. fecerat.*] Interpretor. miscuerat se, velut & ipse inter curatores ejus & administros. Ita supra, hoc libro: *Non Senatus & eques mode, quis aliqua pars & cura reip.* Lipsius.

*Partem se reip. fecerat.*] Melius & aptius erit, *participem se.* Vertranius.

5 *Otho ut in pace multa.*] Quod monui sæpius, profecto in distinctione sæpissime peccatum est, quomodo & hic: nam si hæc à præcedentib. sejungas, auctoris mentem haud ceperis. Caput igitur inchoandum putem inde: *Sic distractis* &c. eoque modo intelligetur oppositio atque comparatio, quam instituit: *Vitellio quidem ad capessendam principatus fortunam bello opus erat: Otho ut in multa pace munia imperii obibat.* Freinshemius.

6 *Es prasenti usu properando.*] Correximus, *ex prasenti usu properando.* Rhenanus. Perspicua sententia, nescio an proba, mihi quidem multo verius legi videatur, *ex prasenti usu probanda.* quam sententiam post enumerationem gestorum Othonis statim repetit: *Inter qua necessitate prasentium rerum & instantibus curis excusata* &c. *Acidalius.*

7 *Consul cum Titiano fratre in Kalend. Martias.*] Libera rep duo Consules cum Januarii initio Consulatum auspicati vertente demum anno defungebantur, nisi mora aut alia interveniret causa, quæ successori vacuum faceret. Post *cum belli civilis pramia festinari caperunt*, ut Tac. loquitur, cumque excrevisset eorum numerus, quorum meritis rependenda esset dignitas, arctato administrationis tempore laxanda aliis fuerunt ad explendam ambitionem spatia, & unius anni in plures spargendum beneficium. Hujus confusionis auctor C. Cæsar, A. V. C. 709. qui Consul sine collega suo anno Fabium & Trebonium substituit. Dio l. 43. Anno ab urbe Cond. 715. postmodum inducta deponendi necessitas, cum antea sponte Consulatu abirent. Dio l. 48. Tempore Augusti, præsertim sub extremum ejus Principatum, ut docent Fasti Capitolini, quatuor singulis annis designabantur Consules, bini ex Kalendis Julii in finem porro anni. Post ejus tempus etsi de initio mihi exacte non constat, bimestres fuere Consules, eorumque numerus tum in usu, crevit ad duodecim. Hoc anno ex Kalend. Jan. Servius Galba 2. Titus Vinius: cæsis hisce duobus in Consulatu, M. Otho: & L. Titianus suffecti in Kal. Mart. Ex Kal. Mart. L. Verginius Rufus, Poppæus Vopiscus. Ex Kal. Maii Cælius Sabinus, Flavius Sabinus. Ex Kal. Julii Arius Antoninus, Marius Celsus. Ex Kal. Sept. Fabius Valens, Alienus Cæcina, perduellionis reus, suffectusque ei in unicum diem *Roscius Regulus* 3.

cum Titiano fratre in Kalendas Martias ipse, proximos menses Verginio destinat, ut aliquod exercitui Germanico delinimentum. [1] jungitur Verginio [2] Poppæus Vopiscus, prætextu veteris amicitiæ, plerique Viennensium honori datum interpretabantur. Ceteri consulatus ex destinatione Neronis, aut Galbæ mansere. Cælio ac Flavio Sabinis, in Julias; [3] Ario Antonino & Mario Celso, in Septembres: quorum honori ne Vitellius quidem victor intercessit. Sed Otho, pontificatus auguratusque [4] honoratis jam senibus cumulum dignitatis addidit, [5] & recens ab exilio re-

hist. Ex Kal. Novemb. Cn. Cæcilius Simplex, C. Quintius Atticus Xiphilin. Hic numerus & recepta temporis illa consuetudo usque ad Dionis ætatem duravit lib. 43. qui vero cum Kalendis Januarii consulatum auspicabantur, erant *ἐπώνυμοι*, nomen anno dabant, vocabanturque *ordinarii*: reliqui, *minores*, tanquam obscuri, neque apud exteros celebres, ut quærere liceret, in quorum Consulatu illi essent consules: alioquin auctoritate & cæteris pares. Dio l. 48. Minor tamen hic Consulatus numero faciendo valet. Exemplum habemus in Vespasiano, qui Consulatum sub Claudio adeptus (Sueton. Vesp. 4.) per duos novissimos anni menses, quod antea factum, ann. 823. notatus est *Vespasianus iterum*. Tac. 4. hist. *Savilius*. Id est à XVIII. Kal. Februarii, quo die Galba occisus, usque in Kal. Martias. & hoc præcipue respexisse Tacitum crediderim, cum dixit: *pleraque contra decus ex præsenti usu properando*. Sic lib. seq. de Vitellio: *Ut Valenti & Cæcinæ vacuos honoris menses aperiret, coartati aliorum consulatus*. Inoleverat quidem jam inde ab Augusto mos, ut plures in unum annum Consules subrogarentur, quo pluribus locus honoris esset, teste Dione l. 53. Sed deinde per bella civilia, honores & magistratus, immane quantum a sequentibus principibus vulgati, ut pecuniis ad largitiones deficientibus, saltem dignitatibus duces ac ministros bellorum aut remunerarent, aut sibi conciliarent. & ad eam indignitatem res pervenit ævo inferiori, ut Commodo imperante, viginti quinque Consules in unum annum crearentur, quod in vita ejus tradit Lampridius. Sed tamen primorum tantum Consulum nomina in Fastos referebantur, iique ad differentiam ceterorum, Consules *ordinarii* appellati. Seneca de Ira 3, 31. *Dedit mihi præturam: sed Consulatum speraveram. Dedit duodecim fasces: sed non fecit ordinarium Consulem. A me numerari voluit annum: sed deest mihi ad sacerdotium*. Pichena.

1 *Jungitur Verginio Pompejus Vopiscus.*] Vel hic locus argumento nobis sit, quam multa in monumentis veterum auctorum passim infulserint visi eruditi de suo, dum non tantum temporis sibi sumere possunt, quod attentius excutiendo loco sufficiat. nam volumen Corvini regis sic habet. *Consul cum Titiano fratre in Kalend. Martii ipse, proximos menses Verginio. Pompeius Vopiscus prætextu* &c. Sic enim nos distinguimus. Expone, Consul cum Titiano fratre in Kal. Martii ipse Otho, in proximos menses cum Verginio Consul fuit. Pompejus Vopiscus (nomen auctoris est) subaudi, scribit, id prætextu veteris amicitiæ factum, plerique Viennensium honori datum interpretabantur. Cæterum hæc lectio valde convenit brevitati Cornelianæ. *Rhenanus*. Verum quid causæ fuerit, quod plerique datum id honori Viennensium interpretarentur, cum Virginius, Alciato vindice, Mediolanensis fuerit? Ego nihil muto ex recepta scriptione: & Pompejum Vopiscum forte Viennensem cognomine Silvanum, T. Virginio forte Ruffo collegam reor; Julium Frontinum de Aquæ ductibus assiduum secutus auctorem. *Vertranius*.

2 *Poppæus Vopiscus.*] Cur huic nomini tantopere succensuerit Ryckius, ut non modo ex contextu deleat supposito *Pompejus*, sed in notis verbose adversus eum disputet, non assequor. Audias licet ipsum loquentem: (Ita habent MSS. Bud. & Meus, tum Ed. Ven. & quæ hanc insecutæ ad Lipsium usque. In cujus Ed. legitur *Poppæus Vopiscus*, quo fundamento adhuc quæro) Atqui fundamentum ipse dum tacet, aperit. Fundamentum enim est MS. codex Mediceus omnium veterrimus, & universis junctim illis, quæ in ista nota enumerantur, non solum par, sed superior & quidem immenso intervallo. Nec causa est de eo dubitandi. *Jac. Gronovius*.

3 *Archio Antonio.*] Liber MSC. *Ario Antonio*. Rhenanus.

4 *Honoratis jam senibus.*] Otho, inquit, *senibus* Patrum *jam honoratis* (qui summis olim scilicet essent honoribus functi aut fungendis designati) *addidit cumulum dignitatis*. quem illum? *pontificatus auguratusque*, quæ duo vocabula plurativi numeri accusandi casu καθ' ἐπεξήγησιν, quam appositionem vulgo vocant, adhærent, junguntur-que τῷ *dignitatis cumulum*. Justin. l. 17. *In eo bello Lysimachus, amissis ante variis casibus XV. liberis, non instrenue moriens, postremus domus suæ ruinæ cumulus accessit*. Et firmat planissime Græcus auctor: Τοῖς ἀπολελειμμένοις ὑπὸ Νέρωνος ἢ Γάλβα πᾶσιν ἐπῆρκει τὰς ὑπατείας, ἱερωσύναις δὲ τοὺς καθ' ἡλι-

reversos nobiles adolescentulos, avitis ac paternis sacerdotiis in solatium recoluit. Redditus Cadio Rufo, Pedio Blæso, Sevino Promptino senatorius locus, qui [1] repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant. placuit ignoscentibus, verso nomine, [2] quod avaritia fuerat, [3] videri majestatem: cujus tum odio, etiam bonæ

ἡλικίαν ἀφήκοντες ἢ δόξαν ἱκόμενοι. Hæc, ne quem abducat Jac. Gutherii fiducia in suo, *honeratus jam insignibus.* de jure pontif. lib. 5. cap. 55. *Gronovius.*

5 *Et recens ab ex.*] MS. Mediceus *Aut recens*, in quo etiam *Sevino Pr.* Sed quum & mox absit vocabulum *qui*, patet locum hunc ita concipi debere. *Redditus Cadio Rufo, Pedio Blæso, Sevino Promptino Senatorius locus. Repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant.* Jam aliquoties sic per supposita vocabula connexas male periodos monstravi. *Jac. Gronovius.*

1 *Repetundarum criminibus.*] Actio repetundarum intentata adversus provinciarum rectores ob iniquas pecuniarum extorsiones, aut crudeliter exercitam jurisdictionem. Nomen ei inditum à principali parte, quod per eam actionem, *pecunias injuste ablatas, vel si quid aliud ablatum, captum, conciliatum, aversumve siet, provincialibus repetere jus fasque esset.* Neque sufficiebat extorta per vim refundere, sed & arbitraria infligebatur pœna, duplum aut triplum nomine pœnæ. Lata hæc lex à L. Calpurnio Pisone anno primo tertii belli Punici; aucta deinde per alios pluribus clausulis & cum variis sanctionibus resuscitata. Tac. 15. Ann. *Magistratuum avaritia Calpurnia scita peperit.* Neque tamen districta constitutionum severitas obstitit, quo minus Proconsulum & Proprætorum injusta libido, tam ante imperatorum tempora, quam sub ipsis, grassaretur in provincias expilandas. Imo, quo pluribus legibus circumferretur pœnarum timor, eo ferocius illi in spolia & provinciarum sanguinem ferebantur, utque illa, quæ violente extorserant apud exteros, Romæ impunita forent, profundebant in corruptelas dona, ex mente Græci senarii, ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται i. *per furta divet, pauca donet, salvus est.* Hinc narrat Tullius (serio aut per jocum) statuisse provincias supplicare Senatui, ut quæ commodo ipsorum lata esset lex de repetundis, ipsorum precibus aboleretur. Verba ejus sunt in proœmio prioris in Verrem. Sub Imperatoribus lex tantum restringebatur ad extorsiones, ut videre licet apud Plinium 2. ep. 11. *Savilius.*

2 *Quod avaritia fuerat, videri majestatem.*] Indecorum Othoni videbatur, avaritiæ crimine damnatis ignoscere, & fortasse metuebat, ne provincialium animos, ad quos repetundarum lex pertinebat, alienaret. Id eo simulavit, Senatores illos non ea quidem lege olim mulctatos, sed majestatis, qua Princeps tantum offenditur. Quoniam autem majestatis lex eo tempore odiosa erat ob plurima damna, quæ urbi intulerat; illius nomine & lex repetundarum, & aliæ justæ destruebantur, adeo ut majestatis aliquem damnare, idem esset, ac si innocens pronunciaretur. *Pichena.* Recte sese habent hæc postprincipia Pichenæ, non principia. Otho enim Cadium Rufum, Pedium Blæsum, Servinum Promptinum restituit quasi tyrannica majestatis lege perculsos, quo innocentibus injuria facta videretur; ut plerisque qui tum temporis essent ea lege postulati: non autem, ne provincialium animi offenderentur. Horum immo οὐ λόγος illi, οὐδ' ἀριθμός. nam qui poterant non offendi hoc mimo satis memores & gnari veterum dolorum? qui, ut verisimile est, ipsi productos in jus fures & depeculatores nequissimos damnarant? Ergo, ut dixi, horum ille nullam rationem habuit: tantummodo suæ & restitutorum existimationi consultum voluit, ne ipse indignos dignari, illi indigni potiri eo beneficio viderentur. *Gronovius.*

3 *Videri majestatem.*] Lex majestatis primis liberæ reip. temporibus pauca, sed momenti in rep. maximi, complectebatur: *si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta rep. majestatem populi Rom. minuisset.* 1. Ann. 72. Augustus eam extendit ad famosorum libellorum scriptores. Ante vero *facta arguebantur, dicta impune erant*, aut saltem exemta pœnis læsæ Majestatis. Sub Tiberio, Cajo, Claudio & Nerone erat *unicum crimen eorum, qui crimine vacabant*, ut Plinius loquitur, apud Tiberium accusabatur Falanius 1. Ann. & ex lege quidem majestatis, *quod venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset.* & ibid. Rubrius, *quod violasset perjurio nomen Augusti.* ibid. Granius Marcellus præter *sinistros sermones habitos*, quod statua sua ipsius *altius quam Cæsarum sita esset, & alia in statua, amputato capite Augusti, effigiem Tiberii indidisset*, habita compendii ratione. Lutorium Priscum 3. Ann. quod Principis filio nondum exstincto, *suprema eius celebri carmine deflevisset, delator terrpuit, indictumque reo ultimum supplicium.* Ennius ibid. quod *Principis effigiem promiscuum ad usum argenti vertisset*; C. Silius 4. Ann. & Cremutius Cordus, Pompeja Macrina cum marito, socero, patre ac fratre 6. Ann. Titius Sabinus, 4. Ann. Mamercus Scaurus 6. Ann. Fetia 11. Ann. Sub Ne-

78 bonæ leges peribant. [1] Eadem largitione, civitatum quoque ac provinciarum animos aggressus, [2] Hispaliensibus & Emeritensibus [3] familiarum adjectiones; [4] Lingoni-

Nerone Cassius quidam 16. Ann. quod inter imagines majorum etiam C. Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam *DUCI PARTIUM*; & infiniti alii ob similes nugas. Quare cum lex majestatis tam diu tam odiose fuisset exercita, visum fuit illis in veniam pronioribus, quod vere extorsio erat, crimen Majestatis vocare; cujus adeo execranda erat memoria, ut bonas etiam leges in neglectum adduceret. *Savilius.*

1 *Eademque largitione.*] Nos, *eadem.* Rhenanus.

2 *Hispaliensibus & Emeritensibus familiarum adjectiones.*] Deducendis Coloniis certe assignabantur familiæ, quæ si lapsu temporis aliove casu decrevissent, aut externis miscerentur, magnum beneficium alii putabant, si novis supplementis augerentur. Livius l. 32, 29. & 43, 17. Tac. 13. Ann. *Cæterum Colonia Capua atque Nuceria additis veteranis firmata sunt.* Hispalim autem Coloniam Romanorum fuisse affirmat Plinius 3, 2. *à læva Hispalis Colonia, cognomine Romulensis. Emeritam* vocat Dio l. 53. Manifesta autem est notatio vocis *Emerita*, quod emeriti milites ἀφηλικέστεροι eo deducerentur. *Coloniis* autem *militaribus* (ne de alio nunc earum genere loquar, quod liberæ Reip. temporibus jussu Senatus in exteros deducebatur; cum hanc divisionem innuere videatur Vellejus lib. 1.) ex eo origo, ne militum senectus inopia premeretur, post attritum castrensi labore ætatis florem. Sulla itaque, Cæsar, & consecuti deinde Imperatores ex assignatis in hæreditatem agris honeste victitandi facultatem veteranis dederunt. In tales Colonias sub initium, *universæ legiones ducebantur cum tribunis, centurionibus, & sui cujusque ordinis militibus, ut consensu & caritate remp. efficerent.* Tac. 15. Ann. Mela l. 2. c. 5. speciatim quasdam exprimit legiones, designatis quoque, quæ occuparunt, locis. Exolescente sensim probi moris instituto, *non ut olim universæ legiones, sed ignoti inter se ducebantur, diversis manipulis, sine rectore* &c. Tac. Neque exemplum deerat, cum milites diffugerent passim *in Provincias, in quibus stipendia meruerant,* desertis coloniis. Fuerit aut hæc aut alia causa, videtur utraque & Hispalis & Emerita, imminutis colonis novas familiarum adjectiones ab Othone impetrasse. *Savilius.* Qui olim manumittebantur, cum libertate patroni nomen accipiebant. Sicque Terentius, poëta Comicus, Terentii Lucani domini sui nomen assumpsit. & Livius l. 3. Appii Claudii libertum appellat nomine domini Marcum Claudium. Cic. ad Att. *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo civitatem à Cæsare impetravit. Itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Erat enim P. Cornelius Megæ patronus. Hoc vero fiebat, ne barbaris nominibus civitas repleretur, obscuratis & deletis Romanorum gentilitatibus. Sueton. in Claud. *Peregrinæ conditionis homines vetuit usurpare Romana nomina, duntaxat gentilitia*, id est, quæ gentium essent patriciarum. Romani enim nolebant sua nomina cum exteris communicari: sed plebejorum nomina poterant illis dari. Ex verbis vero Taciti colligit Fr. Connanus permissum Hispaliensibus & Emeritensibus fuisse, se in familias Romanorum inserere & adjicere. Id est, ut cuique eorum, qui vellet, concederetur civitas Romana, dum in alicujus civis nomen gentemque transirent, ut fecit Mega ille Siculus. At Lingonibus civitatem fuisse datam universis, ut nec familiæ adoptione, nec nominis mutatione illis opus esset. *Lupanus.* Faernus legebat, *Hispalensibus* &c. Ursinus. Quod Lupanus hic de mutato nomine illorum, qui manumittebantur, aut beneficio alicujus civitatem impetrabant, verum est: sed huc minime congruens, cætera nugæ & neniæ. *Gronovius.*

3 *Familiarum adjectiones.*] Ita solent Romani coloniarum infrequentiæ subvenire, novâ familiarum aliquot adjectione. Livius lib. 64. *Postulantibus à Senatu Aquileiensium legatis, ut colonorum numerum augeret, mille & quingenta familiæ ex Sc. scripta.* Lipsius.

4 *Lingonibus universis.*] Latet hic omnino mendum. Primum enim quis locus Lingonibus (Galliæ ii sunt) inter Hispaniæ populos esse potest? Adde, quod Lingones istiipsi, primi & præcipui in Othonem hostes. Hi, qui Vitellium fovere; hi, qui milites turbidis colloquiis ad bellum impulere: hi, qui etiam nunc Othonis partes oppugnant viris, armis, equis. Unde igitur iis præmium? Clare aliena & falsa ea vox; & censeam Hispaniæ aliquam gentem reponendam: *Lusonas*, an *Illurconas?* an tale aliquod nomen, quod parum vicinum adhuc repperi corruptæ voci. *Nec scire fas est omnia*, ait Lyricus. tu cogitabis. *Lipsius.*

*Lingonibus universis civitatem Romanam.*] Vix assentior tantum beneficium ab Othone in Lingones Gallos fuisse collatum, præcipue (quantum mihi quidem constat) partibus Vitellii faventes, qui solus cum eo hanc de imperio rivalitatem exercebat. *Savilius.* Quæritur adhuc doctiss. viro gens illa inter Hispanos, nec persuaderi potis est, hic agi de Lingonibus Gallis, qui Vitellio addi-

gonibus universis civitatem Romanam; provinciæ Bæticæ Maurorum civitates dono dedit. nova jura Cappadociæ, [1] nova Africæ, ostentui magis quam mansura. [2] Inter quæ necessitate præsentium rerum & instantibus curis excusata, ne tum quidem immemor amorum, statuas Poppææ per senatusconsultum reposuit. Creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse, spe vulgum alliciendi. [3] & fuere qui imagines Neronis proponerent: atque etiam [4] Othoni, quibusdam diebus populus & miles, tamquam nobilitatem ac decus astruerent, NERONI OTHONI acclamavit. Ipse in suspenso tenuit, [5] vetandi metu, vel agnoscendi pudore. Con- 79
versis ad civile bellum animis, externa sine cura habebantur. Eo audentius [6] Rhoxolani Sarmatica gens, priore hieme cæsis duabus cohortibus; [7] magna spe ad Mœsiam

addictissimi in paucis erant. *Proxima Lingonum civitas erat fida partibus.* Ego de Lingonibus Galliæ dictum puto, qui armis, equis, opibus Vitellium juvere, quique Germanicas legiones ad arma impulere: quid enim monstri simile, si præcipuos hostium largitione tentat? nonne & Hispania jam ad Vitellium desciverat? *Statim cognitum est conversam ad Vitellium Hispaniam.* Nihilominus Otho permittit Hispalensibus & Emeritensibus familiarum adjectiones: quinimo his non contentus, iisdem artibus aggreditur ipsas Germanicas legiones. *Proximos menses Verginio destinat, ut aliquod exercitui Germanico delinimentum.* nec mirum, nam etiamdum privatus huic rei nimis studebat. *Adeo animosus corruptor, ut Coccejo Proculo speculatori de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini agrum sua pecunia emtum dono dederit.* Eadem postea molitus est Primus. *Et partes præsumsere, facta tribunis, & centurionibus retinendi quæ Vitellius indulserat spe,* &c. 3. hist. *Salinerius.*

1 *Nova Africo ostenta.*] Castigavimus, *Nova jura Cappadocia, nova Africa, ostentui magis, quam mansura.* Hoc vocabulum etiam usurpat lib. 1. *Corpora extra vallum abjecta, ostentui.* lib. 12. *Auribus decisis vivere jubet, ostentui clementia sua & in nos dehonestamento.* lib. 15. *iturum Tiridatem ostentui gentibus, quanto minus quam captivum.* Item: *In Galliam Julium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinum Montanum præfectum cohortis* &c. *ostentui misit.* Rhenanus.

2 *Interque necessitate præsentium rerum & instantibus curis excusata.*] Codex Budensis habet, *excusatus.* Scripsi, *Inter quæ necessitate præsentium rerum & instantibus curis excusatis.* Idem.

3 *Et fuere qui imagines Neronis proponerent.*] Emendavimus, *reponerent.* Rhenanus. Melius quidem, *reponerent*, ut in margine recentiorum notatum est. Tamen & vulgatum verbum, *proponerent*, fieri potest, id est conspiciendas in publico ponerent. *Pichena.* Male qui malunt, *reponerent*; neque id licebat, nisi per principem aut Senatum; ut pluribus ostendi ad Sueton. Cæs. 11. *tropæa Marii de Jugurtha deque Cimbris atque Theutonis, olim à Sulla disjecta, restituentem.* Gruterus. Plinius lib. 35, 4. *Princeps tabulam pictam prælii, quo Carthaginenses & Hieronem in Sicilia devicerat, proposuit in latere Curiæ Hostiliæ.* Suetonius Caligula cap. 41. *Hujusmodi vectigalibus indictis neque propositis.* Gronovius.

4 *Othoni quibusdam diebus.*] Quibus diebus? & cur hoc ita ἀορίστως? Fortasse, *Quinquatruum diebus:* quod scriptum initialibus modo litteris fuit. *Lipsius.*

*Quibusdam diebus, populus & miles.*] Quibus diebus? Quinquatribus, sicuti censet Lipsius. Si hoc verum, non caussæ erat, cur Quinquatrua non nominaret Historicus. An ex compendio Scripturæ natum mendum, & scripserat Tacitus? *Quibusdam differentibus* &c. Ait auctor noster, ita quosdam disseruisse sive tradidisse scriptis. Quod etiam affirmat Sueton. In Oth. *Nero nullum indicium recusantis dedit, imo ut quidam tradiderunt.* Inter eos qui hoc tradiderant, fuit eximius Scriptor Cluvius Rufus: Plutarch. Κλούβιος δὲ Ῥοῦφος εἰς Ἰβηρίαν φησὶ κομισθῆναι διπλώματα. Cluvii Rufi istius meminit etiam Suet. & Plinius. *Colerus.*

5 *Cognoscendi pudore.*] Malim, *agnoscendi.* Lipsius.

*Vetandi metum vel cognoscendi pudorem.*] Liber manusc. habet, *metu.* Scripsi, *vetandi metu, vel cognoscendi pudore.* Rhenanus. Faërnus legebat, *Vetandi metu, vel agnoscendi pudore:* Ursinus. Lipsius recte, *agnoscendi.* Muretus voluisse videtur, *ipse in suspenso tenuit, vitandi metum, vel agnoscendi pudorem.* Quanquam in libro ejus notatum reperi, *vitandi metum, & agnoscendi.* Acidalius. Rectius ex Flor. *vel agnoscendi pudore*, quam vulgo, *cognoscendi.* Pichena.

6 *Rhoxolani, Sarmatarum gens.*] Rhoxolani Plinio & Ptolomæo, Rhoxani Straboni, hodie Ruteni dicti. Hi adversus Mithridatis Eupatoris duces dimicarunt. *Lupanus.*

7 *Magna spe ad Mœsiam irruperant.*] Delendum *ad.* Nam sine præpositione Tacitus hæc talia semper effert. Supra: *Vastare Gallias, & Cottianis*

fiam irruperant, novem millia equitum [1] ex ferocia & fucceffu, prædæ magis quam pugnæ intenta. Igitur vagos & incuriofos, [2] tertia legio adjunctis auxiliis, repente invafit. apud Romanos omnia prœlio apta: [3] Sarmatæ difperfi, aut cupidine prædæ graves onere farcinarum, & lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, velut vincti cædebantur. Namque mirum dictu ut fit omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipfos. nihil ad pedeftrem pugnam tam ignavum; ubi per turmas advenere, vix ulla acies obftiterit. Sed tum humido die, & foluto gelu, neque conti, neque gladii, quos prælongos utraque manu regunt, ufui, lapfantibus equis, & cataphractarum pondere. Id principibus & nobiliffimo cuique tegmen, ferreis laminis, aut [4] præduro corio confertum; ut adverfus ictus impenetrabile, ita impetu ho-

*tianis Alpibus Italiam irrumpere.* Imo non delendum, transferendum faltem ad proxime fequ. *Novem millia equitum*, Hic inquam reponendum, *Ad novem* &c. *Acidalius.*

1 *Et ferocia & fucceffa prædæ.* ] Caftigavi diftinxique, *ex ferocia & fucceffu, prædæ magis quam pugnæ intenta.* Rhenanus. Hæc tranfponenda: *ferocia ex fucceffu, & prædæ magis, quam* &c Muret. notaverat, *& ferocia & fucceffu.* non tam bene. *Acidalius.*

2 *Tertia legio.* ] Scripfit forfan Tacitus *tres legiones*; tot enim Mœfia tum habuit, quarum Legati Confularia ornamenta nacti hifce rebus intererant, & quod verifimilitudo per fuadet, cum legionibus quibus præerant. *Savilius.*

3 *Sarmatæ difperfi aut cupidine prædæ graves onere farcinarum.* ] Leg. traductim, *Sarmatæ difperfi cup. pr. aut graves onere farc.* Acidalius. Ex re ipfa atque ratione lectionem reftitui, fola trajectione voculæ, quæ locum deferuerat, effeceratque: *Sarmatæ difperfi: aut cupidine pr. graves* &c. quomodo nolim fcripfiffe Tacitum: nec ille fane tam inepte fcripferit. at fi legas ut volumus; *difperfi cupidine prædæ, aut graves* conftabit fibi veriffima fententia: quam aliunde firmare, ut promptum, ita fupervacuum foret. *Freinshemius.* Poteft concedi, ut inventum auctori tantopere blandiatur, & ftatim recipiat in contextura; fed admodum oportet effe vero propinquum, ut etiam alii in id confentiant, ut fit hoc loco, ita tractim tacto ab Freinshemio, ut nefcierit Acidalium veniffe in partes. Certe eum ignorat. Sed uterque nunc vehementer cefpitat, & vanum pro re amplectuntur. Qui enim *vagi & incuriofi* dicuntur, an id fit ex fola prædarum fpe? Certe nequaquam, & tum prius poteft fieri per varias caufas, & pofterius omnino prædas excludit. Hæc fuerunt prima vitia, cladem eorum parantia. Igitur difperfi nempe per hos duos modos; quum interim fuerint alii prædis inhiantes, quas etiam acceperunt, fed male ufi, quia cupidine earum nimis fe onerarunt & reddiderunt inhabiles quum adhuc pugnare deberent. *Difperfi* fane monftrant vitium τακτικῆς, ut patet libro 1. annal. neque id fit ex folo impetu prædandi, fed certe ex caufis plurimis. Libri proximi capite 26. legimus; *Cum difperfos nec ufquam validos pavor fugientium abriperet.* Cupidine prædæ graves onere farcinarum depingunt Alcmæonem ex thefauro Crœfi egredientem apud Herodotum 6, 125; utrumque enim in eo pariter cernas. Hinc Freinshemio fuum reliqui, & Tacito reddidi quod verum eft, licet ipfe præ incondito æftu audeat loqui de inepte fcribendo. *Jac. Gronovius.*

7 *Præduro corio confertum.* ] Mireris equidem hæc verba ab Ryckio citari, ut de illis nihil diceret, quum longa dubitatio jam Lipfium quondam exercuerit, adeo ut poft hæc producta fcribat lib. 3. Mil. Rom. dial. 6. etiamnum mirabiliter anxius (Ideo jure in Taciti loco fupra am-„ bigam, non enim afferam, abfit, an non repo-„ nendum *præduro cornu*, quoniam & Paufanias, ut „ proprium, Sarmatis hoc adtribuit) Ita Lipfius.„ Utrum nefcivit hæc, an præterire maluit? Certe hoc pofterius non difpliceret Raph. Fabretto ad Columnam Trajani cap. 4. pag. 111. aufo inter citandum hanc parenthefin inferere [ aut præduro corio (Cornu Lipfius legit, cui ex jam dictis affentior) confertum.] Adhibet quoque hanc defcriptionem Henr. Valefius ad locum Ammiani Marcellini 17, 12. præfatus hanc Sarmatarum armaturam, loricas nempe ex cornibus rafis, optime defcribere Tacitum, fed nulla fufpicione eum adfpergens, etfi folus λωρίκια κεράτινα in hoc genere deinde exprompferit. Continentia Lipfii prorfus probari meretur, non minus quam taciturnitas Valefii. Hi enim duo excellentes ftudiis viri noverant codicibus antiquis pretium fuum ftatuere, non etiam Fabrettus; qui aut neque vidit, aut fi vidit, recte ufurpare ignoravit; unde ejus [illegible] damnari prorfus & rideri debet contra fidem adeo eximii exemplaris in tot majoris momenti relationibus fpectatam ita ruentis, præfertim quum ab Varrone lorica confideretur ab loris, quod de corio crudo loricas faciebant, non tam Romani, quam & aliæ gentes. Non debeo ta-

hostium provolutis inhabile ad resurgendum. Simul altitudine, & mollitia nivis, hauriebantur. Romanus miles facili lorica, & missili pilo, aut lanceis assultans, ubi res posceret, levi gladio inermem Sarmatam (neque enim defendi scuto mos est) cominus fodiebat: donec pauci, qui prœlio superfuerant, paludibus abderentur. [1] ibi sævitia hiemis, & vi vulnerum absumpti. Postquam id Romæ compertum, M. Aponius Mœsiam obtinens, [2] triumphali statua, Fulvius Aurelius, & [3] Julianus

tacere mox in MS. Mediceo legi *facilis lorica*, de quo vide Ryckiana. Et Livius 40, 58. dicit *neque Basternas faciles commercio*. Jac. Gronovius.

1 *Ibi sævitia, hic miseria.* ]. Mutilus locus, aut corruptus. Mihi ex sententia videatur: *Illi sævitia hiemis, hi miseria vulnerum absumpti.* Junctim enim cum prioribus legenda. & reliqui confugerunt, inquit, ad paludes: quorum alii frigoris vi, alii jam læsi, cum nemo curaret, misere tabe & pure vulnerum perierunt. *Lipsius.*

*Hic misericordia vulnerum absumpti.* ] Budense volumen habet, *m̄ia.* Reposui, *miseria vulnerum.* Rhenanus. Faernus legebat: *Ibi sævitia vulnerum, hic misericordia absumpti* &c. non ut in vulgatis. *Ursinus.* Impropria & parum apta videtur vox, *miseria.* mihique admodum arridet Mureti emendatio: *Ibi sævitia hiemis, & vi vulnerum absumpti.* totidem fere literis, nec dissimilibus. *Pichena.* Præstare se ait Lipsius legendum, *Ibi sævitia hiemis; hic miseria vulnerum.* At ego præstabo ea geminatione nihil opus. Quorsum enim *hic*, non duobus locis, sed uno scil. *in paludibus* ait *absumptos esse*? Verior igitur Mureti emendatio singulis vestigiis & apicib. vulgatæ scripturæ insistens. *Acidalius. Miseria*, ταλαιπωρία, dolor, cruciatus. Ter. Adelph. *miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.* Plaut. Pers. *Dum tunicas ponit, quanta afficitur miseria?* Pauci Sarmatarum manus Romanorum evaserunt, iisque effugium paludes ab hoste, sed non à vulneribus: quæ non fota, non curata, sed ipso frigore exacerbata, præsentem perniciem attulerunt. Assignetur itaque *sævitia* militibus Rom. ut agatur de Sarmatis, qui manus cum iis conseruerunt, quorum major pars *ibi*, id est, in acie, reliqui *hic* scil. inter paludes exstincti sunt. *Salinerius.* Optimam emendationem Mureti, Pichenæ quoque judicium sequuti, maluimus inserere textui; quam illa manifesto falsa: *ibi sævitia, hic miseria vuln.* Freinshemius. Sed hæc omnia posthac Tacitum non fatigabunt, si ex Ryckiano libro cum domino legamus *& dolore vulnerum*, ut sustinuit edere. Credimus? Immo est conspicuum specimen interpolationis, quam admisit vir certe doctus & firmatus animo, ut locum hunc quocunque modo integratum haberet. Vocem igitur *dolore* interposuit, quum in vere antiquis codicibus nulla scintilla ejus vocis adfulgeret. Aliunde igitur sumere hanc vocem sine ulla titubatione certe, ut ait Ryckius, duravit, vel ex Justini libro 24. *Brennus cum dolorem vulnerum ferre non posset.* Vel ex Ammiano Marcellino lib. 27. *Quos vulneribus frigorum asperitate contractis dolorum absumpserat magnitudo.* Sed hæc est fundi hujus calamitas, quod Tacitum deserat, pagina in exemplari Mediceo, quam nullus dubito allusisse propius ad exactissimam Mureti conjecturam, sicut circumlambunt alii sane reveriti magis fidem & pondus antiquitatis. *Jac. Gronovius.*

2 *Triumphali statua.* ] 4. Ann. *tres erant laureatæ in urbe statuæ* &c. & quæ in eundem sensum præcesserunt. *Priores duces impetrando sibi triumphalium insignia sufficere res suas crediderant.* Rursus 15. Ann. *Triumphale decus & triumphales in foro imagines.* Res una & eadem varie significata; ut non vane liceat colligere triumphalem statuam & triumphalia insignia minime discerni, aut illam constitui horum partem, toti tamen exprimendo usurpatam. Hoc honoris genus τιμαὶ ἐπινίκιοι, liberæ reip. ignotum, primum, ut nonnulli opinantur, ab Augusto tributum Tiberio est, anno V. C. 742. Sueton. Tib. 9. Dio lib. 54. p. 528. scribit biennio ante, nec prius cuiquam, id contigisse Agrippæ. Causam novandi non conjecero aliam, quam quod Augusto videretur, nimium ex majestate habere triumphalem pompam, ei saltem, qui ex prisca rep. nihil superesse pateretur præter vocabula, idque gravate, & qui propterea ubique libertati nervos incideret, ut tamen prioris temporis umbra superesset, callide triumphos mutavit in triumphalia insignia. Tantum decreti solenniter Principibus triumphi, aut eorum filiis, ut Germanico tempore Tiberii. Proxime triumphalia, sed loco inferiori, erant *Consularia insignia*, aut *ornamenta* τιμαὶ ὑπατικαὶ atque etiam *prætoria*, τιμαὶ στρατηγικαὶ, ex iis, quæ, ut puto, illi obtinebant, quos Dio sparsim vocat, τὰς γε δόξας ὑπατευκέναι, ἢ ἐστρατηγηκέναι. In ultimum rejecta gradum *quæstoria ornamenta*; quæ illorum compotes exæquabant Consulibus, Prætoribus, Quæstoribus. 4. hist. *Mutio cum honore verborum Mutiano triumphalia de bello civili data, sed in Sarmatas expeditio fingebatur. Adduntur Antonio Primo Consularia, Cornelio Fusco, & Arrio Varo prætoria insignia.* Ann. 11. *decreta Narcisso quæstoria insignia* &c. *Savilius.*

nus Titius, ac Numisius Lupus, legati legionum, consularibus ornamentis donantur: læto Othone, & gloriam in se trahente, *tamquam & ipse felix bello, & suis*
80 *ducibus suisque exercitibus rempublicam auxisset*. Parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta seditio, prope urbi excidio fuit. [1] Septimam decimam cohortem, è [2] colonia Ostiensi, in urbem acciri Otho jusserat: armandæ ejus cura Vario Crispino, tribuno è prætorianis, data. Is quo magis vacuus, [3] quietis castris, jussa exsequeretur, vehicula cohortis incipiente nocte onerari aperto armamentario jubet. tempus in suspicionem; [4] caussa in crimen; [5] affectatio quietis in tumultum evaluit. & [6] visa inter temulentos arma, cupidinem sui movere. Fremit miles, & tribunos centurionesque *proditionis* arguit; *tamquam familiæ senatorum ad perniciem Othonis armarentur*. [7] Pars ignari & vino graves; pessimus quisque in occasionem prædarum: vulgus, ut mos est, [8] cujusque motus novi cupidum. & obsequia meliorum nox abstulerat. resistentem seditioni tribunum, & [9] severissimos centurionum

3 *Titius Julianus.*] In secundo & quarto lib. tantum appellatur *Tertius Julianus*. Idem.

1 *Septimam decimam è colonia Ostiensi.*] Præpositionem è submovimus. Subauditur enim. *Rhenanus*. Muretus addi voluit præpositionem, è *colonia*. Acidalius. Ex Flor. addidi præpositionem è. Pichena.

2 *Colonia Ostiensi.*] Scito eam illic perpetuam stationem habuisse, ex decreto Claudii. Suetonius in Claud. cap. 25, *Puteolis & Ostiæ singulas cohortes, ad arcendos incendiorum casus, collocavit*. Lipsius.

3 *Quietis castris.*] Quia vigiliæ jam tunc constitutæ, & omnes in contuberniis, exceptis Vigilibus. *Idem*.

4 *Causa in crimen* &c.] Si causa hic aliqua contineatur, sensus fuerit, quicquid Tribunus ex mandato Principis egisset, sinistre milites interpretatos, quasi non in Principis obsequium patraretur, sed potius servitiorum in Imperatorem armandorum gratia. Plutarch. *οἱ θρασύτατοι πάντες ἐβόων, οὐδὲν ὑγιὲς τὸν Κρισπῖνον ἥκειν διανοούμενον, ἀλλὰ τὴν σύγκλητον ἐπιχειρεῖν πράγμασι νεωτέροις, καὶ τὰ ὅπλα κατὰ Καίσαρος οὐ Καίσαρι παρακομίζεσθαι*. i. *Illorum audacissimi una quasi voce exclamabant aliud intendi Crispinum, Senatum res novas moliri, armaque non pro, sed in Principem exprompta*. Savilius.

5 *Affectatio quietis in tumultum evaluit.*] Placeret, *evadit*, pro *evaluit*: nisi verbum sit à Tacito ex obscura antiquitate erutum, ut pleraque alia. *Ursinus*.

6 *Visa inter tem. arma.*] Is affectus Homero exprimitur, in Odyssea π. ubi Ulysses Telemachum monet amovenda arma à procis, & caussam dat:

*Μήπως οἰνωθέντες, ἔριν στήσαντες ἐν ὑμῖν,*
*Ἀλλήλους τρώσητε.*

Et caussæ caussam:

- - *Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.*
*Nequando temulenti, jurgia deinde seratis,*
*Mutua lædentes.*
- - *namque viros ferrum trahit ipsum.*

Lipsius.

7 *Vino graves.*] Quippe in cœna jam, aut potius à cæna. Ubi autem es vetus disciplina? Sed vero hæc castra urbana, & cum urbis vitiis. *Lipsius*.

*Pars ignavi & vino graves.*] Nos, *pars ignari* &c. *Rhenanus*.

8 *Cujuscumque motus novi cupidum.*] Scripsi, *cujusque motus novi cupidum*. Rhenanus. Edd. antiquissimæ *cujuscunque*; quod ambigas sitne ab librariis, an ab auctore ipso. *Gruterus*. Ita dubitare de omnibus licet. Sed quum librarii sinceram fidem suam tot documentis per alia loca probaverint, Grutero licebit dubitare; sed vir sanus eos honoti debito relinquet. Nunc autem plane vidi in MS. Mediceo legi *cujuscunque*, idque viderunt plures, unde sequor Cl. Ryckium. *Jac. Gronovius*.

9 *Severissimum centurionum.*] Vatic. *severissimos*. & Plutarchus ἑκατοντάρχας δύο interfectos scribit. Noster tamen etiam infra de uno tantum: *Unus alterve perditus ac temulentus, centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet?* Itaque placeat magis hic legi, & *Severissimum centurionem*, ut proprium nomen expresserit interfecti. aut certe in altero Taciti loco, *centurionum ac tribuni*, scribendum erit. *Lipsius*.

*Severissimos centurionum obtruncant.*] Nos, *severissimum centurionum* &c. nam sequitur infra, *Centurionis ac Tribuni sanguine manus imbuit*. Rhenanus. ἑκατοντάρχας δύο. Plutarch. *Savilius*. Constans veterum codicum lectio & Florentini & Vat. & aliorum, *severissimos centurionum*. multo probabilior vulgata *severissimum centurionum*. nec Lipsio adsenserim, qui, *Severissimum centurionem*, legit, ut sit proprium nomen interfecti. Quod autem inferius in Orat. Othon. unus tantum Centurio interfectus videatur, id minime obstat. Dum enim

num obtruncant. rapta arma, nudati gladii, insidentes equis [1] urbem ac palatium petunt. Erat Othoni celebre convivium, [2] primoribus feminis virisque; qui tre- 81
pidi, fortuitusne militum furor, an dolus imperatoris, manere ac deprehendi, an fugere & dispergi, periculosius foret; modo constantiam simulare, modo formidine detegi, simul Othonis vultum intueri. utque evenit inclinatis ad suspicionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur. Sed haud secus discrimine senatus quam suo territus, & præfectos prætorii ad mitigandas militum iras statim miserat, & [3] *abire propere omnes è convivio* jussit. Tum vero passim magistratus, projectis insignibus, vitata comitum & servorum frequentia, senes feminæque per tenebras, diversa urbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta, & ut cuique humillimus cliens, incertas latebras petivere. Militum impetus ne foribus quidem palatii coër- 82
citus, quo minus convivium irrumperent, *ostendi sibi Othonem* expostulantes: vulnerato Julio Martiale tribuno, & Vitellio Saturnino [4] præfecto legionis, dum ruentibus obsistunt. Undique arma & minæ, modo in centuriones tribunosque, modo in senatum universum: lymphatis cæco pavore animis, & quia neminem unum destinare iræ poterant, licentiam in omnes poscentibus. donec Otho, contra decus imperii thoro insistens, precibus & lacrymis ægre cohibuit: redieruntque in castra inviti, neque innocentes. Postera die, velut capta urbe, clausæ domus, rarus per vias populus; mæsta plebs; dejecti in terram militum vultus, ac plus tristitiæ quam pœnitentiæ. Manipulatim allocuti sunt Licinius Proculus, & Plotius Firmus, præfecti, ex suo quisque ingenio, mitius aut horridius. Finis sermonis in eo, ut [5] quina millia nummum singulis militibus numerarentur. Tum Otho ingredi castra ausus. atque illum tribuni centurionesque circumsistunt, [6] abjectis militiæ insignibus,

enim indefinite ait: Ergo miles suum centurionem ac tribunum interficiet? idem est ac si dicat: Ergo milites suos centuriones ac tribunos interficient. nam ibi etiam sequitur, *imperatoris sui tentorium irrumpet?* & tamen id minime acciderat: sed dixit, tanquam accidere posset. *Pichena.* Vide, cui potius credas, Tacito Romano, an Græco Plutarcho: ille etiam paulo post: *Unus alterve perditus, ac temulentus, centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet?* hic ἡμαρτήκασι δύο. Ego (quod inter ingenuos dicendum sit) plus fidei Romanis in re Romana habeo. *Severissimum centurionum.* non proprium nomen, sed nota centurionis sævitiæ insignioris: tales enim sæpe à militibus cædebantur. ut lib. 1. Ann. *Centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedo alteram, indiderant* &c. *Savilius.*

1 *Urbem ac palatium petunt,*] Vide Sueton. Oth. c. 8. *Idem.*

2 *Primoribus fœminis virisque.*] Ὀγδοήκοντα συγκλητικούς. Plutarch. *Idem.*

3 *Abire propere.*] Καθ' ἑτέρας θύρας ἀφείς. Plut. i. e. *aliis emittens ostiis.* Idem.

4 *Præfectus legionis.*] Modus loquendi, qualem in Tacito observari alibi non commemini. *Idem.*

5 *Quina millia nummum.*] Quinque millia sestertium, id est 39. l. 1. s. 3. d. *Idem.*

6 *Abjectis militiæ insignibus.*] Tribunatus insigne, dignitatis nota erat παραζώνιον Pugio. Martial. lib. 14. Centurionis erat, *Vitis*, castigandis qui exorbitarent, militibus. Juvenal. de Mario, Sat. 8. *Nodosam post hæc frangebat vertice vitem* &c. Tacit. 1. Ann. 23. Præfectis *Prætorio* ξίφος gladius insigne fuit. Xiphilinus, ubi agit de Licinio Sura, qui prætoriis cohortibus sub Trajano præerat, ὅτι πρῶτον τῷ μέλλοντι τῶν δορυφόρων ἐπάρξειν τὸ ξίφος, ὃ παραζώννυσθαι αὐτὸν χρῆν, ὤρεξεν i. *cum primum ei porrigeret, quam Prætoriano militi præficeret, gladium, quo accingi debebat.* Et Nymphidius apud Plutarch. cum suum socium Tigellinum dignitate exueret. προσέταξεν ἀποθέσθαι τὸ ξίφος i. *gladium deponere jussit.* Gladii gestandi prærogativa secum ferebat jus vitæ & necis in milites. Dio l. 53. *Gladius* ξίφος, aut *pugio* (videntur enim eadem sumi significatione) supremæ quoque potestatis insigne fuit, more in hoc usque tempus servato. Vitellius imperio se abdicans, τὸ ξίφος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῖς ὑπάτοις, καὶ τοῖς ἄλλοις βουλευταῖς ὤρεγεν, ὡς καὶ τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν δι' αὐτοῦ ἀποτιθέμενος i. *Vitellius coacto Senatu gladium suum Consulibus aliisque Senatorib. tradidit, abdicata sic suprema potestate.* Tacitus eodem respiciens 3. hist. 68. Sueton. Vit. 15. *Savilius.*

bus, *otium & salutem* flagitantes. [1] Sensit invidiam miles, & compositus in obse-
83 quium, *auctores seditionis ad supplicium* ultro postulabat. [2] Otho quamquam turbidis rebus, & diversis militum animis, cum optimus quisque *remedium præsentis licentiæ* posceret; vulgus & plures, seditionibus & ambitioso imperio læti, per turbas & raptus facilius ad civile bellum impellerentur: simul reputans non posse principatum scelere quæsitum, subita modestia, & prisca gravitate retineri, sed discrimine urbis & periculo senatus anxius, postremo ita disseruit: *Neque ut affectus vestros in amorem mei accenderem, commilitones;* [3] *neque ut animum ad virtutem cohortarer (utraque enim egregie supersunt)* [4] *sed veni postulaturus à vobis temperamentum vestræ fortitudinis, & erga me modum caritatis. Tumultus proximi initium,* [5] *non cupiditate vel odio (quæ multos exercitus in discordiam egere) ac ne detrectatione quidem* [6] *aut formidine periculorum nimia pietas vestra acrius quam consideratius excitavit. Nam sæpe honestas rerum caussas, ni judicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur.* [7] *Imus ad bellum. num omnes nuntios palam audiri, omnia consilia cunctis præsentibus tractari, ratio rerum, aut occasionum velocitas patitur? tam nescire quædam milites, quam scire oportet. Ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinæ habet,* [8] *ut multa etiam centuriones*

1 *Sensit invidiam miles.*] Scil. dum tribuni ac centuriones militiæ insignia coram Othone abjicerent, ac tam infestis militib. præesse recusarent; cædes illis exprobrare, & omnem seditionis culpam in eos rejicere videbantur. *Pichena.*

2 *Otho quamquam.*] Non intelligo, cui rei sit istud *quamquam.* forte scribendum *quoque*, cum utriusque vocis notæ paullum differant. sed nihil hic affirmaverim. *Freinshemius.* Nisi id totum esse perineptum. Res enim clara est, & Otho bene agnoscit tale tempus esse, cui idoneam orationem salva sua majestate & sine periculo vix posset accommodare, ut forsan satius foret aut tacere aut edicto admonere militem. Nihilominus etsi bene perpenderet tale tunc tempus esse, tamen &c. An hæc non est oratio commoda ad intelligendum? Et sic agit auctor in infinitis locis. *Jac. Gronovius.*

3 *Neque ut animum, ad virtutem.*] Inserui præpositionem, *ad. Neque ut ad animum, ad virtutem cohortarer.* nam omittere solet conjunctiones. Sic hoc lib. *Et apud Galbam, Othonem, Vitellium illæsa. Ad virtutem*, id est, ad fortitudinem. *Rhenanus.*

4 *Sed veni postulaturus à vobis.*] Muretus trajecit, *veni. sed postulaturus* &c. *Acidalius.*

5 *Non cupiditate vel odio.*] Vulgo, *cupidine.* Mutavi suadentibus veterib. libris. nam Flor. syllaba minus habet, *cupidite*, Venetus clare, *cupiditate.* Non enim omnino idem, cupido, ac cupiditas, ut notum est. *Pichena.* Sed quis neget scripturam codicis Medicei plus vergere ad *cupidine*, quam ad *cupiditate?* In priore calamus duos ramulos in unum traxit, ut facillime fieri potest ex lenitate manus, quæ illo utitur; at in posteriore prorsus duæ literæ immittendæ sunt. Magna certe differentia. Sed syllabam sæpe omitti notavit alius. Unde pronus foret in vocem *cupiditate*, nisi suus MS. etiam aliter haberet. *Jac. Gronovius.*

6 *Aut formidine.*] Non recte ceperis, nisi recte sic distinxeris: *formidine periculorum: nimia pietas vestra* &c. *Acidalius.*

7 *Imus ad bellum, non omnes nuntios.*] Distinximus, atque emendavimus, *Imus ad bellum. Num omnes nuncios* &c. Rhenanus. Lectio veterum editionum est, *non omnes nuntios*, quam hoc loco meliorem esse putavimus substituta; *num omnes nuntios.* Freinshemius.

8 *Ut multa per centuriones.*] Liber Hispanus, *ut multa centuriones tribunosque*, omissa vocula. Verissime. Nam ea Othonis mens est, ut velit quædam imperia centurionibus tantum tribunisque indicari; non in milites spargi. Florentinus liber habet, *Multa etiam centuriones:* optime. *Lipsius.*

*Ut multa etiam per centuriones.*] Duas istas voculas, *etiam per*, expunximus. *Rhenanus.* Lipsius in curis secundis legit, *multa etiam centuriones;* in postrema recensione illud *etiam* quoque omisit. Eamque asseverat lectionem, & hanc ejus mentem verissimam, quædam imperia centurionibus tantum tribunisque indicanda, non in milites spargenda. Neutrum horum voluit Tacitus aut Otho, quorum ut mens non satis liqueat, una particella facit *tantum*, quæ verbo *juberi* jungenda, non vocibus *centuriones tribunosque.* Et Farnesianus liber recte *etiam*, quo recepto locum sic distinguo: *ut multa etiam centuriones tribunosque tantum juberi expediat.* Hic sensus enim verus, nec præter eum alius saltem probabilis. In usu & ex usu militiæ est, ut multa saltem jubean-

*nes tribunosque tantum juberi expediat.* [1] *Si, ubi jubeantur, quærere singulis liceat; pereunte obsequio, etiam imperium intercidit. An & illic nocte intempesta rapientur arma? unus alterve* [2] *perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse crediderim) centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet? Imperatoris sui tentorium irrumpet?* [3] *Vos quidem istuc pro me; sed in discursu ac tenebris, & rerum omnium confu-* 84
*sione, patefieri occasio etiam adversus me potest.* [4] *Si Vitellio & satellitibus ejus* [5] *eligendi facultas detur,* [6] *quem nobis animum,* [7] *quas mentes imprecentur; quid aliud quam seditionem & discordiam optabunt? ne miles centurioni, ne centurio tribuno obsequatur. hinc confusi pedites equitesque, in exitium ruamus. Parendo potius, commilitones, quam imperia ducum sciscitando res militares continentur. &* [8] *fortissimus in ipso discrimine exerci-*

beantur, non modo vulgus militum, sed centuriones etiam ipsi ac tribuni. Id requirunt statim sequentia: *Si ubi jubeantur, quærere singulis liceat: pereunte obsequio, etiam imperium intercidit.* Quæ cum neutra Lipsianarum emendationum recte cohærent. *Acidalius.* Florent. *ut multa etiam centuriones* &c. eodem sensu, quem Lipf. eluicit ex Hispano codice, qui habet: *ut multa centuriones.* Vulgati vero addunt: *per centuriones.* Pichena. Editio prima, secunda, tertia servant illud quod produxit è Flor. Pichena: *ut multa etiam centuriones* &c. Lectio verissima, quam cur alii mutaverint, rationem non video. eam confirmavi plurium exemplorum quasi munimentis in Suspicionum farragine. *Gruterus.*

1 *Si, ubi jubeantur.*] In Mediceo scribitur *sicubi* una voce. Unde quum sententia truncaretur, considerans hanc priscam lectionem vel auctor vel scriptor libri Ryckiani fecit *si quur*, id quod possessor nuperus tanquam Taciti potuit sequi. Atqui edidit *si cur jubeantur*; hactenus ergo discessit. Utinam magis! nam totum apparet studiose ex scriptura antiqua interpolatum. In qua quum sint sex literæ, totidem quoque is fabricari voluit, ex *bi* faciens *ur*, quia b & u sæpe misceantur, & litera i appropinquat alteri r; tum opinor, ut rideret, c translata est in q, prout noverat in Digestis sæpe fieri. Ne dubites illum jocari nunc voluisse, an vel semel istud *qur* in universo libro sic scriptum occurrit? Utique id non meruerat istum honorem.. Vere autem est concessio per indignationem orta ex decoro & æquo tantumquod opposito & præmisso: Sicubi jubeantur, quærere singulis liceat. q. d. Pone vel finge hoc concedi, ut singulis liceat quærere, sicubi jubeantur. Quid? an non est simplicissimum? *Jac. Gronovius.*

2 *Perditus ac temulentus.*] Puto, *percitus.* Nam ad instinctum quemdam & *insaniam* (ita statim) refert. *Lipsius.*

3 *Vos quidem istuc.*] Nempe irrupistis. Sed quum & veterrimus codex habeat *istud*, idque cum fide expresserint primæ editiones, quis non rideat fastidia & mobilitatem posterorum. Melius plane consultum ab Ryckio. sed addit subintelligi patrastis. Non opinor. Sed isto pronomine continet omnia, quæ modo narravit, uno verbo non exprimenda, quum excedat illorum horror, unde cogitationi reliquit. *Jac. Gronovius.*

4 *Si Vitellio & satellitibus ejus.*] Hæc ipsa movendi ratio ab hostium affectu & voto, usurpata decenter Homero, Iliad. α.

Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες,
Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ,
Εἰ σφῶϊν τάδε πάντα πυθοίατο μαρναμένοιιν.
*Ridebit Priamus certe, & Priameia proles,*
*Atque alii Troes gaudebunt gaudia magna,*
*Has inter vos si lites & jurgia norint.*

Et cur non ab illo uberi eloquentiæ & sapientiæ fonte sit hic rivus? *Lipsius.*

5 *Eligendi facultas detur.*] Forte, *colligendi*, id est, ut exercitus colligantur, aut *confligendi facultas detur.* nam regium volumen habet, *elligendi.* Rhenanus. Mire heic hæret Rhenanus, & tandem ad emendationes refugit. Sed frustra. *Eligendi facultas*; est facultas optandi atque imprecandi à Deis. Si, inquit, efficaciter quidvis nobis imprecari possent; nihil nobis aliud optent, quam nostram mentem. conferantur illhæc cum cap. 10. lib. 3. Hist. *Gruterus.*

6 *Quem nobis animum.*] Malim, *vobis.* Rhenanus. Inepte mavult Rhenanus *vobis*, id quidem sentit Otho; sed invidiæ molliendæ subticet, & se etiam aliosque ei numero includit, ut solent oratoria arte insignes. *Gruterus.*

7 *Quas mentes imprecentur?*] Tolle hic interrogationis notam & repone comma. neque enim in præcedentibus saltem verbis adhuc interrogationis vis est, sed conditionis expressio. in sequentib. illatio cum interrogatione. *Acidalius.*

8 *Fortissimus in ipso discrimine.*] Verissima gnome. quæ veteri Græcorum dicto firmatur apud Eustathium, Θρασὺς πρὸ ἔργου, ἐν πολλῷ κακός. *Confidens ante rem, plerumque ignavus.* Aristoteles etiam apte in Nicomachæis, libro III. Καὶ οἱ μὲν θρασεῖς, προπετεῖς καὶ βουλόμενοι πρὸ τῶν κινδύνων κινδυνεύειν

*citus est, qui ante discrimen quietissimus. Vobis arma & animus sit: mihi consilium, & virtutis vestrae regimen relinquite. Paucorum culpa fuit, duorum pœna erit. ceteri abolete memoriam fœdissimæ noctis.* [1] *nec illas adversus senatum voces ullus unquam exercitus audiat. Caput imperii, & decora omnium provinciarum, ad pœnam vocare, non hercle illi,* [2] *quos cummaxime Vitellius in nos ciet, Germani audeant. Ulline Italiæ alumni, & Romana vere juventus,* [3] *ad sanguinem & cædem depoposcerint ordinem, cujus splendore & gloria, sordes & obscuritatem* [4] *Vitellianarum partium perstringimus? Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet: Senatus nobiscum est. Sic fit, ut hinc respublica, inde hostes reipublicæ constiterint. Quid? vos pulcherrimam hanc urbem,* [5] *domibus & tectis & congestu lapidum, stare creditis? Muta ista & inanima intercidere ac* [6] *reparari promiscua sunt:* [7] *æternitas rerum, & pax gentium, & mea*

ἐν αὐτοῖς δὲ ἀφίστανται. Οἱ δὲ ἀνδρεῖοι, ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς, πρότερον δὲ ἡσύχιοι. id est: *Temerarii quidem, prompti & volentes sunt ante pericula periclitari: sed in ipsis deficiunt: at fortes, in rebus & factis acres, ante quietissimi.* Quem locum nihil absurdum Tacitum adspexisse & expressisse. Sed & Homerus Græcos semper quietos & tacitos facit ante pugnam: Iliad. α.

Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοί.

Iliad. δ.

- - - Οἱ δ' ἄλλοι ἀκὴν ἴσαν (οὐδέ κε φαίης
Τόσσον λαὸν ἕπεσθαι ἔχοντ' ἐν στήθεσιν αὐδήν)
Σιγῇ δειδιότες σημάντορας.
*Verum ibant taciti, spirantes robur Achivi.*
*- - - alii taciti ibant (nec dixisses*
*Hunc tantum populum lingua usum aut oris habere:)*
*Ibant, quisque ducum reverentes.*

Talis & Livianus Manlius, qui nulla voce aut minis in Gallum ibat: *sed pectus, animorum iraque tacita plenum, omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis distulerat.* Lipsius.

1 *Ne illas adversus Senatum voces.*] Scripsi, *Nec illas* &c. *Rhenanus.*

2 *Vitellius in nos ciet.*] Locum ab aliis fœde interpolatum è Vaticano restitui, religiose servata ejus scriptura: nisi quod *Audeant* feci, ex *Audiant.* Ne Germani quidem, inquit, illi barbari: quos nunc Vitellius in nos concitat, audeant ad pœnam amplissimum ordinem deposcere: nedum vos Romana suboles. non etiam spreverim scribere cum Hispano codice, *quis cummaxime:* id est, quis comitatus maxime Vitellius in nos movet. *Lipsius.*

*Quos nunc maxime Vitellius in nos ciet.*] *Nec quibus cummaxime in nos ciet.* ubi dictum, *in nos ciet*, sicut, *in nos movet.* De adverbio *cummaxime* admonuimus alibi. *Rhenanus.* Lipsii correctionem ego ex Florentin. prorsus confirmo. male vulgo: *quibus cummaxime:* &, *audiant.* Pichena. Apage Hispani libri lectionem, *queis cum*, pro cum quibus. Quod Lipsius tamen probare ausus est. Ne faceret, vox saltem *cummaxime* monere debebat. lib. 4. Hist. *tolerant cummaxime inopiam.* Emendavimus in Plinii epist. lib. 10. insignem locum. Tacit. iterum 4. Hist. *vastatam Italiam, capi cummaxime urbem.* Acidalius.

3 *Ad sanguinem & cædem reposcerent ordinem.*] Exemplar Matthiæ Corvini habet, *deposcerent.* malim, *deposcent.* Sane *deposcendi* verbum inprimis hic locum habet, quod exemplis astruere facillimum est. lib. 3. Hist. *Nec minus violenter Aponium, quam Flavium ad supplicium deposcerent.* Eod. libro: *Vinctos in deditionem accipere, aut expugnare deposcunt.* Rhenanus. Lege, *deposcent.* Nisi tamen hæc Taciti formula est, quæ & supra in Pisonis oratione: *Habitune & incessu, an illo muliebri ornatu, mereretur imperium?* & illic item à nobis interpolata, fortasse male. *Acidalius.* Cæcos, aut ubique admodum corruptos oportet fuisse oculos eorum, qui codicem Mediceum adhibuerunt, & vel nihil varietatis videre potuerunt, vel noluerunt in publicum conferre. Manifeste ibi legitur *depoposcerx*, quod plane est *depoposcerint*, plane peregregium hoc loco, ita ut reponere non dubitaverim. Utique videbat hoc in schedis meis Ryckius. De aliis Mstis nihil dixerim. *Jac. Gronovius.*

4 *Vitellianarum partium perstringimus.*] Lege, *præstringimus.* i. hebetamus, obumbramus. At recte mox: *perstringendos mulcendosque animos.* Hoc enim quod Persius *mordaci radere vero.* Gronovius.

5 *Domibus & tectis.*] Tale Augustus in Dione, oratione ad populum lib. LVI. Ἄνθρωποι γάρ που πόλις ἐστὶν, οὐκ οἰκίαι, οὐδὲ στοαὶ, οὐδ' ἀγοραὶ ἀνδρῶν κεναί: *Viri enim urbs sunt, non domus, & porticus, aut fora hominum vacua.* Lipsius.

6 *Promiscue possunt.*] Budensis codex, *promiscua sunt:* itemque Florentinus, in quo *promisca sunt.* quod hellenismo quodam retineri posse, imo debere, assentior Rhenano. Sed velim amplius, *inanima*, rescribi, paullo ante, non *inania.* *Idem.*

*Reparari promiscue possunt.*] Sincerior est manuscripti

***mea cum vestra salus, incolumitate senatus firmatur.*** *Hunc* [1] *auspicato a parente & conditore urbis nostræ institutum, & à regibus usque ad principes continuum & immortalem,* [2] *sicut a majoribus accepimus, sic posteris tradamus. Nam ut ex vobis senatores, ita ex senatoribus principes nascuntur.* [3] Et oratio ad perstringendos mulcendosque militum 85
animos, & severitatis modus (neque enim in plures quam in duos animadverti jusserat) grate accepta, compositique ad præsens, qui [4] coërceri non poterant. [5] Non tamen quies urbi redierat. strepitus telorum, & facies belli; [6] & militibus, ut nihil

scripti codicis lectio, *reparari promiscua sunt.* Expone *promiscua sunt*, ut intercidant ac reparentur. quæ locutio Græcam constructionem redolet. *Rhenanus.* Flor. aliter; *reparari promisca sunt.* quod Rhenanus interpretatur. Animadverti etiam, & in hoc antiquissimo codice, & in altero priorum librorum, perpetuo scriptum esse, *promiscus, promisca, promiscum, promisci* &c. Quod autem Lipsius reposuit, *inanima*, exemplo Ciceronis firmatur, qui in Verrem Act. III. ait: *omnia muta atque inanima, tanta & tam indigna rerum atrocitate, commoverentur.* Simili modo Plin. Paneg. ad Trajanum: *muta quidem ista & anima carentia, sentire tamen & lætari videntur.* Pichena. Reposuimus ex scriptura librorum Rhenano, Lipsio, Pichenæ indicata probataque. Prius editi; *promiscue possunt.* Freinshemius.

7 *Æternitas rerum & pars gentium.*] Emendavimus, *& pax gentium.* Rhenanus.

1 *Auspicato.*] Id est: addicentibus avibus. quanquam enim nec Livius nec Dionysius ritus ejusmodi observatos tradant in legendis Senatoribus, cum tamen constet equitum Centurias à Romulo *augurato scriptas* (Livius l. 1.) urbem fundatam nominatamque *capitis ad inaugurandum templis.* Remo Aventinum, Romulo Palatinum occupante (Livius libro 1. licet Ennius alia iis loca assignet) cum Romulus ἐν οἷς κατεστήσατο τοῖς μετ' αὐτὸν ἅπασι, μήτε βασιλείας, μήτ' ἀρχὰς λαμβάνειν, ἐὰν μὴ καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοῖς (δι' οἰωνῶν) θεσπίσῃ i. e. *huic mori successores obstrinxerit, ne regno inaugurarentur aliive dignitati, nisi Diis per auspicia approbantibus* (Dionys. Halic. lib. 2.) probabilis conjectura est id non fuisse neglectum in re tanti momenti, qualis erat lectio Senatorum. Sane, postquam Attius Navius cotem novacula incidisset tempore Tarquinii Prisci, Livius lib. 1. scribit crevisse auguralis disciplinæ æstimationem. *Savilius.*

2 *Sicut a majoribus accepimus, sic posteris* &c.] Quod certe omnes boni agnoverunt officium suum esse, ut sæpe id confiteantur fragmenta egregiarum mentium per bonam fortunam nobis relicta. Ex quibus primarium est illud in Livio 4, 2. *Reminisceretur quam majestatem senatus ipsi a patribus accepissent, quam liberis tradituri essent* &c. quasi a natura & jure patriæ insitum præceptum considerari jubentes. Itaque sententia hæc per easdem fere voces exprimitur; quo magis firma jure credideris illa, quæ legis in Tacito. Etiam particulæ καθὼς & οὕτω sic solent sibi succedere apud Græcos. Attamen in optimo MS. legitur *sic a majoribus accepimus, sic posteris tradamus*, haud dubie etiam sensu satis claro. *Jac. Gronovius.*

3 *Ea oratio ad perstringendos.*] Nos, *& oratio.* Rhenanus. Muret. *ea.* non opus, nec probo. *Acidalius.*

4 *Coërceri non poterant.*] Leg. *potuerant.* qui antea ne coërceri quidem potuerant, nunc fuere etiam compositi. *Idem.*

5 *Non tamen quies urbi.*] Lectionem hanc & distinctionem a libris priscis non potui quin anteferrem vulgatæ, aut conjecturis aliorum parum firmis. *Lipsius.*

*Quies urbis redierat. Strepitus* &c.] Hic locus est misere corruptus. nec quicquam auxilii fuit a libro manusc. unde mendosa verba transfusa sunt in vulgatas edit. nos magno labore eruimus tandem germanam sinceramque lectionem. Sic autem emendavimus distinximusque, *quies urbi. Sed erat strepitus* &c. *Rhenanus.*

6 *Militibus sparsis per domos.*] Turbarunt me verba, quæ jam capio. Significat enim milites in plebeia aut pacata veste, sine gladiis, domos perlustrasse, sermones excepisse adversus Principem aut statum præsentem. Arrianus eum morem mihi suggerit, Dissertation. Epicteti libro 4. cap. ultimo. Οὕτω καὶ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἐν Ῥώμῃ οἱ προπετεῖς λαμβάνονται. Παρακεκάθικέ σοι στρατιώτης ἐν σχήματι ἰδιωτικῷ, καὶ ἀρξάμενος κακῶς λέγει τὸν Καίσαρα, εἶτα σὺ ὥσπερ ἐνέχυρον παρ' αὐτοῦ λαβὼν τῆς πίστεως τὸ αὐτὸν τῆς λοιδορίας κατῆρχθαι, λέγεις καὶ αὐτὸς ὅσα φρονεῖς. Εἶτα δεθεὶς, ἀπάγῃ. id est: *Hoc modo Romæ circumveniuntur à militibus isti proclivis lingua & effusi. Adsedit miles tibi quispiam, habitu privati. is male loqui de Cæsare incipit: tu tamquam pignus fidei id arripiens quod cœpit prior, ipse quoque effutis quidquid sentis. Deinde vinctus, abduceris.* Et hoc fine præsertim milites, qui Frumentarii dicti. De quo alias. *Lipsius.*

*Erat militibus.*] Pro *erat* nos supposuimus particulam *&* è codice Budensi, sicque distinximus sententiam. *Et militibus* &c. *occulto habitu: & malignâ curâ in omnes.* Dictum autem est aufe-
rendi

hil in commune turbantibus, ita ſparſis per domos, occulto habitu, & maligna cura in omnes, quos nobilitas, aut opes, aut aliqua inſignis claritudo rumoribus objecerat. Vitellianos quoque milites veniſſe in urbem ad ſtudia partium noſcenda, plerique credebant. Unde plena omnia ſuſpicionum, & vix ſecreta domuum ſine formidine. ſed plurimum trepidationis in publico; ut quemque nuntium fama attuliſſet, [1] animum vultumque converſi, ne diffidere dubiis, [2] ac parum gaudere proſperis viderentur. Coacto vero in curiam ſenatu, arduus rerum omnium modus, ne contumax ſilentium, ne ſuſpecta libertas. [3] & privato Othoni nuper, atque eadem dicenti, nota adulatio. Igitur verſare ſententias, & huc atque illuc torquere, *hoſtem & parricidam* Vitellium vocantes: providentiſſimus quiſque vulgaribus conviciis; quidam vera probra jacere, in clamore tamen, & ubi plurimæ voces, [4] aut tumultu
86 verborum ſibi ipſi obſtrepentes. Prodigia inſuper terrebant, diverſis auctoribus vulgata. *In veſtibulo Capitolii omiſſas habenas bigæ, cui Victoria inſtiterat: erupiſſe cella Junonis majorem humana ſpeciem: ſtatuam divi Julii, in inſula Tiberini amnis,* [5] *ſereno & immoto die, ab Occidente in Orientem converſam: prolocutum in Etruria bovem: inſolitos animalium partus:* & plura alia, rudibus ſæculis etiam in pace obſervata, quæ nunc [6] tantum in metu audiuntur. Sed præcipuus, & cum præſenti exitio, [7] etiam futuri pavor, [8] ſubita inundatione Tiberis: qui immenſo auctu, [9] prorupto ponte ſubli-

rendi cauſa, *& maligna cura*, ſicut *& militibus.* Rhenanus. Certe etiam in Mediceo MS. legitur hoc ipſum *belli & militibus*, ut prorſus a Rhenano veram Taciti reductam integritatem exprimere debuerim. *Jac. Gronovius.*

1 *Animo vultuque converſis.*] Scripſimus, *Animum, vultumque converſi.* Græca figura ſed Latinis quoque familiaris, poëtis videlicet atque hiſtoricis. *Rhenanus.* Muret. *animo vultuque converſi, ne diffidere dubiis, aut parum.* Sane *aut* omnino reponendum: priora cur mutet, neſcio. niſi ſi poëticam magis, quam hiſtoricam locutionem cenſuit. At Tacitus in eam formam alia multa. *Acidalius.* Bene Rhenanus *animum vultumque*; male *converſi.* nam alterum prorſus poſtulat ſeries orationis, in qua intelligitur verbum ſubſtantivum, quaſi eſſet. *Sed plurimum trepidationis in publico* erat *converſis animum vultumque, ut quemque nuntium fama attuliſſet.* Gronovius. Attamen quum *converſi* legatur in optimo illo Mediceo, cur vel unam literam aliunde arceſſitam Tacito temere invergam? Si diſtinxeris bene, omnia nitida erunt: *Sed plurimum trepidationis in publico. Ut quemque nuntium fama attuliſſet, animum vultumque converſi, ne* &c. Hinc dativum iſtum relinquo omnibus qui eum poſtulant. *Jac. Gronovius.*

2 *Ac parum gaudere proſperis.*] Fortaſſe rectius eſſet, *aut parum gaudere.* Urſinus.

3 *Atque eadem dicenti, nota adulatio.*] E Vatic. ita reſtituimus, voce una addita, & altera mutata. Difficilis, inquit, in Senatu rerum omnium modus. Taceres? ſilentium pro contumacia eſſet. Diceres libere & cenſeres? inviſa libertas. Ad gratiam loquerere? non faceres fidem: quia privatus nuper Otho, peritus harum artium, & iiſdem adulationibus exercitus. *Lipſius.*

*Et Othoni eadem qua nuper privato, dicenti adulatio* &c.] Sic videtur legendum, non ut vulgo legitur: *Et privato Othoni nuper, atque eadem dicendi adulatio.* Urſinus.

4 *Aut tumultu verborum ſibi ipſi obſtrepentes.*] Non cohæret ſermo, ni reponas *aucto tumultu.* Grotius.

5 *Sereno & immoto die.*] Codex Budenſis non habet *die.* Malim ego *cælo.* Rhenanus. Recte *die*, non *cælo*, quod magis placeret Rhenano. Nihil opus. *diem* enim pro *cælo* poni, & contra *cælum*, pro *die* multis probavi in Suſpicionum centonibus; quos tandem aliquando manumittam neceſſe eſt, ne ſi quid me ſubito fiat, ſimilis habeat Bombycium telis ſuis miſere immortuorum, quem deinde non Pamphila, ſed Pamphilus aliquis curioſe & evolvat, & abjiciat, filis ſibi retentis; precium laboris ſcil. *Gruterus.* Delet Muret. *die* me non probante. *Acidalius.*

6 *Tantum in metu audiuntur.*] Quippe hoc ingenium vulgi, tunc converti ad religiones, & monſtra obſervare aut fingere. Claudianus appoſite, De bello Getico:

*Utque eſt ingenioque loquax, & plurima fingi*
*Permittens creduſque Timor: nunc ſomnia vulgo*
*Narrari, tunc monſtra deûm, monituſque ſiniſtri.*

Propiuſque ad Tacitum:

*Et ſi quod fortaſſe Quies neglexerat omen,*
*Addit cura novis.* Lipſius

7 *Etiam futuri pavor.*] Is enim ut ait Plinius, *vates quodammodo intelligitur ac monitor, auctu ſemper religioſus.* Idem.

8 *Subita*

ſublicio, ac ſtrage obſtantis molis refuſus, non modo jacentia & plana urbis loca, ſed ſecura [1] ejuſmodi caſuum implevit. Rapti è publico plerique, plures [2] in tabernis & cubilibus intercepti. [3] Fames in vulgus, [4] inopia quæſtus, & penuria alimentorum. corrupta ſtagnantibus aquis inſularum fundamenta, dein remeante flumine dilapſa. Utque primum vacuus à periculo animus fuit, [5] id ipſum, quod paranti expeditionem Othoni, campus Martius & via Flaminia iter belli eſſet [6] obſtructum, à fortuitis vel naturalibus cauſſis, in prodigium & omen imminentium cladium vertebatur. Otho, luſtrata urbe, & expenſis belli conſiliis, quando Peni- 87
næ Cottiæque Alpes, & ceteri Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur; Narbonenſem Galliam aggredi ſtatuit; claſſe valida, & [7] partibus fida, quod [8] reliquos cæſorum ad pontem Milvium, & ſævitia Galbæ [9] in cuſtodiam habitos, [10] in numeros legionis compoſuerat. [11] facta & ceteris ſpes honoratioris in poſterum militiæ. Addidit claſſi urbanas cohortes, & pleroſque è prætorianis, [12] vires &

8 *Subita inundatione Tiberis.*] Plutarch. *καὶ τὸ περὶ τὸν Θύμβριν δὲ σύμπτωμα σημεῖον ἐποιοῦντο οἱ πολλοὶ μοχθηρόν*, h. e. *populus fluvii inundationem habuit mali ominis loco.* Plin. 3, 5. *Quinimo vates intelligitur* (Tiberinus amnis) *potius ac monitor, auctu ſemper religioſus verius quam ſævus.* Savilius. Faernus legebat, *ſubita inundatio Tiberis*; cum in aliis ſit, *inundatione*: quod non ita placet. *Urſinus.*

9 *Prorupto ponte ſublicio.*] Sine dubio Tacitus ſcripſit, *proruto.* Gronovius.

1 *Hujuſmodi caſuum.*] Repetere debui, quod ex ſchedis meis protulit jam Ryckius, in MS. Mediceo eſſe *ejuſmodi caſ.* eoque ut genuino contextum ornare, quod licentia aliqua & feſtinandi impetus temere miſcuit; nec vero quiſquam probat, unde illud vulgatum petitum ſit, ut debuerim certum reponere vel ideo, quia ibi ſprevit ille ipſe quem modo nominavi. *Jac. Gronovius.*

2 *In tabernis ex cubilibus intercepti.*] Caſtigavi, *in tabernis & cubilibus*, hoc eſt, in lectis. *Rhenanus.*

3 *Fames in vulgus.*] Orta ex fluminis inundatione. Plutarch. *πλεῖστον δὲ κατέκλυσεν, οὗ δὴ τὸ ἐπὶ πράσει διαπωλεῖται σῖτον, ὡς δεινὴν ἀπορίαν ἡμερῶν συχνῶν κατασχεῖν* h. e. *foro frumentario maxime nocuit inundatio, ut ſecuta fuerit per dies complures annonæ caritas.* Savilius.

4 *Inopia quæſtus, & penuria alimentorum.*] Accipio ſexto caſu, non primo, verba illa, *inopia*, & *penuria.* nam famem ortam intelligit ex inopia quæſtus, & ex alimentorum penuria. ideo melius diſtinxi: *Alimentorum. Corrupta* &c. *Pichena.*

5 *Id ipſum quod paranti expeditionem Othoni.*] In libro manuſcripto non eſt dativus *Othoni*, qui ſubauditur elegantius. nec eſt illic particula *quod*, ſed tantum *id ipſum*, ut queat etiam legi; *id, quoniam paranti expeditionem campus*, &c. *Rhenanus.*

6 *Obſtructum.*] Suet. Oth. 8. *Primo ingreſſu inundationibus Tiberis retardatus* (Otho) *ad viceſimum etiam lapidem ruina ædificiorum præcluſam viam offendit.* Savilius.

7 *Partibus fida.*] Non quod novi legionarii claſſe veherentur (maxima enim pars apud Othonem remanebat) ſed quod alii claſſiarii in triremibus continuo ſervati ſpem foverent prævalituros ſe favore Othonis ſociis ſuis exhibito. *Idem.*

8 *Reliquos cæſorum.*] Forte rectius, *reliquias.* Freinshemius.

9 *In cuſtodiam habitos.*] Malim, *in cuſtodia.* Rhenanus. Dimiſſi tamen erant ante ejus mortem, flagitio in ejus caput operam navaturi; conſtituebantque unam legionem, ut antecedentia probant; adeo ut non Othoni deberent beneficium, quod ordinibus adſcripti eſſent, quod locus hic docet, ſed Galbæ. *Savilius.*

10 *In numerum legionis.*] Hiſpanus codex, *numero*: Romana editio & Florentinus, *numeros.* quod rectum hic eſt: intelligendique numeri militares, de quibus jam prædixi. *Lipſius.*

*In numeros legionis compoſuerat.*] Ita MSC. alter. nam in Flor. ſequitur reſpondentis folii defectus. Vulgo, *in numerum.* quod alibi etiam Lipſius correxit. *numeri* enim ſæpe pro cohortibus Tacito uſurpantur. *Pichena.*

11 *Facta & reliquis ſpes.*] Illis ſcil. qui navalibus operis diſtinebantur. *Savilius.* Vulgo, *reliquis.* Quod videtur ſumptum ex ſuperiori voce, *reliquos.* Repoſui *ceteris* ex Flor. Senſus autem eſt: Ceteris etiam militibus, qui in ea claſſe erant, præter reliquos illos Galbianæ cædis, factam ſpem honoratioris militiæ in poſterum: quo ſcil. libentius in eam expeditionem irent. *Pichena.* Suſpicor auctorem ſcripſiſſe: *compoſuerat, facta & ceteris ſpe honoratioris in poſterum militia.* Sic lib. 3. *In Vitellium ut inimicum reſcripſere, facta tribunis & centurionibus retinendi, quæ Vitellius indulſiſſet, ſpe.* Gronovius.

12 *Vires & robur.*] A conjectura noſtra eſt. libri

& robur exercitus, atque ipsis ducibus consilium & custodes. [1] Summa expeditio-
nis Antonio Novello, Suedio Clementi primipilaribus, Æmilio Pacensi, cui
ademptum à Galba tribunatum reddiderat, permissa. Curam navium Oscus liber-
tus retinebat, [2] ad observandam honestiorum fidem invitatus. Peditum equitumque
copiis [3] Suetonius Paulinus, [4] Marius Celsus, Annius Gallus, rectores destinati.
Sed plurima fides [5] Licinio Proculo prætorii præfecto. is urbanæ militiæ impiger,
bellorum insolens, auctoritatem Paulini, vigorem Celsi, maturitatem Galli, ut
cuique erat, criminando, quod facillimum factu est, pravus & callidus, bonos &
88 modestos anteibat. Sepositus per eos dies [6] Cornelius Dolabella in coloniam Aqui-
natem, neque arta custodia, neque obscura: nullum ob crimen, sed vetusto nomi-
ne,

bri enim omnes, à *pratorianis viris, ut robur exercitus.* parum apte. *Lipsius.*

1 *Summa expeditionis Antonio Novello.*] Ita emendavi. male vulgo *Novellio.* Sic lib. sequ. *Antonium Novellum.* ibique statim: *Antonio Novello nulla auctoritas* &c. *Pichena.*

2 *Invitatus.*] Vox, *Invitatus*, suspecta. quidam libri *Imitatus*, alii, *immutatus.* Faërnus, *initio datus.* Lipsius.

*Ad observandam honestiorum fidem initio datus.*] Ita Faërnus emendabat pro eo, quod est in vulgatis, *invitatus.* Ursinus. *Invitare*, eandem vim fere habet, quam, rogare: neque Imperatorem erga præfectum suum, præsertim libertum, decet. hi enim jubentur, non rogantur. Merito igitur Lipsio suspectum verbum. Man. noster adhuc corruptius, *immutatus.* forte, *immixtus*, quasi inter duces additus. *Pichena.* *Invitatus* idem est quod vocatus. 13. ann. *adhac Armenii ambigua fide utraque arma invitabant.* Unde non video, quare id verbi sit ejiciendum. Verum creditur Osco navium cura, ut impedimento ducibus esset, qui agerent subdola fide: nec enim supervacua erat ejusmodi suspicio. *Nusquam fides aut amor, metu ac necessitate huc illuc mutabantur.* qua etiam plerique prætorianorum classi adjecti sunt. *addidit classi urbanas cohortes & plerosque e pratorianis, vires & robur exercitus.* Salinerius. Prima editio, *imitatus.* Emendationibus incumbitur hinc inde, ego mallem totam vocem omnibus suis elementis eradicari, ceu supervacuam. *Gruterus.* Non comparet sententia: minus etiam deleta suspecta voce *invitatus*, quod fecerat Muretus. Nec Lipsio Delius favit: nescio, si mihi. Possit credo legi: *ad observandam, honestiorum fide invitatus.* Id est, ut fideliter curam navium ageret, fide honestiorum, & dignioris conditionis, ipse libertus invitatus. Aut potius: *in observanda, honestiorum fidem imitatus.* Ut in observanda navium cura tam fideliter se gesserit, ac si non libertus, sed honestior aliquis esset. *Acidalius.* Cur *honestiorum?* Nam inhonestiorum potius fides observanda videri possit. Imo, *honestiorum.* Nam pessimis principibus optimi sunt suspecti, ut optimis pessimi. *Observare* hic est eorum custodum, quorum jam jam meminit: *Addidit classi urbanas cohortes* &c. Sed hæc in gratiam tyronum. At turbant hic eruditi. Omnibus suspectum τὸ *invitatus.* Cujus ego suspicionis causam certe nullam video. Vocantur alii ad dignitates, alii ad eas gerendas aut retinendas à principibus invitantur. vocantur ab iis, qui justo & idoneo titulo, invitantur ab iis, qui precario imperant. Talis hic Otho. Vocantur etiam ad dignitates, qui vocantur, ut eas recte gerant: invitantur præsenti vel pretio, vel præmio, vel utriusque spe, quos ministros scelerum pessimi Principes esse volunt, aut optimorum, ne quid contra pessimos Principes moliantur, acerrimos observatores. Quod hic in Osco locum habet, ideoque integrum rectumque censeo τὸ *invitatus*; ponitur ea significatione, quam dixi. *Boxhornius.* Nihil ineptius τοῦ *invitatus*, nisi forte ipsæ illius verbi defensiones. Hoc adfirmare proclive est: sed non tam facilis medicina. Suspicabar tamen, *comitatus*, vel *minister datus.* Adde 2. Observ. 20. *Gronovius.*

3 *Suetonius Paulinus.*] Othonis præfecti hoc bello erant sex aut septem. *Paulinus, Celsus, Gallus, Proculus* nominati hic Tacito, & infra *Spurinna* & *Macer* & frater principis *Titianus.* Savilius.

4 *Marius Celsus, Annius Gallus, rectores destinati.*] Liber Covarruviæ, *rectores constituti.* Utrumque spurium: & sententia sine eo constat. *Lipsius.*

*Rectores destinati.*] Hispanus liber, *constituti.* Lipsius utrumque spurium, & sine eo sententiam constare ait. Est ita vero. Sed vide, si ex Hispanica lectione alia concinnari melior potest, ut cum sequentibus copuletur, in hunc modum, *rectores. Cunctis tuta, sed plurima fides* &c. *Acidalius.*

5 *Licinio Proculo.*] *Profecto Brixellum Othone, honor imperii penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum prafectum.* Tac. 2. hist. *Savilius.*

6 *Corn. Dolabella.*] Cæsus postea jussu Vitellii. 2. hist. *Idem.*

1 *Pro-*

ne, & [1] propinquitate Galbæ monstratus. Multos è magistratibus, magnam consularium partem, Otho, non participes aut ministros bello, sed comitum specie, [2] secum expedire jubet. In quis & L. Vitellium, eodem quo ceteros cultu, nec ut imperatoris fratrem, nec ut hostis. Igitur [3] mota urbis cura, nullus ordo metu aut periculo vacuus. primores senatus ætate invalidi, & longa pace desides; segnis & oblita bellorum nobilitas: ignarus militiæ eques: quanto magis occultare ac abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. Nec deerant è contrario, qui ambitione stolida, conspicua arma, insignes equos, quidam luxuriosos apparatus conviviorum & [4] irritamenta libidinum, ut instrumenta belli mercarentur. [5] Sapientibus quietis & reipublicæ cura: levissimus quisque, & futuri improvidus, spe vana tumens. [6] multi afflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres, & per incerta tu-
tissimi. Sed vulgus & magnitudine nimia communium curarum expers populus, 89
sentire paulatim belli mala, conversa in militum usum omni pecunia, intentis alimentorum pretiis: quæ motu Vindicis haud perinde plebem attriverant, [7] secura tum urbe, & provinciali bello, quod inter legiones Galliasque velut externum fuit. Nam ex quo divus Augustus res Cæsarum composuit, procul & in unius solicitudinem aut decus, populus Romanus bellaverat. Sub Tiberio & Cajo, tantum [8] pacis adversa pertimuere. [9] Scriboniani contra Claudium incœpta simul audita & coërcita.

1 *Propinquitate Galbæ.*] Quo vinculo, nescio: sed ipsi Galbæ suspectum Dolabellam de imperio, in Suetonii Galbâ, cap. 12. observo. Scribit & Plutarchus, cum de successore Galba deliberaret, *amicos partim Dolabellæ, plures Othoni studuisse.* Non ergo mirum, Othoni nunc suspectum, & à Vitellio mox interfectum. *Lipsius.*

2 *Secum expedire jubet.*] *Expedire* pro in bellum accingi; absolute. *Rhenanus.* Faernus legebat, *expeditos ire*, sive, *expediri*, si magis ita placeret. *Ursinus.*

3 *Mota urbis cura.*] Scripsi *mota.* Rhenanus. Editiones vett. *mota urbis cura*, quod ignoro cur mutaverint. Dictum est sexto casu, ut in illa oratione supra 6, 17. *commoto simul omnium ære alieno, inopia rei nummariæ.* Freinshemius.

4 *Irritamenta libidinum.*] Juven. Sat. 2, 102. scribit circumlatum Othoni inter belli instrumenta speculum. Testimonium ab hoc Taciti dissidens 2. hist. *Nec Othoni segne, aut corruptum luxu iter.* Savilius.

5 *Sapientibus quietis à Reip. cura.*] Castigavi, *Sapientib. quietis & Reip. cura.* Rhenanus.

6 *Multi afflicta fide in pace.*] Reposuimus, *Multis afflicta fides.* Afflictam fidem hic dicit quam lib. 3. Hist. vocat *affectam*, hoc est, collabefactam deminutamque. *Rhenanus.* Quis crederet optimum Rhenanum tam diu impune laturum fuisse hanc mendam? Mutat olim editum, quod, etiamsi, ut ille voluit, omnes libri præferrent, ipso orationis filo postulante restituendum foret. Et profecto sic conjeceram, antequam ex notis ejus didicissem antea lectum ita fuisse. Quam bene, quæso cohærent: *Multis afflicta fides, ac alacres & tutissimi?* Præsertim si conferas: *Multi afflicta fide ac alacres & tutissimi.* Qua parte autem commodius, *Multis afflicta fides*, quam *Multi afflicta fide?* An *homo antiqua virtute & fide*, insolentius quam, *homini antiqua virtus & fides?* Redde igitur Tacito multo rotundiorem sermonem: *Multi afflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres & per incerta tutissimi.* Gronovius.

7 *Secura tum urbe à provinciali bello.*] Minutissimum hic erratum, nempe quod sit in *a*, perdit totum sensum. Nos *secura tum urbe, & provinciali bello.* Subauditur *existente.* Porro provincialia bella propter longinquitatem, minus urbanæ plebi dispendiosa erant. *Rhenanus.*

8 *Pacis adversa pertimuere.*] Fallor, aut hoc rectum: etsi à mente tantum nostra, sine libris. Nam illi omnes voce auctiores, *adversa reip. pertimuere.* quam nos tamen superesse censemus, imò sententiam perdere. *Lipsius.*

*Adversa reip. pertimuere.*] Danesius pro verbo, *pertimuere*, reponebat, *parti nocuere.* Ursinus. In altero Man. legitur, *adversar. p. pertinuere.* In aliis autem veterib. *reip. pertimuere.* quam vocem à Lipsio sublatam, ego haud temere adjectam, librorum omnium consensu, crediderim. Forte, *resp. pertimuerat.* Pichena. Libri omnes, *adversa reip. pertimuere.* Unde legendum censeo; *pacis adversa res pertimuere.* ut notet accusationes ea tempestate frequentissimas, atque atrocissimas, quam pestem videre est ex prioribus sex Annalium libris, & esset ex sequentibus, si extarent. *Freinshemius.*

9 *Scriboniani.*] Dalmatiæ præfecti. Dio lib. 60. *Savilius.*

cita. Nero nuntiis magis & rumoribus, quam armis depulsus. Tum legiones classesque, & quod raro alias, prætorianus urbanusque miles, in aciem deducti, Oriens Occidensque, [1] & quidquid utrimque virium est à tergo: [2] si ducibus aliis bellatum foret, longo bello materia. [3] Fuere qui proficiscenti Othoni moras [4] *religionemque nondum conditorum ancilium* afferrent. Aspernatus omnem cunctationem, ut Neroni quoque exitiosam: & Cæcina, jam Alpes transgressus, exstimulabat.
90 Pridie Idus Martias commendata patribus republica, [5] reliquias Neronianarum sectionum nondum in fiscum conversas, revocatis ab exsilio concessit: justissimum donum, & in speciem magnificum, [6] sed festinata jampridem exactione, usu sterile. Mox vocata concione, *majestatem urbis*, & *consensum populi ac senatus pro se* attollens, adversum Vitellianas partes modeste disseruit. *inscitiam potius legionum*, *quam audaciam* increpans, nulla Vitellii mentione. sive ipsius ea moderatio: seu scriptor orationis sibi metuens, contumeliis in Vitellium abstinuit: quando, ut in consiliis militiæ Suetonio Paulino & Mario Celso, ita in rebus urbanis [7] Galerii Trachali in-
ge-

1 *Et quicquid utrinque.*] Ut capias, distingue illa, *& quidquid utrinque virium est, à tergo.* Neque enim jungendum est *à tergo.* A Vitellio legiones, ab Othone classis, & prætorius Urbanusque miles in aciem deducti. Utrique à tergo multum virium. Pro Othone Oriens. Occidens pro Vitellio. *Acidalius.*

2 *Sub ducibus aliis si bellatum foret.*] Quid si legas, *Si ducibus aliis bellatum foret.* Rhenanus. Tac. 2. hist. *quod singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignavia principum factum est.* Savilius. Ex altero Man. restitui, *si ducibus aliis bellatum foret*, quod Rhenano etiam placuit. *Pichena.*

3 *Fuere qui proficiscenti.*] Hinc potius incipere debebat novum caput, nam hæc à sequentibus nullo modo divelli patiuntur, sed ita distinguenda sunt: *Aspernatus omnem cunctationem, ut Neroni quoque exitiosam (& Cæcina jam Alpes transgressus exstimulabat) pridie Idus* &c. *Freinshemius.*

4 *Nondum conditorum ancilium.*] Mitto te ad ea, quæ scripsi olim lib. 5. Antiq. Lection. cap. 16. Quibus adtexi velim Ovidii locum lib. III. Fastorum:

*Arma movent pugnam: pugna est aliena maritis.*
*Condita cum fuerint, aptius omen erit.*

quibus versibus vult Poëta, ne conjugium quidem dextro pede adiri, cum mota sunt ancilia, sed cum condita. Festus autem ostendit etiam alios aliquot dies fuisse, quibus Romani tenuerint se ab armis: *Præliares dies*, inquit, *quibus fas est hostem bello lacessere. erant enim quædam feriæ publicæ, quibus nefas erat id facere.* Lipsius.

*Religionem ancilium.*] Quæ hic verbosa notavit Savilius de ancilibus, quum legantur apud omnes antiquitatum Romanarum collectores, judicavi melius hinc omitti, quum sufficiat ab duabus editionibus locum illis datum esse. *Jac. Gronovius.*

5 *Reliquias Neronianarum.*] Sic accipio, descripta consignataque fuisse ex bonis damnatorum, quæ fisco petebantur. partem eorum statim aut mox exportatam, partem in ædibus forte priorum dominorum relictam. Eam tum Otho restitutis exsulibus restitui jubebat: sed vanum id beneficium reddebant actores fisci, qui nimirum antequam id decretum publicaretur, ea de re certiores facti, mature suis rebus providerunt. *Freinshemius.*

6 *Festinata exactione.*] Nempe ab ipsis qui fisco præerant: qui festinantes, & ut in talibus, diffidentes exegerant vel ante diem: pactione etiam aliqua aut remissione. Itaque pro hac sententia, bene Flor. & quidam libri, *festinata jampridem exactione:* addita significanter voce. *Lipsius.*

*Sed festinata jampridem exactione.*] Adverbium *jampridem* nescio quis hic infulsit. nos submovimus. *Festinata exactione*, id est, propter festinatam exactionem. *Rhenanus.* Auctiores hic plerique libri veteres: *sed festinata jam pridem exactione.* At duplex potest esse sensus. Prior, ut exactio hæc referatur ad exules revocatos, qui ex Othonis concessione modicum emolumentum, dummodò præsens, exigere maluerunt, quam interposito tempore fructum locupletiorem expectare. Verior tamen videtur, fisci procuratores jam antea sectionum illarum festinavisse exactionem, ideoque Othonis donum, quod in fiscum conversa minime comprehendebat, sterile evasisse. *Pichena.* Muret. nescio unde inserit, *festinata jampridem exactione.* Nullo detrimento ea vox abest, nec magno commodo sane adest. *Acidalius.*

7 *Galerii Trachali ingenio.*] Hic orator ad Domitiani tempora pervenit, sobrius & satis apertus suis, & quem velle optima crederes, auditu tamen major. *Nam in eo vocis quantum in nullo cognovi*, inquit Quintilianus, *& pronunciatio vel scenis suffectura, & decora omnino.* Vertranius.

1 *Othe*

genio [1] Othonem uti credebatur. & erant qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori usu celebre, & [2] ad implendas populi aures, latum & sonans. Clamor vocesque vulgi, ex more adulandi, nimiæ & falsæ. quasi dictatorem Cæsarem, aut imperatorem Augustum prosequerentur, ita studiis votisque certabant. nec metu aut amore, [3] sed ex libidine servitii, [4] ut in familiis, privata cuique stimulatio, & vile jam decus publicum. [5] Profectus Otho, quietem urbis curasque imperii, Salvio Titiano fratri permisit.

1 *Othonem uti* &c.] Credo illud *Othonem* ab interprete insitum glossema esse. *Acidalius.*

2 *Ad implendas populi aures.*] Sic quidem editio Veneta; at Romana prima non agnoscit vocem *populi:* neque requiritur admodùm; imo, ne requiritur quidem. *Gruterus.*

3 *Sed ex libidine servitii, ut in familiis.*] Verius clariusque distinxeris, *servitii. Ut in familiis,* &c. *Lipsius.*

4 *Ut in familiis.*] Id est, *inter servitia* opposite huic *plebem ingenuam.* 4. Ann. *Savilius.* Nec quid hæc verba sibi velint, nec quid Saviliana eorum explicatio, intelligo. Suspicabar autem: *sed ex libidine servitii & in tantis malis privata cuique stimulatio & vile decus publicum.* Sic video aliquam sententiam. Tò & accipiendum pro *etiam.* Solent adversa ex fortuna ebriis facere sobrios, & admonere decoris, atque efficere, ut privata spe neglecta in publicum consulamus. At hi adeo, inquit, adsuerant servili adulationi, ut etiam, quum cogeret nemo, & tanta imminentia civilis belli mala facile tristiores vultus excusarent, gratiam captarent privatam, nec cogitarent, quid tali tempore reipublicæ deceret. l. 2. histor. Vitellius Neronem *sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu & sagina mancipatus emptusque.* Eodem libro, cap. 74. ex MS. *in tanta mole*, pro *inerat à mole* eruit Pichena. *Gronovius.*

5 *Profectus Otho.*] Roma profectus est Otho referente Suetonio *die, quo cultores Deum matris lamentari ac plangere incipiunt*, hoc est, si Marcellinum sequimur, die vigesimo septimo Martii. *Savilius.*

Q 3 C. COR-

# C. CORNELII TACITI
## AB
# EXCESSU NERONIS
# HISTORIARUM.
## LIBER SECUNDUS.

### Breviarium Libri.

*Titus Vespasianus Romam missus ad gratulandum Galbæ, cæde ejus audita, substitit. Paphiam Venerem adit, & de futuris eam consulit. Læta omnia & magna accipit. Ad patrem redit. qui belli consilia agitat. sed bellum ipsum in occasionem differt. Falsus Nero detegitur, & capitur. Othonis copiæ, & duces; & classis ejus in Galliam Narbonensem irruptio. In Corsica motus aliquis temeritate procuratoris. Cæcina Italiam intrat, Placentiam oppugnat, sed cum infamia & strage repulsus. Insidias paullo post Othonianis locat, sed eæ quoque in ipsum vertere. Valens Ticinum venit. seditio ibi in eum militum. Qua composita, Cæcinæ rapido agmine jungitur. Otho eo nuntio accepto, de summa belli deliberat. trahi id melius, an fortunam experiri præstaret. Postremum pessimumque consilium præfert. Ita haud procul Bedriaco pugnatum. victi Othoniani: non tamen fracti. Sed Otho aversus à consiliis belli, mortem elegit. quam tam fortiter exsequitur, quàm noster facundè narrat. Post mortem ejus, seditio militum & impetus in Verginium. Senatorum etiam periculum, falso quodam nuntio. Albinus in Africa victus, & eæ provinciæ Vitellio adjunctæ. Quid in Italia Vitellius egerit, & legiones cohortesque victas quomodo distraxerit: non sine acri tumultu apud Ticinum. At in Syria Vespasianus & Mucianus serio jam de bello deliberant. hujus egregia ad illum oratio. Qua persuasus Vespasianus imperium suscipit. legiones in nomen ejus jurant. præterque Orientales, Mœsici & Pannonii etiam transeunt in partes. Vitellius interea magno & minaci agmine urbem intrat. Popularia multa usurpat. Consilia item ejus paratusque de bello. Gesta eodem anno, consulibus tamen aliis suffectis.*

Struc-

Truebat jam fortuna, in diversa parte terrarum, initia caussasque [1] imperio, [2] quod varia sorte, [3] lætum reipublicæ aut atrox, ipsis principibus prosperum, aut exitio fuit. Titus Vespasianus è Judæa, incolumi adhuc Galba, [4] missus à patre; [5] caussam profectionis, *officium erga principem, & maturam petendis honoribus juventam* ferebat. Sed vulgus fingendi avidum, disperserat, [6] *accitum in adoptionem.* materia sermonibus, senium & orbitas principis, & intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinandi. Augebat famam, ipsius Titi ingenium quantæcumque fortunæ capax, [7] decor oris cum quadam majestate, [8] prosperæ Vespasiani res, præsaga responsa, & inclinatis ad credendum animis, [9] loco ominum 1

## C O M M E N T A R I U S.

1
*Mperio.* ] Flaviæ scilicet familiæ. *Savilius.*

2 *Quod vario ortum.* ] Non suspicabar de mendo, absque Vaticano fuisset. cujus lectiu diversa coëgit me acrius paullo intueri. Nam in eo, *vari aborte*, scriptum. Et hercules vulgata inepta & exsensa. quid enim est, varie ortum esse imperium Vespatiani? Imo unus & certus illius ortus. Scribo ex vestigiis illis priscis, *quod varia sorte.* Atque ita est. imperium Vespatianorum, felix reip. & infelix, itemque ipsis Principibus fuit. *Lipsius.*

2 *Quod varia sorte.*] Vulgo, *varie ortum.* ac si ea lectio constauter in libris veterib. haberetur, nihil mutavissem, sed cum Vat. corrupte habeat, *vari aborto.* & ex eo Lips. emendaverit, *varia sorte*, injurius tam pulchræ emendationi fuerim, nisi recepissem. *Pichena.* In Vat. *varia ob ortu.* Conjectat inde Lips. non satis feliciter. Mihi lectio proba & elegans & proxime Vaticanum: *vario abortu.* Doctiores favebunt, sat scio. *Colerus.* Emendationi Lipsianæ per se certissimæ addam præsidium ab alio auctoris loco infra c. 95. *Magna & misera civitas, eodem anno Othonem Vitelliumque passa, inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos, varia & pudenda sorte agebat.* Freinshemius. Lib. 3. hist. *Varia legatorum sors fuit.* Gronovius.

3 *Lætum reip. aut atrox.*] Exemplar Corvini regis habet, *semon reip. aut atrox.* Suspicor Tacito fuisse scriptum: *Quod varie ortum, semel reip. atrox, ipsis principib. prosperum aut exitio fuit.* Elegans est sententia de imperio Romano. Similia Cicero divinat in Philipp. *Rhenanus.* Lætum & prosperum, si respicias Vespasianum & Titum; atrox & odiosum, si Domitianum. *Savilius.* Danesius, cum in V. C. sit, *semen reip. aut atrox*; ex ea lectione emendabat, *Semel reip atrox.* Sed amplius de hac lectione considerandum censeo. *Ursinus.*

4 *Missus à patre.*] Qua de re ita Hegesippus IV. *Sententiam novi Principis* (Galbæ) *de bello Judaico sciscitari Vespasiano consilium fuit. misitque Titum filium, & regem Agrippam. Titus de Achaia revertit, comperto quod Galba occisus: Agrippa Romam contendit.* Lipsius.

5 *Causam profectionis.*] Joseph. ἁλώσ. 4. c. 29. addit, missum Titum, ut super Judææ rebus mandata Galbæ acciperet, ἀσπασόμενος καὶ ληψόμενος τὰς περὶ Ἰουδαίων ἐντολάς. Savilius.

6 *Accitum ad adoptionem.* ] Sueton. Tito 5. *Galba mox tenente remp. missus ad gratulandum* (Titus) *quaqua iret convertit homines quasi adoptionis gratia arcesseretur.* Savilius.

7 *Decoris cum quadam majestate.*] Scripserim, *decor oris cum q. m.* Magis id placet, quam *decor corporis.* Rhenanus.

8 *Prospera Vespasiani res.* ] Hæc duo vocabula, *Vespasiani res*, non sunt in codice Budensi. proinde cogitandum, num potius sic legendum sit, *Prospero præsaga responsa*, ut sit adverbium, *prospero.* Expone prospere præsaga, hoc est, prosperitatem præsagientia responsa. *Rhenanus.* Legendum, *præsagia, responsa*, diximus Obs. 2, 20. *Gronovius.*

9 *Loco ominum etiam fortuna.*] Ita videtur legendum. nam illud, *omnium*, pro, *ominum*, perturbat sententiam. *Ursinus.* Maximam injuriam se facere fortunæ non animadvertit, qui *ominum* nobis oggerit. nimis enim jus ipsius coarctat; utpote quæ juxta Plauti Pseudolum, *Centum doctum hominum consilia, una devincat dea.* Gruterus. Muret. *ominum.* quod ego adhuc teneo in suspenso, propior, ut non probem. *Acidalius*, Prætereunt hunc locum ut sanum omnes, cum tamen postrema illa sonum habeant sine sensu: neque dubitem legendum: *loco ominum etiam fortuita.* Quæ alias casui adscripta fuissent, rapiebantur in omen principatus Tito destinati, ex quo semel illa credulitas animos invaserat. Simile illud Ann. 1. *quæ casus obtulerat in sapientiam vertenda ratus.* & 4. Histor. *quod in pace fors seu natura, tunc fatum & ira dei vocabatur.* Grotius.

Cum

num etiam fortuita. Ubi Corinthi, Achajæ urbe, certos nuntios accepit de interi-
tu Galbæ, & aderant qui arma Vitellii bellumque affirmarent, anxius animo, pau-
cis amicorum adhibitis, cuncta utrimque perlustrat. *Si pergeret in urbem; nullam*
*officii gratiam, in alterius honorem suscepti, ac se Vitellio, sive Othoni, obsidem fore.*
*Sin rediret;* [1] *offensam haud dubiam victoris:* [2] *sed incerta adhuc victoria, & concedente in partes patre, filium excusatum. Sin Vespasianus rempublicam susciperet,* [3] *oblivi-*
2 *scendum offensarum, de bello agitantibus.* His ac talibus inter spem metumque jacta-
tum, spes vicit. Fuere qui *accensum desiderio Berenices reginæ, vertisse iter* crederent.
[4] Neque abhorrebat à Berenice juvenilis animus. sed gerendis rebus nullum ex eo
impedimentum. lætam voluptatibus adolescentiam egit, [5] suo quam patris imperio
modestior. Igitur oram Achajæ, & Asiæ, ac [6] læva maris [7] prætervectus, Rho-
dum & Cyprum insulas, inde Syriam [8] audentioribus spatiis petebat. Atque illum
cupido incessit, adeundi visendique [9] templum Paphiæ Veneris, inclytum per indi-
genas advenasque. Haud fuerit longum initia religionis, [10] templi situm, formam
3 deæ, [11] neque enim alibi sic habetur, paucis disserere. [12] *Conditorem templi regem Aerian*

Cum jam ante Socer meus editis in August. Sueton. notis c. 12. correctionem hanc meam, *loco ominum etiam fortuita*, loco, quem ideo notavi, parallelo ex Hist. 1, 86. confirmatam, probavisset: hic quoque in textum, recipiendam putavit. Sic fere supra 2, 84. *Tiberius cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat.* Freinshemius.

1 *Offensam haud dubium victoris.* ] Danesius legebat, *offensarum*. Sed fortasse melius legeretur, *offensam haud dubiam victoris*. Ursinus.

2 *Et incerta adhuc victoria.* ] Castigavi, *Sed incerta* &c. *Rhenanus.*

3 *Obliviscendum insensarum de bello agitantibus.*] Opinor scribendum, *offensarum*. Rhenanus. Fortasse legi posset, *insensorum*. Ursinus. Manuscr. & Vaticanus, *offensarum*. Vulgo, *insensarum*. Pichena. Vox mihi non lecta. Ponam, *insensorum*, nempe Othonis ac Vitellii. nisi quis *offensarum* ex Vaticano malit eodem sensu. *Grotius.*

4 *Neque abhorrebat à Berenice.* ] Fuisse hanc forma conspicuam quodam disticho Asclepiades in ejus formam scribit, si modo de eadem sensit. nam & aliæ hoc nomine celebrantur.

*Κύπριδος ἅδ' εἰκὼν, φέρ' ἰδώμεθα μὴ Βερενίκης;*
*Διστάζω, ποτέρῃ φῇ τις ὁμοιοτέραν.*

*Ambigo, an hæc Veneris sit imago, vel Berenices.*
*Sit mage utri similis hospes amice refer.*

Alciatus.

5 *Suo quam patris imperio modestior.* ] Sueton. Tit. 1. *Privatus atque etiam sub patre Principe ne odio quidem aut vituperatione caruit.* Savilius. Man. *moderatior*. Quid autem verba hæc sibi volunt? An proprio magis instinctu ac ratione quam præceptis patris? Verior sensus videtur, suo ipsius Principatu modestiorem fuisse, quam regnante patre. *Pichena.*

6 *Læva maris.* ] Id est, lævas maris partes, aut læva maris litora, illa scil. maris Mediterranei loca, quæ ex Syria Corinthum petentib. ad lævam sita. *Savilius.*

7 *Prætervectus.* ] Man. *prævectus*. Pichena.

8 *Audentioribus spatiis.* ] Id est per altum, ut opponat inter se littus & oram legere seu prætervehi, & sensus loci sit, Titum Corintho Cyprum versus oram legisse, atque è Cypro in Syriam mari aperto transvectum. *Savilius.* Lege, *lentioribus spatiis*. Sic Nicetas in Andronico: *ὁμαλαῖς κινήσεσι καὶ σταθμοῖς βραχέσι.* Marcilius.

9 *Templum Paphiæ Veneris.* ] Strabo lib. 14. Homerus Odyss. θ. 362. Dionysius Afer totam appellat insulam *ἱμερτὸν ἄστυ Διωναίης Ἀφροδίτης.* Id est, *Veneri pergratis sedibus urbem.* Savilius. In Palæpapho illud erat promontorio, longe à Papho stadiis LX. *Ferrettus.*

10 *Templi situm.* ] Designatum id quidem scribentis animo, sed quominus pertractatum, fecit oblivio; nisi forte illa verba *quanquam in aperto* plenæ descriptioni sufficere putemus. Sed durior aliquanto fuerit æquis auribus illa interpretatio, cum speciatim de altaribus actum sit, & Homero distincte diserteque *τέμενος* commemoretur, quam *βωμὸς*, id est templum & altare. *Savilius.*

11 *Neque enim alibi sic habetur.* ] Id est, ejusmodi forma. Male quidam interpretantur, apud alios scriptores non sic proditum. *Pichena.*

12 *Regem Aëriam.* ] Libri scripti aut *Verianum* hunc nominant, aut *Venerianum*. Pro vulgata lectione tamen Tacitus ipse in Annalibus est, libro III. *Exin Cypri tribus delubris: quorum vetustissimum Paphiæ Veneri, Aërias auctor, post filius ejus Amathus*, &c. Ægyptum ipsam olim Aëriam dictam fuisse, Isidoro alibi traditum est & Agellio. Alciatus hic mavult, *Uranium*. De Cinara autem, quod sequitur, Homerus, Plutarchus, Athenæus, Arnobius, aliique meminere. *Lipsius.*

Con

*Aërian* vetus memoria, [1] quidam *ipsius deæ nomen id* perhibent. Fama recentior tradit, [2] *à Cinyra sacratum templum, deamque ipsam conceptam mari, huc appulsam. Sed scientiam artemque haruspicum* [3] *accitam; & Cilicem Tamiram intulisse. Atque ita pactum, ut familiæ utriusque posteri cærimoniis præsiderent.* Mox ne honore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret, ipsa quam intulerant scientia hospites cessere; tantum Cinyrades sacerdos consulitur. [4] Hostiæ, ut quisque vovit; sed mares deliguntur. Certissima fides hædorum fibris. Sanguinem aræ [5] offundere vetitum; [6] precibus & igne puro altaria adolentur, nec ullis imbribus [7] quamquam in aperto

*Conditorem templi regem Venerarium.*] Id regis deæque nomen non facile quemquam offendas, qui in promptu habeat. ipse *Uranium* lego. Unde Paphia Venus *Urania* nomen sumpsit. Pausanias in Attica Uraniæ Veneris templum extitisse auctor est, quam mortalium primi Assyrii coluerint, mox Paphii, deinde Phœnices, qui Ascalonem Palæstinæ incolunt, à quibus edocti Cytheræi iisdem sacris initiantur. Sane hujus Paphii templi susius meminit Lucianus dialog. qui inscribitur *Ἔρωτες*. Alciatus. Liber Man. habet, *Veriauum*. reponendum, *Aëriam*. Id docet Tacitus noster Ann. 3. *Exin Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Paphia Veneri auctor Aërias.* Huic regi filius fuit Amathus. Nam sequitur illic mox: *Post filius ejus Amathus Veneri Amathusia.* Rhenanus. Hanc opinionem Tacitus ipse videtur sequi 3. Ann. *Savilius*. Corvinianus habet *Verianum*, alii, *Veneriauum*, Alciatus mavult *Vranum*. Ego *Aëriam* non muto, est enim constanter scriptum & ab omnibus probatum. Ann. libro 3. *Vertranius*. Optimus Floren. (jam enim folii defectum in eo pertransivimus) habet, *Regem Verianum*. Pichena. At Ryquius, ex schedis nempe meis, scribit esse in (Flor. *Varianus*, sed duæ posteriores literæ nota expressæ, quæ alibi *us*.) Nec scio, ubi sic deprehenderit. Hoc igitut illud quodcunque esse scito *Verian*:. Hinc quum *Aerian* sibi vindicet ipse Tacitus libro 3. ann. sæpe citato, id habeamus pro vero, non quasi ex Græca aut Latina lingua originem captante vocabulo, sed prout illic omnia & rebus & verbis fuere lasciva, ad eandem originem confluente apud antiquos Arabas *Airen*, quo veretrum notari tradit ex Camusio Golius, & cognatum *Oiarion*, virum improbæ naturæ. Hine probabiliter Latini & Græci si qui sunt traxerunt inscite hunc Aerian. Cui voci apposita nota rursus occurrit cap. 14, ubi in schedis notavi *audacta*³ *e classe*¹ *Othonis*, ubi nulla potest suspicio esse syllabæ *us*, ubi vel literam m notat vel aliquid ornamenti adjecticii. *Jac. Gronovius.*

1 *Quidam ipsius Deæ nomen id.*] Aëriæ Veneris nomen nusquam legi: Acreæ Veneris templum est in monte prope Carpasiam, cui summo nomen Olympus; quod nec adire nec videre mulieribus licet, auctor Strabo. *Ferretus.*

2 *A Cinara sacratum templum.*] Cinaras pater Cypri, à quo putant nonnulli insulam accepisse nomen. Eustath. in Dionys. *ποὶς δὲ φασι Κύπρον κληθῆναι αὐτὴν ἀπὸ Κύπρου ἢ Κινύρου.* Savilius. Flor. *Cynira*. Sic paulo infra, *Cynirades sacerdos*. Pichena. *A Cinyra*, sic recte scribitur istud nomen, si fides Ovidii libris Metam. 10, 299. aliisque fere ômnibus, quibus hominis hujus mentio. male edebatur alias *Cinara*. nam & Græcis est *Κινύρας*, ut Æliano in hist. Anim. 9, 36. *Freinshemius.*

3 *Accitum è Cilicia Myram intulisse.*] In manuscr. legitur, *accitam & cilicentam miram intulisse*. Scripsi, *accitam, & Cilicem Thamyram intulisse*. Rhenanus. De Cilicum industria, qua huc spectat, legi possunt, quæ Cicero de Divin. & alii habent. *Savilius*. Sed optime de hoc loco meritus, fuit Jo. Meursius, quem vide in Cypro pag. 50. eumque locum opinor inspexit etiam Ryckius. Qui tamen unde didicerit Flor. plenius exhibere *& Cilicen Thamyram*, ignoro; a me quidem non habet, & scio in Flor. legi *Cilicen tamyram*, perinde ut de Budensi testatur Rhenanus, excepto gemino m. *Jac. Gronovius.*

4 *Ut quisque vovisset.*] Pichena ex vestigiis Florentini libri: *ut quisque vovit, sed mares.* Lipsius.

*Hostia ut quisque vovit, sed mares deliguntur.*] Levem correctionem intuli, à Flor. indicatam, qui habet: *ut quisque vovit sed mares* &c. Vulgo, *ut quisque vovisset, mares deliguntur*. Pichena. Hinc Catullus in Coma Berenices dixit *Venerem sanguinis expertem*, ubi Muretus Paphiam intelligi docet ex eo, quod hujus aram sanguine maculari nefas erat. itaque ex Virgilio probat ture tantum ei floribusque fieri solitum. Hæ igitur hostiæ tantum ad inspicienda exta. *Jac. Gronov.*

5 *Obfundere.*] Nos, *offundere*. Rhenanus. Pro hoc quædam editiones dederunt *effundere*. Unde non modo Meursius deceptus est ita explicans, sed etiam Harduinus bis ita citans in Nummis illustratis. *Jac. Gronovius.*

6 *Precibus & igne.*] Si incruentum fuerit sacrificium, ut ex hisce verbis colligere licet, non vane dubitetur, cur præcesserit mentio de eligendis bestiis, hædorum fibris, & cæsis complu-

[1] madeſcunt. Simulacrum deæ non effigie humana, [2] continuus orbis latiore initio
4 tenuem in ambitum metæ modo exſurgens. & [3] ratio in obſcuro. Titus ſpectata opulentia doniſque regum, quæque alia lætum antiquitatibus Græcorum genus incertæ vetuſtati affingit, *de navigatione* primum conſuluit. Poſtquam *pandi viam, & mare proſperum* accepit, de ſe per ambages interrogat, [4] cæſis compluribus hoſtiis. [5] Soſtratus (ſacerdotis id nomen erat) ubi læta & congruentia exta, magniſque conſultis [6] annuere deam videt, pauca in præſens & ſolita reſpondens, petito ſecreto futura aperit. Titus aucto animo [7] ad patrem [8] pervectus, ſuſpenſis provinciarum & exercituum mentibus, [9] ingens rerum fiducia acceſſit. [10] Profligaverat bellum

ribus hoſtiis. Sed forte ſanguinem victimarum ſpargere ante altare fas erat, dummodo ipſum immolandorum cruore illibatum ſervaretur. *Savilius.*

7 *Quanquam in aperto.*] Euſtathius in Odyſſ. θ. ubi agit de ara, quam Veneri ſacravit Paphos, ὁ δὲ ῥηθεὶς βωμὸς αἴθριος ἀνέκειτο, οἷα εἰκὸς κατὰ καὶ ἄλλοι παρὰ τῷ ποιητῇ φαίνονται, περὶ οὓς ῥέζοντες ὁδεύονται, h. e. *dicta ara ſub dio poſita erat, eo modo, quo alia etiam apud Homerum fuiſſe videntur; in quibus ſacra faciebant viatores.* Savilius.

1 *Madeſcunt.*] Idem narrat Polybius l. 16. neque alii fidem denegant. καταπεφήμισται δὲ καὶ πεπίστευται παρά τισι τοῖς Βαργυλιήταις, διότι τὸ τῆς Κινδυάδος Ἀρτέμιδος ἄγαλμα καίπερ ὂν ὑπαίθριον οὔτε νίφεται τὸ παράπαν, οὔτε βρέχεται, h. e. *fertur & creditur apud Bargylietas, ſtatuam Dianæ, quæ Kindyas cognominatur, etſi ſub dio poſitam, nec pluviis nec nivibus madeſcere.* Idem.

2 *Continuus orbis latiore initio.*] Tyrius Maximus: *Venus à Paphiis colitur, cujus ſimulacrum nulli rei magis aſſimile, quam alba pyramidi.* Lipſius.

*Continuus orbis.*] Figura, quam Tacitus deſcribit, conus eſt, Maximus Tyrius in 38. Sermone, vocat πυραμίδα; levi diſcrimine, ſi urgeatur proprietas. Παφίοις ἡ μὲν Ἀφροδίτη τὰς τιμὰς ἔχει, τὸ δὲ ἄγαλμα οὐκ ἂν εἰκάσαις ἄλλῳ τῳ ἢ πυραμίδι λευκῇ. i. e. *Venus magnis apud Paphios afficitur honoribus, ſtatuam ejus non alii rei melius comparaVris quam candidæ Pyramidi*, aut potius *triangulari Pyramidi*. forte ſcripſit πυραμίδι Δικῇ id eſt τριγωνικῇ. Savilius. Certe quum cætera queant eſſe vera, hoc poſterius tale eſt, ut nonniſi pro falſiſſimo haberi poſſit, quum ante oculos ſint nummi perſpicue illum continuum orbem teſtantes, non trianguli quid ſimile. Vide Triſtanum 1, p. 419 & 534, ubi etiam teſtatur ille ab vetuſtioribus tales nummos fuiſſe productos, ut inde Savilius potuerit noſſe & cavere ab tam temeraria conjectura. Nuper etiam Ezech. Spanhemius propoſuit Differt. pag. 479, ſed in quo Dea concipitur cum claris lineamentis capitis humani, in quo eſt merus error; & ille tamen perinde verba Taciti iſtic allegat; tanquam non ſuffeciſſet Triſtanum allegaviſſe. *Jac. Gronovius.*

3 *Ratio in obſcuro.*] Potius bene aperto, quum ſatis crebro notatum ſit ab viris doctis, antequam ſtatuæ expoliendæ artificium inoleviſſet, ejus vice poſita hujuſmodi ἀφιδρύματα, vel ex lapide aut ligno columellas inſtar metarum. *Idem.*

4 *Cæſis pluribus hoſtiis.*] Emendavimus, *cæſis complurib.* &c. *Rhenanus.*

5 *Soſtratus, ſacerdotis id nomen erat.*] Florent. *Sacerdotis*, ſed vulgata lectio melior. *Pichena.*

6 *Annuere deam vidit.*] Nos, *videt.* Rhenanus.

7 *Ad patrem*] Qui tum ſubſiſtebat Cæſareæ, quæ Judææ caput. Joſeph. ἁλωσ. 4. c. 29. *Savilius.*

8 *Provectus.*] Caſtigavi, *pervectus.* Sic infra, *Corpus inſigne oculis* &c. *Romam pervectum eſt.* Rhenanus.

9 *Ingens rerum fiducia.*] Suſpicabar, *ingens rerum*, voce ſequenti rejecta. Sed Pichena ſagaciter ſenſum eruit, *Ingens rerum fiduciâ* (ſexto caſu) quam ex oraculo conceperat. Audiamus. *Lipſius.*

*Ingens rerum fiducia acceſſit.*] Lipſius vocem, *fiducia*, tollit, mihi omnino retinenda, cum ſit præſertim in noſtro antiquiſſimo. non enim eam primo caſu, ſed ſexto, accipio: Id eſt, Titum ingentem acceſſiſſe, ob fiduciam rerum ex oraculo conceptam. Locum ergo juxta hunc ſenſum melius, quam in vulgatis, diſtinxi. Sic Ann. lib. XI: *ingens gloria, atque eo ferocior.* Pichena. Recte Lipſ. qui vocem *fiducia* tollit. Muretus non recte, qui retinet & ſic diſtinguit, *ad patrem pervectus. Suſpenſis provinciar.* &c. *Acidalius.* Diſtinguendum putavi, *ingens rerum fiducia acceſſit:* utque appareat Titum ipſum dici *fiduciam.* cujus vocabuli primus hic caſus, non poſtremus ponitur. quomodo mox ſeq. cap. *præcipua concordia fides* vocatur. *Freinshemius.* Sic Juſtinus lib. 11. *qui ex continenti ad Darium profecti, non mediocre momentum Perſarum viribus acceſſere.* Et lib. 13. *ubi & Olympias eſſet mater Alexandri, non mediocre momentum partium.* Gronovius.

10 *Profligaverat bellum.*] Paullo aliter *profligandi* verbo uſus, quam placuit Agellio lib. 15. Noctium, qui in tota ea re vereor ut caliget. Ni ita eſt; barbare etiam locutus ſit Auguſtus in Ancyrano

lum Judaicum [1] Vespasianus, oppugnatione Hierosolymorum reliqua, duro magis & arduo opere [2] ob ingenium montis & pervicaciam superstitionis, [3] quam quod satis virium obsessis ad tolerandas necessitates superesset. [4] Tres, ut supra memoravimus, ipsi Vespasiano legiones erant, exercitæ bello; quatuor [5] Mucianus obtinebat in pace. sed æmulatio & proximi exercitus gloria repulerat segnitiam. quantumque illis roboris discrimina & labor, tantum his vigoris addiderat integra quies, [6] & inexperti belli labor. auxilia utrique cohortium alarumque, & classes regesque, ac nomen dispari fama celebre. Vespasianus acer militiæ, anteire agmen, locum castris capere, noctu dieque consilio, [7] ac si res posceret, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituque vix à gregario milite discrepans; prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus par. Mucianum è contrario magnificentia & opes, & cuncta privatum modum supergressa extollebant. aptior sermone, [8] dispositu provisuque,

cyrano lapide: CEPTA. PROFLIGATAQUE. OPERA. A. PATRE. MEO. PERFECI. quod exemplum rigide & ex diametro cum Agellii nota pugnat. *Lipsius.*

1 *Vespasianus oppugnatione Hierosolymarum. Reliqua duro magis.*] Scripsi distinxique, *Vespasianus, oppugn. Hierosolymorum reliqua. duro m.* &c. *Rhenanus.*

2 *Ob ingenium gentis.*] Nam pervicaces scilicet, & cedere nescii Judæi. Tamen in Florentino est, *ingenium montis*: & scimus Hierosolyma in arduo fere sita. *Lipsius.*

*Ob ingenium montis.*] Hæc Flor. lectio est, atque, ut mihi videtur, aptior vulgata, *ob ingenium gentis.* Duos enim unius montis colles immensum editos, Hierosolymarum munimenta complectebantur, ut notum est, & Tacitus tradit infra lib. 5. Nec novum videatur *ingenium montis.* Nam lib. 6. Ann. dixit: *locorumque ingenio sese contra imbelles Regis copias tutabatur.* & hist. l. 1. *ingenio loci calique.* Apud Plinium etiam l. 14, 1. legitur, *ingenium soli.* & in Agell. lib. 12, 1. *ingenium lactis.* Pichena.

3 *Quam quod satis virium &c.*] Miror ab nullo publicari in MS. Mediceo esse *quo satis.* Nam vides illud ipsum in eo esse, quod 16 ann. 22. etiam jactatum fuit, *quo sibi lasciviam exprobrent*, & ibidem cap. 17. *Quo cetera manerent.* Jac. Gronovius.

4 *Tres, ut supra memoravimus.*] Hinc inchoandum esset caput, si rerum etiam capita distincte proponenda. Sed hoc plerumque arbitrarium est; & qui primi sic auctores distinxerunt, haud magnam in ea re curam posuisse videntur. Et hinc tamen aliquando tenebræ & remoræ lectionis; ergo cum eas offenderemus, sæpiuscule mutavimus. *Freinshemius.*

5 *Mucianus.*] Ita ubique præpotentis hujus hominis nomen scripsi. Græci suadent, qui Μουκιανὸν appellant: & lapides, in quibus C. media, non T. semper sculptum. ut in illo Romæ: L. ANNIO. FABIANO. M. NONIO. MUCIANO. COSS. Multa etiam hujus mentio in Plinio, qui Licinium ei nomen addit, & titulum fere ter consulis, lib. 12. *Licinius Mucianus ter cos. & nuper Lyciæ provinciæ legatus.* Libro 32. de ostrearum præstantia: *Dicemus*, inquit, *aliena lingua, quæque peritissima hujus censura in nostro ævo fuit. Sunt ergo Muciani verba quæ subjiciam.* Et sæpe alias: ostenditque doctum & alterum velut Mæcenatem. *Lipsius.*

6 *Et inexpertus belli labor.*] Redundare vox *labor* videtur, & inculcata huc è priore versu. Legam, *& inexpertis belli.* Ita supra: *pacis artibus, belli inexpertus.* Idem.

*Et inexpertus belli labor.*] Malim *ardor.* Nam omnino *labor* hic locum non habet. *Rhenanus.* Danesius legebat, *ardor*, non *labor* &c. ne repeteretur vox, *labor*, supra iterum posita. *Ursinus.* Delendam censet Lipsius vocem *labor.* Ego nihil mutarem, nec supervacua mihi repetitio illa videtur. ut mens sit: illis laborem belli, his laborem pacis, robur & vigorem addidisse. *Pichena.* Placet cum Lipsio deleri vocem *labor*, ut è linea superiore certe inculcatam: non placet scribi *inexpertus.* Lego, *integra quies & inexperta belli.* Acidalius.

7 *Ac si res posceret.*] Particulam *ac* erasimus. nam Tacitus brevitatem amat. *Rhenanus.*

8 *Dispositu provisuque.*] Non possum hic videre, quod Savilius: *veri expers in the direction and foresight of civill affaires*: quasi uno spiritu jungeret auctor: *dispositu provisuque civilium rerum peritus*: quum ille voluerit; *aptior sermone, dispositu provisuque*, junctim accipi, quæ sensum impleant absque illo: *civilium rerum peritus.* Significat enim Mucianum elegantiorem & diligentiorem fuisse in dispositione & ordine omnium, quæ ageret circaque haberet. Quale est, quod de Vespasiano Suetonius cap. 21. *Ordinem vitæ fere hunc tenuit.* &c. Plinius lib. 2. epist. 11. *Salvius Liberalis vir subtilis, dispositus, acer, disertus.*

suque, civilium rerum peritus. egregium principatus temperamentum, si demptis
utriusque vitiis, solæ virtutes miscerentur. Ceterum hic Syriæ, ille Judææ præpo-
situs, vicinis provinciarum administrationibus invidia discordes, exitu demum Ne-
ronis, positis odiis in medium consuluere. primum per amicos; dein præcipua con-
cordiæ fides Titus, prava certamina communi utilitate [1] aboleverat: natura atque
arte compositus alliciendis etiam Muciani moribus. Tribuni centurionesque, &
vulgus militum, industria, licentia, per virtutes, per voluptates, ut cuique inge-
6 nium, adsciscebantur. Antequam Titus adventaret, sacramentum Othonis accepe-
rat uterque exercitus, præcipitibus, ut assolet, nuntiis, & tarda mole civilis bel-
li, quod longa concordia quietus Oriens, tunc primum parabat. Namque olim va-
lidissima inter se civium arma, in Italia, Galliave, viribus Occidentis cœpta. Et
Pompejo, Cassio, Bruto, Antonio, quos omnes trans mare secutum est civile bel-
lum, haud prosperi exitus fuerant. Auditique sæpius in Syria Judæaque Cæsares
quam inspecti. Nulla seditio legionum, tantum adversus Parthos minæ, [2] vario
eventu. Et proximo civili bello, turbatis aliis, inconcussa ibi pax; dein fides erga
Galbam. Mox ut *Othonem ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire* vulga-
tum est, ne penes ceteros [3] imperii præmia, penes ipsos tantum servitii necessitas
esset, fremere miles, & vires suas circumspicere. Septem legiones statim, & cum
ingentibus auxiliis Syria Judæaque: inde continua Ægyptus, [4] duæque legiones:
hinc Cappadocia Pontusque, & quidquid castrorum Armeniis prætenditur. Asia,
& ceteræ provinciæ, nec virorum inopes, & pecuniæ opulentæ. quantum insula-
rum mari cingitur, & parando interim bello [5] secundum tutumque ipsum mare.
7 Non fallebat duces impetus militum. Sed bellantibus aliis [6] placuit exspectari belli
exitum.

Noster infra: *Apud Vitellium omnia indispofita, temulenta.* Adde ad Sen. de ira 3, 6. Sic igitur Vespasiano dispositior vel *aptior dispositu* Mucianus. Idem *aptior provisu*, hoc est, magis providus & divinus & pensitator futuri, quicquid ageret. *Gronovius.*

1 *Abolueras.*] Veteres omnes habent, *aboleverat.* & melius. *Pichena.*

2 *Vario eventu.*] Lego, *vano.* Acidalius.

3 *Imperii præmia.*] Videtur expressisse Josephi verba, quæ extant 4. ἁλωσ. c. 36. *Savilius.*

4 *Duæque legiones.*] Paullo aliter hoc olim. Nam C. Cæsar, Ægypto devicta, tres in ea legiones reliquit. Auctor Suetonius in Jul. cap. 76. Augustus eum numerum retinuit, imo & Tiberius: sub quo Strabo sane vixit, & hæc scripsit lib. 17. Ἔτι δὲ (in Ægypto) τρία τάγματα· ὧν τὸ ἓν κατὰ τὴν πόλιν ἵδρυται, τ᾽ ἄλλα δ᾽ ἐν τῇ χώρᾳ. *Sunt tres Legiones: quarum una in urbe agit, reliquæ in ipsa regione.* Sed Tiberius tamen non in longum. Anno enim imperii ejus nono, Tacitus clare duas saltem legiones Ægypto adtribuit: uti & hic. Libro 4. *Cetera Africa per duas legiones, parique numero Ægyptus.* Observa ergo obiter; paullo certius de Strabonis scriptione, quam vides eum desiisse ante hunc nonum Tiberiani imperii annum: Addo, Egesippum etiam de duabus hic legionibus assentiri Tacito, lib. 4. *Esse etiam illic duos ordines militarium virorum, quos sibi adjungere Vespasianus properavit.* Lipsius.

5 *Seclusum tutumque.*] Vatic. Flor. & Romana editio, *secundum tutumque.* quod approbo. *Idem.*

*Seclusum tutumque.*] Aut extra iter Vitellii, & Othonis potestatem situm. *Savilius.* Congruit Flor. cum Vat. in voce *secundum*, quæ à Lipsio probatur. Eam itaque reposui, pro vulgata, *seclusum.* Pichena. Lipsius alteram lectionem probat. Non possum ego, sed deleta copula distinguo *cingitur parando interim bello seclusum; tutumque* &c. *Acidalius.*

6 *Cum in victores victosque.*] Rodolphus & prisca item editio, *cum victoribus victos nunquam solidâ fide coalescere.* At totum locum libentius nunc cum Pichena legam: *exspectari belli exitum. victores victosque numquam, &c.* Lipsius.

*Placuit exspectari bellum, cum in victores &c. fides coalesceret.*] Volumen manuscr. habet, *fide coalescere.* Nos sic legendum tandem deprehendimus & distinguenda verba: *placuit expectari bellicum. Victores* &c. *fide coalescere.* Ergo, qui volet, sequatur meum judicium, aut mendosa se lectione diutius oblectet. *Rhenanus.* Placuit expectari belli Othoniani exitum: quoniam utrinque mota magna mole armorum pax nunquam certa erat futura victoribus [illegible] victis. *Ferretus.*

Distin-

exitum. *victores victosque nunquam solida fide coalescere. nec referre Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret. Rebus secundis etiam egregios duces insolescere. discordiam his, ignaviam, luxuriem: & suismet vitiis alterum bello, alterum victoria periturum.* Igitur arma in occasionem distulere, Vespasianus Mucianusque [1] nuper, ceteri

Distinguenda ex Beati judicio; *placuit expectari bellicum*: scil. ex quo sciretur, quam in partem inclinaret victoria; &c. *Vertranius.* Danesius sic legebat; *pl. exp. bellicum: victores* &c. *fide coalescere.* Ursinus. Hæc mihi valde suspecta, neque scio, an satis apte dicatur, *expectare bellum, aliis bellantibus.* Flor. nihil mutat, nisi quod habet; *solida fide coalescere.* longe melius vulgatis, cum verbum; *coalescere*, ac sequentia, *referre*, & *insolescere*, sibi optime respondeant. si autem hoc ut magis sincerum admittimus, supervacua remanebunt superiora illa, *cum in.* ex quibus forsasse aliqua emendatio exorietur. Itaque suspicor, totum locum sic legendum: *Sed bellantibus aliis, placuit expectari belli exitum. Victores, victosque nunquam solida fide coalescere.* Pichena. Placet *in* in *inter* mutandum, nisi quod Agricola, incertum ex libris an ex ingenio, emendabat ante annos plus minus centum: *placuit expectari bellum: cum victorib. victos n. sol. fide coalescere.* quidquid hujus est: de re ita Curtius meus: *Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. Nam & firmissima est inter pares amicitia, & videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse cave credas.* Modius. Rodolphi lectionem, quæ eadem & priscæ edit. *cum victorib. victos n. s. fide coalescere*, probat Lipsius itemque Modius. Muretus deleta voce *bellum* scripsit: *pl. expectari: in victor. victosque n. s. f. coalescere.* Et si attendis, *bellum* nihili hic vox. Quid enim est aliis bellantib. bellum exspectare? Vespasianus quidem bellum nullum exspectabat, sed inferre cogitabat. Nec tamen cum hoc deleri probo, reliqua ejus emendationis admitto. Aliud latere video in corruptis particulis *cum in.* Scribo: *pl. exsp. casum. Victores victosque n. s. f. coalescere. Casus* hic est Taciti more, occasio. lib. 12. Ann. *Si Casti cupidine ulciscendi casum pugnæ praberent.* Ibid. *Vologeses casum invadendæ Armeniæ obvenisse ratus.* lib. 11. Ann. *casus Mithridati datus est occupandi Armeniam.* & 13. Ann. *benegerendæ rei casum offerri scripserat.* Sallust. in Jug. *Fortunam illi* (lego *illis*) *præclari facinoris casum dare.* Sententia sic verissima. Ita fit enim: aliis bellantibus alii occasionem captant. Et hæc ipsa mens Vespasiani: quam clarius paullo post Tacitus his declarat verbis: *Igitur arma in occasionem distulere.* Hæc emendatio vera & certa. Olim etiam moliebar: *placuit exspectari bellum, non fugi. Victores* &c. Nihili præ altera. Quid si legas etiam, *pl. exsp. belli casum?* Acidalius. Postulante sententia, nec verbis multum abnuentibus, Pichenæ correctionem recepimus. *Freinshemius.* Nisi malis, *exspectari eventum.* Gronovius. Post quæ huc accedens Ryckius momento graviore, quam certe est, sumpto ex scriptura sui libri, multa mire profert. Scribit in Pichenæ conjectura [& posterior quidem hujus lectionis pars a Florentino, in quo *solida fide coalescere* approbatur. Sed reliqua ab ingenio profecta, tametsi sensui non responset, a libris nimium abit] Nescio quid dicat sensui non responsare; certe Lipsius & Freinshemius tantopere probant, & reliqui debuerunt probare, sed stultitia exspatiandi in nugas illos deducit. Tum in prioribus nihil ab ingenio profectum, nisi *belli exitum* pro *bellum cum in.* An hæc non sunt tolerabilia, immo mollia præ illis, ut vel ex *victores* fiat *victoribus* ac vox *bellum* in omnibus libris probata expellatur? Deinde an Vespasianus jam victori inferre bellum meditabatur? ubi id dictum est? Nondum certe illuc consilii iste venit. Porro quum dicit (Vespasianum bellantem cum victore in victo habiturum subsidium &c.) obliviscitur quid agat. Nam in bello extraneo id potest locum habere, non in civili, ubi victi plenissima pernicies adest, & victo vel vivendi venia negatur, nedum ut in eo tertius habere queat subsidium. Nonne cap. 44. ipse Tacitus fatetur in civilibus bellis non verti in prædam, atque adeo plus cædis esse? Quid Vitelliani prædicunt Vitellio 3, 66, quem privatum Vespasianus non pateretur, ne victi quidem; idque probant exemplis clarissimis? Relinquo istam meram interpolationem, quum ejus auctor desperaret in tot sæculis usurpata lectione se extricare. Sed nisi fallor, sunt omnia satis benigna, ut videas eam nulla literarum mutatione innuere: *placuit expectari belli nutum* (vel *cumulum*;) *victores victosque* &c. *Jac. Gronovius.*

1 *Nuper, ceteri olim*] Locus subobscuræ sententiæ, imo incertæ. Rodolphus legisse dicitur, *nuper Titi opera mixtis consiliis.* sententia nihil aberrante; vereor tamen ut propria quadam lectione, non à libris. An *ceteros* intelligimus, amicos & familiares Vespasiani? qui jamdiu cum eo spem conceperant imperii, & de eo locuti erant? Diu sane spem conceptam, idque ob omina multa & clara, Suetonius Vespas. cap. 5. *Lipsius.*

teri olim mixtis consiliis, optimus quisque amore reipublicæ, multos dulcedo prædarum stimulabat; alios ambiguæ domi res. Ita boni malique caussis diversis, studio pari, bellum omnes cupiebant. 8 Sub idem tempus Achaja atque Asia falso exterritæ, velut Nero adventaret; vario super exitu ejus rumore, eoque pluribus vivere eum fingentibus, credentibusque. Ceterorum casus conatusque in contextu operis dicemus. tunc servus è Ponto, sive, ut alii tradidere, *libertinus ex Italia*, citharæ & cantus peritus (unde illi super similitudinem oris [1] propior ad fallendum fides) adjunctis desertoribus, quos inopia vagos ingentibus promissis corruperat, mare ingreditur: ac vi tempestatum [2] Cythnum insulam detrusus, & militum quosdam ex Oriente commeantium adscivit [3] vel abnuentes interfici jussit, & spoliatis negotiatoribus, mancipiorum valentissimum quemque armavit: centurionemque Sisennam [4] dextras, concordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine ad prætorianos ferentem variis artibus aggressus est: donec Sisenna clam relicta insula, trepidus & vim metuens aufugeret. inde late terror, multis ad celebritatem nominis erectis re-

rum

*Ceterum olim mixtis consiliis.*] Scripsimus, *Ceteri o. m. c.* Rhenanus. Suspecta Lipsio verba, *ceteri olim.* ex quibus ego quondam aliquem sensum eliciebam: accipiens, *olim*, in futuri temporis significationem. de ceteris scil. qui postea partibus Vespasiani accessere. Sed nunc mihi ipsi non probatur, propter adverbium, *nuper*, præcedens: ac potius interpretor, Ceteros, videlicet, Titum, legatos, tribunos, aliosque fidos ministros & amicos; *olim*, id est, statim post Neronis exitum, consilia de imperio invadendo miscuisse: Mucianum vero nuper conscium participemque factum; ut qui antea discors, haud statim fidus habitus esset. Nec obstat, quod supra Tac. dixit: *exitu demum Neronis, positis odiis, in medium consuluisse.* intelligo enim, rediisse quidem eos in amicitiam, ut reip. concordibus viribus ab externis motibus caverent: sed nihil tunc de secretioribus consiliis inter eos agitatum. *Pichena.* Statim post excessum Neronis per amicos & filium. Tum, *in medium consuluere.* Quidnam, Tacite, consuluerunt? ut si casus daretur, imperium aggrederentur. At non prius ausi sunt consilia promere: quia deterruit eos nobilitas Galbæ, *cessisti etiam Galba imaginibus.* verum post ejus cædem, cum imperium a Vitellio & ab Othone fatigaretur, (quos ut multum infra se despiciebant) incipiunt exsequi destinata *tribuni*, centurionesque & vulgus militum; industria, licentia, per *virtutes, per voluptates (ut cuique ingenium) asciscebantur.* allecti præcipue studio militum. *Mox ut Othonem ac Vitellium scelestis armis* &c. Sed bellum protollunt, ut Othoniani & Vitelliani se prius per cædes mutuas debilitarent. *igitur arma in occasionem distulere.* Postremum castigatio *ceteri* ne comparanda quidem est ad *ceterum* veterem scriptionem. *Salinerius.* Mihi certum traductione levi, & mutatione leviore integrum locum ita fore. Lego; *Mucianusque secretis olim, nuper mixtis cons.* Ita enim est. Nuperrime consilia miscuerant, quæ semper antehac secreta habuerant. Firmat & illustrat superior ille locus, *Ceterum hic Syriæ*, c. 5. De cætero non muto nunc porro, ut olim censebam: *Optimos quosque amor reip. multos dulcedo* &c. *Acidalius.* Quam bene hinc sine incommodo publico multa possent amputari? quam bene se habent omnia vulgata? quam clare patet istud & aliorum & Ryckianum *Titi opera* explicationis ergo adscriptum, temere in alienas partes tractum, omnino petitum ex Tacito, supra in capitis 5 fine? *Jac. Gronovius.*

1 *Propior ad fallendum fides.*] Suspicor legendum, *promptior.* Feinshemius.

2 *Scithinum insulam.*] Farnes. *Cynthum.* Vatic. *Scithynum.* Vera lectio, *Cythnum:* quomodo ajunt legi in Florentino. quæ insula juxta Atticam sub Eubœa. Plinio nominatur lib. 4. & Ptolemæo dicitur Κύθνος. Philoni etiam in Flaccum sic dicitur, & juxta Ceam collocatur. In Zonara non recte scriptum, hunc falsum Neronem in trajectu Cydni amnis interfectum: decepitque eum adfinitas hæc vocum. *Lipsius.*

*Cythnum insulam detrusus.*] In Flor. ita scribitur, & verius: male vulgo, *Scithinum.* Pichena.

3 *Et abnuentes interfici.*] Flor. *Vel abnuentes.* Idem. Id verum est: & ab sensu posci scribit Ryckius. Mallem ab structura orationis: nam sensus etiam satis sine eo constiterit. *Jac. Gronovius.*

4 *Dextras concordiæ signa.*] Nos, *dextras concordiæ insignia.* Rhenanus. Sic. lib. præced. *Misere civitas Lingonum, vetere instituto, dona legionibus, dextras, hospitii insigne.* Unde conjicere possumus, fuisse aliquod signum, duas dextras simul junctas referens, idque argenteum, ut cetera plerumque militaria signa, quod dono invicem mitteretur, tanquam symbolum hospitii, aut fidei, aut concordiæ. *Pichena.*

1 *Ad*

rum novarum cupidine & odio præsentium. Gliscentem in dies famam fors discus- 9
sit. Galatiam ac Pamphyliam provincias, Calpurnio Asprenati regendas Galba per-
miserat. datæ è classe Misenensi duæ triremes [1] ad prosequendum, cum quibus
Cythnum insulam tenuit. Nec defuere qui trierarchos nomine Neronis accirent. is
in mæstitiam compositus, & *fidem suorum quondam militum* invocans, *ut eum in Sy-
ria, aut Ægypto sisterent* orabat. Trierarchi nutantes, seu dolo, [2] *alloquendos sibi mi-
lites, & paratis omnium animis reversuros* firmaverunt. Sed Asprenati cuncta ex fide
nuntiata. cujus cohortatione expugnata navis, & interfectus quisquis ille erat. Cor-
pus insigne oculis comaque & torvitate vultus, in Asiam, atque inde Romam per-
vectum est. In civitate discordi, & ob crebras principum mutationes inter liberta- 10
tem ac licentiam incerta, parvæ quoque res [3] magnis motibus agebantur. Vibius
Crispus pecunia, potentia, ingenio inter claros magis quam inter bonos, Annium
Faustum equestris ordinis, qui temporibus Neronis [4] delationes factitaverat, ad cog-
nitionem senatus vocabat. Nam recens Galbæ principatu censuerant patres, *ut
[5] accusatorum caussæ noscerentur*. Id senatusconsultum varie jactatum, & prout potens
vel inops reus inciderat, infirmum aut validum, retinebatur. [6] Ad hæc terrore &
propria vi Crispus incubuerat delatorem fratris sui pervertere: [7] traxeratque ma-
gnam senatus partem, *ut indefensum & inauditum* [8] *dedi ad exitium* postularent. Con-

tra

1 *Ad prosequendum eum, quibus.*] Codex Budens. *Ad prosequendum, cum quibus* &c. Quemadmodum nos quoque castigavimus: Nec displicet altera lectio. *Rhenanus.*

2 *Alloquendos sibi milites.*] Ita Venetiis primum editus: sed Romanus eo prior disertim habet, *adequandos*, unde non ambigo, quin litera mutata fieri debeat, *adaquandos sibi milites*; egregia emendatione, nec minus sana. Veniemus, inquiunt trierarchi, postquam refecerimus milites aqua, qua jam aliquot diebus destituti animis pariter, corporibusque languent. Et hinc scire licet insulam Cythnum aquarum sterilem. *Gruterus.*

3 *Magnis motibus.*] Demiror hanc clausulam omissam in lib. Msc. sicut paulo ante *mare*, ubi legimus, *mare ingreditur*. Sed dormitant sæpe librarii. *Rhenanus.*

4 *Delationes factitaverat.*] Habet à Cicerone in Bruto: *qui quum tanto nomine esset, patremque optimum virum habuisset & juris peritissimum, accusationem factitaverit.* Gronovius.

5 *Accusatorum causa noscerentur.*] Vide si lubet pecuniæ veteris lib. 4. cap. 3. *Idem.*

6 *Ad hæc terrore & propria vi.*] Volumen Budense; *Ad hunc terroris & prop.* &c. Legerim; *Ad hoc terroris* hoc est, ad hunc terrorem. Intelligit Senatusconsultum modo relatum. *Rhenanus.* Vulgatam distinctionem utcumque retineo, hoc sensu: Ad ceteras illius Senatusconsulti jactationes, nova hæc disceptatio accessit: quod Crispus & ejusdem Senatusconsulti terrore, & potentia propria, fratris sui delatorem pervertere conabatur. *Pichena.* Qui hæc emendant & distinguunt, sui saltem consilii redderent rationem. an melius ista? *infirmum aut validum retinebatur adhuc: terrore.* Annius non erat in reis potentioribus, itaque locus Senatusconsulto, præterea Crispus, dum fratrem ulciscitur, adeo eloquentia sua sibi propria vi, terroreque (si sibi tam præpotenti accusatori morem non gererent) patres ursit, ut Annium indefensum, inauditum damnare sustinerent. Per hæc firmatur interpretatio quam dedimus ad illa, libro 3. ann. *Senatus nunquam satis credito sine fraude Germanicum interiisse, scripsissent expostulantes.* Tò *ad hæc* respicit ad illa: *parva quoque res magnis motibus agebantur.* Salinerius. Paullo melior ad marginem lectio: *retinebatur adhuc. Terrore, & propria vi*, &c. nondum optima. Scribo: *retinebatur adhuc· terrori. & propr.* &c. id est, ad vel in terrorem. *Acidalius.* Malim, *At hoc terrore, & propria vi.* Freinshemius. Quid si, *Ad hunc terrorem.* Super hoc terriculamentum Senatusconsulti etiam non terriculis, sed vi eloquentiæ & gratiæ suæ annitebatur. *Gronovius.* Probat hoc postremum Ryckius, quia nihil aliud expediebat. Nemo tamen non satis videt id nimis abire ab antiqui libri Medicei fide, præsertim ubi scriptura ejus est tam singularis & clare perscripta. Et haud dubie majoribus nugis infectus est hic locus, quam ut nunc possim abluere. Quæso quid facit istud *retinebatur?* sed meminero. *Jac. Gronovius.*

7 *Traxeratque magnam senatus partem.*] Exemplar regium, *Traxeratque magistratus p.* Rhenanus.

8 *Dedi ad exitium postularent.*] Flor. Vulgo, *postularet.* Pichena.

1 *Quam-*

tra apud alios nihil æque reo proderat, quam nimia potentia accusatoris: *dari tempus, edi crimina,* [1] *quamvis invisum ac nocentem, more tamen audiendum* censebant. Et valuere primo, dilataque in paucos dies cognitio. mox damnatus est Faustus, nequaquam eo assensu civitatis, quem pessimis moribus meruerat. quippe ipsum Crispum easdem accusationes cum præmio exercuisse [2] meminerant. nec pœna cri-
11 minis, sed ultor displicebat. [3] Læta interim [4] Othoni principia belli, motis ad impe-

1 *Quamvis infirmum & nocentem.*] Scripsimus, *Quamvis invisum ac nocentem.* Rhenanus.

2 *Meminerant.*] Tacit. 4. hist. in oratione Curtii Montani, & paulo post, ubi occurrit junctus *Eprio Marcello.* Savilius.

3 *Læta interim.*] Adverbium hoc in vulgatis vacans restitui, Florentini & Ven. & aliorum veterum auctoritate. *Pichena.*

4 *Othoni principia.*] In describendo rem tanti momenti, qualis hæc fuit, inter Vitellium & Othonem agitata, Tacitus, ut mihi quidem videtur, longe seipso inferior est; omissis, quæ plurimum huc faciunt, circumstantiis, afferentique & confundens in speciem pugnantia, atque, ut breviter dicam, lectori non satisfacit ex historiæ legibus. Quoad circumstantias, Othonem, præcipuum actorem, & cujus vel vestigia fuissent numeranda, Tacitus ex urbe deducit, integro pene Senatu stipatum, in fine Martii, atque, ut exploratis aliorum scriptis (Suetonii & Marcellini) conjectare licet, die vigesimo septimo. Mox narrat quam animose & militari spiritu plenus antecesserit pedites, qui hic repente cum suis ex conspectu evanescit. Cum tamen verum sit, & Mutinæ relictum Senatum, & ipsum hosti obviam processisse Brixellum usque, quæ civitas Padi ripis adsidet. Præmissis centurionibus ibidem subsistit, ut ex Plutarcho apparet, &, alibi etiam, Tacito. quæ circumstantiæ, me quidem judice, non ita leves sunt, ut tam negligenter earum ratio haberi debuerit. Plutarchus refert, Celsum, Paullinum, Gallum & Spurinnam Brixello missos. Tacitus videtur velle Gallum & Spurinnam jam ante Roma missos *ad occupandas Padi ripas.* Si hoc velit, ut Padò occupato qua Austrum spectat Vitellianos sisterent aut saltem prohiberent fluminis transitu, postquam intra montes cohiberi non possent, ubi angustiæ infestæ exiguam manum in repellendo ingentibus copiis æquarent, constat facti ratio. Sed Gallo id neglectum. Sin aliud intendit, ut in utraque ripa victor consisteret, totique, qua fluvius excurrit, dominaretur, quomodo paucæ cohortes integrum Cæcinæ exercitum excipere potuerunt, cum deesset ipsis loci opportunitas? Gallo autem & Spurinnæ præmissis, non addito unde, *ad occupandas Padi ripas*, assignat Tacitus *quinque prætorianas cohortes, equitum vexilla, legionem primam adjutricem*, & duo *gladiatorum* millia. in progressu, *gladiatores* tantum regendos dedit Martio Macro, qui tertius, & post eum Flavio Sabino, interjectoque inter alios duos longo satis intervallo, Spurinnam Placentiæ locat cum tribus prætorianis cohortibus, mille *vexillariis*, qui nusquam in recensione totius antea exercitus nominati, paucisque equitum; & Gallum cum prima adjutrice; qui nescio ubi, aut quando, aut quibus ex causis divisas duxerint copias; sed ubicunque fuerit cum Bedriacum occuparet in itinere quo pergebat Placentiam, omnino in septentrionalibus Padi partibus fuit. Tres vero alii duces Paullinus, Celsus, & Proculus, non ignota in apparatu hujus belli nomina, ex hac divisione non habent quod agant (& profecto ut verum fatear, non video magnis admodum copiis illos potuisse instructos esse, valido præsertim apud Othonem exercitu relicto) imo ne quidem nominantur. Si blandientibus conjecturis indulgere licet, probabile fuerit, Proculum, prætoriano militi præfectum, Brixelli substitisse exspectato Othone. Sed Celsi & Paullini nomina in prælio *ad Castoris* ante non occurrunt, qui derepente ad duodecimum à Cremona milliare in conspectum prodeunt, nec procul Bedriaco (ubi Gallus relictus) nulla in antecessum mentione eorum facta; præter multos alios cum *prima legione* ipsis attributa, quæ Gallum proprie ducem habebat. Adeo ut, cum auctor in culpa sit, quod rem illam perspicue descriptam non habemus, opinari liceat, Paullinum & Celsum postea Brixello missos in castra ad Bedriacum, aut cum Gallo futuros Imperio pari, aut datos ei successores, quod vero propius est, & discessisse Gallum, forte curando ex casu vulneri, quem secundo historiarum reperias, cum in prælio *ad Castoris* silentio transmittatur, & illo ad Bebriacum, non deprehendes tamen ubi Tacitus eum ultimo constituit. quod vero autor noster ob leves Gladiatores inter & Vitellianos pugnas non satis continuo exercitas, ab Othone fratrem Titianum accersi facit, Romæ relictum, ut proximum sibi locum tueretur, Plutarchus longe melius magisque ex vero scribit, factum id post prælium *ad Castoris*, quod ignaviam Paullini incusaret, missum quoque Proculum prætorianis cohortibus præfectum; sed quando Bedriacum venerint, juxta cum ignaris scio.

Jam

imperium ejus [s] à Dalmatia Pannoniaque exercitibus. fuere quatuor legiones, è qui-

Jam vero si Otho Brixelli, Paullinus & Celsus Bedriaci fuerint, quem locum designabimus habitis inter Othonem, Titianum, Proculum, Paullinum & Celsum consiliis, absente Gallo? Hic novus Taciti lapsus, vindicemque se nodo præstat Plutarchus, qui scribit Othonem Brixello Bedriacum petiisse adhibendis in consilium præfectis quoad summam rei. Hactenus de Othone ejusque præfectis; sequitur copias expendamus, quæ fuerunt duplices, aut Roma ductæ, aut aliunde advocatæ. quas Roma duxerat, sextuplicea fuerunt, 1. *quinque prætoriæ cohortes*: 2. *Equitum vexilla*: 3. *Legio prima adjutrix*: 4. *Gladiatores*: 5. *Cæteræ prætoriæ cohortes & 6. Classici.* Apud Gallum & Spurinnam fuerunt, 1. *quinque prætoriæ cohortes*; ex quibus tres Spurinna Placentiæ habuit, duas reliquas videtur Gallus habuisse, 2. *Equitum vexilla* sine numero; 3. *Legio prima adjutrix classica ex reliquiis cæsorum à Galba ad pontem Milvium*. 4. duo millia *gladiatorum*. In obsidione Placentiæ mille *vexillarii* recensentur; an ab omnibus hisce diversi, an aliorum pars fuerint, ignoro. In Othonis comitatu *speculatorum lecta corpora*, ut opinor *è prætorianis*. 5. *Cæteræ prætoriæ cohortes*, exceptis quinque cum Gallo missis; & tamen ingens prætorianorum numerus classi Narbonam missæ militabat, adeo ut reliquæ non adessent. Classici undecunque tandem emerserint, multos nobis suppeditarunt, & in multos sufficient viros. Septem millia *ad pontem Milvium* à Galba cæsa, cæteri decimati, *è reliquiis prima legio adjutrix conflabat*. In classe Narbonensi multitudo eorum æquaverat milites. Hic ingentem classicorum numerum habemus, cum Othone mille *Classici inter Placentiam & Ticinum intercepti*, quos omnes circumstantiæ persuadent non fuisse ex isto agmine. Plurimis quoque classicis instructus Turullius Cerealis, sed unde acciti fuerint, & quomodo iis præesse cœperit, Tacitus ignorare nos patitur. Præter illos in tantam multitudinem diffusos tertius liber integram nobis legionem è classicis exhibet, à *prima adjutrice* diversam, quæ Hispaniam tum obtinebat. Externæ Othonis copiæ fuerunt, quas solum submiserat Illyricum, ubi septem tum legiones, duæ scilicet in Dalmatia, undecima Claudiana, & quartadecima Gemina; totidem in Pannonia, septima Galbiana & tertiadecima Gemina; tres in Mœsia, tertia Gallica, septima Claudiana, & octava Augusta, ut alibi dictum. Jam vero omnibus illis ab Othone arcessitis, jussu ejus, inquit Tacitus, iter ingrediuntur legiones è Dalmatia & Pannonia, ubi manifesto in vitio hæret, cum & legiones è Mœsia eo contenderent: quæ ad Aquileiam penetrarunt, facili in Othonis partes animo, ut idem narrat Tacitus. Adeo ut septem illæ legiones mandato Othonis excitæ, pariter incederent: sed quæ anteverterint eventum prælii ad Bedriacum, quæ non, (si quid video) nodus est inexplicabilis, cum Taciti verba non una oppositione se evertant, contradictionisque nexu implicentur, neque aliunde suppetat historiæ subsidium quoad hanc narrationem. Atque ut rem inde repetamus, unde amotis dubii nebulis non infuscata se dat, tres legiones è Mœsia prorsus ab hoc prælio abfuerunt. Tac. lib. 3. *Mœsici exercitus vires integræ.* Adfuerunt duo millia præmissa è quatuor legionibus in Dalmatia & Pannonia, ut Tacitus loquitur. Sed Suetonius Vespasiano cap. 6. videtur velle ex Mœsia venisse. *Mœsiaci exercitus bina è tribus legionibus millia missa auxilia Othoni*; & ipse Tacitus *præmissi Mœsia*; intelligitque aut eosdem, quos hic è Dalmatia Pannoniaque advenisse scribit, aut qui prælio interfuerant, & cum universus lustraretur exercitus, hic non inveniuntur. Et lib. 3. *Duæ tunc Pannonica ac Mœsica alæ perrupere hostem*, ubi agit de levibus equitum pugnis in principio prælii ad Bedriacum. Ante quatuor vero legiones è Dalmatia & Pannonia, *alæ cohortesque præveniebant*. quæ verba referenda videntur ad hæc *bina millia præmissa*, quamquam fieri possit, ut auxiliares alii missi fuerint post bina millia, & ante ipsas legiones; quarum adventus quæstionem facit intricatissimam. In prælio *ad Castoris* habemus *tertiæ decimæ legionis vexillum* ex illis Pannonicis. In atroci ad Bedriacum pugna *tertia decima legio* à Tacito recensetur, & Vedius Aquila ejus legatus. Quartadecimanorum quoque ex Dalmaticis legionibus mentio fit in feroci ad Bedriacum conflictu, & lib. 3. *Quartadecimani campis Bedriacensibus fusi stratique.* Septimam autem Galbianam & undecimam Claudianam ante prælium commilitonibus suis junctas fuisse, utut in ipsa acie non exprimantur diserte, ex eo patet, quod æque *inter victas legiones* numerentur ac quartadecima & tertiadecima, & jubente Vitellio *suis hibernis reddita*, & *in Pannonia tertiadecima legio ac septima Galbiana dolorem iramque Bedriacensis pugnæ retinentes.* Insuper milites Prætoriani campis Bedriacensibus cedere coacti, unico se Mœsicarum legionum auxilio solantur; quæ ad Brixellum quoque animando Othoni nominantur, *præmissi Mœsia eandem obstinationem adventantis exercitus legiones Aquilejam ingressas nuntiabant, ut nemo dubitet posse renovari*, &c. Atque hæc, similemque in sensum loca, persuadent probabiliter statui posse, quatuor legiones è Dalmatia & Pannonia jam ante venisse cæte-

quibus bina millia præmissa; ipsæ modicis intervallis sequebantur: septima à Galba conscripta; veteranæ undecima ac tertiadecima & [2] præcipua fama Quartadecumani, [3] rebellione Britanniæ compressa. Addiderat gloriam Nero, eligendo ut potissimos. unde longa illis erga Neronem fides, & erecta in Othonem studia. Sed quo

risque junctas fuisse, sed quando venerint, & quomodo aut ubi se collegerint, quæque aliæ huc faciunt circumstantiæ ut res tanti momenti perspicua narratione dilucescat, non excusanda Taciti negligentia nobis interciderunt. Contra, quartamdecimam nondum eo venisse adstruunt Taciti verba in Bedriacensi consultatione, vix duobus aut tribus ante pugnam diebus inita, *paucis diebus quartam decimam legionem, magna ipsam fama, cum Mæsiacis copiis affore*; unde colligere liceat, alias tres jam venisse, sed non quartam decimam. *E victis legionibus*, quartâ decima primâ, tertia decimâ septimâ, undecimâ, *soli quartadecimani se victos abnuebant*; ut cæteras adfuisse probabilitatis habeat speciem. Medio inter consultationem & pugnam tempore altum de adventu silentium, qui omnino, si venerant, memorari debuerat, atque unde Titianus & Proculus suam in Paulinum & Celsum defensionem munivissent. Si ex conjecturis hæc petita dixeris, quomodo te expedies ex Taciti loco, *Canus atroci mendacio universos perculit, affirmans superventu quartadecimæ legionis versam partium fortunam*; tanquam re certâ, quod quartadecima nondum venisset tempore Bedriacensis pugnæ. Et rursus, ubi agit de quartadecima legione, *Bedriacensi acie vexillariis tantum pulsis vires legionis non affuisse*. Præterea Pannonicæ legiones, teste Plutarcho, abfuerunt quoque, cum illa ad Bedriacum consultatio haberetur. *Ὅσας δὲ τῆς ἤδη παρούσης οὐκ ἐλάττονα προσδέχεσθαι εἶναι δύναμιν ἐκ Μυσίας καὶ Παιονίας.* id est: *quas Otho ex Mysia Pannoniaque exspectabat copias, non minores erant iis quas secum habuit*. Tacitus lib. 3. *Pannonicæ legiones deceptæ magis quam victæ resurgere in ultionem properant*. Sed ut summa sequamur rei vestigia, si quatuor legiones è Pannonia & Dalmatia, pars fuerint Bedriacensis prælii, cur ignoramus modum, quo se Vitellio subjecerint, Othoniani exercitus decus numero & virtute? Et tamen nemo refragetur, quin proxime à pugna, quatuor minimum legiones de quibus disputamus, in Italia fuerint, Vitellii imperio obnoxiæ, ut ipsi Tacito testimonium denuntiamus. Sed quando in Italiam venerint, an aliis se junxerint & quando; & quomodo se dederint Vitellio regendas; transmittit silentio iners Taciti labor, qui rem procul dubio gravissimam mutilæ descriptionis ignavia conspurcat. Quoad Vitellium, nihil non in liquido est, quæstionumque tricis evolutum. In utraque Germania, *Kal. Januar. Galba iterum & Vinio Coss.* motus Vitelliani tempore, septem fuerunt legiones, ut alibi diximus; nimirum in Germania inferiori, quinta & quinta decima in stativis ad Vetera; primaque Novesii, sextadecima Bonnæ. In superiori Germania, quarta Macedonica, & decima octava, alias duo & vicesima, positis ad Magontiacum castris, una & vicesima Rapax, ut arbitror præsidium Vindonissæ. Ex illis una & vicesima Rapax tota, & duæ ad Magontiacum Cæcinam comitatæ, cui triginta millium exercitus colligebatur; atque se in Italia sociavit ala Syllana. Valens secum sumpsit *aquilam quintæ*, cohortesque & alas ex tribus aliis, constituendo quadraginta millium exercitui; aggregantibus se in itinere *legione Italica, & octo cohortibus Batavorum*, Tacit. 1. hist. Et tamen ante Vitellii adventum nulla hic comparet legio, nisi Rapax & Quintani. Per *Aquilam* autem *Quintæ* non tota legio, sed magna ejus pars intelligenda est; Quintæ licet nomen gerat, cum multi, eodem tempore & quintæ nomine, Vetera tenerent. Abiturus autem Vitellius secum traxit reliquum Germanici exercitus robur, (ait Tacit. lib. 2.) eodem legionum numero & nomine (Rapace tantum excepta, quæ integra decesserat.) Sed imminutis admodum ordinibus, paucisque & pene nullis militibus; ut Hordeonius 4. *lib. Tacit.* sub signis habuerit in Germania quintam & quintamdecimam ad Vetera, sextamdecimam Novesii, primam Bonnæ, quartam & octavam decimam, alias duo & vicesimam, Magontiaci; Et eodem tempore in Italia sub Vitellio fuerit alia quinta, alia quintadecima, alia sextadecima, & sic alia prima, quarta, octavadecima, alias duo & vicesima: non integræ legiones, sed binæ ejusdem legionis partes, excepta Rapace, quam integram secum sumpsit Cæcina, non relicta in Germania legione, quæ vocaretur Rapax; donec illa legio eodem postea se conferret sub Cereale. *Savilius.*

1 *E Dalmatia Pannoniaque.*] Et sic è Mœsia legiones proficiscebantur, sed ad Aquileiam substiterunt. Tacit. *Idem.*

2 *Præcipua fama quartadecumana.*] Castigavimus *præcipui fama Quartadecimani*. Rhenanus. Alii *præcipui*. Nos, *præcipua* Venetum sequuti, quod ista vox concinnior videretur. Sic infra H. 2, 32. de hac ipsa legione, *magna ipsam fama*. Freinsh.

3 *Rebellione Britanniæ.*] Historiam hanc fuse persequitur. 14. Ann. & in vita Agric. *Savilius.*

1 *E*

quo plus virium ac roboris, [1] è fiducia tarditas inerat. [2] agmen legionum [3] alæ cohortesque præveniebant. Ex ipsa urbe haud spernenda manus, quinque prætoriæ cohortes, & equitum vexilla cum legione prima: ac deforme insuper auxilium, duo millia gladiatorum, sed [4] per civilia arma etiam severis ducibus usurpatum. His copiis rector additus Annius Gallus, cum [5] Vestricio Spurinna ad occupandas [6] Padi ripas præmissus: quoniam prima consiliorum frustra ceciderant, transgresso jam Alpes Cæcina, quem [7] sisti intra Gallias posse speraverat. Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora, cum ceteris prætoriis cohortibus, [8] veterani è prætorio, classicorum ingens numerus. Nec illi segne aut corruptum luxu iter: sed [9] lorica ferrea usus est, & ante signa pedester, horridus, incomptus, famæque dissimilis. Blandiebatur cœptis fortuna, possessa per mare [10] & naves ma- 12
jore Italiæ parte, penitus usque ad initium [11] maritimarum Alpium. [12] quibus tentan-

1 *E fiducia tarditas inerat.*] Hic tarditatis Othonem arguit, & tamen paulo infra ait: *Nec illi segne aut corruptum luxu iter.* & supra libri præc. in fine: *Aspernatus omnem cunctationem, ut Neroni quoque exitiosam.* Respondetur, Othonem quidem festinanter, omnique cunctatione remota, profectum cum exercitu ab urbe. & quantum ad ipsum attinet, neque corrupte neque segniter se gessisse, ut qui omnia providi ducis munia adimplevisset. Sed tantæ molis exercitus, præsertim legionum agmen, fiducia virium suarum, lentiorib. spatiis incedebat, quam belli necessitas postularet. *Pichena.* Fallitur vir eximius. Non enim Othonis, non omnis exercitus, sed solorum quartadecimanorum tarditatem accusat Tacitus. *Gron.*

2 *Eo agmen legionum.*] Sustulimus dictionem *eo.* Rhenanus. .

3 *Alæ cohortesque.*] Fortassis intelligit duo millia, quorum ante meminit, fortassis etiam, aut potius, alios præterea. *Savilius.*

4 *Per civilia arma.*] Pompejus in bello civili adversus Cæsarem idem meditabatur, sed dissuadentibus amicis ab incepto destitit. Cæsar de bell. civ. 3, 4. *Idem.*

5 *Vestricius Spurinna.*] De illo vide Plinium l. 4. ep. 1, & 10. & 2. ep. 7. *Idem.*

6 *Padi Ripas.*] Quæcunque tandem sententia fuerit, res docet custodiendæ ripæ non adhibitos præter gladiatores. *Idem.*

7 *Sisti intra Gallias.*] Ex Florentino *intra.* nam vulgo, *inter.* Pichena.

8 *Veterani è prætorio.*] Superesse videntur hæ voces. Præmisit enim jam nunc de prætoriis omnibus cohortibus: qui igitur isti amplius è prætorio? Sed non supersunt. Distinguit enim à cohortibus Veteranos. recte. quia exauctoratos intelligit, & qui post sedecim stipendia habebantur sub vexillo, non aliter quam legionarii, de quibus scripsi satis ad 1. Annal. Atqui hi nec in legionibus ultra censebantur, nec illi in cohortibus. *Lipsius.*

9 *Lorica ferrea usus est, & ante signa.*] Delevimus verbum *est.* Rhenanus. Addidi verbum, *est*, ex Flor. ac Ven. Mos autem notandus Romanorum ducum, pedibus ante signa ambulantium. Plin. Paneg. ad Trajanum; *cum jam tua vexilla, tuas Aquilas, magno gradu anteires.* Ubi Lipsius alia exempla adjicit. *Pichena.* Alius describitur à Juvenale. Sat. 3. vers. 190. Quid si ex priore fama hæc illi affingantur à poeta? nosterque recenseat veritatem? *famæque dissimilis.* Sed prætereundum non est, quam lepide Satyrographus hemistichio Virgiliano captaverit venustatem: *Auctoris Arunci spolium.* Quod Aristophani etiam factum, unde is dicitur ab Demetrio περὶ ἑρμηνείας pag. 12. σκώπτων που τὸν Δία ὅτι οὐ κεραυνοῖ τοὺς πονηρούς, φησὶν ἀλλὰ τὸν ἑαυτοῦ νεὼν βάλλει, καὶ Σούνιον ἄκρον Ἀθηνῶν. i. *irridens quodam loco Jovem, quod scelestos fulmine non peteret, ait, verum suum templum ferit, & Sunium promontorium Athenarum.* Scripserat enim Homerus Odyss. γ. 278. ἀλλ' ὅτε Σούνιον ἱρὸν ἀφικόμεθ' ἄκρον Ἀθηνῶν. Savilius. Si quis propius attendat nexui orationis, videbit plus ei officere voculas illas binas, *usus &*, quam prodesse. *Gruterus.*

10 *Et majore Italiæ parte.*] Particula connectens, *&*, videtur hic mihi superesse. *Rhenanus.*

11 *Maritimarum Alpium.*] Supra à nobis de Penninis, Cottiis, Grajis, Ræticis Alpibus disputatum est: nunc dicendum de maritimis, quod mari vicinæ sunt. hæ à Varo flumine, quod Italiam à Gallia disterminat, incipiunt. *Lupanus.*

12 *Quibus tentandis, aggrediendaque.*] Farnesiana hæc scriptura est: quam verissimam censeo. Duplex enim mandatum Othoniani duces habuerunt; tentandarum Alpium, & Provinciæ invadendæ, quæ ad Vitellium defecerat. Supra libro 1. *Narbonensem Galliam aggredi statuit, classe valida & partibus fida.* Infra: *imminere provinciæ Narbonensi in verba Vitellii adactæ classem Othonis, trepidi nuntii attulere.* Vulgata lectio valde turbat: *quibus tentandis aggrediendisque, provincia Narbonensi*, &c. tamquam tres hi duces Provinciæ impo-

tandis, aggrediendæque [1] provinciæ Narbonensi, Suedium Clementem, Antonium Novellum, Æmilium Pacensem [2] duces dederat. Sed Pacensis [3] per licentiam militum vinctus: Antonio Novello nulla auctoritas: Suedius Clemens ambitioso imperio regebat, ut adversus modestiam disciplinæ [4] corruptus, ita prœliorum avidus. [5] Non Italia adiri, nec loca [6] sedesque patriæ videbantur: tamquam externa litora, & urbes hostium, urere, vastare, rapere: eo atrocius, quod [7] nihil usquam pro-

positi. & mage majores tenebras offundit etiam Maurus. *Lipsius.*

1 *Provinciæ Narbonensi Suedium* &c. *duces dederat.*] Imperio constituto Provincia nostra Populi facta, ut alibi diximus, & consularis est: unde lib. sup. legitur Titus Vinius proconsulatu Galliam Narbonensem severe integreque rexisse. Moris autem fuit in provinciam, quæ limitem ditionis Rom. constitueret, Proconsuli, Prætori, Præsidive laborum & operis parte levando, si opus esset, mittere, qui Duces & Limenarchæ dicerentur. Sed hoc loco Vedius Clemens, Antonius Novellus, Æmilius Pacensis, aliam ob rem missi sunt ab Othone, tentandis scil. aggrediendisque Alpibus maritimis. ad id autem duces electi, & cum militib. profecti sunt; non ut quidam scripsit, proconsuli juvando, quem tum in provincia non fuisse conjicio ex eo, quod nulla proconsulis mentio fit in hac tota, quæ sequitur, civilium bellorum scriptione: Adhæc plura libri seq. ubi de Valerio Paulino referam. Verum quid est dicere, *Alpibus tentandis aggrediendisque provinciæ Narbonensi Suedium* &c. *duces ab Othone* datos? si ex Italia mittebantur, qui Alpes maritimas tentarent, aggrederenturve, illi provinciæ Narbonensi non erant dati duces, cum id nomen haberent eo, quod milites ducerent. Alias non nisi Dux Narbonæ in codice Præfecturarum dicitur. Quare non videntur tres missi duces, qui provinciam regerent, sed qui exercitum Othonianorum ducerent, qui χιλίαρχοι, ut est apud Ulpianum, dici potuerunt. Equidem & celebritatis patriæ & emaculandi Cornelii gratia, Clementem, Novellum & Pacensem oriundos Provincia puto: quod significant illa quæ sequuntur, *Videbatur non Italia adiri nec loca sedesque patriæ.* Sic igitur à Cornelio scriptum, & cæteris exscribendum reor, *provinciæ Narbonensis Vedium Clementem* &c. *duces dederat.* & infra, *Vedius Clemens ambitioso* &c. Supraque lib. proximo, *Novello, Vedio Clementi primipilarib.* &c. non *Suedio*, neque enim *Suedium* in libris Latinis legas. *Vertranius.* Omnes aditus Galliarum (in quibus Alpes maritimæ) armis Vitellii tenebantur. *quando Peninæ Cottiæque Alpes, & ceteri Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur.* At Othoni placuerat sistere in Gallia Cæcinam. *Transgresso jam Alpes Cæcina, quem sisti intra Gallias speraverat.* Eaque de causa Narbonensem provinciam memoratos duces classe aggredi jussit, ut illa recepta aditus Alpium maritimarum pateret: nec (si bene rem putes) faciliores Alpes maritimis habuisset: utrinque enim petitus Maturus earum procurator iter ocius aperuisset. Sed frustra fuit; nam provinciam Narbonensem suarum partium fecit, is Valentem comiter exceptum, Galliam Narbonensem temere ingrederetur monendo terruit. non itidem Alpes maritimas. l. 3. Hist. *Haud procul inde agebat Marius Maturus Alpium maritimarum procurator; fidus Vitellio,* &c. *Salinerius.*

2 *Duces dederat.*] Forte; *Duces legerat.* Freinsh.

3 *Per licentiam militum victus.*] Verius ex Flor. *vinctus*, quam, *victus.* ut in vulgatis. Sic infr. eod. lib. *vinctus præfectus castrorum Julius Gratus.* Et statim: *cum fratrem ejus Jul. Frontonem tribunum, Othoniani sub eodem casu vinxissent.* Pichena. Est qui malit, *vietus.* Muretus, *vinctus:* pessime. Retineo *victus*, nec illa trita significatione, sed qua etiam infra hoc lib. usurpatur: *Ne ut victi & ignavi despectarentur.* Terent. Heautont. 3. 1. *Si te tam leni & victo esse animo ostenderis.* Quomodo idem fortassis & Eunucho: *Eludet ubi te victum senserit.* Acidalius.

4 *Corruptus ita præliorum avidus.*] Hæc commodius de militibus quam de duce dici censeo, & eo scripsisse Tacitum: *Suedius Clemens ambitioso imperio regebat ut adversus modestiam disciplinæ corruptos, ita præliorum avidos.* Gronovius.

5 *Non Italia adiri.*] Nihil ego hic nisi germanum video. Sudant tamen in mutando Rhenanus pariter & Vertranius. *Lipsius.*

6 *Sedesque patriæ videbantur: Tanquam externa littora & urbes hostium urere.*] Hæ sententiæ multis mendis sunt insignes. Manuscr. volumen habet; *sedesque patriæ jubebantur tamquam & urbes hostium urere.* Vides hic abesse duas illas voces, *externa litora*, quas castigatores addiderunt. Ego vero pro *tamquam & urbes*, deprehendi post laboriosam loci considerationem, scribendum, *tamquam metu res.* itaque sic distinxi sententiam: *Sedesque patriæ. Jubebantur tamquam metu res hostium urere.* Cæterum verba, *tamquam metu res*, non inserui in contextum, quum mea sit inventio. Mutet, qui velit. *Rhenanus.*

7 *Nihil usquam provisum adversum metus.*] Sic infra, lib. 4. *constans adversus metus.* Pichena.

1 Oc-

provisum adversum metus. Pleni agri, apertæ domus. [1] occursantes domini juxta
conjuges & liberos, securitate pacis, & belli malo circumveniebantur. Maritimas
tum Alpes tenebat procurator Marius Maturus. Is concita gente (nec deest juven-
tus) arcere provinciæ finibus Othonianos intendit. Sed primo impetu cæsi disje-
ctique montani, ut quibus temere collectis, non castra, non ducem noscitantibus,
neque in victoria decus esset, neque in fuga flagitium. Irritatus eo prœlio Otho- 13
nis miles, vertit iras in municipium [2] Albium Intemelium, quippe in acie nihil
prædæ, inopes agrestes, & vilia arma: [3] nec capi poterant, pernix genus, & gna-
ri locorum. sed calamitatibus insontium expleta avaritia. Auxit invidiam præclaro
exemplo femina Ligus, quæ filio abdito, cum simul pecuniam occultari milites
credidissent, eoque per cruciatus interrogarent *ubi filium occuleret?* uterum osten-
dens, *latere* respondit. [4] Nec ullis deinde terroribus, aut morte, constantiam vo-
cis egregiæ mutavit. *Imminere provinciæ Narbonensi, in verba Vitellii adactæ, clas-* 14
*sem Othonis*, Fabio Valenti trepidi nuntii attulere. Aderant legati coloniarum, au-
xilium orantes. [5] Duas Tungrorum cohortes, quatuor equitum turmas, univer-
sam Treverorum [6] alam, cum Julio Classico præfecto misit. è quibus pars in colo-
nia Forojuliensi retenta, ne omnibus copiis in terrestre iter versis, vacuo mari clas-
sis acceleraret. Duodecim equitum turmæ, & lecti è cohortibus, adversus hostem
iere: quibus adjuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium, & quingenti Pan-
nonii

1 *Occursantes domini, juxta conjuges & liberos.*] Nota morem, obviam eundi principibus ac ducibus in lætitia. Tac. lib. 14. cum Neroni obviam itur, ait. *Conjugum ac libererum agmina per sexum & ætatem disposita.* Liv. l. 23. *Marius, concione advocata, edicit, ut frequentes cum conjugib. ac liberis obviam irent Annibali.* Pichena. Nescio, si mutandum: *occursantes domini, juxta conjuges & liberi*, hoc scio, copulam delendam, scribendumque; *securitate pacis, belli malo circum.* Acidalius.

2 *Albium Intemelium.*] Ita quidem è Strabone scripseris lib. 4. Τῶν ἐν Λιγύων, inquit, τῶν μὲν ὄντων Ἰγγαύνων, τῶν δὲ Ἰντεμελίων, εἰκότως τὰς ἀποικίας αὐτῶν ἐπὶ τῇ θαλάττῃ, τὴν μὲν ὀνομάζεσθαι Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, οἷον Ἄλπιον, τὴν δὲ ἐπιτετμημένως μᾶλλον, Ἀλβίγγαυνον. id est. *Cum duplices sint Ligures, Intemelii & Ingauni; jure eorum ad mare colonia, altera Albium Intemelium dicta, quasi Alpium, alter paullo contractius, Albingaunum.* Nec aliter in Plinio. Quin tamen etiam concise Albintemelium dicta fuerit, haud pertinaciter eo negatum. *Lipsius.* Nescio cur per has literas id contrahere maluerit, quum sciret in editionibus ulterioribus exstare *Albintimilium*, tanto propius stringendum, quod id vicinius sit appellationi, quæ exstat in MS. Mediceo *albintimilitum*, cujus omnino etiam ratio ponenda erat in Tacito. Certe quum in itinerario Antonini occurreret *Albintimilium*, Surita pag. 455. allegat hunc locum Taciti citans eodem modo, & addens (& in vetustu *Albintimum.* Jac. Gronovius.

3 *Nec capi poterant, pernix genus.*] Exemplar regium, *nec pernix.* Forte scribendum, *Nec capi poterant, & pernix genus, & gnari locorum.* Rhenanus.

4 *Tortoribus.*] Regius codex, *temporibus*, ex quo Rhenanus, *terroribus.* Lipsius.

*Nec ullis deinde tortoribus.*] In exemplari regio legitur, *temporibus.* Lego: *nec ullis deinde terroribus* &c. *Rhenanus.* Flor. *terroribus.* Vulgo, *tortoribus.* Pichena. Sed & mox hic ordo vocum est in exemplari Mediceo *trepidi nuntii Fabio Valenti attul* Jac. Gronovius.

5 *Duas Turingorum cohortes.*] Video *Turinges* librario melius fuisse notos quam Tungros. Sed quia supra dixit; *Non defuisse partem Galliarum, quæ Rhenum accolit, Vitellii partes secutam*; inducor ut credam hic & in sequentibus, *Tungrorum* scribendum, non *Turingorum.* Quod vero de Batavis paulo post deque Transrhenanis meminit, fateor equidem accipiendum de Germanis, qui trans Rhenum colunt. Sed proximis amni, puta Tencteris, Usipiis, Tubantibus, Chamavis, Bructeris, & similibus. Longius vero dissiti Turingi erant; Tacito non commemorati; quos veteres, è quorum numero Sidonius est Apollinaris & Vegetius, non *Turingos*, sed *Toringos* appellant. *Rhenanus.* Muretus hic *Turingorum.* Unde, aut cur, nescio. *Acidalius.*

6 *Ala.*] Quæ ut alibi notamus, complectebatur decem turmas; ut quatuor turmæ & ala constituerent quatuordecim equitum turmas. Ex illis duodecim in hostem missæ, reliquæ data Foro Julii custodia. *Savilius.*

nonii nondum sub signis. Nec mora prœlio: sed [1] acie ita instructa, ut pars classicorum mixtis [2] paganis in colles mari propinquos exsurgeret, quantum inter colles ac litus æqui loci, prætorianus miles expleret, in ipso mari ut annexa classis & pugnæ parata, conversa, & minaci fronte prætenderetur. Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, Alpinos proximis jugis, cohortes densis ordinibus post equitem locant. Treverorum turmæ obtulere se hosti incaute, cum exciperet contra veteranus miles, [3] simul à latere saxis urgeret apta [4] ad jaciendum etiam paganorum manus: qui sparsi inter milites, strenui ignavique in victoria idem audebant. Additus perculsis terror, invecta in terga pugnantium classe. Ita undique clausi. deletæque omnes copiæ forent, ni victorem exercitum attinuisset

15 [5] obscurum noctis, obtentui fugientibus. Nec Vitelliani, quamquam victi, quievere: accitis auxiliis, securum hostem, ac successu rerum socordius agentem invadunt. cæsi vigiles, perrupta castra, trepidatum apud naves; donec sidente paulatim metu, occupato juxta colle defensi, mox irrupere. atrox ibi cædes, & [6] Tungrarum cohortium præfecti, [7] sustentata diu acie, telis obruuntur. Ne Othonianis quidem incruenta victoria fuit, quorum improvide secutos, conversi equites circumvenerunt. Ac velut pactis induciis, [8] ne hinc classis, inde eques subitam formidinem inferrent, Vitelliani retro [9] Antipolim Narbonensis Galliæ municipium; Otho-

1 *Acie ita instructa.*] In hoc conflictu distincte apud Othonem memorantur classici, pagani, Prætoriani, & Classis. Vitellio militant duodecim equitum turmæ, cohors Ligurum, Tungricarum cohortium delectus, quingenti Pannones, & præter eas copias paulo post Alpini; nisi fortassis utroque loco legendum *Alpini*, ut forte Ligures designentur, cum nulla assequar imaginatione, quid hic rei sit Pannonicis. Aut si verum id sit, quod tamen mirum videatur, operæ pretium fuisset scire ex Auctoris descriptione, quomodo illuc fuerint delati, quæ tamen hic deficit. *Idem.*

2 *Paganis.*] Vox hæc in jure magis frequens, quam in cæteris auctoribus, accipitur eo significatu, ut omnes comprehendat, qui milites non sint, à *pagis*, id est, oppidis deducta, qua ratione Persium credibile est *semipaganum* se dixisse. quasi semimilitem se fuisse denotaret, & idcirco non plene poëticam, quæ ars umbratica est, edoctum. Alioquin me non latet, *pagum*, prima origine à fonte dictum, πηγὴ Alciatus. *Pagani* à *pagis* dicti sunt; qui ibi habitant, aut inde sunt oriundi, etiamsi urbes colant, non recepti in civitatem, nullo prope numero, & plebeji. Cic. pro domo: *Nullum in hac urbe collegium, nulli pagani aut montani.* Suetonius Aug. *Pinarium equitem Romanum cum contionante se admissa turba paganorum apud milites subscribere quadam animadvertisset.* Ideoque infr. eod. lib. Prætorianos milites *paganos* appellat, quod Vicani urbem colerent: hic vero demonstrantur *pagorum incolæ.* In libris vero nostris civilibus *Pagani* sunt, non milites: quod unde ductum sit, diximus alibi. *Ferretus.*

3 *Simul à latere saxis urgeret.*] Hæc verba, *à latere saxis urg.* non sunt in volumine Manuscr. nam illic legitur, *Simul altitudo apta ad jacendum*, pro *jaciendum.* Subauditur, & paganorum manus exciperet. *Rhenanus.*

4 *Ad jaciendum paganorum manus.*] Auctior Flor. *ad jaciendum etiam paganorum manus.* De paganis paulo supra dixit; *mixtis paganis.* atque inf. l. 3. *Nisi vinceris pagani.* Pagani autem in bellicis expeditionibus vocabantur ad differentiam militum; id est, omnes qui milites non essent: à pagis, vel oppidis d. Plin. 10. ep. 18. *apud me & milites & pagani, certatim ei testimonium retribuerunt.* Juven. Sat. 6. *citius falsum producere testem contra paganum possis.* l. 14. D. de pœnis: *Quadam delicta pagano, aut nullam aut leviorem pœnam irrogant; militi vero graviorem.* Item ad leg. Falcid. l. ult. *Miles, si dum paganus fecerit testamentum, militia tempore codicillos.* &c. *Pichena.*

5 *Obscurum noctis objectum obtentui fugientibus.*] Participium *objectum* erasimus. De *obtentu* monuimus alibi. *Rhenanus.*

6 *Turingarum cohortium præfecti.*] Scripsimus, *Tungrarum cohort. præ.* Rhenanus. Muretus, *Turingarum.* Unde aut cur nescio. *Acidalius.*

7 *Sustentata quidem diu acie.*] Conjunctionem *quidem* submovimus. *Rhenanus.*

8 *Ne hinc classis, inde eques.*] Sic veteres nostri, *eques.* Vulgati vero, *equites.* Pichena.

9 *Antipolim Narbonensis Galliæ municipium.*] Neminem latet *municipes* cives esse Romanos, ex municipiis, suo jure & legibus suis utentes, muneris tantum cum populo Rom. honorarii participes. A quo munere capessendo appellati videntur,

Othoniani [1] Albingaunum interioris Liguriæ revertere. Corficam ac Sardiniam, ce- 16
terafque proximi maris infulas, fama victricis claffis in partibus Othonis tenuit. Sed
Corficam prope afflixit Decimi Pacarii procuratoris temeritas, tanta mole belli [2] ni-
hil in fummam profutura, ipfi exitiofa. Namque Othonis odio juvare Vitellium
Corforum viribus ftatuit, inani auxilio etiam fi proveniffet. Vocatis principibus
infulæ, confilium aperit: & contradicere aufos Claudium [3] Pirrhicum trierarchum
Liburnicarum ibi navium, Quinctium Certum equitem Romanum, interfici jubet.
quorum morte exterriti qui aderant, fimul ignara & alieni metus focia imperitorum
turba, in verba Vitellii juravere. Sed ubi delectum agere Pacarius, & inconditos
homines fatigare militiæ muneribus occœpit, laborem infolitum perofi, infirmita-
tem fuam reputabant; *infulam effe quam incolerent, & longe Germaniam virefque legio-
num: direptos vaftatofque claffe, etiam quos cohortes alæque protegerent.* Et averfi re-
pente animi: nec tamen aperta vi; aptum tempus infidiis legere. digreffis qui Pa-
carium frequentabant, nudus & auxilii inops, [4] balineis interficitur. trucidati &
comites. Capita, ut hoftium, ipfi interfectores ad Othonem tulere; neque eos
aut Otho præmio affecit, aut punivit Vitellius, in multa colluvie rerum [5] majori-
bus flagitiis permixtos. Aperuerat jam Italiam, bellumque tranfmiferat, ut fupra 17
me-

tur, *nullis aliis neceffitatibus neque ulla pop. Rom. lege adftricti, cum nunquam pop. Rom. fundus eorum factus fit*, ut ait eleganter Agell. 16, 13. Sed fi Tauroëntium, Olbia, Antipolis, Niceaque in Salyum folo exftructæ funt; illoque in littore, unde C. Sextius Salyes, & Deceates & Ligures Alpium maritimarum incolas expulit, cum ex eo facta pop. Rom. regio maritima fit, haud fcio, cur Antipolis municipium a Cornelio appelletur: nifi forte caufa fit hæc, quod Sextius ex littoribus, quæ Maffilia ducunt in Italiam, pulfis Barbaris, relictam ab iis oram Maffilienfibus attribuit, ut auctor eft Strabo lib. 4. Ita non fuit ea pop. Rom. facta, quam purgavit proconful Sextius, nomine focii populi Maffilitani. Cæterum è natione Salyum, Deceatium, Oxybiorumve quofdam fuiffe non hoftiles neceffe eft dicere, qui municipio à proconfule attributi fuerint. Neque enim colonos a Romanis miffos legimus Antipolim, quæ colonia, fi id effet, non municipium diceretur. Minus à Maffilitanis, quibufcum tandem judicio contendens Antipolis, libera ab eorum mandatis facta eft, inquit ille: quod perperam judicatum fuiffet, fi origine fua Maffilienfes attinuiffet. Proinde Galliæ Narbonenfis municipium Cornelio Antipolis dicitur, quod in Narbonenfi hodie quoque fuperfit: olim autem tefte Strabone Italiæ annumerabatur. Quæ cum ita fint, ubi C. Plinius ait, l. 3, 4. *in ora oppidum Latinum Antipolis*, non accipi debet inter Græcas Maffilientium civitates fuiffe Antipolim, quæ Latine loquentes municipes haberet: fed ideo Latinum, quod Italici juris effet. *Vertranius.*

1 *Albingaunum.*] MS. Mediceus *Albigaunum.* Jac. Gronovius.

2 *Nihil in fumma profuturum.*] Malim, *in fummam.* Quodam fupra loco rurfum *in fumma* fcriptum fuit pro, *in fummam*; de quo lectorem admonere fui oblitus. *Rhenanus.* Placet, ut Danefius legebat, *in fummam profutura.* quæ fcriptura non eget exemplo, ut confirmetur. *Urfinus.* Recte in margine, *fummam.* Sed vide verba recte ordines, ut fenfum fatis affequaris. Temeritas nihil profutura *in fummam belli tanta mole*, id eft belli, cujus effet tanta moles. *Acidalius.* Cum libri præferant *in fumma*, alteram lectionem *in fummam* editionis fuæ margini Lipfius adfcripferat: quam recepimus audacter. quod hanc ipfam phrafin tam apud Tacitum, quam alios reperimus. fupra 13, 33. quidam recte legunt, *nihil in fummam pacis proficiebatur.* Livius 31, 37. *In fummam etiam belli profectum fores.* Quintil. lib. 1. *Hoc per fingulos annos prorogatum in fummam proficit.* Quæ loca me dubitare cogunt, etiam in illis Taciti pro *profutura* legendum effe *profectura.* Freinshemius. Videtur fcripfiffe auctor, *tentata mole belli*, utcunque τὸ *tanta* explicet Acidalius. *Gronovius.*

3 *Phirricum trierarchum.*] Forte nomen hominis fuit, *Pyrrhicum.* Idem. Med. *Phirricum*, ut expreffit Pichena. *Jac. Gronovius.*

4 *Balineis interficitur.*] Scriptitabant veteres plerumque, *balineis*, ut hic Florentinus. Vulgo, *balneis.* Pichena.

5 *Majoribus flagitiis permixtos.*] Non quod ipfi majora flagitia feciffent, fed in cumulo aliorum, qui majoribus flagitiis tenebantur, oblivione tranfmiffi. Lib. 16. *Mox Neronem circa fumma fcelera distentum, quafi minores evafere.* Pichena.

1 *Fa-*

memoravimus, ala Syllana, nullo apud quemquam Othonis favore, nec quia Vitellium mallent, sed longa pax ad omne servitium fregerat [1] faciles occupantibus, & melioribus incuriosos. Florentissimum Italiæ latus, quantum [2] inter Padum Alpesque [3] camporum & urbium, armis Vitellii (namque & [4] præmissæ à Cæcina cohortes advenerant) tenebatur. Capta Pannoniorum cohors apud Cremonam. Intercepti centum equites, ac mille classici inter Placentiam Ticinumque; quo successu Vitellianus miles, non jam flumine aut ripis arcebatur. [5] Irritabat quin etiam Batavos Transrhenanosque Padus ipse: [6] quem repente contra Placentiam transgressi, [7] raptis quibusdam exploratoribus, ita ceteros terruere, ut *adesse omnem Cæcinæ*
18 *exercitum* trepidi ac falsi nuntiarent. Certum erat [8] Spurinnæ (is enim Placentiam obtinebat) necdum venisse Cæcinam, & si propinquaret, coërcere intra munimenta militem, nec tris prætorias cohortes, & mille vexillarios cum paucis equitibus, veterano exercitui objicere. Sed [9] indomitus miles, & belli ignarus, correptis

1 *Faciles occupantibus, & melioribus incuriosos.*] Hoc est, de causa non erant solliciti, Othonis, an Vitellii justior: sed tantum prioribus occupantibus inserviebant. *Pichena.* Lego, *melioribus incuriosi sit.* Paratos obvio & invitanti, quum melior nemo esset, aut curam adjungendi eos susciperet. *Gronovius.* Quam lepide potuit hæc adspicere Ryckius! de patre prius agit & positæ ejus opinioni resistit: mox contradicit per repetitionem ipsius explicationis, quam posuit Pichena. Ita nihil ipsius, nisi contumacia adversus patrem, qui negat eam sententiam aut bonam aut Taciti esse, quam putat Pichena. Id probare debuerat non ita se habere: Sed Ryckius alio velum vertit, statuitque procul dubio illum motum esse insolentiore constructione, quam ipse noverat exemplo confirmare, & quod inde vult sequi, ignota erat patri, tanquam qui indicem Freinshemianum nequivisset perinde inspicere, unde sicut inerti studio exemplum id traxit, sic ab malo genio accepit suspicionem mendacissimam de patris motu per constructionem, de quo nihil aperitur in verbis paternis, & totum est de sententia. Quid tamen? an *incuriosi* sunt parum solliciti, ut Ryckius, non solliciti, ut Pichena? Certe sollicitudo & curiositas multum distant. *Jac. Gronovius.*

2 *Inter Padum Alpesque.*] Commemorata nobis Mediolanum, Novara, Eporedia & Vercellæ lib. 1. Aliæ urbes multæ & magnæ quomodo elegerint Vitellii partes, silentio Tacitus præteriit; & tamen illud rei momentum censeo, ut neglectim haberi non mereatur, præsertim quod Cremonam attinet. Plutarchus eo inclinat, ut putet Cremonam inter Alpes & Padum sitam, aliquandiu ab Othonianis occupatam fuisse; & Tacitus hic scribit, *capta Pannoniorum cohors apud Cremonam* à Vitellianis. Illa autem Pannoniorum cohors, quæcunque tandem fuerit, & undecunque eo delata, (Tacitus enim rem conjecturis nubilam relinquit) ab Othone datum videtur urbi præsidium, atque cum ipsa urbe à Vitellianis capta; licet Plutarchi narratio nonnihil variet temporis hic descripti circumstantiam. *Savilius.*

3 *Camporum & urbium est.*] Induximus verbum *est.* Rhenanus.

4 *Præmissæ à Cæcina cohortes.*] 1. Hist. *quia præsidio alæ unius latissima pars Italiæ defendi nequibat, præmissæ Gallorum, Lusitanorum, Britannorumque cohortes,* &c. *Savilius.*

5 *Irritabat Padus ipse.*] Indignati ne quasi ad injectos à Pado obices hærerent, qui magna apud se Rheni aliorumque fluminum spatia equitando transmittere consuerant. Tac. 4. Hist. 12. *Batavi præcipuo nandi studio arma equosque retinentes integris turmis Rhenum perrumpere.* Savilius.

6 *Quem repente contra Placentiam.*] *Repente* adverbium delevimus. nam in volumine Msc. non extat. *Rhenanus.* Deleverat olim Rhenanus adverbium, *repente*, quoniam à suo codice aberat. Ego restitui Florentino & aliis veteribus volentibus. *Pichena.* Muretus inserit, è libro, credo, *repente.* Acidalius.

7 *Rapsis quibusdam exploratoribus.*] Confirmant veteres Msc. verbum *rapsis*, hic magis proprium quasi celeriter captis, & avectis. Male, qui substituunt, *captis.* Pichena.

8 *Spurinnæ.*] Vestricius est Spurinna, egregius dux, & qui ad Taciti medium ævum vixit. Plinii Secundi de eo epistola capienda est, lib. 11. *Heri à Senatu Vestricio Principe auctore, Spurinnæ triumphalis statua decreta est.* quem locum tamen emaculo: *Vestricio Spurinnæ, Principe auctore, triumphalis statua decreta.* Male enim trajecta verba. *Lipsius.*

9 *Indomitus miles & belli ignarus*, Plutarchus scribit, Spurinnam pene à militibus interfectum: qui eum probris exceptum, proditorem vocabant, & principis negotia cunctationibus perdere ajebant. Alii stimulante vino irruperunt de nocte in tentorium ejus, viaticum flagitantes, ut ad Principem

reptis signis vexillisque ruere, & retinenti duci tela intentare, [1] spretis centurionibus tribunisque *providentiam ducis* laudantibus, [2] quin *proditionem*, *& accitum Cæcinam* clamitabant. Fit temeritatis alienæ comes Spurinna, primo coactus, mox velle simulans, quo plus auctoritatis inesset consiliis, si seditio mitesceret. Post- 19
quam [3] in conspectu Padus, & nox appetebat, vallari castra placuit. Is labor ur-

cipem Brixellum profecti, proditionis reum peragerent. *Savilius.*

1 *Spretis centurionibus, tribunisque providentiam ducis laudantibus.*] Non temere soleo glossematum suspiciones admittere. Hæc autem verba, *providentiam ducis laudantibus*, magis magisque suspicor, hic perperam inculcata ex iis, quæ paulo infra subjiciuntur: *inserentib. se centurionibus tribunisque laudari providentiam ducis.* Nam si attendis, fateberis, absurda & aliena hic. An cum milites ita fremerent, tela duci intentarent; centuriones ac tribuni providentiam ducis laudarent? imo potius cogerent; retinerent. Auxit etiam suspicionem, quod in Flor. pro *laudantibus*, sit *laudari*, ut eadem prorsus verba cum sequentibus. At quod Tacitus ait, spretos centuriones ac tribunos, cave intelligas, spretos, dum militibus se opponerent: sed interpretor, milites nihil illorum ductum moratos, sed ipsos sibimet itineris duces fuisse. *Pichena.* Pedibus descendo in sententiam Pichenæ, putantis posteriores voces tres heic esse à glossa, inculcatas ex iis, quæ paulo post subjiciuntur. Sed & amplius addo; idem dicendum videri de tribus verbis reliquis. certe spretos centuriones tribunosque, quid monere opus militibus vim intentantibus summo etiam duci? *Gruterus.*

2 *Qui pro Othone.*] Mercerus ingeniose: *quin proditione accitum:* quasi id crimen Spurinnæ objecerint, ut est in Plutarcho. *Lipsius.*

*Qui pro Othone & accitum Cæcinam.*] Fortasse legendum, *quin pro Othone etiam accitum Cæcinam.* Rhenanus. Danesius legebat: *Quin pro Othone etiam* &c. *Ursinus.* Corruptum est; minima mutatione restitues, *quin proditione accitum Cæcinam clamitabant.* Sane in proditionis crimen vocatum Spurinnam à milite diserte scribit Plutarchus. *Mercerus.* Quod olim de proditionis voce divinaveram, non longe abest à Merceri conjectura. Is enim legit, *Quin proditione acc.* &c. Ego, *quin proditionem & accitum* &c. quod à vulgata scriptura minus aberrat, & cum Flor. magis congruit, qui habet, *p Othonem & accitum* &c. *Pichena.* Non emaculat locum solum illud mutatum *quin*, quod margini apposuerunt. Majus ulcus est, quod absque sectione non curabitur. Resecanda enim illa, *providentiam ducis laudantibus*, turpiter inculcata ex interiori isto loco. Scribe igitur, *Spretis centurionibus tribunisque, qui pro Othone, & accitum Cæcinam* &c. Quæ ejecimus verba, Muretus etiam subduxerat, ejicienda an ipse ratus nescio. Ea quidem nota illi solet esse, delendi vel mutandi. Sed idem & *quin* mutaverat. quod ejectis illis locum non habet. Unde tollenda censuisse vix crediderim. *Acidalius.* Egregio mendacio nonnunquam res fere perditæ in integrum restituuntur: quamobrem Tullus Albanorum perfidia cognita, dicto *nihil trepidatione opus esse, suo jussu circumdare Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga invadat*, Liv. l. 1. metum a suis vertit in Fidenates. Ad eundem modum centuriones tribunique, milites sedatum eunt, qui temere in prælium ruebant; opus non esse (ajunt) pugna, non festinatione: quod Cæcina Vitellii desertor, jamque Othonianus adventaret. Hæc ex vulgatis, ut verba militum sint certam sibi victoriam spondentium, quod hostium dux desertor foret. Pichena *Quin proditionem, & accitum*, & verba illa *providentiam ducis laudantibus* abjicit: sed de eo libenter quæsierim, num hæc, *Sed indomitus miles*, &c. ita interpretari valeant, ut Spurinna prius per centuriones & tribunos milites continere studeat, quibus spretis se ipsum iis opponat unde sibi tela intententur. *Salinerius.* Vulgo, *quin pro Othone.* unde lectionem ingeniose restituit Pichena, Merceri etiam conjectura eo tendente. *Freinshemius.* Equidem satis & multa & ingeniosa. Sed apponi debet specimen Ryckiani acuminis: quippe posita codicis Flor. & sui lectione *qui pro Othone & acc.* addit inde (forte „propius, *quin pro Othone & accitum Cæcinam clamitabant*, ut sit sensus; tam parum memores „sacramenti, quo Othoni obstricti essent, ut Cæ„cinam ultro accivissent. & pro etiam) Nescio utrum nos fallere voluerit, an se fefellerit: nam Pichena clare testatur in Flor. legi *Othonem.* Deinde quid nisi recoctum præbet Danesii, ut protulit Ursinus? Nec aliud Rhenani. Potuit igitur illa sua continere. Sed quid aliud innuit codex Mediceus, quam *qui prope Othonem & accitum Cæc. cl.* Sunt hi stimuli ad coercendum temerarium exitum ex urbe propter amorem pugnæ, quia prætexunt in vicinia esse suum Othonem, & fore Cæcinam, utpote accitum ab proditoribus, ut satietas præliorum cito sit illos intratura. *Jac. Gronovius.*

3 *In conspectu Padus & nox apparebat.*] Vix me contineo, quin ultimam vocem furcillis hinc præcipi-

urbano militi insolitus[1] contudit animos. [2] Tum vecordissimus quisque castigare *credulitatem suam*, *metum ac discrimen* ostendere, *si cum exercitu Cæcina*, *patentibus campis*, *tam paucas cohortes circumfudisset*. Jamque totis castris modesti sermones, & inserentibus se centurionibus tribunisque, [3] laudari *providentia ducis*; *quod coloniam virium & opum validam*, [4] *robur ac sedem bello legisset*. Ipse postremo Spurinna non tam culpam exprobrans, [5] quam ratione ostendens, relictis exploratoribus, ceteros Placentiam reduxit, minus turbidos, & imperia accipientes. Solidati muri, propugnacula addita, auctæ turres, provisa parataque non arma modo, sed obsequium & parendi amor, quod solum illis partibus defuit, cum virtutis haud pœniteret.

20 At Cæcina, velut relicta post Alpes sævitia ac licentia, modesto agmine per Italiam incessit. Ornatum ipsius, municipia & coloniæ in superbiam trahebant: quod ver-

cipitem agam, non esse à Tacito, vociferatur contextus orationis. *Gruterus.*

1 *Contudit animos.*] In volumine regio est, *contundet.* Rhenanus. In Flor. *contundit.* *J. Gron.*

2 *Tum vetustissimus quisque.*] Vulgata ante lectio, *tum mæstissimus quisque.* ex quo Rhenanus illud *vetustissimus* extrudit: ego malim *modestissimus.* Lipsius.

*Tum mæstissimus quisque.*] Emendavi, *vetustissimus quisque.* Intelligit diu meritos. Sic lib. 5. dixit *vetustissimos familiarum.* Et infra *vetustissimum consularium.* Item *vetustatem stipendiorum.* Rhenanus. Non abnuerim cum Lipsio potius ex veteri lectione *modestissimus* rescribere. Ceterum inserenda etiam videatur talis aliqua vocula. *aliis metum ac discrimen ostendere.* Quanquam cum sequentia diligentius cum his confero, videtur etiam mihi hic transpositio facta: Ordo certe hic magis arriserit: *Tum vetustissimus quisque castigare credulitatem suam: jamque totis castris modesti sermones, inserentib. se centur. tribunisque, laudare providentiam ducis. quod coloniam virium & opum validam robur ac sedem bello legisset, metum ac discrimen ostendere, si cum* &c. *circumfudisset.* Inserunt se laudare,. Tac. phrasis infra: *pleraque municipia & coloniæ æmulabantur corruptissimum quemque adolescentum precio allicere.* Acidalius. Vulgata antea lectio; *mæstissimus:* ex quo Rhenanus, *vetustissimus*, extulit. Lipsius malit *modestissimus.* In tanta conjiciendi licentia meam opinionem prætuli, *inertissimus*, quam adeo & scripturæ priori, & vero sensui convenientem judicavit Socer meus, ut in textum recipiendam putaret. *Freinshemius.* Opinor amori erga generum indulsisse doctissimum Berneggerum, ut ita ingenium ejus sustineret venditare pro Tacito, præsertim quum re bene inspecta pateat, ut bene Ryckius, sensui non convenire, ut id tolerari in contextu non debeat, præsertim adeo procul evagatum ab vetere scriptura. Sed neque intelligi hic potest fortissimus, de quo tamen aperte idem pronuntiat, quod est penitus laudabile, quum hic miles ab auctore descriptus sit indomitus & belli ignarus ac temeritati deditus. Est certe in promptu aliquid mitius, quum illud *vetustissimus* ortum sit ex corruptela secundæ syllabæ quoquo modo orta, & corrigi debuisset *vecordissimus.* Hoc vocabulum Taciti; hoc exprimit indolem istius militum copiæ; in hoc credidi idem mihi licere, quod sibi in vano tribuebat Berneggerus; ut mirer id viris doctissimis non venisse in mentem, quum vox ista olim Rhenani, post Acidalii, denique Ryckii *vetustissimus* nullum habeat locum. Tales vecordes iterum videas cap. 23. *Jac. Gronovius.*

1 *Laudari providentiam ducis.*] Ita in Flor. quod mihi magis probatur, quam ut vulgo *laudare.* Intelligitur enim, non à centurionibus tribunisque tantum laudari, sed etiam ab ipsis militibus. *Pichena.* Cum in edit. principe restet, *laudari*; accedo Pichenæ, lectionem illam reponenti. *Gruterus.* Ipsa sermonis ratio exigit *laudare.* quod & ipsum tam ad militem quam centuriones tribunosque pertinet. *Freinshemius.* Ego sermonis rationem exigere τὸ *laudare* non censeo, nisi fiat: *& inserentes se centuriones tribunique laudare.* Sed mitior in promptu cura est: nec parvi momenti, quod & hic & supra Florentinus *laudari.* Assentior autem omnino Pichenæ priori loco eas voces male inculcatas: non quod ineptum ibi sensum faciant: cur enim non & retinere simul militem & paucis consilium ducis probare possent? sed quia non tam inops verborum Tacitus. Hic autem scripsisse auctorem certum habeo: *& inserentibus se centurionibus tribunisque laudari providentia ducis.* quod est, laudabatur, nempe ab utroque genere. *Gronovius.*

2 *Robur ac cedem bello legisset.*] Quod hic male se habet, cum in melius mutare non possim, videndum, an non magis cohæreat legere, *robur ac sedem bello legisset.* Hoc tamen nescio an cæteris, mihi ipsi certe non satisfacit. *Vertranius.* Videtur scribendum, *robur ac sedem bello.* Ursinus.

3 *Quam ratione ostendens.*] Nos, *quam ratione*

versicolore sagulo, [1] braccas [2] barbarum tegmen indutus, togatos alloqueretur. Uxorem quoque ejus Saloninam, quamquam in nullius injuriam insigni equo ostroque veheretur, tamquam læsi gravabantur: [3] insita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere; modumque fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre. Cæcina Padum transgressus, tentata Othonianorum fide per colloquium & promissa, iisdem petitus, postquam pax & concordia speciosis & irritis nominibus jactata sunt; consilia curasque in oppugnationem Placentiæ magno terrore vertit: [4] gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore. Sed 21
primus dies, impetu magis quam veterani exercitus artibus, transactus: aperti incautique muros subiere, cibo vinoque prægraves. In eo certamine, pulcherrimum amphitheatri opus, situm extra muros, conflagravit: sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces & glandes [5] ac missilem ignem in obsessos jaculantur; sive ab obsessis, [6] dum regerunt. Municipale vulgus pronum ad suspiciones, fraude illata ignis alimenta credidit, [7] à quibusdam & vicinis coloniis; [8] invidiæ æmulatione, quod

*ne attendens.* Rhenanus. Nescio an melius, *oratione.* Acidalius.

1 *Braccas tegmen barbarum* &c.] Apparuit *Braccas* esse vestem; nam quas vulgo *Braccas* hodie appellamus, Latini dixerunt *feminalia*, à feminibus. Tranquillus Aug. *Ferretus.* Ex hoc loco potes colligere differre togam à sago. nam toga vestis erat pacis index, sagum vero belli, teste Nonio, Martialis, *Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?* Virgil. *Virgatis lucent sagulis.* Braccæ auctore Diodoro in 6. sunt vestes intonsæ varii coloris, à quibus dicta Gallia braccata, quæ, teste Plinio, Narbonensis quoque dicta est. Neque vero soli Galli braccis usi sunt, sed Scythæ & Sarmatæ. Ovidius de Scythis loquens, *Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.* Pomponius de Sarmatis l. 2. 1. *Braccati sunt totum corpus Sarmata, & nisi qua vident, etiam ora vestiti.* Lucanus lib. 1. de Vangionibus loquens, *& qui te laxis imitatur Sarmata braccis.* Lupanus.

2 *Barbarum tegmen.*] Hoc ordine voces eæ leguntur in MS. quem existimo sancte retinendum, ut nunc feci, miratus aliorum licentiam. Quin etiam scriptum illic est *versicoloris sagulo*, ut significet auctorem dedisse *versicolori sag.* Moa etiam non legitur *Uxorem quoque ejus*, sed *uxorem aü ejus*, pro *autem*, quod nemo sanus potest mutare. *Jac. Gronovius.*

3 *Insita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere.*] Vere hic morbus in nostris animis: nec nescivit Æmilius Probus, sive Nepos, in Chabria. *Est hoc commune vitium*, inquit, *magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit: & libenter de his detrahant, quos emergere videant altius: neque animo æquo pauperes alienam opulentum intueantur fortunam.* Lipsius.

*Insita mortalibus natura.*] Lipsius & hic, & alibi, pro, *insita*, substituit, *insito.* cujus mutationis nulla, quod videam, causa. Intelligo enim, *insita natura*, sexto casu, id est, propter insitam mortalibus naturam. Sic lib. præced. *insita mortalibus natura, propere sequi, quæ piget inchoare.* infra lib. 4. *Insita ignavia & trepidis ministris.* Pichena.

4 *Gnarus, ut initia belli.*] Sententia eadem in Agric. *Non ignarus, instandum famæ, ac prout prima cessissent, fore universa.* Acidalius.

5 *Ac missilem ignem.*] Ita nos: alii &. Rhenanus.

6 *Dum regerunt.*] Exemplar Matthiæ Corvini; *dum reportans gerunt.* Suspicor scribendum *dum reperta transgerunt.* Rhenanus. Suspectum mihi verbum, *regerunt*, magis conjectura, ut arbitror, repositum, quam à libris. Flor. enim habet, *dum reportans gerunt.* idemque asserit Rhenanus legi in alio vetere libro. Mihi satis fuit suspicionem indicare. *Pichena.* Est igitur hic nodus, in quo despondent viri docti, nihil adjuvantes, quum tamen opem ipsorum jam ab principio inclamaverit codex Budensis ore Rhenani, quem mox adjuvit Mediceus per gratiam Pichenæ. Sed neque Ryckius quidquam, nisi quod interpolationem sui codicis publicat, quum tamen conatus fuerim eum eacitare per exemplar Oxoniense, cui tunc indulgebam, sed patet similiter in eo interpolatria manus. Budensis & Mediceus debent succurrere, quod etiam ab illis fieri auguror, quum clare suppeditent *dum retorta ingerunt.* Nihil hæc correctio discedit ab scriptis. Eadem plane narrandi ratio 3. hist. 70. Ceterum legit MS. Medic. *& glandes & missilem ignem*, non *ac.* Jac. Gronovius.

7 *A quibusdam è vicinis coloniis, invidia æmulatione.*] In eacmplari Matth. Corvini legitur, *& quibusdam vicinis coloniis invidia æmulatione.* Subauditur existente. Nam dandi casu dictum est, *quibusdam vicinis coloniis*, hoc est, quum quædam vici-

quod nulla in Italia moles tam capax foret. [1] quocunque casu acciderat, dum atrociora metuebantur, in levi habitum: reddita securitate, tamquam nihil gravius pati potuissent, mærebant. Ceterum multo suorum cruore pulsus Cæcina. & [2] nox parandis operibus absumpta. Vitelliani [3] pluteos cratesque & vineas suffodiendis muris, protegendisque oppugnatoribus; Othoniani sudes & immensas lapidum ac plumbi ærisque moles, [4] perfringendis obruendisque hostibus expediunt. [5] Utrimque pudor, utrimque gloria, & diversæ exhortationes. hinc *legionum & Germanici exercitus robur*; inde *urbanæ militiæ*, & *prætoriarum cohortium decus* attollentium. *illi ut segnem ac desidem*, & *circo ac theatris corruptum militem*; hi *peregrinum & externum* increpabant. simul Othonem, ac Vitellium, [6] celebrantes culpantesve, uberioribus inter se probris, quam laudibus stimulabantur.
22 Vixdum orto die, plena propugnatoribus mœnia: fulgentes armis virisque campi, [7] densum legionum agmen, sparsa auxiliorum manus, altiora murorum sagittis aut saxis incessere; neglecta aut ævo fluxa cominus aggredi. ingerunt desuper Othoniani pila, [8] librato magis & certo

vicinæ coloniæ haberent invidiæ æmulationem. Sensus est: Non solum ob fraudem, verum etiam propter invidiæ æmulationem. itaque sic emendavimus. *Rhenanus.* Videtur legendus hic locus ex veteri codice adjuto conjectura ex parte aliqua ita; *à quibusdam è vicinis colonis invidia & æmulatione.* Nam illa, *à quibusdam è vicinis* V. C. suppeditavit. Cetera nituntur conjectura. *Ursinus.* Addidi præpositionem, è, meis libris auctoribus. quod rectius est. Intelligit enim, à quibusdam hominibus ex coloniis vicinis. Dein Muretus correxit; *invidia & æmulatione*, verius quam, *invidiæ æmulatione*, ut in vulgatis. Sic infra lib. eod. in fine: *æmulatione invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur.* & lib. seq. *Tanquam invidia & æmulatione fortunam fratris moraretur.* Pichena. Malim legere cum Mureto: *à quibusdam è vicinis coloniis, invidia & æmulatione.* Sic enim disjungere solet. 1. hist. *Unde æmulatio & invidia, & uno amne discretis connexum odium.* Sic & hoc l. extremo. *Acidalius.* Nimis quidem hæc suavia. Tanquam non quod Justinus in præfatione dixit *obtrectationis invidia*, Valerius Maximus 5, 3, 2. dixisset *invidia & obtrectatio.* Quasi non quum Cicero in Bruto dicat *abest ab obtrectatione invidiæ*, Lambinus quoque vellat & reponat *ab obtrectatione invidiaque*, ut sane scribit quoque Livius 30, 20. Sic quum Cl. Grævius aperuisset restitutionem in Cicer. lib. 1. Offic. cap. 17. *Sanguinis autem conjunctio benevolentiâ devincit homines & caritate*, nonne mox apponit ex Amicitia cap. 9. *benevolentiæ caritatem.* Ne auferamus antiquis hoc arbitrii genus & hanc libertatem. Sed & in præcedentibus retinui priscam Medicei codicis lectionem integram. Colonias enim ipsas accusat & solæ accusari possunt ex fomite criminis, quem statim memorat. Nulla colonia habebat tam capacem molem. unde invidia non poterat cadere in quosdam e coloniis, sed in ipsas colonias, & gravissime in vicinas. *Jac. Gronovius.*

8 *Invidiæ æmulatione.*] Muretus, *invidia & æmulatione.* Lipsius.

1 *Quocunque casu accidit.*] Codex regius *accidat.* Scripsimus, *acciderat.* Rhenanus. Flor. & Ven. *accidit.* Pichena. Sed omnino Flor. habet *accidat.* Jac. Gronovius.

2 *Nox parandis operibus assumpta.*] Hic fortasse melius à Mureto legitur, *absumpta.* Sic in vita Agr. *Sequens hyems saluberrimis consiliis absumpta.* Pichena. Accesserim Mureto, qui legit *absumpta*, Pichena quoque eam opinionem probante. nam omnia tam præcedentia quam sequentia hoc suadent. *Freinshemius.*

3 *Pluteos.*] *Pluteus*, inquit Vegetius 4, 15. machina quædam bellica est moveri apta, *contexta ad similitudinem absidis, & ciliciis, vel coriis tecta, quam obsidentes applicant muris, ejusque munitione protecti sagittis sive fundis vel missilibus defensores de propugnaculis exturbant, ut scalis adscendendi facilior præstetur occasio.* *Vinea* ex Vegetii ibidem descriptione & Lucan. libro 3. fabrica erat ex ligno aut cratibus terra superingesta, *sub qua subsidentes tuti ad subruenda murorum penetrant fundamenta.* Crates cum alterutro idem est, aut saltem eodem pertinet. *Savilius.*

4 *Perfringendis operibus.*] Dativus *operibus* non est in codice Regio; nam subauditur, vel similis alius puta *munimentis.* Rhenanus. Non etiam agnoscit Flor. unde expuli. *Jac. Gronovius.*

5 *Utrinque pudor, utrinque gloria.*] Pudor si vincerentur, gloria si vincerent. *Savilius.*

6 *Celebrantes culpantesve.*] Ita Floren. ac Ven. Vulgo, *culpantesque.* Pichena.

7 *Densum legionum agmen.*] Et tamen unicam tantum legionem habuit Cæcina, quæ *undevicesima Rapax*, ut ego quidem locum interpretor. *Savilius.*

8 *Librato magis & certo ictu.*] *Magna* legitur in

certo ictu, adversus temere subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci, & more patrio, nudis corporibus, super humeros scuta quatientium. Legionarius pluteis & cratibus tectus subruit muros, instruit aggerem, molitur portas. Contra prætoriani dispositos ad id ipsum molares, ingenti pondere ac fragore, provolvunt. pars subeuntium obruti: pars confixi, [1] & exsangues aut laceri, cum augeret stragem trepidatio, eoque acrius è mœnibus vulnerarentur, rediere, infracta partium fama. [2] Et Cæcina, fama & pudore cœptæ temere oppugnationis, ne irrisus ac vanus iisdem castris assideret, trajecto rursus Pado, [3] Cremonam petere intendit. [4] Tradidere sese abeunti Turullius Cerialis, cum compluribus classicis; & Julius Briganticus, cum paucis equitum: hic præfectus alæ, in Batavis genitus; ille primipilaris, & Cæcinæ haud alienus, quod ordines in Germania duxerat. Spurinna, 23
com-

in codice regio. *Rhenanus.* His consona sunt 3. histor. *Majore Flavianorum pernicie, in quos tela desuper librabantur.* Dissentit Quadrigarius Gell. 9. 5. *Sagittarius cum funditore utrinque summo studio spargunt fortissime, sed sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas, hoc interest; nam neutrum potest deorsum versum recte mitti, sed sursum utrumque optime: quare milites Metelli sauciabantur multo minus, & quod maxime opus erat, à pinnis hostes defendebant.* Verum ille de sagittis & lapidibus fundis excussis, quæ nimio impetu in præceps non recte feruntur: noster de pilis & telis, quæ manu jaciuntur. Virgil. l. 9. *Ecce aliud summa telum librabat ab aure.* *Ingerunt desuper Othoniani pila.* Et *in quos tela desuper librabantur.* Quorumque jactus quanquam desuper: patitur moderamen. Liv. l. 1. *præter virtutem locus quoque superior adjuvit, ut pila omnia hastaque non (tanquam ex æquo missa) vana ut plerumque fit, caderent: sed omnia librata ponderibus figerentur.* Non eo tamen inficias, teli nomine sagittas etiam contineri. Cajus l. 233. D. de verb. signif. *telum vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur.* Et *quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine τόξευμα vocatur, apud nos autem communi nomine, & telum appellatur.* Sed hoc in Cornelii loco, ubi discriminandi gratia adjecit, *librabantur.* Salinerius.

1 *Et exangues ac laceri.*] Manuscr. exemplar habet *ait.* Reposuimus, *& exangues aut laceri.* Item, *Et Julius Briganticus.* Rhenanus.

2 *Fama & pudore.*] Lego, *fame.* Duplex enim caussa abscessus, Fames & pudor irriti cœpti. *Lipsius.*

*Et Cæcina, fama & pudore cœpta oppugnationis.*] Lipsius legit, *fame & pudore.* Unde obsecro Cæcinæ fames? Ajo delendas voculas *fama &*, repetitas temere, cum nullo pene intervallo eædem præcessissent: *Infracta partium fama.* *Et Cæcina* &c. Lege igitur: *Et Cæcina pudore cœpta temere oppugnationis.* Acidalius. Emendat Vir Doctiss. *fame*, atque hanc inter causas abeundi Cæcinæ fuisse asserit. At vereor, ut florentissimum Italiæ latus (sic appellat Tacitus sup. c. 17.) nullis adhuc belli cladibus accisum, copias non suffecerit exercitui. ergo malim legere: *Et Cæcina jam ira & pudore.* Ira & pudor in ejusmodi infortuniis indivisi fere comites. *Freinshemius.* Lipsius reponit; *fame*, & hanc quoque causam abscessus dicit. Sed contra Taciti mentem, qui paulo post se ipse explicat; *ne vanus irrisusque iisdem castris adsideret.* Recte se habet lectio vulgata. *Fama* qua apud alios lacerabantur; quam meliorem excitare se non posse intelligebat, nisi aliis alibi felicius tentatis; *pudore*, quo in suo ipse judicio, quotiens inspiceret hæc loca, subeunte irriti conatus memoria, gravis sibi molestusque erat. *Boxhornius.* Forte: *Et Cæcina damno & pudore cœpta temere oppugnationis.* Justinus lib. 2. *amissis octoginta millibus hominum trepidus refugit, quæ jactura inter damna numerata non est.* Gronovius. Ryckius ut solet notat interpolationem sui codicis; & lectionem Medicei, addens non fore ut id moneret, nisi offendisset plerosque repetita paulo ante posita vox. Debuisset addere, an non juste ac merito; & quid ipse de tali offensione existimaret. Nam certe satis erat famam dixisse semel. Jam vero quid donat fidei Medicei! Opinor nihil, & idcirco Tacitum ignorat; certe satius fuerat eum abegisse ab notitia tam sancti exemplaris. Utique vel paternum vel Freinshemiano proximum *Cæcina jam pudore* aut simile præstat, absurdo illi & interpolato *fama & pudore*, quum fama & pudor in hoc negotio ad idem coeant. *Jac. Gronovius.*

3 *Cremonam petere intendit.*] Vel vox *intendit*, vel altera, *petere*, salva sententia tolli poterat. *Gruterus.*

4 *Tradidere se abeunti Turullius Cerealis.*] Ut penitiori lector cognitione frueretur, utile fuisset addidisse, à Spurinna defecissent an à Gallo aliove quopiam, & quæ istuc fortuna detulisset. *Savilius.* Ingeminat sic Flor. *sese.* Vulgo tantum *se.* Pichena.

comperto itinere hostium; defensam Placentiam, quæque acta, & quid Cæcina pararet, Annium Gallum per literas docet. Gallus legionem primam in auxilium Placentiæ ducebat, diffisus paucitati cohortium, ne longius obsidium, & vim Germanici exercitus parum tolerarent: ubi pulsum Cæcinam pergere Cremonam accepit, ægre coërcitam legionem, & pugnandi ardore usque ad seditionem progressam, [1] Bedriaci sistit. Inter Veronam Cremonamque situs est vicus duabus jam Romanis cladibus [2] notus, infaustusque. Iisdem diebus, à Martio Macro haud procul Cremona prospere pugnatum. namque promptus animi Martius transvectos navibus gladiatores, in adversam Papi ripam, repente effudit. Turbata ibi Vitellianorum auxilia, & ceteris Cremonam fugientibus, cæsi qui restiterant. sed repressus vincentium impetus, ne [3] novis subsidiis firmati hostes, fortunam prælii mutarent. Suspectum id Othonianis fuit, [4] omnia quæcunque facta, prave æstimantibus. Certatim, ut quisque animo ignavus, procax ore, Annium Gallum, & Suetonium Paulinum, & Marium Celsum (nam eos Otho quoque præfecerat) variis criminibus incesserant. Acerrima seditionum ac discordiæ incitamenta, interfectores Galbæ, [5] scelere

1 *Bedriaci.*] Vicus parvus, sed duabus Romanis cladibus insignis, nec indignior cujus verum nomen norimus, quam Cannæ aut Philippi. Vulgo *Bebriacum* appellant, atque ita Juvenalis libri,

*Bebriaci in campo spolium adfectare Palati.*

At sincerus ille Vatic. *Bedriacum*, semper, quomodo & in Clariss. Sambuci scripto codice exstare cognovi, cum strictim eum Viennæ vidissem. In vetustis Suetonii libris *Betriacum* dicitur: sicut & in Plutarcho, Βητριακὸν, πολίχνη πλησίον Κρεμώνης. Juvenalis interpres quam nugatur, qui vicum hunc Campaniæ facit! in Sat. III. *Othonem*, inquit, *bello civili Vitellius vicit apud Bebriacum Campaniæ.* Atqui noster clare: *Inter Cremonam Veronamque situs est is vicus.* & ipse Scholiastes mox fatetur. Corrupta ea verba igitur, & scripsit: *apud Bedriaci campum.* Manifesto enim allusit Juvenalis sui versum,

*Bedriaci campo spolium affectare Palati.*

Quod autem adtexitur: *Herum bellum Cornelius scripsit & Pompejus Planta, qui ait Bebriacum vicum esse à Cremona vicesimo lapide.* Sane Cornelium hunc nostrum intelligit: Pompejus ille quis fit, nondum repperi. *Lipsius.* His pater meus adscripsit in editione maxima: *Reines. in Epist.* 27. *p.* 113. ubi ille doctus vir indicat Lipsio, ubi Planta iste Pompejus quærendus fuisset. *Jac. Gronovius.*

*Bedriaci sistit.*] Forte ut adventantes è Dalmatia Pannoniaque legiones exciperent, quæ, si ullæ fuerint, Gallo se junxerunt, ducibus fors Paullino & Celso. *Savilius.* De hoc loci nomine multa prolata sunt, etiam ab Cl. Ryckio. Sed nunc apponi meretur hoc Ravennatis Geographi in lib. 4. ubi hoc ordine procedit: *Cremona, Arialita, Verona, Brediaco, Mantoa,* ut pateat varios varie pronunciavisse, lingua huc illuc prona. *Jac. Gronovius.*

2 *Notus infaustusque.*] Per utramque cladem intelligit duo prælia, alterum inter Othonem & Vitellium, quod hoc libro exequitur; alterum inter Vitellianos & Flavianos, cui sequens liber destinatur, & plerumque sumpto ex re nomine *Cremonensis prælii* venit; quod sub Cremonæ tum muris fuerit pugnatum, vicesimo à Bedriaco lapide, etsi initia velitationum inciderint in octavum circiter à Bedriaco lapide 3. histor. Priorque conflictus evenerit longe à Bedriaco, *immensum id spatium*, inquit Tacitus, & verisimilitudo si non fallit, multa milliaria complexum, ut alibi planius discutietur. *Savilius.*

3 *Novis subsidiis firmati.*] Scripsi ex Florent. *subsidiis.* Vulgo, *præsidiis.* Pichena.

4 *Omnia quæcumque.*] Rarum hoc apud Latinos. *Ferretus.* Quomodo locuta omnis antiquitas. & Græci eodem modo πάνθ᾽ ὅσα. Mercerus. Inepta lectio, quam ita restituere tentem, *omnia ducum facta. Ducum* illud facile ita corrumpi potuit, ut deleta vi temporis literæ *d* in altum tendenti virgula, alia ex inferiori linea literam contingens, formam hanc *q*, efficeret. quæ res viam struxerit accedenti postea particulæ *que.* Freinsh. MS. Medic. habet *quecũ*, quod valde accedit ad Freinshemianum & hoc probat Ryckius. Lipsius primis editionibus in margine allidebat *a quocunque.* Modo non scripserit Tacitus *quorum quorum*, prout toties apud eum legitur *quoque.* Forsan enim ipsius Martii hæc tessera non fuit, sed vel tribunorum vel centurionum aliorumque præfectorum, qui in re præsenti erant. *Jac. Gronov.*

5 *Scelere & metu vecordes.*] Metu scil. ne in Vitellianorum manus inciderent, pœnasque luerent. *Pichena.*

lere & metu vecordes, miscere cuncta, modo palam turbidis vocibus, modo [1] occultis ad Othonem litteris. qui humillimo cuique credulus, bonos metuens, trepidabat; rebus prosperis incertus, & inter adversa melior. Igitur [2] Titianum fratrem accitum, bello præposuit. Interea, Paulini & Celsi ductu, res egregiæ gestæ. Angebant Cæcinam nequidquam omnia cœpta, & senescens exercitus sui fama. 24
pulsus Placentia, cæsis nuper auxiliis, etiam per concursum exploratorum, crebra magis quam digna memoratu prœlia, inferior; propinquante Fabio Valente, ne omne belli decus illuc concederet, reciperare gloriam, avidius quam consultius, properabat. [3] Ad duodecimum à Cremona, locus Castorum vocatur, ferocissimos auxiliarium [4] imminentibus viæ lucis occultos componit. equites [5] *procedere longius jussi, & irr tato prœlio sponte refugi, festinationem sequentium elicere, donec insidiæ coorirentur.* Proditum id Othonianis ducibus. & curam peditum Paulinus, equitum Celsus, sumpsere. Tertiædecimæ legionis vexillum, quatuor auxiliorum cohortes, & quingenti equites in sinistro locantur. aggerem viæ [6] tres prætoriæ cohortes, artis ordinibus obtinuere: [7] dextra fronte prima legio incessit, [8] cum duabus auxiliari-

1 *Occultis ad Othonem litteris.*] Quibus litteris duces suos accusabant. *Idem.*

2 *Titianum fratrem accitum.*] Hanc præfectorum mutationem Plutarchus, magis ex vero post prælium *ad Castoris* recenset, τῆς νίκης (illam *ad Castoris* intelligit) οὐκ ἐπιεικῶς ἀγαπηθείσης κακίᾳ τῶν στρατηγῶν, ἔπεμψεν Ὄθων Τιτιανὸν ἐπὶ τὰ στρατόπεδα, καὶ Πρόκλον τὸν ἔπαρχον. i. *cum illa victoria non satis uteretur ducum ignavia. Otho Titianum mittit ad exercitum, & Proculum prætoriano militi præfectum.* Et sane non ita levis mutatio est, ut causam dederit inertia infimi hominis, præsertim cum videas Macrum, culpæ auctorem, loco suo non dejectum, & Paullinum ac Celsum, qui uterque grande momentum reip. ex alieno crimine quodammodo gratia multatu, si Tacitum sequimur. Jam vero post errorem quocunque tandem modo commissum, allegatos Brixello Romam, tantis locorum spatiis divisam, qui Titianum accerserent, ibi tum agentem, ut ex verbis sub finem libri primi constat, & in Bedriacensi consultatione sisterent, mirum forte illis videatur, qui ad animum revocarint medium, quod inter Othonis ex Roma cum exercitu egressum, ejusque mortem effluxit, tempus non excedere viginti quatuor dies, & fortasse pauciores complecti. *Savilius.*

3 *Locus Castorum.*] Recte, non *castrorum.* Suetonius eumpse locum, *ad Castoris* dixit: Orosius lib. VII. *circa locum quem Castores vocant,* Lipsius.

*Ad XII. à Cremona locus Castorum vocatur.*] Orosius *Castoris* eum vocari auctor est. *Alciatus.* Locus hic *ad Castoris* duodecim milliaribus (inquit auctor) à Cremona distat, Cæcinæ castris, ut opinor, occupatus, à Bedriaco minimum octo, ubi tendebat Paulini & Celsi miles, ad intervalli tamen medium hic mutuo se occursu excipiunt. Gallus, ut videtur, regressus erat curando ex lapsu vulneri, aut saltem, cum in prælii hic descriptione nusquam se offerat, relictus castrorum custodiæ; ut tempore Bedriacensis pugnæ, de qua postea. *Savilius.*

4 *Imminentib. via lucis imponit.*] Nos, *eminentib. via lucis componit.* Rhenanus. Flor. *componit.* Vulgo, *imponit.* Pichena.

5 *Procedere longius jussit, & irritato prælio sponte refugere.*] Corruptum locum sic restituimus, *pr. longius jussi, & irritato pr. sponte refugi, festinationem sequentium elicere*; subauditur, *jussi sunt.* Mox illic legitur, *altis ordinib. obtinuere.* Rhenanus.

6 *Tres prætoria cohortes.*] Quinque prætorias cohortes Gallus & Spurinna ducebant. Tacit. Earum tres Spurinna secum habebat Placentiæ, tres alias hic in castris Gallus, ut numerus, una superante non constet. Sed excusando errori id dabimus, quod non procul abesset Otho ex aliis suppleturus Prætorianæ cohortis defectum. *Savilius.*

7 *Dextra fronte.*] Quæ hic frons dextra? haud satis capio, & rescribo: *Aggerem viæ tres prætoria cohortes obtinuere dextra. A fronte, prima legio incessit.* Lipsius.

*Dextra fronte.*] Optime pro loci oportunitate copiarum dispositio, quam etiam Primus Antonius æmulatus est 3. hist. 21. frons autem cornibus etiam assignatur. Liv. lib. 6. *Ibi tribuni militum non loco ante castris capto, non præmunito vallo quo receptus esset, non deorum saltem, non hominum memores, nec auspicato, nec litato, instruunt aciem deductam in cornua, ne circumveniri multitudine hostium possent.* Curtius lib. 4. *peditum acies equitatu tegebatur: frons levi cornu hac erat.* At vir Doctiss. sua distinctione, *Aggerem via 3. præt. cohortes obtinuere dextra*, non bene consultum Cornelio vult, neque Claudiano, cui dicitur.

liaribus cohortibus, & quingentis equitibus. Super hos è prætorio auxiliisque mille equites, cumulus prosperis, aut subsidium laborantibus, ducebantur. Antequam miscerentur acies, terga vertentibus Vitellianis; Celsus doli prudens, repressit suos. Vitelliani temere exsurgentes, cedente sensim Celso, longius secuti, ultro in insidias præcipitantur. nam [1] à lateribus cohortes, legionum adversa fronte, & subito discursu terga cinxerant equites. Signum pugnæ non statim à Suetonio Paulino pediti datum. cunctator natura, & cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placerent; [2] *compleri fossas*, *aperiri campum*, *pandi aciem* jubebat, satis cito [3] incipi victoriam ratus, ubi provisum foret ne vincerentur. Ea cunctatione

tur *læva front.* cuique distinguendo nil opis afferri potest Claudian. l. 2. in Ruff. 174. *Armeniis frons læva datur* &c. Non absimilis metaphora 2 Reg. cap. 10. *facies belli.* quam puram puram Latini quoque arripuere. Curtius lib. 4. *Philagus Balacros regebat in societatem nuper adscitos: hoc dextri cornu facies erat.* Addito, ne titubes *peditum acies equitatu tegebatur, frons levi cornu hac erat.* Salmerius.

8 *Cum duabus vexillaribus cohortibus.*] Multa suadent ut damnem hanc lectionem, & substituam, *auxiliaribus.* Primum quod perpetuo militiæ Rom. more debuere legionis latus claudere auxilia, ut in sinistro vides quatuor auxiliorum cohortes: deinde, quod vix reperceris vexillarios in cohortibus censos, semper auxilia: nam unum, duo, tria millia vexillariorum referunt scriptores: nunquam unam, duas, tres cohortes vexillariorum. Et ita supra mille vexillarios Spurinnæ attribuit; sequenti libro, tredecim millia vexillariorum Muciano. Postremo, *vexillarium* dicunt semper, non *vexilarem*, & *vexillariis*, non *vexillaribus*: quæ omnia mihi certa adstruendæ novæ lectioni, *Auxiliaribus.* Mercerus. Libri omnes, *vexillaribus.* At Mercerus plurib. verisque rationib. ostendit corruptam eam vocem, ac legendum, *auxiliaribus.* Ipsius notas vide. Sic lib. seq. Tac. *auxiliares cohortes in Cremonensem agrum missa.* lib. 12. *duas auxiliares cohortes avaritia præfectorum incautius populantes intercepere.* Sæpe etiam eas auxiliarias appellat. *Pichena.* Magno quidem animo hunc locum aggressus fuit Mercerus, & tantum certe valuit, ut Pichena & Berneggerus inde Tacitum crediderint constitui debere ex ejus arbitrio, cui auscultatum fuit, donec Cl. Ryckius sane rem hanc inspiciens doctius sustinuit imminuere pretium opinionis illius, & jure quidem. Sed tamen scire oportet, quum libri vetustissimi habeant *vexillaribus*, utique ad interpolatricem manum referri debere, si in recenti libro exstet *vexillariis*, quod scio legi etiam in Oxoniensi. Reliqua utraque nec Merceri nec Ryckii vel legi merentur: adeo hunc aliena sunt, & debuerat Mercerus veterem scripturam doctius & modestius tractare. Patet enim hunc Tacitum scripsisse: *legio incessit cum duobus vexillis, tribus cohortibus* &c. *Jac. Gronovius.*

1 *A lateribus cohortes legionum.*] Nihil ambigimus quin Tacitus scripserit, *à lateribus cohortes, legio adversa fronte.* Ita superior aciei dispositio postulat: & ad circumveniendum hostes, invasionem tripertitam esse oportuit. *Lipsius.*

*A lateribus cohortes legionum adversa fronte.*] Doctiss. Vir. *à lateribus cohortes legio adversa fronte.* Sed qui melius undique Vitelliani premi potuerunt? contra habuere cohortes, quæ in aggere, *aggerem via tres prætoriæ cohortes arctis ordinibus obtinuere.* à tergo Celsum cum equitibus: *& subito discursu terga cinxerant equites.* A lateribus cohortes legionum, quæ statim atque hostis in insidias devenit, sese utrinque in eum converterunt. *Nam à laterib. cohortes legionum adversa fronte.* Salmerius. Putem legendum, *legionarii adversa fronte.* Freinshemius. Sed non intelligo, cur Ryckius perinde ut Pichena sileant, quod & hic vidit in ipsa membrana, & ille in schedis meis notatum *frons*, non *fronte* istic legi. An non enim commodissima sunt illa, *Nam a lateribus cohortes, legionum adversa frons; & subito discursu* &c.? Testor non aliter me reperisse etiam in Oxoniensi. *Jac. Gronovius.*

2 *Compleri fossas.*] Quas fossas? an castrorum? cave credas: nam longe à castris jam aberant. Fossas censeo ab incolis factas ad recipiendas aquas, & exsiccandos agros, ut in planis locis mos est, hodieque etiam passim fieri videmus, & in illa Italiæ parte, & in aliis, quæ in planiciem extenduntur. Firmat ipse Tac. inf. *mixta vehicula & lixa & præruptis utrinque fossis, via quieto quoque agmini angusta.* Pichena.

3 *Incipi victoriam ratus.*] Nisi me fallit Corneliani sermonis genius, istud *ratus* ab extraneo adjectum est, qui deesse aliquid hic putabat. at nihil deest, sed velut ipsa Suetonii verba referuntur, *pandi aciem* jubebat; *satis cito incipi victoriam, ubi provisum foret, ne vincerentur*, subaudi *dicens* vel *adjiciens*, ut sexcentis aliis hujus scriptoris locis. *Freinshemius.* Sed grave est ita voces integras & tot sæculis lectas eradere, quæ, etsi non multum juvant, prout nunc leguntur,

literæ

ſe, ſpatium Vitellianis datum, in vineas nexu traducum impeditas refugiendi: & modica ſylva adhærebat. unde rurſus auſi, promptiſſimos prætorianorum equitum interfecere. vulneratur [1] rex Epiphanes, impigre pro Othone pugnam ciens.
Tum [2] Othonianus pedes erupit: protrita hoſtium acie, verſi in fugam etiam qui 26
ſubveniebant. nam Cæcina non ſimul cohortes, ſed ſingulas acciverat: quæ res in prælio trepidationem auxit, cum diſperſos, nec uſquam validos pavor fugientium abriperet. Orta & in caſtris ſeditio, quod non univerſi ducerentur. vinctus præfectus caſtrorum Julius Gratus, *tamquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret*: cum fratrem ejus Julium Frontonem tribunum, Othoniani ſub eodem crimine vinxiſſent. Ceterum ea ubique formido fuit, [3] apud fugientes, occurſantes, in acie, pro vallo, ut *deleri cum univerſo exercitu Cæcinam potuiſſe*, *ut Suetonius Paulinus receptui cecinifſet*, utriſque in partibus percrebuerit. *Timuiſſe ſe* Paulinus ferebat, *tantum inſuper laboris atque itineris*; *ne Vitellianus miles* [4] *recens è caſtris feſſos aggrederetur*, [5] *& perculſis nullum retro ſubſidium foret*. apud paucos ea ducis ratio probata, in vulgus adverſo rumore fuit. [6] Haud perinde id damnum Vitellianos in metum 27
compulit, quam ad modeſtiam compoſuit: nec ſolum apud Cæcinam, qui culpam *in militem* conferebat, *ſeditioni magis quam prælio paratum*; [7] Fabii quoque Valentis copiæ (jam enim Ticinum venerat) poſito hoſtium contemptu, & [8] recuperandi decoris cupidine, reverentius & æqualius duci parebant. Gravis alioquin ſeditio exarſerat, quam altiore initio (neque enim rerum à Cæcina geſtarum ordinem interrumpi oportuerat) repetam. Cohortes Batavorum, quas bello Neronis à quartadecima legione digreſſas, cum Britanniam peterent, audito Vitellii motu in civitate Lingonum Fabio Valenti adjunctas retulimus, ſuperbe agebant; ut cujuſque legionis tentoria acceſſiſſent, *coërcitos à ſe quartadecimanos*, *ablatam Neroni Italiam*, *atque omnem belli fortunam in ipſorum manu ſitam* jactantes. Contumelioſum id militibus, acerbum duci, corrupta jurgiis aut rixis diſciplina. [9] ad poſtremum Valens è petulantia, etiam perfidiam ſuſpectabat. Igitur nuntio allato, *pulſam* [10] *Trevero-* 28
*rum*

literæ tamen ingenium poſſunt admonere ad verum. Itaque hoc loco vide, lector, an non ſcripſerit Tacitus, *ſatis cito incipi victoriam iratis*, *ubi* &c. Tales enim erant propter inſidias ſtructas ad tam certùm ſuum exitium, ſi latuiſſent. Et utique hic dativus requirebatur propter ſequens *vincerentur* Nam cur non in vulgatis ediderunt *vinceretur*? Jac. Gronovius.

1 *Rex Epiphanes.* ] Cujus regionis? quæ illuc fortuna devexit? De illo poſtea quid actum? quicunque enim eminentiore loco conſtituti reliquis in hiſtoria præfulgent, impenſiorem exigunt ſcriptoris operam, ſi erronea me non ludit opinio. *Savilius.* Sic ille more ſuo, ſed quem depexuit merito Cl. Ryckius. *Jac. Gronovius.*

2 *Othonianus pedes erupit.* ] Puto *irrupit.* nempe in ſylvam & vineas impeditas, quibus defendebantur Vitelliani *Gronovius.*

3 *Apud fugientes occurſanteſque.* ] Conjunctionem, *que*, eraſimus, *Apud fugientes, occurſantes, in acie.* Rhenanus.

4 *Recens caſtris* ] Qui recens è caſtris egrediebatur. Cic. *Recens Roma.* Ferrettus.

5 *Et perculſis nullum retro ſubſidium foret.* ] Particulam, *&*, ſubmovimus. nam elegantior ſententia ſi abſit. *Rhenanus.* Repoſui ex veterib. copulam, *&*, quæ in vulgatis interciderat. *Pichena.* Inſerit Muretus: & ego cum eo copulam, *&*. Ut etiam *fore* legatur, eidem non aſſentio. Imo jam aſſentio, loqui ſic Tacitum ſolere: *an* hic locutus ita, nondum. *Acidalius.*

6 *Haud perinde id damnum.* ] Scripſimus, *haud perinde damnum, Vitellianos in metum compulit.* Rhenanus. Addidi vocem, *id*, ex Flor. & Ven. *Pichena.* Muret. inſerit: *haud perinde id damnum*, ſequor. *Acidalius.*

7 *Sed Fabii quoque* ] Primam voculam non admittit optimus Mediceus, & poteſt abeſſe, & debet, quia Tacitus non ſcripſit. Adde, quæ jam protuli 6, 8. *Jac. Gronovius.*

8 *Recuperandi decoris cupidine.* ] Codex Budenſis habet, *dedecoris*, forte legendum, *recurandi dedecoris cupidine.* Rhenanus.

9 *Ad poſtremum Valens petulantia* ] E præpoſitionem addidimus, *Ad poſtr. Valens è petulantia*, &c. *Rhenanus.*

10 *Trevirorum alam Turingoſque.* ] Caſtigavi, *Trevirorum alam Tungroſque.* nam hoc eſt, quod
V dixit

*rum alam Tungrosque a classe Othonis, & Narbonensem Galliam circumiri*; simul cura socios tuendi; & militari astu, cohortes turbidas, ac si una forent prævalidas dispergendi, partem Batavorum *ire in subsidium* jubet. quod ubi auditum, vulgatumque, mœrere socii, [1] fremere legiones; *orbari se fortissimorum virorum auxilio. veteres illos & tot bellorum victores, postquam in conspectu sit hostis, velut ex acie abduci. si provincia, urbe & salute imperii potior sit, omnes illuc sequerentur*: [2] *sin victoriæ sanitas, sustentaculum, columen in Italia verteretur, non abrumpendos, ut corpori, vali-*
29 *dissimos artus.* Hæc ferociter jactando, postquam, immissis lictoribus, Valens coërcere seditionem cœptabat, ipsum invadunt, saxa jaciunt, fugientem sequuntur. *Spolia Galliarum, & Viennensium aurum, & pretia laborum suorum occultare* clamitantes, direptis sarcinis, tabernacula ducis, ipsamque humum pilis & lanceis rimabantur. nam Valens, servili veste, apud decurionem equitum tegebatur. Tum Alphenus Varus præfectus castrorum, deflagrante paulatim seditione, addit consilium, [3] vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubæ sono, quo miles ad belli munia cietur. Igitur torpere cuncti, circumspectare inter se attoniti: & id ipsum quod nemo regeret paventes: [4] silentio, patientia, postremo precibus ac lacrymis veniam quærebant. Ut vero deformis & flens, & præter spem incolumis Valens processit; gaudium, miseratio, favor: versi in lætitiam (ut est vulgus utroque immodicum) laudantes gratantesque; circumdatum aquilis signisque, in tribunal ferunt. Ille utili moderatione, non supplicium cujusquam poposcit: ac ne dissimulans suspectior foret, [5] paucos incusavit: gnarus civilibus bellis plus militibus, quam
3 ducibus, licere. Munientibus castra apud Ticinum, de adversa Cæcinæ pugna allatum, & prope renovata seditio, *tamquam fraude & cunctationibus Valentis prælio defuissent.* Nolle requiem, non exspectare ducem, anteire signa, urgere signiferos. [6] rapido agmine Cæcinæ junguntur. Improspera Valentis fama apud exercitum Cæcinæ erat: *expositos se tanto pauciores integris hostium viribus querebantur*, [7] simul in suam excusationem, & adventantium robur per adulationem attollentes, ne ut victi & ignavi despectarentur. Et quamquam [8] plus virium, prope duplicatus legionum auxiliorumque numerus erat Valenti, studia tamen militum in Cæcinam inclina-

dixit supra, *Duas Tungrorum cohortes, quatuor equitum turmas, universam Trevirorum alam.* Rhenanus.

1 *Fremere legiones.*] Mirum videatur, legiones fremuisse eorum discessu, quos sibi invisos reddiderat infamis licentia, si Tacitus non fallitur in iis, quæ proxime antecedunt, verbis. *Savilius.*

2 *Sin victoria, sanitas.*] Nos, *victoria sanitas.* Item infra, *postremo precibus ac lachrymis.* Rhenanus.

3 *Obire vigilias.*] De hoc ritu ego, in Militia lib. 5. Dial. 9. *Lipsius.*

*Vetitis obire vigilias centurionibus.*] Centurionum erat non obire vigilias sed βυκανῶν tubæ inflatu vigilias distinguere. quo sono exciti, penes quos ille labor (Polybio equites quidam, Vegetio circitores) vigilias obibant. Centurionibus itaque monendi signum intermittentibus nullæ obibantur vigiliæ. *Savilius.* Lipsius De mil. Rom. l. 5. dial. 9. ait, hoc intelligendum esse de initiis vigiliarum, quæ centuriones procurare solebant. ut sup. l. 15. *initia vigiliarum per centurionem nunciari.* Itemque de tuba, qua primipili singulas vigilias ordiebantur. tuba enim adhibebatur ad initia; cornu, sive buccina ad finem. Veget. 3, 8. *A tubicine omnes vigiliæ committuntur, & finitis horis, à cornicine revocantur.* Pichena.

4 *Silentio, patientia.*] Malim, *silentio, pœnitentia.* Lipsius.

5 *Paucos incusavit.*] Lego, *paucis.* ad brevitatem enim orationis refertur, non ad eos qui peccarant. & sane omnes in hac culpa, nec excerpi pauci potuere. *Idem.*

6 *Rapido agmine Cæcinæ jungitur.*] Scripsimus, *junguntur.* Rhenanus.

7 *Simul in suam excusationem, & adventantium.*] Trajectionem hic agnosco. Ordino, *simul in s. excusationem, ne ut victi & ignavi despectarentur, & adventantium robur per adulationem attollentes. Et quamquam* &c. *Acidalius.*

8 *Plus virium ac prope duplicatus.*] Particulam *ac* delevimus; nam sensum perdit. *Rhenanus.*

1 Et

nabant; ſuper benignitatem animi qua promptior habebatur; etiam vigore ætatis, proceritate corporis, [1] & quodam inani favore. Hinc æmulatio ducibus. Cæcina [2] *ut fœdum & maculoſum*; ille *ut vanum ac tumidum*, irridebant. Sed condito odio, eandem utilitatem fovere; crebris epiſtolis, ſine reſpectu veniæ probra Othoni objectantes: cum duces partium Othonis, quamvis uberrima conviciorum in Vitellium materia, abſtinerent. Sane ante utriuſque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagitioſiſſimam, meruere; minus Vitellii ignavæ voluptates, quam 31
Othonis flagrantiſſimæ libidines timebantur. Addiderat huic terrorem atque odium cædes Galbæ; [3] contra illi initium belli nemo imputabat. Vitellius ventre & [4] gula ſibimet hoſtis; Otho luxu, ſævitia, audacia, reipublicæ exitioſior ducebatur. Con-

1 *Et quodam inani favore.*] Cenſuerim legendum *inanium*. Quæ illa? Superiori libro habes: *Cæcina corpore ingens, animi immodicus, cito ſermone, erecto inceſſu ſtudia militum allexerat.* Prorſus ut de Corbulone lib. 13. *omnium in ſe ora verterat, corpore ingens, verbis magnificus, & ſuper experientiam ſapientiamque etiam ſpecie inanium validus.* Gronovius. Sed, oggerit Ryckius, [MSS. nil mutant.] Atqui id ipſum ſcivit etiam vir ille doctus. Addit; [& in vulgata *favor* paſſive ponitur] nec iſtud ignoravit vir idem doctus. Et tamen quanquam hæc ſciret, cenſuit aliter legendum. Et quis Tacito adſuetus non dixerit probabiliorem ejus lectionem eſſe, quam iſtam vulgatam? Et quod crimen eſt ſtatuere vocem *inani* truncatam eſſe duabus literis, quæ eodem prorſus modo ſcribuntur, quo poſtremæ *ni* ut facillime id fieri potuerit. Sed utique Tacitus ſe ipſe ſatis denudat, perſtringens quod propter ætatem aut corpus magis placeret, quæ ſunt inania. Rurſus *inanibus ſtudiis* ſcripſit auctor lib. 1. hiſt. c. 32; quæ ſi attendiſſet ibi, qualia dicantur, certe percepiſſet alia nunc innui. *Jac. Gronovius.*

2 *Fœdum & maculoſum.*] Valet in omne animi vitium & labem *Maculoſi* vox: tamen vereor ut hic proprie in ignaviam ac timorem. Ex antitheſi quæ ſequitur, ſuſpiceris: & magis ex hoc Ammiani loco, libro 30. *Arguebat hic idem Princeps* (Valentinianus) *timidos ſæpius, Maculoſos tales appellans & ſordidos.* Lipſius.

*Fœdum & maculoſum.*] Non ignaviam & timorem interpretor, ſed libidinem & rapacitatem: quæ in homine arguit & lib. 1. hiſt. *Valentem magna pecunia emptum.* Et, *ipſa itinerum ſpatia & ſtativorum mutationes venditante fœdis pactionibus adverſus poſſeſſores agrorum & magiſtratus civitatum, adeo minaciter, ut Luco faces admoverit, donec pecunia mitigaretur: quoties pecuniæ materia deeſſet, ſtupris & adulteriis exorabatur.* Sic 13. ann. *Coſſutianum Capitonem Cilices detulerant maculoſum fœdumque, & idem jus audaciæ in provincia ratum, quod in urbe exercuerat.* lib. 1. hiſt. de alio Capitone: *ut avaritia & libidine fœdum ac maculoſum.* Cicero, ad Attic. 16. *Maculoſi ſenatores, nudi equites.* Plinius lib. 3. ep. 9. *homo fœdus & aperte malus proconſulatum non minus violenter quam ſordide geſſerat.* Gronovius. Interim Mediceus habet *fœdum ac maculoſum; ille, ut tumidum ac vanum.* Jac. Gronovius.

3 *Contra illi initium belli imputabat.*] Hoc dicere videtur, quoniam Vitelliani motus longe ab Italia fuerunt, nec fere in urbe Roma auditi. contra autem cum Otho in oculis omnium adverſus Galbam inſurrexiſſet, eoque occiſo imperium occupaſſet, tanquam belli civilis auctor habebatur. quamvis revera initium belli ipſi Vitellio fuerit imputandum. Nam inferius Otho moriturus, hoc ipſum commemorans ait: *Civile bellum à Vitellio cœpit, & ut de principatu certaremus, initium illic fuit.* Vel potius hoc dicit Tacitus, propter ignaviam torporemque Vitellii, qui à belli cogitationibus alienus, à ſuis quaſi coactus arma cepit. Nam ſuperiore libro oſtendit, à Fabio Valente inſtigatum. deinde ait: *Quatiebatur his ſegne ingenium, ut concupiſceret magis quam ſperaret.* Pichena.

4 *Gula ſibi ipſi hoſtis.*] Codex Matthiæ regis habet *ſibim.* forte legendum. *ſibimet hoſtis.* Rhenanus. Flor. *ſibi inhoſtus*: fortaſſe interpretandum, *ſibi inhoneſtus.* nam & l. 15. *bellum anceps, an pax inhoſte placeret*, idem habet, *pax inhoſta*, quod præeunte Lipſio correximus, *pax inhoneſta.* Et ſic ſenſus eſſet: Vitellium ſua inhoneſta vita neminem læſiſſe, niſi ſe ipſum. Sed cum duriuſculus dicendi modus videatur, facile poſſumus vulgatam lectionem tueri: Vitellium (ſcil.) non fuiſſe hoſtem reipublicæ, ſed ſibi ipſi tantum: Othonem contra, Reip. exitioſiorem. *Pichena.* Huc igitur reſervavit Ryckius, ut de Salmaſii ubertate in linguam Latinam, conferendo vocem antea inauditam *inhoſtus*, ageret, quum lib. 15. ann. cap. 25 ſilentio præteriret. Sed quod affert in contrarium, nempe ab magno illo viro nullum adduci exemplum, quo vocabuli hujus Latinitatem probet, mirum ſane eſt, quum Salma-

Conjunctis Cæcinæ ac Valentis copiis, nulla ultra penes Vitellianos mora, quin totis viribus certarent. Otho consultavit, trahi bellum, an fortunam experiri placeret. Tum [1] Suetonius Paulinus, dignum fama sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli censere; *festinationem*
32 *hostibus, moram ipsis utilem* disseruit: *Exercitum Vitellii universum advenisse: nec multum virium à tergo, [2] quoniam Galliæ tumeant; & deserere Rheni ripam, irrupturis tam infestis nationibus, non conducat: Britannicum militem hoste & mari distineri: Hispanias armis non ita redundare: provinciam Narbonensem incursu classis & adverso prælio contremuisse: clausam Alpibus, & nullo maris subsidio, Transpadanam Italiam, atque ipso [3] transitu exercitus vastam: non frumentum usquam exercitui: nec exercitum sine copiis retineri posse. Jam Germanos, quod genus militum apud hostes atrocissimum sit, tracto in æstatem bello, fluxis corporibus, mutationem soli cœlique haud toleraturos. Multa bella impetu valida, per tædia & moras evanuisse. Contra ipsis omnia opulenta & fida: Pannoniam, Mæsiam, Dalmatiam, Orientem, cum integris exercitibus; Italiam, & caput rerum urbem; senatumque & populum, numquam obscura nomina, etsi aliquando obumbrentur; publicas privatasque opes, & immensam pecuniam, inter civiles discordias ferro validiorem; corpora militum aut Italiæ sueta, aut æstibus. [4] Objacere flumen*

sius non producat & progeneret ipse illam vocem, sed acceptam ex fide castissimarum membranarum nutriat & tueatur explicando & monstrando, quantopere illam foveat indoles & genius Latinitatis, & Arnobium insuper præbeat assertorem. Certe id opus doctius, justius & sanctius est, quam edere vel hoc loco *sibi ipsi hostis*, quam vocem *ipsi* nequaquam ita probabiliter queat defendere, utpote ex nullo vetere libro petitam sed quod constat, ab solo edentium arbitrio interpositam, ideoque a me deletam, quum id quod ex conjectura Rhenani ipse posui septem habens literas bona fide petitas ex consensu & testimonio, tam Budensis, quam Medicei, possit annexum & probabiliter excusare. Et Victorius tamen allegabat *sibi ipse hostis*. Sane non plus juris habuit in loco altero, quem citavi, ut præcedentem gregem sequens ederet *pax inhonesta*, etsi Latinitate non improbata, omnino quod majoris momenti in hoc negotio est, ab Tacito spreta & refutata, imo per Victorium Tacito primum data. Si quid amplius? notavi patrem meum ex Vossiano Codice apud Livium 32, 10. excerpsisse *& genus armorum erat ad prælium cariora his cohosta loca & catapulta*. Præbet autem hic quoque locus specimen nugacissimæ interpolationis in codice Ryckiano, quod velim observes. *Jac. Gronovius.*

1 *Suetonius Paulinus.*] Et hic & alibi effuse laudat hunc Suetonium, *vetustissimum consularium*, ut infra vocat, & non una militia clarum. Præfuit Britanniæ, ut habes Annali XIV. & in Agricola: sed & in Africa bellum gessit, è Plinio lib. 5. *Suetonius*, inquit, *Paulinus quem consulem vidimus, primus Romanorum ducum transgressus Atlantem*, &c. Ubi autem mens sive judicium fuit viro magno & celebri, qui in Variis suis nuper hunc Suetonium, patrem fecit Suetonii nostri Tranquilli? Ita enim locum eum corrigit, Suetonii Othone: *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiadecimæ legionis tribunus angusticlavius.* Et liber, inquit, qui tineas & cariem senserat, habet, *Linus*. Omnino autem legendum *Paulinus*, Testem in eam rem laudabo Tacitum, qui fortis viri neque nomen neque virtutem tacitam esse sivit. ejus enim sæpe & in Annalibus & in Agricolæ vita honorificam mentionem facit. Hæc ille, Quid dicam? Non insector te vir elegantissime. sed bona fide hæc scribis? Erras nimis. Suetonius ille Lenis, Tribunus fuit, noster belli dux. Ille angusticlavius, id est nondum Senator, sed inter equites: iste, Consularis. nec tenue usquam vestigium confusionis ejus, quam facis. Hoc mihi in transcursu monitum, non ut carpam (Fidem testor:) sed ut claro sub exemplo doceam quam fallax hæc Critica, & ignoscendum etiam nobis esse, si labimur interdum in proclivi ista via. *Lipsius.*

2 *Galliæ tumeant, &c.*] Copulam apte inserui, ex Vatic. *Tumere* autem eleganti metaphora dicuntur, quæ erupturа videntur. usurpavit Cicero bis in Epistolis ad Atticum. *Idem.*

*Quoniam Galliæ tumeant.*] In codice Matthiæ regis legitur, *quam*. Lego, *quamquam*. Rhenanus. Fortasse legendum, *timeant*. Sed Danesius pro, *quoniam*, legebat, *quanquam*. Ursinus.

3 *Transitu exercitus vastam.*] Sic quia notavi ex Mediceo, cur id non præferretur vulgatæ *vastatam*? quum longe maximam habeat efficaciam, & miseriam ejus multo clarius depingat. Vastata potest fuisse vel lenius vel gravius, & ne sic quidem tamen dicenda *vasta*. Jac. Gronovius.

4 *Objacere flumen.*] Non ad Bedriacum, ubi in

*flumen Padum, tutas viris murisque urbes, è quibus nullam hosti cessuram, Placentiæ*
*defensione exploratum. Proinde duceret bellum.* [1] *paucis diebus quartamdecimam legionem,*
*magna ipsam fama, cum Mœsiacis copiis affore, tum rursus deliberaturum, & si præ-*
*lium placuisset, auctis viribus certaturos.* Accedebat sententiæ Paulini Marius Celsus:
*idem placere Annio Gallo,* paucos ante dies lapsu equi afflicto, missi qui consilium
ejus sciscitarentur, rettulerant. Otho pronus ad decertandum: frater ejus Titia-
nus, & præfectus prætorii Proculus, imperitia properantes, *fortunam & deos &*
*numen Othonis adesse consiliis, affore conatibus* testabantur. neu quis obviam ire senten-
tiæ auderet, in adulationem concesserant. Postquam pugnari placitum, *interesse pu-*
*gnæ imperatorem, an seponi melius foret,* dubitavere. Paulino & Celso jam non ad-
versantibus, ne principem objectare periculis viderentur; iidem illi deterioris con-
silii auctores perpulere, *ut* [2] *Brixellum concederet, ac dubiis præliorum exemptus,* [3] *sum-*
*mæ rerum & imperii se ipsum reservaret.* Is primus dies Othonianas partes afflixit.
namque & cum ipso prætoriarum cohortium, & speculatorum, equitumque, va-
lida manus discessit; & remanentium fractus animus: quando suspecti duces; [4] &
Otho, cui uni apud militem fides, dum & ipse non nisi militibus credit, [5] imperia
ducum in incerto reliquerat. Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris ut in civili 34
bello transfugiis, & exploratores cura diversa sciscitandi, sua non occultabant. Quie-
ti intentique Cæcina ac Valens, quando hostis imprudentia rueret, quod loco sa-
pientiæ est, alienam stultitiam opperiebantur, inchoato ponte transitum Padi si-
mulantes, [6] adversus oppositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum miles segne
otium tereret. Naves pari inter se spatio, validis utrimque trabibus connexæ, ad-
versum in flumen dirigebantur, [7] jactis super anchoris, quæ firmitatem pontis con-
tine-

in consilia itum, sed hoc vult, si retrocederent (quod optabat, in Cispadanam regionem) & defensionis suæ curam capesserent. *Savilius.*

1 *Paucis diebus quartamdecimam.*] Hæc restitui, in vulgatis qua à verbis, qua ab interpunctis mendosa. *Lipsius.*

2 *Brixellum concederet.*] Ita factum, ibique se occidit. Elue mendam igitur quæ in Egesippo (scriptore mihi quidem haud spernendo) libro IV. capite XXIV. *Cum Otho comperiisset Valenti ac Cæcina, Vitelliis comitibus, victoriam cessisse, Brixiæ positus, voluntaria morte eripuit se ludibrio.* Facito *Brixelli.* Lipsius.

3 *Summa rerum & imperii seipsum reservaret.*] Exemplar manuscr. habet, *summam*, velut sit appositive dictum. Sed placet ut *summa* legatur. Mox est illic *prætorianarum*, nec id placet. *Rhenan.*

4 *Et Otho cui uni.*] In Exemplari manuscr. *& ut Otho.* Malim, *Et Otho ut cui* &c. *Rhenanus.* Non aliter legi in Mediceo ex schedis meis formatus Ryckius quoque publicavit, sed ita prætermittens, quasi ad ipsum non petineret. Certe vix possunt concedi illæ transpositiones, quas arripiunt & fortiter exercent viri docti in alienis operibus, ut nunc Rhenanus, etsi speciem quandam habeant. Crediderim ab Tacito esse *Et sic Otho, cui uni.* Jac. Gronovius.

5 *Imperia ducum in incerto reliqueras.*] An nesciebant duces quid imperarent? an Otho ducum auctoritatem & obedientiam apud milites minuit; potius videtur in incerto eum reliquisse, cui præcipue milites obedirent. *Pichena.* Non fuit caussa sic hærendi; & satis clare expositum est paterno chirographo in exemplaris ejus ora; sed quam partem pro jure suo publicavit Ryckius, ut ex hoc specimine plenissime colligere possis, quam bene paternis illis usus iste fuerit. Certe res tota patet ex principio capitis 39. *Jac. Gronov.*

6 *Adversus oppositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum.*] Melius ex Flor. distinxi. Antea sic, *manum. Ac ne ipsorum miles segne otium tereret, naves* &c. Duplex consilium inchoandi pontis: ut primo transitum simularent; ac deinde, ne milites otio languescerent. Postea descriptionem pontis aggreditur. *Pichena.* Aliter distinguendus locus. Nec enim hinc nova periodus inchoanda. *Ac ne ipsorum miles,* &c. Sed nectenda ea cum superioribus, quorum sententia integra finitur demum in verbo *tereret.* Duas enim caussas ponit Tacitus inchoati à Vitellianis pontis, & ut transituri Padum viderentur contra gladiatores oppositos, & ne miles otium segne tereret. Post illa pontem & ejus formam describit. Igitur sic distingue, *inchoato ponte, transitum Padi simulantes adversus oppositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum miles segne otium tereret. Naves* &c. *Acidal.*

7 *Iactis insuper anchoris.*] Quod in exemplari manuscr. sit, *super*, forte legendum, *jactis super-*

tinerent. Sed anchorarum funes non extenti fluitabant, ut augefcente flumine,
inoffenfus ordo navium attolleretur. Claudebat pontem impofita turris, & in extre-
35 mam navem educta: unde tormentis ac machinis hoftes propulfarentur. Othoniani in ripa turrim ftruxerant, faxaque & faces jaculabantur. Et erat infula amne
medio, in quam gladiatores navibus molientes, Germani nando prælabebantur. Ac
forte plures tranfgreffos, completis Liburnicis, per promptiffimos gladiatorum Macer aggreditur. Sed neque ea conftantia gladiatoribus ad prælia quæ militibus;
nec perinde nutantes è navibus, quam ftabili gradu è ripa, vulnera dirigebant. Et
cum variis trepidantium inclinationibus mixti remiges propugnatorefque turbarentur, defilire in vada ultro Germani, retentare puppes, [1] fcandere foros, aut cominus mergere. quæ cuncta [2] in oculis utriufque exercitus, quanto lætiora Vitellia-
36 nis, tanto acrius Othoniani cauffam auctoremque cladis deteftabantur. Et prælium
quidem, [3] abruptis quæ fupererant navibus, fuga diremptum: Macer ad exitium
pofcebatur. Jamque vulneratum eminus lancea, ftrictis gladiis invaferant, cum
[4] intercurfu tribunorum centurionumque protegitur. Nec multo poft, Veftricius
Spurinna, juffu Othonis, relicto Placentiæ modico præfidio, cum cohortibus fubvenit. Dein Flavium Sabinum confulem defignatum Otho rectorem copiis mifit,
quibus Macer præfuerat; [5] læto milite & ad mutationem ducum; & ducibus ob
37 crebras feditiones, tam infeftam militiam afpernantibus. Invenio apud quofdam auctores, *pavore belli, feu faftidio utriufque principis, quorum flagitia ac dedecus apertiore in dies fama nofcebantur; dubitaffe exercitus, num pofito certamine, vel ipfi in medium confultarent, vel fenatui permitterent legere imperatorem. Atque eo duces Othonianos fpatium ac moras fuafiffe: [6] præcipue Paulinum; quod vetuftiffimus confularium, & militia clarus, gloriam nomenque Britannicis expeditionibus meruiffet.* Ego ut conceffierim

*ne anchoris.* Paulo poft deeft illic vocabulum *hoftes: unde tormentis & machinis propulfarentur.* Item in eodem codice legitur, *Mixti remiges propugnat.* Rhenanus. Quod poftremum vidi fimiliter in Mediceo, ut erraverit Beroaldus in formando illo compofito, quum pleniffima hæc perioche recte jungatur, ut bene vidit & Ryckius, unde fic quoque exhibui in contextu. *Jac. Gronovius.*

1 *Scandere foros.*] Fori funt tabulata in navi quibus feruntur nautæ per navim. Cic. de Senect. *Cum alii malos fcandunt: alii per foros curfitant.* Lupanus.

2 *In oculis utriufque exercitus*] Quorum alter proxima Bedriaco caftra habebat, alter faventibus huic opinioni conjecturis Cremonæ, intermedio viginti milliarium fpatio. *Savilius.*

3 *Abruptis quæ fuperfuerant navibus.*] Flor. *fupererant.* Sed quomodo fuperfuerant naves, fi iifdem fugerunt gladiatores, quibus tranfvecti? Quis vero abrupit, victoresne, an gladiatores? nonne utrifque utilius avehere? Intelligo, defertam à gladiatoribus, non folum infulam, fed ripam, quam obtinebant, abruptafque ab ipfis naves, tanquam ufui fibi amplius non futuras, ne hoftibus effent. Fugerunt itaque ut videtur, non flumine, fed terra. Nec obftat, quod infra in ipfo prælio conftat gladiatoribus juffe naves, cum dicat; *fufa gladiatorum manu, quam navibus tranfvectam, oppofita cohortes in ipfo flumine trucidaverant.* nam credendum eft, utrique exercitui naves non defuiffe, in fua cuique ripa. *Pichena.* Forte: *abreptis*, id eft, raptim abductis, quæ ab hoftibus captæ aut merfæ non erant. *Gronovius.* Quod tam confpicue Pichena de verbo *fupererant* teftatur, miror etiam teftari voluiffe Ryckium, in parte reliqua injufte tacentem. Nam ex eodem notavi mox *arruptis*, quod proxime accedit ad paternum *abreptis*, fed vere innuit *arreptis*, ut dicat eos quoquo modo confugiffe in naves, quas arripere poterant & cum quibus fugere, nondum ita læfis & quaffatis, quin trajicerent vectorem. *Jac. Gronovius.*

4 *Incurfu tribunorum.*] Scripfimus, *intercurfu.* Rhenanus.

5 *Læto milite & ad mut.*] Sic enim legi debet ex MS. Medic. & Oxon. ut & Ryckius teftatur de fuo, ubi in medio ponitur &, ac fi diceretur *& milite læto ad mutationem ducum, & ducibus* &c. *Jac. Gronovius.*

6 *Præcipue Paulinum.*] Plutarchus hoc Celfo tribuit, fed minori probabilitate. *Savilius.* Sed in his latet aliud. Nam in MS. Med. liquide exftat *præcipuas Paulini*, quod Pichena & Ryckius detrectarunt indicare, quum illa litera s plane fic pau-

ferim apud paucos, tacito voto, quietem pro difcordia, bonum & innocentem prin-
cipem pro peffimis ac flagitiofiffimis expetitum; ita neque Paulinum, qua pruden-
tia fuit, fperaffe corruptiffimo fæculo, tantam vulgi moderationem reor, ut qui
pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent: neque aut exer-
citus linguis moribufque diffonos, in hunc confenfum potuiffe coalefcere: aut lega-
tos ac duces, magna ex parte luxus, egeftatis, fcelerum fibi confcios, nifi pollu-
tum [1] obftrictumque meritis fuis principem pafsuros. Vetus ac jam pridem infita 38
mortalibus potentiæ cupido, cum imperii magnitudine adolevit, erupitque. Nam
rebus modicis, æqualitas facile habebatur, fed ubi fubacto orbe, & æmulis urbibus
regibufque excifis, fecuras opes concupifcere vacuum fuit, prima inter patres ple-
bemque certamina exarfere. modo turbulenti tribuni, modo confules prævalidi, &
in urbe ac foro tentamenta civilium bellorum. Mox è plebe infima C. Marius, &
nobilium fæviffimus L. Sulla, victam armis libertatem in dominationem verterunt.
Poft quos [2] Cn. Pompejus occultior, non melior. Et numquam poftea, nifi de
principatu quæfitum. Non difceffere ab armis in Pharfalia ac Philippis civium legiones,
[3] nedum Othonis ac Vitellii exercitus fponte pofituri bellum fuerint. eadem illos deum
ira, eadem hominum rabies, eædem fcelerum cauffæ in difcordiam egere. Quod fingulis
velut ictibus tranfacta funt bella, ignavia principum factum eft. Sed me veterum novo-
rumque morum reputatio longius tulit: nunc ad rerum ordinem venio. [4] Profecto 39
Brixel-

paulatim defpecta fuerit in vetuftioribus exemplaribus confpectior, utpote notans nomen *Suetonium*: Ita enim hinc colligo fcribi debere *præcipue Suetonium Paulinum*. Jac. Gronovius.

1 *Obftructumque moribus fuis principem.*] Repofui, *obftrictumque meritis fuis principem*. Rhenanus. Venetus *moribus*. quam vocem vulgatæ non antepono, præfertim à Flor. firmatæ. *Pichena*. Ego fere τὸ *moribus* præferam: ut fit, qui non veniffet ad imperium, nifi legatorum & ducum hi mores fuiffent: nifi eum, cui malos mores & improbitatem fuam imputare poffent. *Gronovius*.

2 *Cn. Pompejus occultior, non melior.*] Salluft. apud Sueton. de Gram. *Pompejus oris probi, animique inverecundi.* Savilius.

3 *Nedum Othonis ac Vitellii exercitus.*] Qui fcil. ut fupra dixit, linguis moribufque diffoni, nec de rep. aut imperio follicit. Quod fequitur, *illos*, referendum eft ad Othonianos ac Vitellianos exercitus ducefque, non ad Pharfalicos, & Philippenfes. *Pichena*.

4 *Profecto Brixellum Othone.*] Prælii hujus defcriptio laborat multis non excufandæ negligentiæ vitiis. Sed, ut prius extricetur lectionis ambiguum, in editis quibufdam exemplaribus verba fic emendata leguntur: *Confluentes Padi & Addua fluminum petebant*, ubi Vett. Miff. habent *Padi & Agele*, manifefto corrigentis errore. Padus & Addua confluunt fupra Cremonam; Bedriaco inferius ad vigefimum milliare remoto; ut Othoniani è campis Bedriacenfibus excita mole exercitus, pugnæque in Vitellianos accincti, qui circa Cremonam erant, contendere non debuerint ad confluentes Padi & Adduæ: obftat enim loci diftantia, cum recta Bedriacum inter & confluentem Adduæ via longius excurrat, quam pofiti hac defcriptione termini patiuntur. Quærendus itaque fluvius Pado confluens, quatuor aut circiter infra Cremonam milliaribus; fortaffe Ollius, aut alius, ad cujus confluentem Othoniani progrediebantur, & unde haud procul factum prælii initium. Tacitus vero ignarum dimittit lectorem, (quod fummopere mireris) ubi Vitellianis caftra fuerint. Macer fuos habuit gladiatores haud procul Cremona, cui Cæcina pontem objecit, ftructum, ut circumftantiæ fuadent, non longe à præcipua caftrorum fede. Difperfi quoque fuga Vitelliani Cremonam petunt, munitionis caput & refugii locum. Tandem 3. Hift. ubi de Cremona, *eadem rurfus belli fedes*, & eod. lib. *Othoniano bello Germanicus miles mœnibus Cremonenfium caftra fua, caftris vallum fuum circumjecerat*; res animadverfione digna, fed gratior, fi hic fuiffet inferta. Ex omnibus hifce locis (fi meo ftetur judicio) certius, quam per conjecturas, ftatuere licet, Vitellianos caftra habuiffe ad Cremonam, quomodocunque illuc fuerint delati; nam fuper ea re, ut antea feci, non moveo auctori controverfiam. Othoniani autem, inquit Tacitus, quatuor progreffi milliaria, relictis tamen, quæ caftrorum Bedriacenfium defenfioni fufficerent, multis copiis; cum tamen locus ille, ad quartum à Bedriaco lapidem, in unam tantum noctem eligeretur. Othoniani enim magna clade accepta, Bedriacum confugiebant. Longius inde & fexdecim milliarium iter ingreffi, non recta

Brixellum Othone, honor imperii penes Titianum fratrem; vis ac potestas penes Proculum præfectum. Celsus & Paulinus, cum prudentia eorum nemo uteretur, inani nomine ducum, [1] alienæ culpæ prætendebantur. tribuni centurionesque ambigui, quod spretis melioribus deterrimi valebant. miles alacer, qui tamen [2] jussa ducum interpretari quam exsequi mallet. [3] Promoveri ad quartum à Bedriaco castra placuit; [4] adeo imperite, ut quamquam verno tempore anni, & tot circum amnibus, penuria aquæ fatigarentur. Ibi de prælio dubitatum; Othone per literas flagitante, ut maturarent; militibus, ut imperator pugnæ adesset poscentibus: plerique copias trans Padum agentes acciri postulabant. Nec perinde dijudicari potest, quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse quod factum est. [5] Non ut ad pugnam, sed ad bellandum profecti, Confluentes [6] Padi & Adduæ fluminum sedecim inde millium spatio distantes petebant. Celso & Paulino abnuentibus, *militem itinere fessum, sarcinis gravem, objicere hosti*, [7] *non admissuro quo minus expeditus & vix quatuor millia passuum progressus, aut incompositos in agmine, aut dispersos, & vallum molientes aggrederetur.* Titianus & Proculus [8] ubi consiliis vincerentur, ad jus imperii transibant. Aderat sane [9] citus equo Numida, cum atrocibus mandatis,

cta ut præsumere licet, sed ad læva Padi deflectentes, quatuor circiter milliaria infra Cremonam ad confluentes Padi & Oglio, ut hodie vocant, aut Agele, aut quodcunque fuerit nomen; & tamen non videntur ibi consedisse; sed recta in hostem, suis ad Cremonam munitionibus tutum, pergebant.. Nam (inquit Tacit.) plerosque Vitellianos equites intra vallum suum redegerant. Prout ergo rem concipio, misellus hic vicus Bedriacum, nomine ita ignoto præteritis consecutisque temporibus, ut situs ejus inter incerta ponatur, injusta hujus prælii fama celebratur præterita Cremona. Et tamen conspitat scriptorum omnium in illud nomen consensus; nisi forte hæc movet ratio, quod Othoniani in fugam sparsi eo se receperint. Pugnæ enim initium in vigesimum ab illo milliare incidit, & sub Cremonæ mœnia; Tempus autem si Josephum & Egesippum sequimur, in posterum à prælio ad Castoris diem. Sed Tacitus, cui hic potior debetur fides, in te magis ei explorata utpote intra Italiam gesta, alio nobis præit. Sueton. Oth. 9. occursum utriusque exercitus longe aliter describit. *Savilius.*

1 *Alienæ culpæ.*] Emendavimus, *alienæque.* Rhenanus.

2 *Jussa ducum interpretari.*] Id est, inquirere in caussas jussionis, & explorare ac ponderare, quam simplici obedientia parere. Tale in Agricola: *Adeo ut plerique, viso aspectoque Agricola, quærerent famam, pauci interpretarentur.* Significat, multos ex specie tantum externa judicasse, paucos inquisisse aut explorasse. *Lipsius.*

3 *Promoveri ad quartum.*] E Plutarcho scriberes, *ad sextum.* Nam ille quinquaginta stadia numerat. Sed & paulo post ubi noster XVI. milliaria numerat, Græci ejusdem computatione XII. saltem efficiuntur. Nihil tamen ego mutem. *Idem.*

4 *Adeo imperite*] Totum hunc locum verbatim Plutarchus expressit, ut pleraque alia: etsi haud multum ætate nostro inferior. *Idem.*

5 *Non ut ad pugnam, sed ad bellandum profecti.*] Imo plus est ad bellum se parare, quam ad prælium. Scribe, *ad debellandum.* Ibant non quasi ad incertum certamen, sed ut finem impositurі bello una victoria. *Grotius.*

6 *Padi & Adduæ.*] In Vatic. locus hic in litura, sic tamen ut aperte esset eruere scriptum antiquitus, *Padi & Agele:* aliena deinde manu factum, *Addua.* Sed Agela ignotum mihi flumen, & censeam vulgatam esse veram. De Addua, Plinius lib. II. Strabo XII. itemque Sidonius: *Vidimus ulvosum Lambrum, cæruleum Adduam, velocem Athesim, pigrum Mincium.* Lipsius.

7 *Non amissuro.*] Castig. *non admissuro*, &c. *Rhenanus.*

8 *Ubi consiliis vincerentur, ad jus.*] An jussa Othonis prætendebant? potius credendum est, eos dicere solitos, sic volo, sic jubeo. *Pichena.*

9 *Citus equo Numida.*] Quis hic Numida? num inter auxilia Othonis ea gens? minimè, sed inter obsequia, Ne fugiat enim te latens hic ex antiquo mos: quo receptum, ut viris lautioribus ditioribusque Afri aut Numidæ equites essent, ad iter. Præcurrebant illi, & agmen ducebant heri sequentis. Seneca epist. LXXXVIII. *O quam cuperem Catoni nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus, cursores & Numidas & multum ante se pulveris agentem!* Idem expressius epist. CXXIV. *Omnes sic jam peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.* Martialis:

Cum

tis, quibus Otho, increpita *ducum segnitia*, *rem in discrimen mitti* jubebat; [1] æger mora, & spei impatiens. Eadem die, ad Cæcinam operi pontis intentum, duo 41
prætoriarum cohortium tribuni, colloquium ejus postulantes, venerunt. Audire conditiones ac reddere parabat, cum præcipites exploratores adesse hostem nuntiavere. Interruptus tribunorum sermo. eoque incertum fuit, insidias, an proditionem, vel aliquod honestum consilium cœptaverint. Cæcina dimissis tribunis, revectus in castra, datum jussu Fabii Valentis pugnæ signum, & militem in armis invenit. Dum legiones de ordine agminis sortiuntur, equites prorupere, & mirum dictu, à paucioribus Othonianis, quo minus in vallum impingerentur, Italicæ legionis virtute [2] deterriti sunt. [3] ea strictis mucronibus, redire pulsos, & pugnam resumere coëgit. Disposita Vitellianarum legionum acies, sine trepidatione; etenim quamquam vicino hoste, aspectus armorum densis arbustis prohibebatur: apud Othonianos pavidi duces, miles ducibus infensus, mixta vehicula & lixæ, & præruptis utrimque fossis, via quieto quoque agmini angusta. Circumsistere alii signa sua, quærere alii: [4] incertus undique clamor, accurrentium; vocitantium: & ut cuique auda-

*Cum cathedralitios portet tibi rheda ministros,*
*Et Libys in longo pulvere sudet eques.*

De tali igitur hic capies: quando & Principibus illi in usu. Ex Martiali, in adventum Domitiani:

*Quando eques & picti tunica Nilotide Mauri*
*Ibitis? & populi vox erit una, Venit?*

Nec Suetonium aliter interpretemur (viderat sagacissimus Turnebus) in Nerone cap. XXX. *Iter fecisse traditur phalerata cum Mazacum turba atque cursorum.* Nam Mazaces, Afri. *Lipsius.*

*Citus equo Numida.*] Viti eminentiore dignitate tum temporis ducebant plerumque quosdam Africanos Numidas equites augendo comitatui, aut expediendis, quæ festinato opus haberent. Mart. l. 12. Epigr. 24. *Non vector Libyci caballi, Succinctus neque cursor antecedit.* Savilius.

1 *Æger mora, & spei impatiens.*] Talis in Homerico illo Hectore affectus:

*Βέλτερον αὖτ' ἔριδι ξυνελαυνέμεν, ὅττι τάχιστα*
*Εἴδομεν ὁπποτέρῳ κεν Ὀλύμπιος εὖχος ὀρέξῃ.*

Et Polybii verissima gnome: Βαρύτατος δὲ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁ τοῦ μέλλοντος γίνεται χρόνος. *Gravissima omnibus hominibus futuri temporis exspectatio.* Lipsius.

2 *Deterriti sunt.*] Ita clare ex MS. Med. notavi, quod truncantem Rhenanum & mutantem in *territi* cur toleraverit Pichena, permiror, nihilo enim melius, imo pejus est. *Jac. Gronovius.*

3 *Quæ strictis mucronib.*] Sustulimus pronomen *quæ*, & participium *astrictis* prima litera multavimus, Vocem *ea* substituentes, *Ea strictis mucronib.* &c. *Rhenanus.*

4 *Accurrentium, clamantium.*] Farnes. & priscæ editiones, *accurrentium, volantium*; Vatic. *vomantium* ut omnino aliud hic verbi fuerit; placetque Pichenæ, *vocitantium.* Lipsius.

*Incertus undique clamor accurrentium, clamantiumque.*] Submoto parelco *que* scripsimus, *accurrentium, clamantium.* Rhenanus. Corrupte in editis, *accurrentium, clamantium*: cum inepte dicatur *clamor clamantium.* Sed neque id verbum est à libris vett. Florent. *vomantium*, ex quo Lipsius, *boantium.* Mihi veteri scripturæ propius visum est, *vocitantium*, cum ex litera, *m*, facillime fieri possint litteræ, *cit*, ac reliquæ omnes congruant. *Pichena.* Quod ad marginem est *vocantium*, sententia sane requirit: nisi tamen quia in Vat. *vomantium* legitur, inque eo Lipsius latere aliud verbi putat, fuerit forte, *vocitantium.* Nam Muret. *acuentium, volantium*, æque ridicula, ac Palmerii *bovinantium.* Acidalius. Locus haud dubie corruptus. Veteres, *vomantium.* Unde fecerim; *vitantium*, nempe signa. *Ut vitare castra* paullo post dicit. Certum est hic agi de militibus; aliis strenuis, & accurrentibus, ad signa, aliis ignavis, & signa vitantibus. Horum autem diversus & incertus clamor. Considera sequentia, & agnosces restituendum hic esse verbum, quod τῷ *accurrere* opponatur. *Boxhornius.* Locus plane fractus, quia deserit eum codex Mediceus, nec certum auxilium præstat, sicut de eo recte refert Ryckius inquinata ejus scriptura. Hinc unusquisque sibi omnia libera esse censuit. Vides ista sibi obstantia. Non meliora sunt Ryckiana. In præteritis deerat *volitantium*; hoc igitur ab illo accedit; & ad hoc scribit vir Cl. respicere verbum *revehebantur.* At quis neget volitantes etiam accurrere? quid cap. 88. tribuni præfectique cum terrore & armatorum catervis volitantes? Quinam dicebantur *volitare in foro?* Non utique soli qui revehebantur, sed discursu suo magnisque illis motibus effectis notissimi, magis prorumpentes, quo vellent, & sic insultantes inimicis, quam revehentes. Ego miror, quum voces ipsæ in Tacito tam facile ab hoc aut illo trajiciantur, aut speciosiorem variis faciem præbuerint trajectæ,

audacia vel formido, [1] in primam postremamve aciem prorumpebant, vel [2] reve-
42 hebantur. Attonitas subito terrore mentes, falsum gaudium in languorem vertit, repertis qui *desciviſſe à Vitellio exercitum* ementirentur. Is rumor ab exploratoribus Vitellii dispersus, [3] an in ipsa Othonis parte, seu dolo, seu forte surrexerit, parum compertum. Omisso pugnæ ardore, Othoniani ultro salutavere; & hostili murmure excepti, plerisque suorum ignaris quæ caussa salutandi, metum proditionis fecere. tum incubuit hostium acies, integris ordinibus, robore & numero præstantior. Othoniani quamquam dispersi, pauciores, fessi, prælium tamen acriter sumpsere. & per locos arboribus ac vineis impeditos, non una pugnæ facies. [4] cominus eminus, catervis & cuneis concurrebant: in aggere viæ collato gradu, corporibus & [5] umbonibus niti, omisso pilorum jactu, gladiis & securibus galeas loricasque [6] perrumpere: noscentes inter se, [7] ceteris conspicui in eventum totius belli certa-
43 bant. Forte inter Padum viamque, patenti campo, duæ legiones congressæ sunt: pro Vitellio Unaetvicesima, [8] cui cognomen *Rapaci*, vetere gloria insignis; è parte Othonis, [9] Prima Adjutrix, non ante in aciem deducta, sed ferox, & novi decoco-

neminem aut cernere aut sustinere recte digerere literas trajectas in ignoti verbi participio *vomantium*. Inde enim videtur corrigendum *accurrentium morantium*. Hi sunt oppositi, ut *audacia & formido*, & mox *prorumpebant aut relabebantur*. Non aliud expedio. *Jac. Gronovius*.

1 *In primam postremamve aciem.*] Nos, *postremamque*. Rhenanus.

2 *Revehebantur.*] Flor. *relabebantur*. Non muto. *Pichena*.

3 *An in ipsa Othonis parte.*] *In* præpositionem delevi. *Rhenanus*. Muret. addita præpositione, *an in ipsa*, &c. *Acidalius*. Et reperitur in vetustissimo codice Medic. *Jac. Gronovius*.

4 *Cominus eminus.*] Scripsi, *Cominus eminusque*, &c. *Rhenanus*. Itaque quod ab Pichena fieri oportuit, sed fœde ab eo spretum, etiam Ryckio detrectante prodere, quamvis bene in schedis meis notatum, sed superbiente in interpolatis paginis, cogor fidei Beroaldi testimonium dare & codicem, unde Rhenanus illud *que* protulit, suspectum habere, quum in exemplari Mediceo tot sæcula præferente omnino non legatur. *Jac. Gronovius*.

5 *Umbonibus niti.*] Vocem, *niti*, ex Farnes. & Vatic. addidi: & vero abesse sine sententiæ incommodo non potest. *Lipsius*.

6 *Perrupere.*] Nos, *perrumpere*, hoc est perrumpebant. *Rhenanus*.

7 *Ceteris conspicui.*] Si quis *ceteri* volet legere, quemadmodum est in cod. MS. sic distinguet, *Noscentes inter se ceteri, conspicuum in eventum*, &c. *Idem*.

8 *Cui cognomen Rapaci.*] Non abs re arbitror, quoniam cognomina legionum sæpe Tacitus commemorat, veterem à me lapidem proponi, in quo ea ordine desculpta. Conspicitur autem Romæ in Capitolio, forma columellæ:

N O M I N A L E G.

| | | |
|---|---|---|
| II. AUGUSTA. | II. ADIUTRIX. | IIII. SCYTHICA. |
| VI. VICTRIX. | IIII. FLAVIA. | XVI FLAVIA. |
| XX. VICTRIX. | VII. CLAUDIA. | VI. FERRATENSIS. |
| VIII. AUGUSTA. | I. ITALICA. | X. FRETENSIS. |
| XXII. PRIMIGENIA. | V. MACEDONICA. | III. CYRENENSIS. |
| I. MINERUIA. | XI. CLAUDIA. | II. TRAIANA. |
| XXX. ULPIA. | XIIII. GEMINA. | III. AUGUSTA. |
| I. ADIUTRIX. | XII. FULMINATRIX. | VII. GEMINA. |
| X. GEMINA. | XV. APOLLINEA. | II. ITALICA. |
| XIIII. GEMINA. | III. GALLICANA. | III. PARTHICA. |
| I. PARTHICA. | II. PARTHICA. | |

Velim Dionis recensum legionum, qui est libro LV, cum hoc lapide conferri. à quo adjuti interpretes, paulo felicius sane eum vertissent. *Lipsius*.

9 *Prima adjutrix.*] Indebantur hæc cognomina legionibus fortuito, & plerumque arbitrio imperatoris; unde & primam legionem *Minervia* nomen habuisse Spartianus scribit. Sed & in veterum marmorum scriptionibus hæc eorum cognomina reperi, ut secunda legio *Italica*; *Germanica*, *Parthicaque* dicta fit; III. legio, *Augusta*, Cy-

coris avida. Primani, [1] stratis Unaetvicesimanorum principiis, aquilam abstulere: quo dolore accensa legio, & [2] impulit rursus Primanos, interfecto Orphidio Benigno legato; & plurima signa vexillaque ex hostibus rapuit. [3] A parte alia, propulsa Quintanorum impetu tertiadecima legio: circumventi plurium accursu quartadecimani. Et ducibus Othonis jam pridem profugis, Cæcina ac Valens subsidiis suos firmabant. Accessit recens auxilium [4] Varus Alphenus cum Batavis, fusa gladiatorum manu, quam navibus transvectam, oppositæ cohortes in ipso flumine trucidaverant. ita victores latus hostium invecti. Et media acie perrupta, fugere pas- 44
sim Othoniani [5] Bedriacum petentes. Immensum id spatium: obstructæ strage corporum viæ, quo plus cædis fuit. neque enim [6] civilibus bellis capti in prædam vertuntur. Suetonius Paulinus, & Licinius Proculus, diversis itineribus, [7] castra vitavere. Vedium Aquilam tertiædecimæ legionis legatum, iræ militum inconsultus pavor obtulit. [8] multo adhuc die vallum ingressus, clamore seditiosorum & fugacium circumstrepitur: non probris, non manibus abstinent; *desertorem proditoremque* increpant; nullo proprio crimine ejus, sed more vulgi, suum quisque flagitium aliis objectantes. Titianum & Celsum nox juvit, dispositis jam excubiis, compressisque militibus, quos [9] Annius Gallus precibus, consilio, auctoritate flexerat, *ne super cladem adversæ pugnæ, suismet ipsi cædibus sævirent. sive finis bello venisset, seu resumere arma mallent, unicum victis in consensu levamentum.* Ceteris fractus animus. Præ-

*Cyrenaica, Pratoria, Gallica*: IIII. *Macedonica*, V. etiam *Martia*: VI. *Ferratensis* & *Gallicana*: VII. *Claudia Geminia Gamilensis*: IX. *bis Augustalis*: X. *Fretensis Geminia*: XI. *Apollinaris*, sicut & XVI. Sed & legio XX. *Victrix*: XXII. *Primigenia* XIII. & XIIII. *Geminia*, quandoque & *Germanica*: XXX. & XXXII. *Virginia*. cæterarum nomina adhuc non comperi. *Alciatus.*

1 *Unaetvicesimanorum principiis.*] Aliquot libri, *principibus*, placet. *Lipsius.*

*Stratis unaetvicesimanorum principibus.*] Castigavi, *stratis Unaetvicesimanorum principiis.* Rhenanus. Plutarchus *principia* hic accipit, qui primos ducunt ordines: Πάντας προμάχους ἀπολέσαντες. Savilius.

2 *Impulit rursus Primanos.*] Hic *rursus* non significat iterum: sed, versa vice, ut sæpe apud Tacitum. *Pichena.*

3 *Aperte alia propulsa.*] Nos, *A parte alia, propulsa* &c. *Rhenanus.*

4 *Varus Alphenus.*] Præfectus castrorum Valentis, & nunc jussu Cæcinnæ relictus, ut Othonianis gladiatoribus manum consereret, ubi res poscere videretur. *Savilius.*

5 *Bedriacum petentes.*] Ad vigesimum inde milliare distans, ut ego intervallum dimetior; ut Plutarchus 150. stadia, id est paulo infra nonum decimum milliare. *Idem.*

6 *Civilibus bellis.*] Quæ contumaciæ causa fuerit Pichenæ, ut maluerit istud heri aut hodie natum *præliis* retinere, quam Tacitum versare ex summæ vetustatis membrana, quam ad manum habebat, ipse viderit. Nobis certe placent fundata & nixa certis ancoris. *Jac. Gronovius.*

7 *Castra vitavere.*] Farnes. *castra petivere.* falso. Nam Plutarchus aperte: Τῶν δὲ στρατηγῶν οὔτε Πρόκλος οὔτε Παυλῖνος συνεισελθεῖν ἐτόλμησαν, ἀλλ' ἐξέκλιναν φοβούμενοι τοὺς στρατιώτας. Lipsius.

8 *Multo adhuc die.*] Controversiam huic loco movere liceat, quomodo sexdecim milliaria conficere possit exercitus diei unius itinere, in hostem pugnare cæsusque & in fugam conjectus viginti emetiri milliarium viam, aut noctem prævertere suo illuc adventu, medio mense Aprili. *Savilius.*

9 *Annius Gallus.*] Consultationi ad Bedriacum habitæ non interfuit. Quando reversus eo fuerit, & cur, cæteris ad pugnam euntibus, ibidem substiterit, Taciti negligentia intactum reliquit, ut & complurium, quæ speciatim Celsum, Gallum, Titianum &c. spectant, ignoratione nos multat, cum accuratæ narrationis operam mereantur in subjiciendis Valenti & Cæcinæ Othonianis; Plutarcho non omissa, & iners auctoris nostri silentium arguentia, qui (si verum fateri licet) hac narratione ita defunctus est, ut illud solum intelligamus, quid scripserit, non intellexisse? Et sane quoad particularia scribit Plutarchus, qui in acie versati fuerint, professos sui se ignaros fuisse διὰ τὴν ἀταξίαν καὶ τὴν ἀνωμαλίαν i. *cum omnia confuse gererentur.* Neque tamen excusanda Tacitus commisit, cum Plutarchus minori rerum Romanarum notitia, cui nec ita faciles ad intima negotiorum aditus, ex duobus malis id prodiderit memoriæ, quod magis potuit intelligi; vir alioquin Tacito longe major. *Savilius.*

Prætorianus miles, *non virtute se, sed proditione victum* fremebat. *Ne Vitellianis quidem incruentam fuisse victoriam, pulso equite, rapta legionis aquila: superesse cum ipso Othone militum quod trans Padum fuerit; venire Mœsicas legiones; magnam exercitus partem Bedriaci remansisse: hos certe nondum victos;* [1] *& si ita ferret, honestius in acie perituros.* His cogitationibus truces aut pavidi, extrema desperatione ad iram sæpius, quam in formidinem stimulabantur.

45 At Vitellianus exercitus, ad quintum à Bedriaco lapidem consedit, non ausis ducibus eadem die oppugnationem castrorum. simul voluntaria deditio sperabatur. Sed expeditis & tantum ad prælium egressis, munimentum fuere arma & victoria. Postera die, haud ambigua Othoniani exercitus voluntate, & qui ferociores fuerant ad pœnitentiam inclinantibus, [2] missa legatio: nec apud duces Vitellianos dubitatum, quo minus pacem concederent. Legati paulisper retenti. ea res hæsitationem attulit, ignaris adhuc an impetrassent. Mox remissa legatione patuit vallum. Tum victi victoresque in lacrymas effusi, sortem civilium armorum misera lætitia detestantes. Iisdem tentoriis, alii fratrum, alii propinquorum vulnera fovebant. Spes & præmia in ambiguo; certa, funera & luctus. nec quisquam adeo mali expers, ut non aliquam mortem mœreret. Requisitum Orphidii legati corpus honore solito crematur: paucos necessarii ipsorum sepelivere: ceterum vulgus super humum relictum.

46 Opperiebatur Otho nuntium pugnæ, nequaquam trepidus, [3] & consilii certus. mœsta primum fama; dein profugi è prælio perditas res patefaciunt. Non exspectavit militum ardor vocem imperatoris. *bonum habere animum* jubebant. *superesse adhuc novas vires, & ipsos extrema passuros, ausurosque.* neque erat adulatio. Ire in aciem, excitare partium fortunam furore quodam & instinctu flagrabant. qui procul astiterant, tendere manus, & proximi prehensare genua; promptissimo Plotio Firmo. [4] Is prætorii præfectus, identidem orabat, *ne fidissimum exercitum, ne optime meritos milites desereret:*

[1] ma-

1 *Et si ita ferret.*] Nonne addendum aliquid ad illa fuerat? Forte legendum, *si fors ita ferret.* Acidalius.

2 *Apud duces Vitellianos dubitatum.*] Imo vero, *non dubitatum*, idque res & Plutarchus suadent. Ideo optima lectio quam ex Flor. adstruit Pichena: *missa legatio: nec apud duces.* Lipsius.

*Missa legatio, nec apud duces.*] Male vulgo: *missa legatione, apud duces.* unde Lipsius non immerito negationem inserendam censebat. Florentinus mihi ad veram correctionem prætulit facem. qui habet: *missa legatione. caput duces.* Infra eod. lib. *& missa legatio, qua gaudio fungeretur.* Pichena. Quo pacto dubitatum si illi castris abstinuere, sperantes voluntariam deditionem? *simul voluntaria deditio sperabatur.* Et centuriones jam præmiserant, qui de conditionib. agerent cum victis? Plutarch. in Oth. *ipsis vero proficiscentibus centuriones obviam facti sunt, qui dicerent motum jam exercitum Bedriacum petere, se autem à ducibus missos pro concordia.* An legationem non statim amplecterentur, qui animos hostium non demissos cernebant, & Mœsicos propediem sciebant affuturos? hæc nonnihil urgent, non addam tamen negationem, ut factum est eruditissimo viro. Putem *apud duces Vitellianos:* positum pro in castris Vitellii; exemplo Comicorum, qui dicunt *apud nos, apud vos* domi nostræ, vestræ. In castris enim Vitellii, qui concilio non interfuerunt, suspicati sunt Othonianos irritos spei ad suos reversurum, quo à ducibus diutule in concilio detenti fuerint, quasi ea mora signum esset pacis non impetratæ. Hæc an vera sint nec ne, sequentia non obscure docent. *legati paulisper retenti, ea res hæsitationem attulit ignaris adhuc, an impetrassent.* Salmerius.

3 *Et consilii certus.*] Malim, *sed cons. certus.* Rhenanus.

4 *Is prætorii præfectus.*] Duo Præfecti prætorio sub Othone, Licinius Proculus & Plotius Firmus. Tacitus lib. 1. *Prætorii Præfectos sibi ipsi legere, Plotium Firmum è manipularibus quondam, & Licinium Proculum.* Nec alios usquam nominat. Ut jure mirer in hac Othonis morte Plutarchum commemorare Pollionem prætorii Præfectum. Quod vix est ut sit sine mendo. verba ejus: Οἱ δὲ στρατιῶται, Πολλίωνος τοῦ ἐπάρχου τὲ ἐπάρχειν, ὁρμῶσιν εὐθὺς εἰς τὸν Οὐιτέλλιον κελεύοντος, &c. malimque Πλωτίου. nisi huic Plotio etiam Pollionis cognomen, quod unum dici superest. *Lipsius.*

*Is prætorii præfectus erat.*] Verbum *erat* sustulimus. *Rhenanus.*

[1] *majore animo tolerari adversa quam relinqui:* [2] *fortes & strenuos etiam contra fortunam*
*insistere spei; timidos & ignavos ad desperationem formidine properare.* Quas inter vo-
ces, ut flexerat vultum, aut induraverat Otho, [3] clamor & gemitus. Nec præ-
toriani tantum, proprius Othonis miles, sed [4] præmissi è Mœsia, *eandem obstina-*
*tionem adventantis exercitus,* [5] *legiones Aquilejam ingressas,* nuntiabant. ut nemo du-
bitet potuisse renovari bellum atrox, lugubre, incertum victis & victoribus. Ipse 47
aversus à consiliis belli, *Hunc*, inquit, *animum, hanc virtutem vestram ultra pericu-*
*lis objicere, nimis grande vitæ meæ pretium puto. Quanto plus spei ostenditis, si vivere*
*placeret,* [6] *tanto pulchrior mors erit.* [7] *Experti invicem sumus, ego ac fortuna.* [8] *nec*
*tempus computaveritis.* [9] *difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum.*
*Civi-*

1 *Majere animo tolerari.*] Hæc illa sunt, quibus jugulare Stoicos adversa omnis manus solet: pro quibus scutum habeo equidem quod opponam, nisi Religio me vetet. In hanc mentem igitur & Lucanus:

*- - - - fortissimus ille est,*
*Qui promptus metuenda pati, si cominus instent,*
*Et differre potest.*

Illa virgo apud egregium vatem (intelligo qui Thebaida scripsit)

*- - - non est, ut putas, virtus, pater,*
*Timere vitam: sed malis ingentibus*
*Obstare, nec se vertere. ac retro dare.*

Cæsar lib. 7. *Animi est ista mollities, non virtus, inopiam paullisper ferre non posse. Qui se morti ultro efferant facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant.* Q. Curtius: *Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quam odisse vitam. Sæpe tædio laboris, ad vilitatem sui compelluntur ignavi.* Biberunt omnes è patera Aristotelis, cujus hoc scitum in Ethicis: Τὸ δὲ ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἢ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ Heu taceo. *Lipsius.*

2 *Fortes & strenuos.*] Itaque Florus, libro 4. cap. 8. *Magna indolis signum est, sperare semper.* Idem.

3 *Clamor & gemitus.*] Plutarch. εἷς δὲ τῶν ἀφανεστέρων στρατιωτῶν, ἀνατείνας τὸ ξίφος, καὶ εἰπὼν, ἴσθι, Καῖσαρ, οὕτως ὑπὲρ σοῦ παρατεταγμένους ἅπαντας i. *ex gregariis militib. quidam elato in altum gladio & clamore, omnes, inquit, ô Cæsar sic affecti sumus ut in tuam gratiam vel in nosmet ipsos manus vertere non recusemus.* Savilius. Clamorem accipio lætas acclamationes, cum Otho flexerat vultum: gemitus vero, quando induraverat. *Pichena.*

4 *Præmissi è Mœsia* ] Nos, *præmissi Mœsia.* subauditur autem è præp. *Rhenanus.* Addidi ex Flor. ac Ven. præpositionem, è, in vulgatis vacantem. *Pichena.* Muret. è *Mœsia.* Sed innumeris locis præpositiones ad eum modum omissæ, incertum ab ipso auctore an ab exscriptoribus. *Acidalius.*

5 *Legiones Aquileiam ingressas.*] De Mœsiæ legionibus tribus loquitur, de quibus hoc ipsum infra: *Aquileiam jam progressa, rapta pecunia & inter se divisa, hostiliter egerunt.* Hoc eo noto, quod in Suetonio aliter legas, & dumtaxat *bina ex his legionibus millia præmissa*, Aquilejam venisse. in Vespas. cap. 6. *Mœsiaci exercitus bina è tribus legionibus millia, missa auxilio Othoni, postquam iter ingressis nuntiatum est victum eum, ac vim vitæ suæ attulisse: nihilo secius Aquilejam usque perseveraverunt, quasi rumori minus crederent.* Et addit, metuentes ultionem de alio Imperatore cogitasse. Sed vereor ut Suetonius alucinetur in *duobus millibus:* qui non è Mœsicis, sed Pannonicis Dalmaticisque fuere. Ita enim idem Tacitus supra dixerat: *Læta Othoni principia belli, motis ad imperium ejus è Dalmatia Pannoniaque exercitibus. Fuere quatuor legiones, è quibus bina millia præmissa.* Nec apud Tacitum leges, de præmissis illis è legionibus Mœsiacis. Sane si & rem vides, probabilius tres ipsas legiones illa violenta & hostilia Aquilejæ ausas, & de Imperatore deliberasse, quam sola ex iis duo millia electa. *Lipsius.*

6 *Tanto pulchrior mors erit.*] *Tante* non est in volumine Budensi, nec est opus ea voce: subauditur enim, *Quanto plus spes ostenditis, si vivere placeret, pulchrior mors erit.* Nec hic solum omittit, sed & aliis in locis. Lib. 3. Hist. *Propinqua Cremonensium mœnia quanto plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dabant.* Eod. lib. *Nam amicorum ejus quanto quis clarior, minus fidus.* Proinde nos hoc quoque loco supposititiam vocem *tanto* submovimus. *Rhenanus.* Bene etiam vulgati, sine voce, *tanto*. neque etiam adjecissem, nisi in Flor. haberetur. *Pichena.*

7 *Experti invicem sumus ego & fortuna.*] Fortunam Otho expertus erat, cum imperium tam brevi duraturum accepisset: Othonem autem Fortuna, cum is recte modesteque imperasset, fortiterque abdicasset. *Idem.*

8 *Nec tempus computaveritis.*] Scripsi, *Ne tempus* &c. *Rhenanus.* Scripsi, *nec*, ex Flor. Vulgo *ne*. Pichena. Cum Mureto malim scribere & distinguere: *Nec tempus computaveritis. Difficilius* &c. *Acidalius.*

9 *Difficilius est temperare.*] Acute, ut solet, Statius hoc expressit:

*Civile bellum à Vitellio cœpit; & ut de principatu certaremus armis,*[1] *initium illic fuit: ne plusquam semel certemus, penes me exemplum erit. hinc Othonem posteritas æstimet. Fruetur Vitellius fratre, conjuge, liberis: mihi non ultione,*[2] *neque solatiis opus est.*[3] *Alii diutius imperium tenuerint;*[4] *nemo tam fortiter reliquerit. An ego tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus, sterni rursus, & reipublicæ eripi patiar? Eat hic mecum animus, tamquam perituri pro me fueritis.*[5] *sed este superstites. nec diu moremur, ego incolumitatem vestram, vos constantiam meam.*[6] *Plura de extremis loqui, pars ignaviæ*

*Non parcit populis regnum breve.* Et est humanum ingenium scilicet avidum tunc & præceps. *Lipsius.*

*Difficilius est temperare felicitati.*] Dativus *felicitati* non est in libro Regio, nec eo opus est. nam subauditur, *fortuna*, quod vocabulum præcedit, aut similis dativus quispiam, puta, *rei*, vel ablativus *re*, pro, *ab re.* Rhenanus. Aliquid simile Tacitus de Fabio Valente lib. seq. *Aderant vis & pecunia, & ruentis fortunæ novissima libido.* Sed cur breve imperium Otho sibi augurare potuit, cum in ipso ætatis flore, scilicet septimo & tricesimo anno obierit? credo ea ipsa ratione, quia jam fortunam erat expertus. *Pichena.* Hæc omnia eo tendunt, ut probent milites immania Othonis cœpta, simulque iis obviam eunt, *majore animo tolerari adversa quam relinqui.* Ii quibus læta, quibusque tristia jam experimento cognita, credebantur nimirum vixisse. 3. hist. *& prosperis adversisque satiatum, sed quod nomen quemque statum filio ejus Germanico fore?* Itaque Otho, quid moras (ait) meis destinatis, ô commilitiones, objicitis? satis jam satis jam vixi: si quidem experiendo didici, quid prospera sint, quidque adversa, & (quod me facit vitæ securiorem) utrobique sancte me gessi: nec hilum promovebitis dicendo, quod non tantum temporis usus felicitate sim, quantum cum miseriis conflictavi, eoque vitæ parcendum, & obviam suspicioni eundum esse, nempe me felicem majore vivendi spatio eundem vitæ tenorem habiturum non fuisse; nam respondeo, qui verentur, ne secunda momentanea sint; ii sese immergere solent in vitiorum sentinam: quæ cum à me brevis meæ felicitatis præscio facta non videatis, non est, quod ejusmodi me deterrere tentetis. *Hæc experti invicem sumus ego ac fortuna.* non discordant ab istis 3. hist. *Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant, quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.* At fortuna exilio per decennium Othonem experta est. Suet. cap. 3. *Provinciam administravit quæstorius per decem annos moderatione atque abstinentia singulari.* Contra Otho fortunam, imperio nonaginta quinque dies modeste administrato. Quæ vero dixi de suspicione, quam habebat Otho de sui imperii brevitate, his firmantur. Suet. c. 7. *Postridie quoque in augurando tempestate orta graviter prolapsum, identidem obmurmurasse, τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς i. quid enim mihi & longis tibiis?* Cæterum hic habes, quam impotenter in imperiis agant, qui se ὠκυμόρους credunt: quos imitantur ministri senum dominorum. 1. hist. *servorum manus subitis avida & tanquam apud senem festinantes.* unde non illepide Tejus Anacreon: Ἐγὼ δὲ τὰς κόμας μὲν Εἴτ' εἰσὶν, εἴτ' ἀπῆλθον, Οὐκ οἶδα, τοῦτο δ' οἶδα, Ὡς τῷ γέροντι μᾶλλον Πρέπει τὸ τερπνὰ παίζειν, Ὅσῳ πέλας τὰ μοίρης i. *ego vere coma defluxerint nec ne, ignarus sum, hoc unum autem scio senem decere magis lusus ludere quo magis fatum propinquat.* Salinerius.

1 *Initium illic fuit.*] Malim, *illinc.* Rhenanus.

2 *Neque solatiis opus est.*] Scilicet, quæ ab ipsa ultione accipere potuisset, fratrem, conjugem ac liberos Vitellii occidendo. *Pichena.*

3 *Alii diutius imperium tenuerint.*] Sic rectius Flor. nam sequitur, *reliquerit.* Vulgo, *tenuerunt.* Pichena.

4 *Nemo tam fortiter reliquerit.*] Verbum *reliquerit* delendum est. nam optime habet sententia: *Alii diutius imperium tenuerunt, nemo tam fortiter,* subaudi *tenuit.* Loquitur autem de fortitudine animi, qua mortem etiam non timebat. *Rhenanus.* Non solum Otho primas tulit inter Reges, qui mortem sibi consciverunt, sed Martiale arbitro, fortius ipso Catone in ferrum incubuit Lib. 6. Ep. 22. *Salinerius.*

5 *Sed este superstites.*] Muretus. *sed estote.* Pich.

6 *Plura de extremis loqui.*] Quem non capiant hæc talia, ex intimo animorum & affectuum penetrali deprompta? & sunt assidua in nostro scriptore. Quinctilianus Declamator simile, Declam. CCCXLIV. *Jam mihi narras moras. ipsum illud secretum quærere, & putare interesse ubi pereas, non est ardentis in mortem impetus. Non fiunt ista nisi subito, nec quisquam (præsertim nulla gravi præcedente caussa) spiritum ratione deposuit.* Etiam Ajax apud Sophoclem jam se interfecturus:

Ἀλλ' οὐδὲν ἔργον ταῦτα θρηνεῖσθαι μάτην
Ἀλλ' ἀρκτέον τὸ πρᾶγμα σὺν τάχει τινί.
Ὦ θάνατε, θάνατε, νῦν μ' ἐπίσκεψαι μολών:
*Sed cui bono sit ista frustra plangere?*
*Res ipsa agenda est, & quidem celeri manu.*
*O mors adesdum, ô mors veni atque me vide.*

Lipsius.

1 *Non*

*viæ est. præcipuum destinationis meæ documentum habete, quod de nemine queror; nam incusare deos vel homines, ejus est, qui vivere velit.* Talia locutus, ut cuique ætas 48 aut dignitas, comiter appellatos, *irent propere*, [1] *neu remanendo iram victoris asperarent*, juvenes auctoritate, [2] senes precibus movebat: placidus ore, intrepidus verbis, intempestivas suorum lacrymas coërcens. *Dari naves ac vehicula* abeuntibus jubet: libellos epistolasque, studio erga se, [3] aut in Vitellium contumeliis insignes, abolet: pecunias distribuit, parce, nec ut periturus. Mox [4] Salvium Coccejanum fratris filium [5] prima juventa, trepidum & mœrentem, ultro solatus est, laudando *pietatem* ejus, castigando *formidinem*; *an Vitellium tam immitis animi fore, ut pro incolumi tota domo, ne hanc quidem sibi gratiam redderet? mereri se festinato exitu clementiam victoris. Non enim ultima desperatione, sed poscente prælium exercitu remisisse reipublicæ novissimum casum. Satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quæsitum. post Julios, Claudios, Servios, se primum, in familiam novam imperium intulisse. proinde erecto animo capesseret vitam*, [6] *neu patruum sibi Othonem fuisse, aut oblivisceretur unquam*, [7] *aut nimium meminisset.* Post quæ, dimotis omnibus, paulum 49 requievit. atque illum [8] supremas jam curas animo volutantem [9] repens tumultus aver-

1 *Neu remanendo iram victoris asperarent.*] Castigavi, *neu remorando.* Rhenanus. Huic Florentini aliorumque veterum lectioni Rhenanus ex suo Budensi substituerat: *neu remorando.* Pichena.

2 *Senes precibus movebat.*] Verbum, *movebat*, reposui ex Flor. verius, ni fallor, ad Taciti mentem, quam, *monebat*, ut in vulgatis. Jam enim Otho illos monuerat: postea vero auctoritate aut precibus impellebat, ut abirent. *Pichena.*

3 *Aut in Vitellium.*] Præpositionem *in* sustulimus. *Studio erga se, aut Vitellium* (subauditur *erga* repetitum) *contumeliis insignes abolet.* Rhenanus. Addenda videtur, *in*, præpositio, legendumque: *Aut in Vitellium*, &c. *Ursinus.* Et legitur quoque in medic. *Jac. Gronovius.*

4 *Salvium Coccejanum fratris filium.*] Melius ita, quam *Coccejum*, quod Plutarchus præfert. Nam & Tranquillus ita appellat, in Domit. cap. x. ubi narrat hunc interfectum. At Suetonius non fratris solum filium, sed ipsum hic fratrem præsentem facere videtur: contra Taciti & Plutarchi narrationem apertè. Nam ille in castra evaserat è pugna, seque cum aliis dedidit. Suetonii tamen verba, cap. x. *Fratrem igitur, fratrisque filium, & singulos amicorum cohortatus.* quæ profecto non vera, si verus Tacitus. *Lipsius.*

5 *Prima juventa trepidum.*] Sic distinguendum putavi, cum esset, *prima juventa trepidum*, multo deteriori sensu, quasi ille adeo trepidasset, quod juvenis adhuc esset. *Non ego hoc ferrem calidus juventa:* ut ait Horatius. *Freinshemius.*

6 *Neu patruum sibi Othonem.*] Totidem pene verbis Plutarchus: μήτε ἐπιλαθέσθαι παντάπασι μήτε ἄγαν μνημονεύειν, ὅτι Καίσαρα θεῖον ἔσχε. Non audiemus Beatum, qui verbum, *nimium*, auctore Budensi codice delet, & una sententiæ acumen. Totum id enim in eo. sicut & in Plinii loco fuerat, epist. xiv. lib. III. quem depravarunt: *Largius Macedo superbus alioqui & sævus dominus, & qui servisse patrem suum parum imo minimum meminisset.* Tu scribe: *nimium meminisset.* Lipsius.

7 *Aut nimium meminisset.*] Adverbium *nimium* non est in cod Bud. Videtur adjectum ab eo, qui putabat alioqui sententiam esse imperfectam: quum horum verborum, *Neu patruum sibi Othonem fuisse, aut oblivisceretur unquam, aut meminisset*, sensus sit, Nec se fuisse talem, cujus pudere merito queat, ut ipsius obliviscendum sit, nec rursum adeo profuisse, ut longam apud suos memoriam meruerit, aut expectet pro beneficiis celebrari. Miram Othonis modestiam arguunt hæc verba. *Rhenanus.* Excidere Salvio patrui vera monita: nam si memor, nunquam celebrasset ejus natalem. Sueton. Dom. 10. *interemit Salvium Coccejanum, quod Othonis imperatoris patrui sui diem natalem celebraverat.* Sed Otho moribundus exitium nepotis vere præsagit, quasi vera prædicentur ab iis, qui jam jam vitam sunt cum morte commutaturi. Hom. Il. π. 850.

Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν,
Οὔ θην οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βέῃ, ἀλλά τοι ἤδη
Ἄγχι παρέστηκεν θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή.

i. *Aliud autem tibi dicam, tuque in pectus conde tuum. Non equidem neque tu ipse diu vives, verum jam tibi mors imminet, & potens fatum.* Et quidem Patroclus falsus animi non est. Orodes etiam eodem eventu eadem Mezentio prænuntiat. Virgil. l. 10, 739. *Salinerius.*

8 *Supremas jam curas animo volutantem.*] In volumine regio legitur, *jam super c. a. vertentem.* Scripsimus, *jam supremas curas agentem.* Rhenanus. Non video cur spreverit Rhenanus hanc lectionem ab optimis exemplarib. præsertim a Flor. firma-

avertit, nuntiata consternatione ac licentia militum. namque abeuntibus [1] exitium minitabantur, atrocissima in Verginium vi, quem clausa domo obsidebant. increpitis seditionis auctoribus regressus, vacavit abeuntium alloquiis, donec omnes inviolati digrederentur. [2] Vesperascente die, sitim [3] haustu gelidæ aquæ sedavit. [4] tum allatis pugionibus duobus, cum utrumque pertentasset, alterum capiti subdidit. & explorato, jam profectos amicos, noctem quietam, utque affirmatur, non insomnem egit. Luce prima, in ferrum pectore incubuit. ad gemitum morientis, ingressi liberti, servique, & Plotius Firmus prætorii præfectus, unum vulnus invenere. Funus maturatum. ambitiosis id precibus petierat, *ne amputaretur caput, ludibrio futurum.* Tulere corpus prætoriæ cohortes, cum laudibus & lacrymis, vulnus manusque ejus exosculantes. Quidam militum, juxta rogum interfecere se, non noxa, neque ob metum; sed æmulatione decoris, & caritate principis. ac postea promiscue Bedriaci, [5] Placentiæ, aliisque in castris, celebratum id genus mortis. Othoni [6] sepulcrum exstructum est, modicum, & mansurum. Hunc vitæ
50 finem habuit septimo & [7] tricesimo ætatis anno. [8] Origo illi è municipio Ferentino.

matam. *Pichena.* Et frustra ab Rhenano sollicitatum pronuntiavit quoque Nic. Heinsius ad Vellejum 2, 46. *Jac. Gronovius.*

9 *Repens tumultus avertit.*] Non hic ausim reponere *advertit.* eo significatu, quo in Annalib. noster utitur, & nos ibi notavimus. *Acidalius.*

1 *Exitum minitabantur.*] Castig. *exitium.* Rhenanus.

2 *Vesperascente die.*] Farnesiano est, *vesperante.* quod verum arbitramur. Agellius: *Ubi jam Vesperaverat.* Lipsius.

3 *Haustu gelidæ aquæ.*] Habeas ita licet, prout te habere volunt omnes. Scias tamen etiam licet vocem postremam in MS. Mediceo esse alterius formæ, quam veteribus literis inest, & clara illic vestigia secundæ manus, ut merito ambigas. Habemus certe ita in Evangelio Matthæi ποτήριον ψυχροῦ. Noster tamen 13. ann. 16. dicit *frigida in aqua affundi venenum.* Jac. Gronovius.

4 *Allatis pugionibus.*] Vocem addunt aliquot libri, *pugionibus duobus.* atque ita Plutarchus: δυοῖν ὄντων αὐτῷ ξιφῶν. Idem.

*Tum allatis pugionibus duobus, cum utrumque pertentasset.*] Liber Msc. *Tum allatis pugionibus, cum utrimque temptasset* (hoc est ab utraque acie) *alterum capiti subdit*, non *subdidit.* Apparet autem fuisse duos, quia dicit, *alterum capiti subdit.* ergo subintelligitur ablativus *duobus.* quam lectionem nos in contextum retulimus. *Rhenanus.* Ex Ven. addidi vocem, *duobus*, certe necessariam, cum postea dicat, *utrumque.* Dein Flor. ac Ven. *cum utrumque pertentasset, alterum capiti subdidit.* Vulgo, *cum utrumque tentasset, alterum capiti subdidit.* Pichena.

5 *Placentia, aliisque in castris.*] Erasimus particulam *que.* nam gaudet asyndeto Tacitus. *Rhenanus.* Ex Flor. restitui copulam, *que*, nam in æditis exciderat. *Pichena.*

6 *Sepulchrum exstructum.*] Plutarch. *Brixelli.* Savilius. Si enim superbum & operosum exstruxissent, Vitellius forte aut alii futuri principes invidia sustulissent. *Idem.*

7 *Tricesimo ætatis anno.*] Otho natus erat, testante Sueton. c. 2. Camillo & Ahenobarbo Coss. vigesimo die Aprilis, A. V. C. 785. denatus 822. Galba iterum & Vinio Cos. Mensem non exprimit Tacitus, ut hac negligentiæ culpa creber est, etiam in rebus magni momenti. Nihilominus si Principatus initium repetas à decimo quinto Januarii, ut 1. hist. & mortuus sit, ut testatur Sueton. nonagesimo & quinto imperii die, computatis in Januarium septemdecim, octo aut novemdecim in Februarium, uno & triginta in Martium, incidet mors ejus in decimum octavum aut nonum Aprilis. Verum quidem est, à Xiphilino & Zonara tribui tantum imperio ejus novem & decem dies, sed ex eodem erroris fonte uterque hausit, ut arbitror. Otho enim Roma profectus est, suffragante Sueton. c. 8. die quo cultores Deum matris lamentari & plangere incipiunt, qui XXVII. Martii est, ex sententia Marcellini. Et viginti tres aut quatuor dies videri possunt nimis pauci, quam ut rebus tam arduis sufficerint, quales Tacitus contigisse vult intra istos & mortis tempus. Jam vero à XXVIII. Aprilis anno 785. usque ad decimum octavum aut nonum Aprilis anno 822. numerantur anni triginta septem, ut hic refert Tacitus (cum quo sentiunt Zonaras & Xiphilinus, non triginta, octo, ut vult Sueton. qui utrumque extremum eodem amplectitur computo) deficientibus novem aut decem diebus ad explendum numeri integri hiatum; Xiphilinus deesse scribit undecim dies, ζήσας ἑπτὰ καὶ τριάκοντα ἔτη, ἕνδεκα ἡμερῶν δέοντα. Savilius.

8 *Origo illi è municipio.*] Tamen Romæ natus est. *Idem.* In Mediceo autem non legitur *Ferentino;*

tino. Pater consularis; avus prætorius: [1] maternum genus impar, nec tamen in-
decorum. pueritia ac juventa, qualem monstravimus. [2] duobus facinoribus, alte-
ro flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros [3] meruit bonæ famæ,
quantum malæ. Ut conquirere fabulosa, & fictis oblectare legentium animos, pro-
cul gravitate cœpti operis crediderim: ita vulgatis traditisque demere fidem non au-
sim. *Die quo Bedriaci certabatur, avem* [4] *invisitata specie*, [5] *apud Regium Lepidum
celebri luco consedisse*, incolæ memorant, *nec deinde cœtu hominum*, [6] *aut circumvoli-
tantium alitum, territam pulsamve, donec Otho se ipse interficeret:* [7] *tum ablatam ex
oculis: & tempora reputantibus, initium finemque miraculi, cum Othonis exitu compe-
tisse.* In funere ejus, novata luctu ac dolore militum seditio; nec erat, qui coër- 51
ceret. Ad Verginium versi, modo *ut reciperet imperium*, nunc *ut legatione apud Cæ-
cinam ac Valentem fungeretur*, minitantes orabant. [8] Verginius [9] per aversam do-
mus partem furtim degressus, irrumpentes frustratus est. Earum, quæ Brixelli
egerant, cohortium preces, Rubrius Gallus tulit. [10] Et venia statim impetrata;
con-

*tino*, ut ab primo Beroaldi gradu continuant omnes editi, sed *Ferentie.* Et sane utrumque nomen agnoscit Phil. Cluverius in Italia antiqua, ubi hunc quoque locum adducit. *Jac. Gronovius.*

1 *Maternum genus impar.*] Quomodo? si splendidissima ea fœmina fuit, Suetonio testante? Scribit enim de patre Othonis: *Ex Albia Terentia splendidissima fœmina duos tulit filios.* Sed melior ibi scriptura, *splendida fœmina:* quam ex opt. libro Torrentius adnotavit. idque non aliud quam ordinem equestrem proprie notat. *Lipsius.*

*Maternum genus impar.*] Sueton. appellat *splendidissimam fœminam* c. 1. *Savilius.*

2 *Duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio.*] Alterum intelligit cædem Galbæ, alterum suam ipsius mortem. *Pichena.*

3 *Meruit bonæ famæ.*] Martial. l. 6. Ep. 31.

*Sit Cato, dum vivit, sane vel Cæsare major:*
*Dum moritur, numquid major Othone fuit?*

Savilius.

4 *Invisitata specie.*] Sic accurate notabam legi in vetustissimo Mediceo, quum ederent *inusitata.* In quo bene consuluit Ryckius, quum varia loca sic corrupta, sed ab doctis restituta eum hortarentur etiam solum illum codicem præponere omnibus; nulla enim illic mentio interpolati istius, ut vides. *Jac. Gronovius.*

5 *Apud Regium Lepidum celebri vico consedisse.*] Scripsimus, *celebri luco.* Rhenanus. Ita hodie legimus apud Tacitum: sed scripserat ille insignis vir: *celebri loco.* Fuit enim Regium Lepidum celebre oppidum à M. Lepido C. Flaminii collega sic dictum, qui τὴν ἑξῆς μέχρι Βονωνίας κατεῖχον οἱ Ανδαλῖαι περὶ τὰς ῥίζας τῆς Ἄλπιος ἐξαυχενιζόμενοι τὴν ὕλην ἔχοντες. secundum Strabonem. Idem Ῥήγιον Λέπιδον vocat, rectius fortasse, quam Ptolemæus Λεπίδιον. Sic Rutilius in itinerario: *Lepidum reddit ense malum.* Plinio sunt Regienses de Lepido. Hodieque *Reggio* dicitur. *Colerus.*

6 *Aut circumvolitantium alituum.*] Conjunctionem *aut* delevimus, & scripsimus, *circumvolitantem alitem.* Rhenanus.

7 *Tum ablatam ex oculis.*] Codex Budensis, *Tum ablata ex oculis*, subauditur *est.* Sed tum oportebit in clausula, quæ sequitur, *& tempora reputantib. initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse*, rursum subaudire verbum *memorant*, aut *ajunt.* Idem.

8 *Verginius.*] Plutarch. μανικὸν ἡγησάμενος τὴν ἡγεμονίαν τῶν ἡττημένων παραλαβεῖν, νενικηκότων πρότερον μὴ θελήσας. i. *insanum existimans accipere imperium à victis, cum antea idem recusasset accipere à victoribus.* Savilius.

9 *Per aversam domus portam furtim digressus.*] Muret. *partem* maluit. Parum abest, quin ego & hoc & illud spernam, scribamque, *per aversa domus furtim digressus.* Qui minus enim hic ita, si ad finem lib. 3. recte Lipsius eodem modo. *Vitellius capta urbe, per aversa Palatii, Aventinum in domum uxoris sellula defertur.* Nam & hic vulgo, *per aversam Palatii partem*, & Roman. non, *portam.* Si alterutrum utrobique reponendum, quod crediderim: *partem* retinendum. Ea enim utitur post lib. 3. hist. *Et monuit Martialem, ut per secretam ædium partem occulte abiret.* Acidalius. Sapienter ita electum, quippe quod etiam confirment membranæ Mediceæ; ut mirer tantam remissionem in Pichenæ & oculis & manu. Cur autem Ryckius citat hæc ipsa duo loca? ab aliis bene producta, ab ipso nonnisi indecenter. Legitur in eisdem *adversam*, & *degressus*, non *dig.* Jac. Gronovius.

10 *Et venia statim impetrata.*] Nisi defectus sit locus legendum putem; *cohortium, preces Rubrius Gallus tulit: & venia statim impetrata. Concedentib. ad victorem per Fl. Sabinum iis copiis quibus præfuerat; & posito*, &c. *Freinshemius.*

Y 1 *Ile*

concedentibus ad victorem, per Flavium Sabinum, [1] iis copiis quibus præfuerat.
52 Posito ubique bello, magna pars senatus extremum discrimen adiit, profecta cum
Othone ab urbe, dein Mutinæ relicta. [2] illuc adverso de prælio allatum. sed mili-
tes, ut falsum rumorem aspernantes, quod infensum Othoni senatum arbitraban-
tur, custodire sermones, vultum habitumque trahere in deterius: [3] conviciis po-
stremo ac probris caussam & initium cædis quærebant: cum alius insuper metus se-
natoribus instaret, ne prævalidis jam Vitellii partibus, cunctanter excepisse victo-
riam crederentur. ita trepidi & utrimque anxii coëunt: nemo privatim expedito
consilio, inter multos [4] societate culpæ tutior. Onerabat paventium curas [5] or-
do Mutinensis, *arma & pecuniam* offerendo, [6] appellabatque *Patres Conscriptos*, in-
53 tempestivo honore. Notabile jurgium inde fuit, quo Licinius Cæcina Marcellum
Eprium, *ut ambigua disserentem*, invasit. Nec ceteri sententias aperiebant: sed in-
visum memoria delationum, expositumque ad invidiam Marcelli nomen [7] irritave-
rat Cæcinam, ut novus adhuc, & in senatum nuper adscitus, magnis inimicitiis
clarescеret. Moderatione meliorum diremti. Et rediere omnes Bononiam, [8] rur-
sus consiliaturi. simul medio temporis, plures nuntii sperabantur. Bononiæ, di-
visis per itinera qui recentissimum quemque percunctarentur, interrogatus Othonis
libertus *caussam digressus*, *habere se* [9] *suprema ejus mandata* respondit: *Ipsum viventem
quidem relictum*, *sed* [10] *sola posteritatis cura*, *& abruptis vitæ blandimentis*. Hinc ad-
miratio, & plura interrogandi pudor. Atque omnium animi in Vitellium inclina-
54 vere. Intererat consiliis frater ejus L. Vitellius, seque jam adulantibus offerebat;
cum repente [11] Cœnus libertus Neronis, atroci mendacio universos perculit, affir-
mans *superventu quartædecimæ legionis*, *junctis à Brixello viribus*, *cæsos victores*, *ver-
sam partium fortunam*. Caussa fingendi fuit, [12] ut diplomata Othonis, quæ negli-
ge-

1 *Iis copiis.*] Gladiatorum. *Savilius.*

2 *Illuc adverso de prælio allatum.*] Nos, *illuc de adverso* &c. *Rhenanus.* Et tamen illam præpositionem sic positam in medio adjectivi & substantivi servat etiamnum MS. Mediceus, cui parere oportet, ut fecit etiam Ryckius. Sed Rhenanus in hoc genere perversus, ut videbis etiam cap. ult. *Jac. Gronovius.*

3 *Conviciis postremum.*] Scripsi, *postremo*. nec refert utro modo legas. *Idem.*

4 *Societate culpa tutior.*] Puto, *tutiores*. Lipsius.

5 *Ordo Mutinensis.*] Id est, decuriones Mutinensium, tanquam publicum loci consilium. *Savilius.*

6 *Appellabatque patres consultos.*] Castigavi, *appellabatque patres conscriptos.*

7 *Irritaverat Cæcinam.*] Fatebere multo hic rectius legi *invitaverat*. Acidalius.

8 *Rursus consiliaturi.*] Non muto. Horatius eo verbo usus, *Gratum elocuta consiliantibus Iunone divis*, & alii. *Lipsius.*

*Rursus consiliaturi.*] Quid si legas, *consilituri*, à verbo *consilire*. Nam ante dispersi fuerant. hoc verbo Tacitus utitur lib. 5. Ann. *Patrem Abdagasen*, *aliosque occultos consilit.* nisi mendosa est editio. Construit cum dativo lib. Ann. 3. *Heduos evincite*, *& fugientibus consilite.* Rhenanus. Alias, *consulturi.* Ferrettus. Scribendum, *consilituri.* Vertranius.

9 *Suprema ejus mandata.*] Postquam omnes dimisisset Senatores. Sueton. c. 10. *Secreto captato binos codicillos exaravit ad sororem consolatorios: sed & ad Messalinam Neronis, quam matrimonio destinaverat, commendans reliquias suas & memoriam*, additis ad Vitellium mandatis in amicorum suorum gratiam, ait Zonaras. *Savilius.*

10 *Sola posteritatis cura.*] An de iis, quæ post mortem fieri vellet? Verius interpretor curam famæ suæ apud posteros. *Pichena.*

11 *Cœnus libertus.*] Sic in libris antiquis scribitur. Vulgo, *Cenus.* Idem.

12 *Diplomata Othonis.*] Ad cursum publicum ea spectant, & à Principe dabantur. Si ergo ille mortuus, quis pareret? Sed de Diplomatis plene alibi: nunc Suetonii locum παρέργως emendemus, Calig. cap. XXXVIII. *Prolata divorum Julii & Augusti diplomata*, *ut vetera & obsoleta deflebat.* Cur deflebat? aut qui id convenit? vidi qui *delebat*, vellet. Ego, *deflabat*, vel *difflabat*, verum contendo. non enim alio gestu melius expresseris superbum habitum illum contemnentis & respuentis. Eaque difflatio etiam in nostris hodie moribus, ubi elevamus quid aut aspernamur. *Lipsius.*

Ut

gebantur, lætiore nuntio revalescerent. Et Cœnus quidem [1] rapidus in urbem vectus, paucos post dies, [2] jussu Vitellii pœnas luit. Senatorum periculum auctum, credentibus Othonianis militibus vera esse quæ afferebantur. Intendebat formidinem, quod publici consilii facie, discessum Mutina, desertæque partes forent. Nec ultra in commune congressi, sibi quisque consuluere; donec missæ à Fabio Valente epistolæ, demerent metum. Et mors Othonis, quo laudabilior, eo velocius audita. At Romæ nihil trepidationis: [3] Cereales ludi ex more spectabantur, ut 55
*cessisse vita Othonem, & à Flavio Sabino præfecto urbis, quod erat* [4] *in urbe militum sacra-*

*Ut diplomata Othonis, quæ negligebantur revivifcerent.*] Institutum erat ab Imperatoribus, ut certis locis dispositi haberentur equi, quorum mutatione celerrime possent rerum gestarum nuntii ad Cæsarem ex provinciis venire. Non dabatur autem hic cursus publicus, nisi ei, qui sacrum diploma haberet; ut videlicet ante cæteros omnes, quicquid gereretur, Imperator sciret. Quapropter Præsides provinciarum, nisi ex magna causa, privatis diplomata non concedebant. quod ostendit Plinius in epist. ad Trajanum. Venulejus Jurisconsultus: *Non debet felici diplomate usus omni tempestate contempta continuare iter diebus & noctibus.* Ex his clarissimus redditur hic Taciti locus. *Rhenanus.* Edicta significat & mandata principis cujusque modi sint. Id enim *Diploma* est, quod duplicato contineri soleret aut lino, aut alia materia: referturque ad *tesseram cursoriam*: quo significatu passim accipitur in nostris libris, ut in libro 12. c. de cursu publico, & alibi. Hic vero tam *cursoriam tesseram*, quam *edicta* ad naves, commeatus, & cætera temporaria pertinentia, continentur: quæ labentibus Othonianis partibus negligi cœperunt. Eadem significatione accipitur paulo infra: *Diplomatibus nullum principem præscripsisset.* Ferrettus. Diploma dictum ἀπὸ τοῦ διπλοῦ, quod in charta duplicata scriptum. Idem fuit initio, quod nunc literæ, quibus festinatio tabellariorum adjuvatur. Sed imperio constituto promiscue nomen illud pro *rescripto principali* usurpatum est: ut in Sueton. Neron. 12. *Diplomata civitatis Rom. singulis obtulit*; de quibus Seneca Benef. 7. *Video isthæc diplomata & syngraphas, & cautiones, & vacua habendi simulacra.* Illa cum princeps concederet, signabat ipse, ut de Augusto refert Tranquillus cap. 50. cum vero prætores proconsulesve tribuerent, principem præscribebant, deinde obsignabant, ut infra eodem Cornelius ait, ubi de M. Cluvio Rufo. At horum diplomata præterita scripta die non valebant: principis nisi ad tempus data in perpetuum, id est, quamdiu princeps viveret. Instituerat enim Tiberius, ut indulta beneficia à defunctis principibus Cæsares aliter rata non haberent, quam si eadem ipsi dedissent, ut Sueton. Tito, & Aurelius retulerunt. Ex eo instituto descendit, quod diplomata Othonis mortui negligerentur, de quo hoc loco Tacitus scribit. *Vertranius.* Ad publicum cursum hæc pertinebant. *Pichena.*

1 *Rapidus in urbem vectus.*] Exemplar Corvini regis, *rapidum urbem.* Forte, *rapide in urbem vectus.* Rhenanus. Beatus conjicit, quod verius est, legendum; *rapide.* Vertranius. Ne intelligas, vectum jussu Vitellii cum custodibus, sed diplomatum vi in urbem cito pervenisse. *Pichena.* Cujus nescio cur pœnitueris attentionis, quam certe majorem hic locus exigebat, quum membrana Medicea idem scriptum habeas, quod est in Budensi: & detinuis Ryckium, etsi rem non perspexerit. Nam liquide patet Tacitum dedisse *raptim in urbem vectus.* Hoc ejus est vocabulum. *Jac. Gronovius.*

2 *Jussu Vitellii pœnas luit.*] Muretus delet *jussu Vitellii*, nescio an librorum auctoritate, an ob glossematis suspicionem. *Acidalius.*

3 *Cereales ludi.*] Mors Othonis incidit in XXI. Kal. Majas, computatione satis certa, imperavitque XCV. dies. Atqui supra notavi (libro XV. in conjuratione Pisoniana) *Cereris ludos* pridie Idus Apriles datos in Circo. Quod verum est, sed in plures nempe dies, & ad hoc fere tempus productos, ex hoc loco constet. Adde, quæ supra scripsi. *Lipsius.*

*Cereales ludi.*] Cerealia, quæ duodecimus Aprilis dies inchoabat, XIX. finiebat, ut eum *Othonis circa Brixellum* mors Romæ vulgaretur, *Cereales ludi ex more spectabantur*, etiam quo obiit die; festinans enim nuntius facile occupavis decimum octavum Aprilis diem, & fieri non potuit ut decimo nono non adesset. *Savilius.* In Cereris honorem fiebant ludi, quos alii Circenses quoque dictos volunt. *Lupanus.*

4 *In sacramento Vitellii.*] Legendum, *Quod erat militum, sacramento Vitellii adactum.* Sic enim infra loquitur: *Festinante Tib. Alexandro, qui Kal. Jul. sacramento ejus legiones adegit.* Rhenanus. Et 4. hist. 15. *Patriis exsecrationibus universos adigit.* Ut Rhenanus bene viderit phrasin Latinam, sed obstet illi vetus lectio, quæ etiam in MS. Mediceo hæc est *militum in sacramento vitellii adactum*, ut advertit etiam & publicat Ryckius, sed cui videtur a Tacito ex suo *in sacramenta Vitellii adactum,*

*cramento Vitellii adactum*, certi auctores in theatrum attulerunt, *Vitellio* plausere:
populus, cum lauru ac floribus, Galbæ imagines circum templa tulit, congestis
in modum tumuli coronis juxta lacum Curtii, quem locum Galba moriens san-
guine infecerat. In senatu, cuncta longis aliorum principatibus composita, statim
decernuntur. Additæ *erga Germanicos exercitus laudes gratesque*, & [1] missa legatio,
quæ gaudio fungeretur. Recitatæ Fabii Valentis epistolæ ad consules scriptæ,
56 [2] haud immoderatæ: [3] gratior Cæcinæ modestia fuit, quod non scripsisset. Ce-
terum Italia gravius atque atrocius, quam bello affligebatur. dispersi per municipia
& colonias Vitelliani, spoliare, rapere, vi & stupris polluere, in omne fas nefas-
que avidi, aut venales, non sacro, non profano abstinebant. Et fuere qui inimi-
cos suos specie militum interficerent. Ipsique milites regionum gnari, refertos
agros, dites dominos, in prædam; aut si repugnatum foret, ad excidium destina-
bant: obnoxiis ducibus, & prohibere non ausis. minus avaritiæ in Cæcina, plus
ambitionis: Valens, ob lucra & quæstus infamis, eoque alienæ etiam culpæ dissi-
mulator. Jampridem attritis Italiæ rebus, [4] tantum peditum equitumque, vis,
57 damnaque, & injuriæ, ægre tolerabantur. Interim Vitellius victoriæ suæ nescius,
ut ad integrum bellum, reliquas Germanici exercitus vires trahebat. Pauci vete-
rum militum in hibernis relicti, festinatis per Gallias delectibus, ut [5] remanentium
legionum nomina supplerentur. [6] Cura ripæ Hordeonio Flacco permissa. Ipse è
Bri-

*ctum*, interpolatum prorsus, nec vel dictum Romæ vel cogitatum; & utique Tacito vel maxime displicens, à quo toties illa vox debuit usurpari & nunquam nisi in singulari. Immo ubi poterat oportunus locus esse plurali, eum vitat scribens 1. hist. 5. *miles urbanus longo Cæsarum sacramento imbutus*, ut sacramenta Vitellii nihil boni habeant. Totus sermo indicat aliquid hic confusum esse aut amissum, & vera loquutio fuit forsan, *quod erat in urbe militum, sacramento in nomen Vitellii adactum*. Certe est hæc plena, sed & simplex veterum loquutio & Corneliana, ut videtur, per notas & scribendi brevitatem in corruptelas dejecta. Nisi agere videamur præcocius, quam oportuit, & cæcutiente lectore, eximius codex Mediceus clarissimam facem veritati rerum præferat, unde sine ullo impetu leniter erat legendum, *& a Flavio Sabino præfecto urbis, quod erat in urbe militum, iri sacramento Vitellii adactum*. Nihil enim ille codex molitur inepte, dum Tacitum attentissime exprimit, qui sic repetit c. 79. *Jac. Gronovius.*

1 *Missa legatio.*] Scil. ad Vitellium. infra enim ait: *Senatus legatione, quam ibi opperiri jusserat, audita*. Pichena.

2 *Haud immoderatæ.*] Placet editio Veneta: *haud immoderate*, per adverbium. *Freinshemius.*

3 *Gratior Cæcinæ modestia.*] Quid ita? quia invaluerat jam illo ævo, ut publice nemo, id est ad Consules aut Senatum scriberet, præter Principem: alii autem omnes, ad illum. Itaque superbe se gessisse Valens visus, qui id fecit: modeste Cæcina: qui omisit. Tale illud lib. IV. Hist. de Muciano: *Miserat & epistolas ad Senatum, quæ materiem sermonibus præbuere. Si enim privatus esset, cur publice loqueretur?* Lipsius.

4 *Tantum peditum equitumque, vis.*] Si attendis, haud difficulter mecum fatebere, illud, *tantum*, à glossographo esse, legesque: *peditum equitumque vis, damnaque*, &c. Vis pro multitudine & copia, tritum. *Idem.*

*Tantum peditum equitumque vis.*] Non equidem ego offendor in hac lectione; sed quia Lipsio visum accipere vocabulum *Vis* pro multitudine & copia, eoque delere, ut glossema, *tantum*, si quid omnino mutandum, magis placeat, non deleri, sed leviter concinnari, *tanta peditum equitumque vis*. Sed ego in vulgato lubens acquieverim. *Acidalius.* Vulgata etiam lectio mihi non displicet. Ægre scil. tolerabat Italia tantum peditum equitumque, atque eorum vim, damna, & injurias. Sic paulo supra: *spoliare, rapere, vi & stupris polluere*. Pichena.

5 *Remanentium legionum nomina supplerentur.*] Non muto hoc: sed valde hæsito, an non potius, *numeri*. Acidalius.

6 *Cura belli Hordeonio.*] Verissime è Florentino corrigunt, *cura ripæ*. Nempe Rheni, & ne Germani transirent. *Lipsius.*

*Cura ripæ Hordeonio Flacco permissa.*] Male antea, *cura belli*. nam cujus belli? Sane contra Othonem, Valens tantum ac Cæcina à Vitellio destinati: neque in eo bello ullæ Flacci hujus partes. In Germania plus suspicionis quam belli. Hujus loci vitium simul & correctionem indicavit Flor. in quo *Curari pe Hordeonio*. Restitui ergo
*Cura*:

Britannico delectu octo millia sibi adjunxit. & paucorum dierum iter progressus,
*prosperas apud Bedriacum res, ac morte Othonis concidisse bellum* accepit. Vocata con-
cione, virtutem militum laudibus cumulat. [1] Postulante exercitu, *ut libertum suum*
*Asiaticum equestri dignitate donaret*, [2] inhonestam adulationem compescuit. Dein
mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur; honora-
vitque Asiaticum anulis, fœdum mancipium, & malis artibus ambitiosum. Iisdem 58
diebus, *accessisse partibus utramque Mauretaniam, interfecto procuratore Albino*, nun-
tii venere. Lucejus Albinus, à Nerone [3] Mauretaniæ Cæsariensi præpositus, ad-
dita per Galbam Tingitanæ provinciæ administratione, haud spernendis viribus age-
bat. [4] Novendecim cohortes, quinque alæ, ingens Maurorum numerus aderat, per
latrocinia & raptus apta bello manus. Cæso Galba, [5] in Othonem pronus, nec
Africa contentus, Hispaniæ angusto freto diremptæ imminebat. Inde Cluvio Ru-
fo metus; *& decimam legionem propinquare litori*, ut transmissurus jussit: præmissi
centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent. neque arduum fuit, ma-
gna per provincias Germanici exercitus fama. Spargebatur insuper, *spreto* procu-
ratoris *vocabulo*, [6] *Albinum insigne regis, & Jubæ nomen usurpare*. Ita mutatis ani- 59
mis, Asinius Pollio alæ præfectus, è fidissimis Albino, & Festus ac Scipio cohor-
tium præfecti opprimuntur. Ipse Albinus, dum è Tingitana provincia Cæsarien-
sem Mauretaniam petit, [7] appulsus litori, trucidatur. uxor ejus, cum se percusso-
ribus obtulisset, simul interfecta est: [8] nihil eorum quæ fierent [9] Vitellio anquiren-
te.

*Cura ripa.* Verissime. Reliquerat Vitellius Hordeonium ad tutandam Rheni ripam, ne forte Batavi, aut aliæ suspectæ nationes, aliquid turbarent. Quod etiam apparet infra *Hordeonius Flaccus, suspectis jam Batavis, anxius proprio bello*. Pichena.

1 *Postulante exercitu.*] Sueton. scribit c. 12. *primo imperii die*, aliis & in hunc locum pugnantibus circumstantiis. *Savilius.*

2 *Inhonestam adulationem compescit.*] Reposui, *compescuit.* Rhenanus.

3 *Mauritaniæ Cæsariensi præpositus.*] Postulat hic locus, ut Mauritaniam describamus. Itaque Mauritania ab Ortu, flumine Mulucha celeberrimo terminatur; ab Austro, Atlante monte Poëtis decantatissimo: ab Occasu freto Herculeo (quod nos *Strettum Gibbaltar* vocamus) à Septentrionibus, mari Iberico. Hujus Mauritaniæ Bocchus rex fuit, Iugurthino bello à Salustio descripto clarus, unde ipsa Mauritania, quæ in Ortum spectat, Bocchiana dicta, & Cæsariensis ab urbe Cæsarea; Iol ante vocata. quemadmodum regio Bogudiana appellata est, quæ in Atlantem, & Occasum vergit, antea Sitiphensis ab oppido Sitiphi, post Tingitana, ab oppido Tingi, cum provincia esse cœpisset sub Cajo Caligula. Infra, *Ipse Albinus dum è Tingitana provincia Cæsariensem Mauritaniam petit*, &c. ex quo loco differentiam potes colligere. *Lupanus.*

4 XVIII. *cohortes, quinque alæ.*] In Flor. legitur, *decemnovem cohortes.* quod si rectum, scribere potius oportuit, *undeviginti.* Pichena. Itaque mira hinc infirmitas in notis nuperrimis, ut numerandi signa servari prætulerint, quum nullo alio loco ea tolerent, quam ex Florentino planam scriptutam adipisci. Atqui alibi sunt nequaquam ita cauti in transponenda voce, & in notis ad 1 hist. 61, 1. scribunt [*cum aquila* X *quinta legionis.* vel *quinta decima*] ut ibi fiat facillime. Atqui Tacitus non repellit ex libris suis vocem *novendecim*, etsi agnoscat quoque *undeviginti.* Illa igitur uti malui, quum præbeat Medicea membrana, licet inversas syllabas. Si quæras dubius de Tacito, vide qua formula signetur liber istius numeri ex vulgata computatione, qui nunc est liber tertius historiarum. Utique in MS. Mediceo exstat *Cornelii Taciti liber octavus decimus explicit, Incipit nonus decimus*, non dicitur *undevigesimus.* Nec dissimile est 1. hist. 27. *octavodecimo*, non *duodevicesimo.* Jac. Gronovius.

5 *In Othone pronus.*] Malim, *in Othonem.* Rhenanus.

6 *Albinum insigne Regis, & Juba nomen usurpare.*] Mauritaniæ præferunt Bogud & Bocchus reges, quibus deficientibus Augusti munere Juba successit, ejus Jubæ filius, qui ante Scipioni junctus contra Cæsarem Dictatorem bellum gesserat. Itaque Albinus Jubæ nomen usurpabat. *Lupanus.*

7 *Appulsus littori trucidatur.*] Scripsi, *Appulsus litori, trucidatus*, subaudi, *est.* Rhenanus.

8 *Nihil Vitellio anquirente.*] Merito id verbum reposui, cum in manuss. repperissem, *acquirente.* *Anquiro* enim pro Inquiro sive potius valde quæ-

te. brevi auditu, [1] quamvis magna tranſibat, impar curis gravioribus. *Exercitum itinere terreſtri pergere* jubet: ipſe Arare flumine devehitur, [2] nullo principali paratu, ſed vetere egeſtate conſpicuus. donec Junius Blæſus, Lugdunenſis Galliæ rector, genere illuſtri, largus animo, & par opibus, [3] circumdaret principi miniſteria, [4] comitaretur liberaliter, [5] eo ipſo ingratus, quamvis odium [6] Vitellius vernilibus blanditiis velaret. Præſto fuere Lugduni victricium victarumque partium duces. Valentem & Cæcinam pro concione laudatos, [7] curuli ſuæ circumpoſuit. Mox *univerſum exercitum occurrere* [8] *infanti filio* jubet: [9] perlatumque, & paludamento opertum, ſinu retinens, *Germanicum* appellavit, cinxitque cunctis fortunæ principalis inſignibus. nimius honos inter ſecunda, rebus adverſis [10] in ſolatium

60 ceſſit. [11] Tum interfecti centuriones promptiſſimi Othonianorum: unde præcipua in Vitellium alienatio, per Illyricos exercitus. Simul ceteræ legiones contactu, & adverſus Germanicos milites invidia, bellum meditabantur. Suetonium Paulinum, ac Licinium Proculum, triſti mora ſqualidos tenuit: donec auditi, neceſſariis magis defenſionibus, quam honeſtis uterentur. Proditionem ultro imputabant: *ſpatium longi ante prælium itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum vehiculis agmen, ac pleraque fortuita, fraudi ſuæ* aſſignantes. & Vitellius [12] credidit de per-

ro, veteri & proba nota ſignatum verbum eſt, Ciceroni, Varroni, aliiſque crebro uſurpatum, crebro corruptum. *Lipſius.*

9 *Vitellio anquirente.*] Verbum, *anquirente* à Lipſio repoſitum, incorrupte in Flor. habetur. Vulgo, *inquirente.* Pichena.

1 *Quamvis magna tranſibat.*] Neque hoc damno. Sed potuit Tacitus ſcripſiſſe, *tranſmittebat*, quod illi familiare in hac re verbum. *Acidalius.*

2 *Nullo principali apparatu.*] Caſtigavi, *n. pr. paratu.* de qua dictione ſupra monuimus lectorem. *Rhenanus.*

3 *Circumdaret principis miniſteria.*] Correxi, *Circumdaret principi miniſteria.* Rhenanus. At ego, priuſquam ſcirem ab interpolatione Rhenani ſic legi, corrigebam *Principis.* Sic enim omnino legendum. *Circumdaret* puta Vitellio *miniſteria principis*, qualia ſcilicet princeps Romanus habere circa conſuevit. Sic lib. 1. hiſt. *miniſteria principatus per libertos agi ſolita.* Gronovius.

4 *Comitaretur liberaliter.*] Obſerva *comitari* verbum novo & inuſitato alias ſignificatu, pro comitatu inſtruere. niſi tamen Tacitus ita non ſcripſit, quod ſubvereor, & jam inclino, ut reponam, *comiter & liberaliter.* Acidalius.

5 *Eo ipſo ingratus.*] Gratum Vitellio non erat, privatum hominem, ipſo principe ſplendidiorem conſpici, eique egeſtatem quodammodo exprobrare. *Pichena.*

6 *Humilibus blanditiis.*] In Florentino, *vernilibus*: quod germaniſſimum. *Lipſius.*

*Vitellius humilibus blanditiis velaret.*] Liber Matthiæ Corvini habet, *juvenilibus blanditiis.* Lego, *vernilibus blanditiis*, hoc eſt, ſervilibus, adulatoriis. Hoc vocabulum uſurpat lib. ſeq. *Vernile dictum omnem invidiam in eum vertit*: id eſt, ſcurrile, procax. *Rhenanus.* Scribendum, *vernilibus blanditiis velaret*, non *humilibus* &c. Et ita Daneſius legebat. *Urſinus.* Jure antepoſui vocem *vernilibus* à Flor. traditam, id eſt, ſervilibus, Vulgo, *humilibus*, vere humiliori voce. *Pichena.*

7 *Curuli ſuæ.*] Etiam Imperatorum temporibus Conſules habuere ſellas curules, ſolo forte ornatu diſpares, Libera Rep. etiam Prætores & Ædilium quidam. *Savilius.*

8 *Infanti filio.*] Sex ætatis annos habenti. Zonaras. *Idem.*

9 *Perlatumque & paludamento opertum.*] Addidi ex Flor. copulam, *que.* Pichena.

10 *In ſolatium ceſſit.*] Non enim longo tempore ſuperſtes fuit, imperante ejus cædem Muciano, 4, hiſtor, *Savilius.*

11 *Tum interfecti centuriones promptiſſimi.*] Ne ſcripturæ huic omnino credam, facit editio prima; *Tum interfectis centurionibus*, &c. forte fuit, *Tum interfecti ex centurionibus promptiſſimi.* Gruterus.

12 *Credidit de perfidia, & fidem abſolvit.*] *Credidit*, id eſt, credere ſe finxit, nam falſa erat perfidia eorum adverſus Othonem, vera autem fides. Ideo Vitellius fidem eorum abſolvit, quod ſcil. fidi fuiſſent Othoni, contra ſe ipſum. Fidei enim crimen, ut ait lib. preced. graviſſimum erat inter deſciſcentes. *Pichena.* Quam aſtrictus eſt noſter hic ſenex: Vitellius vere credidit (quod procul vero *ac pleraque fortuita fraudi ſuæ aſſignantes*) hos duces perfidos ad ultimum fuiſſe, & eos abſolvit fidei crimine quam Othoni prius præſtiterant: crimine, inquam, quo nullum gravius in-

perfidia, & fidem abfolvit. Salvius Titianus, Othonis frater, nullum difcrimen adiit, pietate & ignavia excufatus. Mario Celfo confulatus fervatur. [1] fed creditum fama, objectumque mox in fenatu Cæcilio Simplici, *quod eum honorem pecunia mercari, nec fine exitio Celfi voluiffet.* reftitit Vitellius, [2] deditque poftea confulatum Simplici, innoxium & inemptum. [3] Trachalum adverfus criminantes, Galeria uxor Vitellii protexit. Inter magnorum virorum difcrimina (pudendum dictu) [4] Maric- 61
cus quidam, è plebe Bojorum, inferere fefe fortunæ, & provocare arma Romana, fimulatione numinum aufus eft. Jamque *affertor Galliarum, & deus* [5] (nomen id fibi indiderat) concitis octo millibus hominum, proximos Æduorum pagos trahebat; cum graviffima civitas, electa juventute, adjectis à Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disjecit. Captus in eo prælio Mariccus, [6] ac mox feris objectus;

inter proditores. lib. 1. hift. 59. Non diffimili mendacio Themiftocles init gratiam apud regem Perfarum: is enim quafi follicitus de regis falute, eum per Arnacem monuit, Græcos, velle pontem folvere, quo junctus erat Hellefpontus, ut reditu interclufo ejus copiæ occidione occiderentur: at re vera id fimulatum quo maturius Rex Græciam linqueret, feque domi reciperet. Thucyd. lib. 1. Θεμιστοκλῆς ἥκω παρὰ σε, ὃς κακὰ μὲν πλεῖστα Ἑλλήνων εἴργασμαι τὸν ὑμέτερον οἶκον, ὅσον χρόνον τὸν σὸν πατέρα ἐπιόντα ἐμοὶ ἀνάγκῃ ἠμυνόμην. πολὺ δ' ἔτι πλείω ἀγαθὰ, ἐπειδὴ ἐν τῷ ἀσφαλεῖ μὲν ἐμοὶ, ἐκείνῳ δὲ ἐν ἐπικινδύνῳ, πάλιν ἡ ἀποκομιδὴ ἐγίγνετο· καί μοι εὐεργεσία ὀφείλεται (γράψας τήν τε ἐκ Σαλαμῖνος προάγγελσιν τῆς ἀναχωρήσεως, καὶ τὴν τῶν γεφυρῶν, ἣν ψευδῶς προσεποιήσατο, τότε δι' αὐτὸν οὐ διάλυσιν.) i. *Themiftocles ad te venio, qui præ aliis Græcis domum veftram pluribus affeci malis, quamdiu neceffario tuo patri me invadenti refiftebam: fed etiam multo pluribus beneficiis, quod rebus meis falvis, ejusque in periculo conftitutis, reditus ei rurfus contigit, & mihi beneficium debetur: adfcripferat enim monitum de relinquenda Salamine, & pontium, quam tunc falfo, ut in ejus rem finxit, non folutionem.*) Hæc ille, quæ Plutarcho aftipulante minus recte mihi verfa à Valla, & ab Henrico videntur. hic, *fed multo plurimis beneficiis, poftea quam mihi quidem tuta, illi autem periculofa reverfio fuit:* Ille, *Sed multo plura bona contuli, poftquam mihi integre fuit. & ille quod in periculo pofitus iterum reverfus eft, hoc mihi beneficium debet.* Salinerius. Egregium acumen depravat Muretus legendo, *& ideo abfolvit.* Quod revera fides fuerat, Vitellius perfidiam fuiffe perfuafus, fub hujus nomine illam abfolvebat. Et nove inopinateque dixit *fidem abfolvi; abfolvi perfidia* potius foleat & debeat. *Acidalius.*

1 *Sed creditum fama.*] Rectumne? an fcribendum, *deditum famæ?* Lipfius.

*Creditum fama.*] Velim *famæ*. Sic fup. 6, 2. *crediderat epiftolæ.* Freinshemius.

2 *Deditque poftea confulatum Simplici, innoxium, & inemptum.*] Innoxium ait, fine alterius pernicie quæfitum. *Pichena.*

3 *Trachalum.*] Qui auctor orationis, ab Othone Roma profecturo habitæ ad populum. 1. hift. *Savilius.* Hujus Trachali meminit lib. præced. in fine. Nominis ergo fimilitudo, & Galeriæ erga Trachalum favor, fuadent, ut opinemur, fuiffe inter eos aliquam propinquitatem. *Pichena.*

4 *Mariccus.*] Sic retineo ex prifca lectione MS. Medicei, unde difcedere in talibus eft infinitis erroribus fe exponere: præfertim quum confirmetur tam confpicue ab infcriptione in corpore Gruteriano Celejæ in burgo fervata; *Mariccæ Atomeriae. Ann. LXXX. C. Caffius. Civis. Her. fec.* Gemino c ufus jam Beroaldus. *Jac. Gronovius.*

5 *Nomen id fibi indiderat.*] In libro Matthiæ Corvini legitur, *nam id fibi indiderat.* Rhenanus. Florentinus & Ven. *nam id fibi indiderat.* Sed nihil mutavi. *Pichena.*

6 *Ac mox feris objectus.*] Ex hoc loco poteft diligens lector intelligere, quid fit *objici*, vel *fubjici* feris; nam utrumque dicitur. Dicebantur itaque *objici* vel *fubjici* feris, qui eis delaniandi tradebantur, ut Danielem, & divum Dionyfium feris objectos legimus. Videat quoque ftudiofus, quod de Androclo Daco Gellio fcriptum eft l. 5, c. 14. Cic. pro Rofcio Amer. *Noluerunt majores feris corpus objicere.* & Lamprid. in Comm. *Adolefcens omne genus infamavit hominum & ab omnibus eft infamatus; irridentes fe feris objecit.* Spartianus in Severo, *Narciffum deinde Commodi ftrangulatorem leonibus objecit. Subjici* feris dixit Sueton. Cal. 21. Omnibus nota eft Vedii Pollionis crudelitas, qui fervos ob minimum delictum in vivaria murænarum immergebat. Senec. lib. 3. de Ira 40. Aliud erat in ludum venatorium damnari. Nam tum pugnandum erat cum beftiis, & hi *Ad beftias damnati* dicebantur. Unde *beftiarii* vocati à Suetonio, qui cum beftiis pugnabant, & Ludus beftiarius, in quo beftiarii depugnabant. Plinius Epift. 10. *Quidam vel in opus damnati,* vel

jectus; quia non laniabatur, stolidum vulgus inviolabilem credebat, donec spectante
62 Vitellio interfectus est. Nec ultra in defectores, aut bona cujusquam, sævitum: rata fuere eorum, qui acie Othoniana ceciderant, testamenta, aut lex intestatis. prorsus, [1] si luxuriæ temperaret, avaritiam non timeres. Epularum fœda & inexplebilis libido, [2] ex urbe atque Italia irritamenta gulæ gestabantur, strepentibus [3] ab utroque mari itineribus: exhausti conviviorum apparatibus principes civitatum: vastabantur ipsæ civitates: degenerabat à labore ac virtute miles, assuetudine voluptatum, & contemptu ducis. [4] Præmisit in urbem edictum, quo vocabulum

*vel in ludum publicorum servorum efficio funguntur.* Lupanus. Similiter postea Constantinus pater per filium attritis Alemannis, qui in Italiam irruperant, ipsorum reges captos spectaculo bestiis objecit: quæ vetus noxiorum hominum pœna fuit. Siquidem apud Pausaniam lib. 1. legitur, Lysimachus Macedo Alexandri satelles, in eandem cum leone caveam objici regis ira jussus: sed cum bestiam à Lysimacho interemptam rex audisset, viri perpetua admiratione virtutem prosecutus est. Romæ vero Scipio exemplo patris sui Æmilii Paulli, qui Macedones vicerat, ludos fecit, transfugas atque fugitivos bestiis objecit, auctor Florus ex Liv. 51. Sic apud Sen. Ep. 7. *Mane leonibus & ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciuntur.* Quibus in locis contundunt auctores *objicere feris* damnatos, & *ad bestias dare*, cum venationis pugna populo exhibetur, ut est ex Apione apud Gell. l. 5. In eo autem discrimen esse videtur, quod *bestiis objectus*, ut Mariccus hoc loco, homo imbecillus à valentissima bestia laniatur: *ad bestias datus* plerumque præclaram bestiam venabulo transverberat. Qua vero pugna, docet Cassiodorus Var. l. 5. & illo casu, qui certationis discrimine pœnam luisset, culpæ vacuus, & pœnæ alterius erat. Unde apud Vlpianum *ad bestias dari*, minor liberorum pœna est, quam servorum, qui summo supplicio afficiuntur. l. 8. D. lege Corn. de falsis. Cæterum Mariccus quod plebem ad arma concitasset, legitime punitus est. Paullus enim ait: *auctores seditionis & tumultus populo concitato, pro qualitate dignitatis aut in furcam tolluntur, aut feris objiciuntur, aut in insulam deportantur* l. 38. D. de pœnis. Erant autem hæ diversæ puniendi formæ, in furcam sive crucem tolli, & feris objici, quamvis & qui objicerentur, cruci adfixi forent, quo facilius à bestia laniarentur, ut indicat Martial. l. 1. Ep. 7.

*Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,*
*Non falsa pendens in cruce Laureolus.*

At bestiis subjectus Mariccus, non laniabatur, ait Cornelius, non quod Deus esset, qualis videri gestiebat, sed forte, quod citrium dicto pœnæ die sumpsisset, vel quod ferarum ora aspergi chalcantho curasset. Legimus enim apud Hermolaum ex Athenæo l. 3. c. 5. in Ægypto horrendis animalib. objectos prædones, qui theatrum ingressuri citrium à muliercula datum comedissent, mali nihil quicquam ab illis passos esse. Plinius de chalcantho quoque lib. 34. c. 12. scribit. Quod vero tanquam inviolabili Maricco feræ, quibus objectus, nec laniatus erat, humanissime pepercissent; an iterum infligi pœna, aliudve genus mortis irrogari debuerit à Vitellio, juris quæstio est, cujus Seneca exemplum refert, Declam. 3. lib. 1. sed ejus definitio locum alium postulat. *Vertranius.*

1 *Si luxuria temperaret.*] Non dubium est, quin Tacitus, *luxuria*, scripserit, ut habet Florent. non, *luxuriam*, ut vulgati. Sic alibi *temperare felicitati, victoria, lachrymis, dolori*, &c. *Pichena.* Muret. *luxuria.* Nihil interest: sed hoc elegantius, & magis in Taciti usu. *Acidalius.*

2 *Ex urbe atque Italia irritamenta gulæ.*] Simile de Nerone l. 15. Ann. 37. *Volucres & feras diversis è terris, & animalia maris Oceano ab usque petierat.* Genus istud hominum sugillat Seneca epist. 60. *Quamdiu unius mensæ frumentum multa navigia, & quidem non ex uno mari subvehent?* ita quidem in edit. vulg. sed libri calamo exarati, sufficiunt nobis *instrumentum*; quod ego amplexus sum in Animadversionibus meis; nescio quam feliciter; pugnante pro recepta lectione Critici Senatus principe, cui nunc nihil respondeo, nisi hoc, non agere eo loci Senecam de *turba servorum, ad quos pascendos transmarinarum regionum est optanda felicitas*, ut idem loquitur Epist. 17. sed nec de immodica hominum cupiditate, quam reprehendit Epist 114. quid ergo; de conviviorum luxuria. nam cur heic iterum inculcaret *frumentum*, cum proxime dixerit; *Quamdiu fationibus implebimus magnarum urbium campos? quamdiu nobis populus metet?* Verum locum illum fulcivimus suis tibicinibus l. 11. Suspic. c. 16. *Gruterus.*

3 *Ab utroque mari.*] Utrumque mare, vocatur mare superum sive Hadriaticum, nunc sinus Venetus, in cujus intimo sinu Venetiæ sitæ sunt: atque mare inferum sive Tuscum aut Tyrrhenum. Nisi de Ionio atque Ægæo mari malis intelligi. *Lupanus.*

4 *Præmisit in urbem edictum* &c.] Eo edicto respon-

lum *Augusti* differret, *Cæsaris* non reciperet, cum de potestate nihil detraheret. [1] Pulsi Italia mathematici. Cautum severe, *ne* [2] *equites Romani ludo & arena polluerentur*. priores id principes, pecunia, & sæpius vi, perpulerant: ac pleraque municipia, & coloniæ, æmulabantur [3] corruptissimum quemque adolescentium pretio illicere. Sed Vitellius, adventu fratris, & irrepentibus dominationis magistris, su- 63
perbior & atrocior, occidi Dolabellam jussit, quem in coloniam Aquinatem sepositum ab Othone retulimus. Dolabella, audita morte Othonis, urbem introierat. id ei [4] Plancius Varus prætura functus, ex intimis Dolabellæ amicis, apud Flavium Sabinum præfectum urbis objecit, *tamquam rupta custodia, ducem se victis partibus ostentasset*. addidit *tentatam cohortem*, *quæ Ostiæ ageret*. nec ullis tantorum criminum probationibus in pœnitentiam versus, [5] seram veniam post scelus quærebat. Cun-

respondere videtur Vitellius SC. super honoribus sibi decretis. Dixit enim superius: *In Senatu cuncta longis aliorum principatibus composita, statim decernuntur*. inter quæ, vocabulum Augusti, Cæsarisque fuisse, credendum est. *Pichena*.

1 *Pulsi Italia Mathematici.*] Summa edicti erat, *ut intra Kal. Octobr. Urbe Italiaque Mathematici excederent*. Proxima nocte Astrologi aliud vulgarunt programma, nt scribit Suet. c. 14. *Bonum factum, ut Vitellius Germanicus intra eundem Calendarum diem usquam ne esset*. Quam hoc in ipso verum comprobavit eventus, qui in finem usque mox secnti Decembris supervixit, velim constaret nobis ex Astrologorum supputationibus ad liquidum deductis, præsertim cum ipsorum libri ambitiose admodum venditent id exemplum. Ut verum fatear, Zonaras videtur errantibus patrocinari, ut & Xiphilinus, qui edictum scribit propositum, postquam Vitellius Romam venerat, cum ex Tacito colligi possit Lugduno potius missum fuisse. *Savilius*.

2 *Equites Romani ludo & arena polluerentur.*] Ludnm intelligit scholam, & locum, in quo gladiatores docentur gladiaturam, ut Sueton. in Jul. 31. Caligula Equestrem ordinem, ut scenæ arenæque devotum, proscidit. Atque hoc loco Vitellius pollui arena Equites Romanos vetuit. Gladiatoria vero arena significatur, in qua gladiatores depugnabant. Unde *Arenarii* dicti, qui arena depugnabant. *Lupanus*.

3 *Corruptissimum quemque.*] Senec. ep. 99. *Aspice illos juvenes, quos ex nobilissimis domibus in arenam luxuria projecit*. Savilius.

4 *Plautius Varus.*] Jam erant hæc per typos exarata in editione patris, quum postea progressum opus Ezech. Spanhemii tamen vidit ante mortem, ut codici suo adscripserit, prout non omisi olim notare inter illa, quæ addenda Tacito pater reliquerat. [L. Plancius. Spanhem. de nomis. p. 168.] In quo miserari oportet sortem literarum, quas tam facile error aliquis corrumpit. Nam procul dubio non aliter Beroaldus voluit edere, sed in ejus editione per typos lapsantes exhibetur *Platius*; mox ab Rhenano, qui præter Budense exemplar viderat nihil, auctum & editum *Plautius*, quum in MS. Mediceo clare exstet *Plancius*, ut nonnisi negligentia quorundam paraverit illi hanc gaudendi occasionem. Cæterum quum nec Spanhemius nec Ryckius norint Plancium Varum, nisi proconsulem in Bithynia, apponam verba Politissimi Jac. Sponii in fine itinerarii, ubi colligit ac recenset aliquos nummos: *Dans une medaille moyen bronze de Vespasian, a laquelle outre le nom de cet Empereur, on lit le commencement du mot* Κλαυδιοπολιτῶν. *Claudiopolis de Cilicie ou les Romains envoyoient des Proconsuls, & Ciceron y fut en cette qualité: au revers dis-je, de cette medaille il y a un faisseau de six épies de bled & écrit autour le nom entier du Proconsul* Επι Μαρκου Πλαυκιου Ουαρου ανθυπατου, *ce qui nous apprend que sous l'Empire de Vespasian, il y avoit dans la Cilicie un proconsul Romain, appellé Marcus Plancius Varus*. Certe nec ad istud prænomen alteruter istorum attendit, etsi dimidia pars superfuerit in nummo Patini. Sed integravit omnia Harduinus in Nummis illustratis, ubi Claudiopoleos hujus jactantiam trajicit ex Isauria in Bithyniam, ut evincere videtur alter nummus cum hoc nomine Νεωκορων. Jac. Gronovius.

5 *Seram veniam post scelus quærebat.*] Codex manuscr. manifeste habet pro *seram*, *secundam*. Itaque & nos sic scripsimus. *Rhenanus*. Nescio cur Rhenanus veterum librorum scripturam mutaverit scripseritque: *secundam*. Reposui ergo Flor. auctoritate vocem, *seram*, optimo sensu. ait enim: Cum Plautius obje[illegible] non probaret, pœnitentia ductus sceleris sui veniam quærebat, sed sero ac frustra, cum nihilominus Dolabella occisus fuisset. *Pichena*. *Seram* alias legi notatnm, sed nemini adhuc receptum. Mihi olim *post* glossema videbatur, & Tacitum scripsisse: *veniam secundum scelus quærebat*. Esse enim aliquando *secundum* idem quod *post*. Nunc hæsito. *Acidalius*. Facile apparet hæc minus intellecta ab eis, qui hactenus heic



reti-

Cunctantem super tanta re Flavium Sabinum, Triaria L. Vitellii uxor, ultra femi-
nam ferox, terruit *è periculo principis* [1] *famam clementiæ affectare.* Sabinus fuopte
ingenio mitis, ubi formido incessisset, facilis mutatu, & in alieno discrimine sibi
64 pavens, ne allevasse videretur, impulit ruentem. Igitur Vitellius, metu & odio,
quod Petroniam uxorem ejus mox Dolabella in matrimonium accepisset, vocatum
per epistolas, *vitata Flaminiæ viæ celebritate*, [2] *devertere Interamnium*, *atque ibi in-
terfici* jussit. [3] Longum interfectori visum: in itinere ac taberna, projectum humi
jugulavit: magna cum invidia novi principatus, [4] cujus hoc primum specimen no-
scebatur. Et Triariæ licentiam, modestum è proximo exemplum onerabat, Gale-
ria imperatoris uxor, [5] non immitis tristibus: & pari probitate, mater Vitelliorum
Sextilia, antiqui moris. Dixisse quin etiam, ad primas filii sui epistolas, ferebatur,
*non Germanicum à se*, *sed Vitellium genitum.* Nec ullis postea fortunæ illecebris, aut
65 ambitu civitatis [6] in gaudium evicta, domus suæ tantum adversa sensit. Digressum
à Lugduno Vitellium, M. Cluvius Rufus assequitur, omissa Hispania; lætitiam
& gratulationem vultu ferens, animo anxius, & petitum se criminationibus gna-
rus. Hilarius Cæsaris libertus detulerat, *tamquam audito Vitellii & Othonis principa-
tu*, *propriam ipse potentiam*, *& possessionem Hispaniarum tentasset*: *eoque* [7] *diplomati-
bus*

retinuerunt Rhenani, *secundam*, plane contra mss. & edd. vett. in quibus constanter, *feram*, quod auctoris legitimum. Loquitur de Plautii pœnitentia, qui cum objecta Dolabellæ probare non posset, inductus pœnitentia, veniam petiit delationis suæ: quemadmodum, meo judicio, recte exposuit Pichena. *Gruterus.*

1 *Et famam clementiæ affectare.*] Nos, *affectaret*, subauditur, *ut*. Rhenanus. Sic quidem Veneta edit. at Romana, *tenuit ne periculo* &c. *adfectaret*, fortasse sincerius vulgato. *Gruterus.*

2 *Devertere Interamnium.*] Sic edendum censui, quum causam hanc satis oraverit Cl. Ryckius, qui tamen obtinere a se nequivit, ut posterius Tacito redderet. Quæso igitur, qua venia exhibuit *Interamnam?* Pro spurio certe haberet Tacitus, & perinde pravo, ac *Plautius Varus*, prout etiam perrexit edere, quum melius nosset. *Jac. Gronovius.*

3 *Longum interfectori.*] Hic ordo verborum in meis libris: & sententia liquet. Alii trajiciunt, quid nisi libidine quadam omnia mutandi? *Lipsius.*

*Longum interfectori visum. In itinere.*] Reposuimus, *Longum interfectori*, (subauditur, *erat.*) *In itinere visum* &c. *Rhenanus.*

4 *Cujus hoc primum specimen noscebatur.*] Vocabulum postremum hinc auferri posset sine ullo sententiæ malo. lib. 1. Ann. 6. *Primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippæ cædes.* Gruterus.

5 *Non minax tristibus.*] Scripsimus, *non minis tristibus.* Rhenanus. Danesius legebat: *Non minis tristibus.* Ursinus. Vulgo, *non minax.* Sed suspecta illa vox, nec veterum librorum fide adstruitur. Florent. corrupte, *non inmix.* Corrigendum olim putavi, *non nimia tristibus*, id est, non superba & intolerabilis erga tristes ac miseros, ut Triaria. At nuper aptius, ni fallor, emendavi, *non inmitis*, voce ab auctore nostro frequentissime usurpata, & scripturæ priscæ similiore, quam *minax.* Pichena. In Flor. *inmix.* Hinc Pichena facit *nimia.* Sed ausim affirmare, me rectius conjecisse: *non minima ex tristibus*: proxime etiam vulgarem scripturam, quæ ex compendio scribendi corrupta. Tristes illi vocabant mulieres, nullo illicito gaudio aut lascivia corruptas sed pudicas & frugi. *Colerus.* Forte: *non immixta tristibus.* i. non particeps ullius crudelis aut acerbi consilii. *Gronovius.* Similia nempe non pauca efferri possunt, omnia ad gustum Ryckii, qui syllabam optimo codici sæpe deesse judicavit operose probari a se debuisse, in cujus libro sic aliquis interpolans invergebat *immanis*, quod ille potuit explicare. Ejusdem generis foret *non innexa*, certe propius accedens. Sed statuas licet nihil deesse, & corrige *non juncta tristibus.* Sic 3, 16. *Cn. Piso qualicumque fortunæ meæ non est adjunctus.* Jac. Gronovius.

6 *In gaudium evecta.*] Castigavimus, *evicta.* Rhenanus. Magis probavi vocem, *evecta*, ex nonnullis Manuscr. quam, *evicta*, ut in vulgatis. *Pichena.* Muret. mutat, *evecta.* Ego quod vulgatur, scripsisse Tacitum credo, imo scio. *Acidalius.* Sed & hoc scias oportet, quod Ryckius testatur in Flor. esse *evecta*, id ei ab schedis meis suppeditatum non esse. Neque tamen etiam Pichena id scribit. *Jac. Gronovius.*

7 *Diplomatibus.*] Quæ à præfectis licet concessa, & impressis eorum sigillis munita essent, ftylus

*bus nullum principem præscripsisset*. Interpretabatur quædam [1] ex orationibus ejus,
contumeliosa in Vitellium, & pro se ipso popularia. Auctoritas Cluvii prævaluit,
ut puniri ultro libertum suum Vitellius juberet: Cluvius [2] comitatui principis ad-
jectus, non adempta Hispania, quam rexit absens, [3] exemplo L. Arruntii: eum
Tiberius Cæsar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine, retinebat. Non
idem Trebellio Maximo honos. profugerat Britannia ob iracundiam militum: [4] mis-
sus est in locum ejus Vettius Bolanus è præsentibus. Angebat Vitellium victarum 66
legionum haudquaquam fractus animus. sparsæ per Italiam, & victoribus permixtæ,
hostilia loquebantur: præcipua quartadecimanorum ferocia, qui *se victos* abnue-
bant; *quippe Bedriacensi acie, vexillariis tantum pulsis, vires legionis non affuisse*. Re-
mitti eos in Britanniam, unde à Nerone exciti erant, placuit; atque interim Ba-
tavorum cohortes una tendere, ob veterem adversus quartadecimanos discordiam.
nec diu in tantis armatorum odiis quies fuit. [5] Augustæ Taurinorum, dum opifi-
cem quendam Batavus ut fraudatorem insectatur, legionarius ut hospitem tuetur,
sui cuique commilitones aggregati, à conviciis ad cædem transiere: & prœlium
atrox arsisset, ni duæ prætoriæ cohortes, caussam quartadecimanorum secutæ, his
fiduciam, & metum Batavis fecissent. *quos* Vitellius *agmini suo jungi*, ut fidos; *le-
gionem, Grajis Alpibus traductam, eo flexu itineris ire* jubet, *quo Viennam vitarent*.
namque & Viennenses timebantur. Nocte qua proficiscebatur legio, relictis passim
ignibus, pars Taurinæ Coloniæ ambusta: quod damnum, ut pleraque belli mala,
majoribus aliarum urbium [6] cladibus oblitteratum. Quartadecimani postquam [7] Al-
pibus degressi sunt, seditiosissimus quisque signa Viennam ferebant: consensu me-
liorum compressi, & legio in Britanniam transvecta. Proximus Vitellio [8] è præto- 67
riis cohortibus metus erat. [9] separati primum, deinde addito [10] honestæ missionis
lenimento, [11] arma ad tribunos suos deferebant; donec motum à Vespasiano bel-
lum

stylus tamen velut ex principis persona loquebatur, cujus nomine quodcunque illius generis mandatum concipiebatur. *Savilius*.

1 *Exhortationibus ejus*.] Emendavimus, *ex orationibus*. Rhenanus.

2 *Comitatu principis adjectus*.] Nos, *comitatui*. Idem. Et sic MS. Mediceus, quod tanto libentius testor, ut occurram scrupulo satis vano, qui movetur cap. 71. in voce *luxu*. Jac. Gronov.

3 *Exemplo L. Arruntii. Eum Tiberius*.] 4. Annal. *Savilius*. Vulgo, *L. Arruntii, quem Tiberius*. Emendationem indicavit Flor. qui habet, *Arruntium Tiberius*. Pichena.

4 *Vectius Bolanus. E præsentibus*.] Distingui mallim, *Bolanus è præsentibus angebat*, &c. ut significet Bolanum è comitatu principis in Britanniam missum. *Lipsius*.

*Missus in locum ejus, Vectius Bolanus è præsentibus*.] Distinctio hæc à Lipsio reposita, confirmatur etiam à Florent. Alter in vulgatis: *Vectius Bolanus. E præsentibus*, &c. *Pichena*.

5 *Augustæ Taurinorum*.] Vulgo, *Turinum*, caput populorum Subalpinorum, quod firmissimo Regis nostri præsidio tenetur. *Lupanus*.

6 *Cladibus oblitteratum est*.] Verbum *est*, expunximus. *Rhenanus*.

7 *Alpibus digressi sunt*.] Magis proprie corriges, *degressi*. Pichena. Significantius legas *degressi*. Atque ita lib. 1. *Cæcina propiore transitu Peninis jugis degredi jussus*. lib. 3. *Pullo amictu palatio degreditur*. Acidalius.

8 *E prætoriis cohortibus metus*.] Sueton. Vit. c. 20. idem scribit, neque ulterius procedit: *quicquid prætoriarum cohortium fuit, uno exauctoravit edicto* Sed conscripto recens exercitu, qua de re agit Tacitus, etiam urbanæ cohortes videntur dimissæ. *Savilius*.

9 *Separata primum*.] Scripsi, *Separati*. Rhenanus.

10 *Honestæ missionis*.] Missio alia honesta, alia ignominiosa est. honesta ex valetudine, ex stipendiis confectis, & libera, nisi fallor, Rep. pro hæreditate adeunda, pro honoribus petendis, &c. *Savilius*. Satis ab Ulpiano in cap. 2. Pandectarum de his, qui notantur infamia, & à Martiano cap. 13. de re militari explicatur, tria esse missionum genera, *Honestam, Causariam*, (unde à Livio *Causarii* milites, qui ea se excusant) *Ignominiosam*. Lupanus.

11 *Arma ad tribunos deferebant*.] Sic Flor. vulgo, *ferebant*. Pichena.

lum crebresceret: [1] tum resumpta militia, robur Flavianarum partium fuere. Prima classicorum legio in Hispaniam missa, ut pace & otio mitesceret. Undecima ac septima suis hibernis redditæ. [2] Tertiadecimani struere amphitheatra jussi. nam Cæcina Cremonæ, Valens Bononiæ, spectaculum gladiatorum edere parabant: nun-
68 quam ita ad curas intento Vitellio, ut [3] voluptatum oblivisceretur. [4] Et quidem partes modeste distraxerat: [5] apud victores orta seditio, ludicro initio, nisi [6] numerus cæsorum invidiam bello auxisset. Discubuerat Vitellius Ticini, adhibito ad epulas Verginio. Legati tribunique, ex moribus imperatorum severitatem æmulantur, vel [7] tempestivis conviviis gaudent: perinde miles [8] intentus, aut licenter agit.

1 *Tum resumpta militia.*] An cum de Vespasiani bello auditum, Vitellius iterum prætorianos sibi adscivit? potius intelligo, eos tum pro Vespasiano militiam resumpsisse. infra enim ait: *Ad omnes exercitus legatosque scripta epistola, preceptumque, ut Pratorianos Vitellio infensos, recipe-randa militia pramio invitarent.* Ergo antea non reciperaverant. & de Vitellio inferius, *Pratorianos nuper exauctoratos insectatus.* Pichena.

2 *Tertiam decimam struere amphitheatrum jussit.*] Codex regius habet, *Tertia decima.* Cujus occasione vocabuli sic reposuimus, *Tertiadecimani struere amphitheatrum jussi.* Rhenanus. Danesius legebat, *Tertiadecima ac septima suis hibernis reddita. Undecimani struere amphitheatra jussi*, &c. non ut in vulgatis, *Undecima ac septima s. h. reddita. Tertiadecimani* &c. *Ursinus.*

*Struere amphitheatra.*] Ad breve tempus, & sic remissa in Pannoniam: ubi denno conspicitur, cum primum à Vitellio Illyricum deficeret. *Savilius.*

3 *Voluptatum oblivisceretur.*] Ita Flor. at vulgo, *voluptates.* Pichena.

4 *Et quidem partes modeste distraxerat.*] Et hoc verbum ex Flor. restitui. Vulgo, *distinxerat.* Pichena. Hinc incipiendum diximus caput: alii adsuebant præcedentibus, idque sensum turbaverat. *Freinshemius.*

5 *Apud victores orta seditio.*] Vix tandem emersi me ex hac salebra; & vidi errorem. Transpositi enim per negligentiam versus sunt, iique in hunc ordinem cogendi: *Et quidem partes modeste distraxerat, nisi numerus cæsorum invidiam bello auxisset. Apud victores orta seditio, ludicro initio. Discubuerat Vitellius*, &c. Si tamen locus integer est, de quo ambigo. Scripsi *distraxerat*, non, *distinxerat*: ex Vatic. & videtur ad sententiam aptius, quia intelligit Vitellium satis clementer & modestè legiones adversæ partis disparasse, & per varias provincias distraxisse, ne coirent. *Lipsius.*

*Orta seditio ludicrorum initio.*] Nos, *ludicro initio.* Rhenanus. Non est quod transpositum censeas. nec enim invidia bello è numero cæsorum in acie, quam ultra non sævitum à Vitellianis; sed è numero cæsorum post pacem partam sociorum: quia duæ cohortes auxiliarium Gallorum cæsæ. *Mercerus.* Transposita hæc Lipsius autumat. Ego vulgatum textum reliqui. refertur enim cæsorum numerus ad duas cohortes in ea seditione interfectas, ut paulo infra narratur. Ideoque detestabatur civile bellum, in quo, tam levibus caussis, tot mala possunt accidere. *Pichena.* Levem originem habuit seditio, nempe studium luctandi, sed adeo res rediit, ut explicari nequiverit, nisi duarum cohortium strage: unde civilis belli detestatio, quæ oblata quavis de caussa semper arripitur. Tacit. *advertere proximi, deinde plures, hinc per omnem aciem miraculum, & questus, & sævissimi belli execratio.* At Eruditiss. vir ea quasi luxata sic restituit in suas sedes: *modeste distinxerat, nisi numerus cæsorum*, &c. quasique ibi agatur de numero interfectorum Bedriaci, & hoc sensu: modeste se gessit Vitellius cum victis, & inde laude dignus, nisi tot civium prælio perdidisset. Sed cur sine chirurgia non referimus *nisi numerus cæsorum* ad *ludicro initio* & respectum dicimus ad duas Gallorum cohortes cæsas in illa turba? *Salinerius.*

6 *Numerus cæsorum invidiam bello auxit.*] Budense volumen habet, *nūs nūs cæsorum invidiam bello auxisset.* Correxi locum, *nisi numerus cæsorum invidiam bello auxisset.* Rhenanus. Id quum pro certo exceptum sit, atque insuper in MS. Mediceo legatur *auxisset*, quod scivit Ryckius: is nihilominus utrique codici MS. obnixus scribet tamen Rhenani conjecturam non juvari ab MSS? Utique quum fatetur maluisse edere *auxit*, fatetur grave & sævum facinus, per omnia tantopere superstitiosus, præsertim quum & ipsius liber habeat *ni metus*, etsi prave, tamen indicans quam in parvo angulo istud *ni* vel *nisi* hærere potuerit. Mihi clara satis hæc sunt, prout in veteribus monimentis efferuntur, modo recte distinguas. *Apud victores orta seditio. Ludicro initio numerus cæsorum invidiam bello auxisset.* Cæsorum certe intelligo de duabus cohortibus, sed ita, ut pro cædendorum quoque intelligas, nisi inexspectatum aliquid repente superveniens cædem cohibuisset. *Jac. Gronovius.*

7 *Tempestivis conviviis delectantur.*] Convivia tem-

agit. Apud Vitellium omnia indiſpoſita, temulenta, [1] pervigiliis ac Bacchanalibus, quam diſciplinæ & [2] caſtris propiora. Igitur duobus militibus, altero legionis quintæ, altero è Gallis auxiliaribus, [3] per laſciviam ad certamen luctandi accenſis, poſtquam legionarius prociderat, inſultante Gallo, & iis qui ad ſpectandum convenerant in ſtudia diductis; erupere legionarii in perniciem auxiliorum, ac duæ cohortes interfectæ. Remedium tumultus fuit, alius tumultus. pulvis procul, & arma aſpiciebantur: conclamatum repente, *quartam decimam legionem*, *verſo itinere*, *ad prœlium venire*. ſed erant agminis coactores. agniti, dempſere ſolicitudinem. Interim Verginii ſervus forte obvius, ut *percuſſor Vitellii* inſimulatur. & ruebat ad convivium miles, *mortem Verginii* expoſcens. Ne Vitellius quidem, quamquam ad omnes ſuſpiciones pavidus, de innocentia ejus dubitavit. ægre tamen cohibiti, qui [4] exitium conſularis & quondam ducis ſui flagitabant. Nec quemquam ſæpius quam Verginium, omnis ſeditio infeſtavit. manebat admiratio viri, & fama; ſed oderant, ut faſtiditi. [5] Poſtero die Vitellius, ſenatus legatione, quam ibi opperiri juſſerat, audita, tranſgreſſus in caſtra, ultro *pietatem militum* collaudavit: 69 frementibus auxiliis, *tantum impunitatis atque arrogantiæ legionariis acceſſiſſe*. Batavorum cohortes, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remiſſæ, principium interno ſimul [6] externoque bello parantibus fatis. Reddita civitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus, & prima ſtatim defectione, [7] inter inania belli aſſumptus. Ceterum, ut lar-

tempeſtiva ſunt, quæ ante conſuetam horam inchoata, longius protrahendæ hilaritati inſtruuntur. *Savilius.*

8 *Aut licentior.*] Antea, *licentioſus*, legebatur: quod ſane eligam præ iſto quod ſuppoſuit Rhenanus. *Lipſius.*

*Intentus aut licentioſus.*] Scripſimus, *aut licentioſior*. Nam in Budenſi volum. legitur, *licenter*. Rhenanus. Addit verbum Florentin. *aut licenſ. agit*, id eſt *licenter agit*. Pichena.

1 *Pervigiliis.*] Vigiliæ & ſolennia noctu peragi ſolita in honorem Deorum quorundam, interdum in noctes aliquot continuas protracta, qualibet ſane inſolentia licentiaque infames; *Cum vinum & nox, & miſti fœminis mares, ætatis teneræ majoribus diſcrimen omne pudoris exſtinxiſſent*, ait Livius. Abundarunt tali ſacrorum genere Græcorum reſp. infundente ſe pariter vitiorum comitantium multitudine, ut Comœdiæ iſtius temporis docent, atque ex Plauti Aulularia perſpicere licet: *Ego me injuriam feciſſe fateor filiæ tuæ, Cereris vigiliis per vinum atque impulſu adoleſcentiæ.* Sed hæc Cereris ſacra videntur præ cæteris caſtius habita, ut locum ſuum tueri potuerint, multis aliis rejectis apud Tullium 2. de legibus. *Nocturna ſacrificia mulierum, ne ſunto præter illa, quæ pro populo rite fient, neve quem initianto, niſi ut aſſolet, Cereri Græco ſacro.* Vitellius, narrante Sueton. c. 10. *in Apennini quidem jugis etiam pervigilium egit*; Tacito fortaſſis ad illud factum hic alludente. Bacchanalia autem, ut opinor, pervigilia fuerunt in honorem Bacchi, omnium perditiſſima, & vera morum corruptela. De illorum origine, incremento, deſtructione apud Rom. legatur Livius l. 38. & Tullius de Legibus. *Savilius.*

2 *Caſtris propiora.*] Codex Manuſc. *promptiora*, nec eſt abſurda lectio. Nec illic habentur mox duæ voces; *altero e*; ſed tantum, *altero legionis quinta, Gallis auxiliaribus*. Rhenanus. Vide Sueton. Vit. 10. *Savilius.*

3 *Per laſciviam & certamen.*] Verius, *ad certamen*: quod in Florentino item exſtat. *Lipſius.*

*Per laſciviam & certamen luctandi accenſis.*] Lege ex Floren. *ad certamen*. Quod & Lipſius judicio ſuo conjectavit. *Pichena.*

4 *Exitium viri conſularis, & quondam ducis ſui.*] Ut antehac edi placuit. Sed quum ſecunda vox nullam habeat partem in libris antiquis, ut pleno ore teſtatur Ryckius, & verum eſt, cur eam ſic patimur inhæreſcere ut genuinam? Utique nimis propinquum eſt, quod dicitur *manebat admiratio viri*; & in hoc loco ſatis eſt, quod primo dicatur *dux conſularis*, & tum particulatim *dux ſuus*. Statim ex MS. Mediceo reſtitui ordinem vocum temere in editis inverſum *cohortes Batavorum*; nec enim ita major exiſtit venuſtas, quam prout ab Tacito veniſſe teſtantur tam fida vetuſtatis pignora. *Jac. Gronovius.*

5 *Poſtera die.*] Nos, *poſtero*. Rhenanus.

6 *Externoque bello parantibus fatis.*] Concitore Civili & Batavis, quodque mox Gallorum rebellio continuavit. Tac. 4. & 5. hiſt. *Savilius.*

7 *Inter initia belli aſſumptus.*] Ita Daneſius legebat pro eo, quod in vulgatis eſt, *inter inania belli*, &c. *Urſinus.* Lipſius mallet, *immania*.

 Mihi

largitionibus [1] affectæ jam imperii opes sufficerent, *amputari legionum auxiliorumque numeros* jubet, vetitis supplementis: & promiscuæ missiones offerebantur. [2] exitiabile id reipublicæ, ingratum militi, cui eadem munia inter paucos, periculaque ac labor crebrius redibant. & vires luxu corrumpebantur; contra veterem disciplinam, & instituta majorum, apud quos virtute quam pecunia res Romana
70 melius stetit. Inde Vitellius Cremonam flexit, & spectato munere Cæcinæ, insistere Bedriacensibus campis, ac vestigia recentis victoriæ lustrare oculis, concupivit. Fœdum atque atrox spectaculum. intra quadragesimum pugnæ diem [3] lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formæ, infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus, dira vastitas. nec minus [4] inhumana pars viæ, quam Cremonenses [5] lauru rosisque constraverant, [6] exstructis altaribus, cæsisque victimis,

Mihi vox, *inania*, magis probatur hoc sensu: Assumpta à Vitellio Gallorum auxilia, ut speciem magni exercitus facerent, cum revera nihil aliud esset, quam inane & inutile vulgus. *Pichena.* Non placet *immania*, multo minus *munia*. Auxilia respectu legionum *inane* quid sunt; at & *robur* dicuntur 1. hist. 61. *quorum robur legio una prima & vicesima fuit.* Sic naturæ bona in comparationem veræ virtutis lib. 13. ann. *Omnium ora in se vertebat, corpore ingens, verbis magnificus, & super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus.* Eodemque modo cultus sine imperii vi, lib. 16. *Tantusque Romæ quantus consulibus honor esset: scilicet externæ superbiæ sueto, non erat notitia nostri, apud quos vis imperii valet, inania transmittuntur.* Salinerius. Non habet hic locum *inania*. Feram, quod in aliis libris est, *munia*, donec quod probem aliud inveniatur. Conjeci ipse olim, *minas*. neque nunc displicet: nondum tamen in eo acquiesco. *Inter minas*, id est, dum bellum parat, & minatur, aptissima quidem sententia. Quid si pro *inania* legas *initia*? Acidalius.

1 *Affectæ tamen imperii opes sufficerent.*] Vocat eleganter *affectas opes imperii*, quas imminutas intelligit exhaustasque. *Rhenanus.* Res lepida. Nam & doctum hunc virum hactenus tantum adjuvare hanc periochen mireris, & perinde mireris Cl. Ryckium nihil aliud dicere posse, quam in ipsius codice fuisse *affectæ jam imperii opes* &c. Nam certe hæc est verissima & antiqua lectio, quæ etiam sancte servatur in MS. Mediceo totidem literis, etsi taceat Pichena & ego in schedis meis non annotaverim; sed bene & manifeste conspexit frater meus, & hinc ita reparavi. *Jac. Gronov.*

2 *Exitiabile id reip.*] Scripsi, *Exitiabile*. Flor. volente. Vulgo *Exitiale*. Pichena.

3 *Lacera corpora.*] Xiphilinus refert in prœlio circa Cremonam utrimque cecidisse 40000. Tacitus ex præcepto Sallustii nunquam aucto numerum exprimit. *Savilius.* Mox continuavi reponere, quod jam Ryckius adstruxerat etiam schedis meis testantibus de MS. Mediceo, non *arboribus atque frug.* ut vulgo. *Jac. Gronovius.*

4 *Inhumana pars viæ.*] Forte, *inamœna*. Rhenanus. Male heic infarcire cupit Rhenanus *inamœna*; ubi locus diritatis & horroris. Sic alibi dixit *inhumana securitas*. lib. 3. hist. 83. *Gruterus.* Si placet confirmari de interpolatione codicis scripti non vetusti, consule modo de hoc loco notas nuperas, & colliges, quid ei fidendum sit. Nihil pote hac descriptione præstantius aut vividum magis. *Jac. Gronovius.*

5 *Lauru rosisque.*] Nos, *lauro*. Rhenanus. Principes & tali fastigio proximi excipi solent sparsis per vias, quacunque incederent, floribus. Herodianus libro 4. Caracalla Alexandriam ingrediente, δᾳδουχίαις τε καὶ ἀνθῶν βολαῖς ἐτίμων τὸν βασιλέα. i. *honorabant Imperatorem accensis facibus sparsisque floribus.* & libro 1. cum Romam Commodus intraret, ὡς δὲ πλησίον ἐγένετο τῆς Ῥώμης πᾶσά τε ἡ σύγκλητος, καὶ πανδημεὶ ὅσοι τὴν Ῥώμην κατῴκουν ἄνθρωποι, δαφνηφόροι τε, καὶ πάντες ἐπιφερόμενοι ἄνθη τότε ἀκμάζοντα, ὡς ἕκαστος οἷός τε ἦν, πόῤῥω τῆς πόλεως ὑπήντων. i. *cum Romæ appropinquaret, totus Senatus, & quot quot Romam incolebant, urbe egressi obviam procedebant, quam longe poterant, lauros gestantes & flores quos anni tempestas dabat.* Claudian. Paneg. 2. de Stilicone. *Spectabunt cupide matres, spargentur & omnes Flore viæ.* Savilius. Attamen *lauru* scribitur in MS. Mediceo. *Jac. Gronovius.*

6 *Exstructis altaribus, cæsisque victimis.*] Aræ istæ & Victimæ, Vitellii Genio & Victoriæ. Fœda, sed vetus adulatio: quam in adventu Regum aut Principum usurparunt Græci Latinique. Justinus libro XXIV. *Arsinoë prægressa virum, festum diem urbi indicit, domos, templa, ceteraque omnia exornari jubet:* ARAS *ubique*, HOSTIASQUE *disponi.* Valer. libro IX. De luxuria. *Quid sibi voluit princeps suorum temporum Metellus Pius, cum in Hispania* ADVENTUS *suos ab hospitibus* ARIS ET THURE *excipi patiebatur?* Factum & Cæsari è Gallia reduci. Hirtius lib. VIII. *Multitudo obviam pro-*

mis, [5] regium in morem: quæ læta in præsens, mox perniciem ipsis fecere. Aderant Valens & Cæcina, monstrabantque pugnæ locos: *hinc* [2] *inrupisse legionum agmen, hinc* [3] *equites coortos: inde circumfusas auxiliorum manus.* Jam tribuni præfectique, sua quisque facta extollentes, [4] falsa, vera, aut majora vero miscebant. Vulgus quoque militum, clamore & gaudio, deflectere via, [5] spatia certaminum recognoscere; aggerem armorum, strues corporum [6] intueri, mirari. Et erant quos varia fors rerum, lacrymæque & misericordia subiret. at non Vitellius flexit oculos, nec tot millia insepultorum civium [7] exhorruit. lætus ultro, & tam propinquæ sortis ignarus, instaurabat sacrum [8] diis loci. Exin Bononiæ, à Fabio Va- 71
lente gladiatorum spectaculum editur, advecto ex urbe cultu. Quantoque magis propinquabat, tanto corruptius iter, immixtis histrionibus & [9] spadonum gregibus, & cetero Neronianæ aulæ ingenio. namque & Neronem ipsum Vitellius admiratione celebrabat, [10] sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed [11] luxu, & saginæ mancipatus emptusque. Ut Valenti & Cæcinæ

*procedebat:* HOSTIÆ *omnibus locis immolabantur: tricliniis stratis fora templaque occupabantur.* Et passim deinde Principibus. In Caligula Sueton. cap. XIII. *Inter* ALTARIA *&* VICTIMAS, *ardentesque tedas, densissimo & latissimo obviorum agmine incessit.* In Galba idem c. XVIII. *Cum per omne iter, dextra sinistraque* VICTIMÆ *opidatim cæderentur.* Plinius Panegyrico, de adventu Trajani: *Ut plena* ALTARIBUS, *angusta* VICTIMIS *cuncta!* Alius Panegyristes ad Maximianum: *Totamque hanc urbem repentina tua in hostes eruptione solicitam, lætitia & exultatione &* ARIS *flagrantibus, &* SACRIFICIIS *&* ODORIBUS *accensis numini tuo, implesti.* Lipsius.

1 *Regium in morem.*] Non mirum id in Romanis Principibus; nisi abroganda Suetonio fides in Galb. 18. *Per omne iter dextra sinistraque oppidatim victimæ cædebantur.* Savilius.

2 *Erupisse legionum agmen.*] Liber Corvini regis, *irrupisse.* Rhenanus. Rectius, ut opinor, ex Flor. *inrupisse.* quam ut vulgo, *erupisse.* Nam de ipsis Vitellianis legionibus sermo est, quæ in Othonianos irruperant. *Pichena.*

3 *Equites cohortos.*] Nos, *coortos.* Rhenanus.

4 *Falso vera aut majora vero miscebant.*] Manuscr. volumen. *Falsa vera aut majora vero miscebant.* Sensus est, Falsa & vera aut majora vero miscebant. *Rhenanus.* Florentini lectionem, *falsa vera, aut majora vero* &c. vulgatæ anteposui. Ea erat *falso vera* &c. *Pichena.*

5 *Spacia certaminum recognoscere.*] In volumine man. *Spatia certamina recognoscere.* Repone, *Spatia & certamina recognoscere.* Rhenanus.

6 *Intueri mirarique.*] Vix credenda mentium conspiratio in velando & ingerendo, quod ipsa tempora oculis tam clare obtulerunt & quo Tacitum apparet noluisse uti. Nam quum sic omnes editi exhibeant, scias tamen in MS. Mediceo legi tantum *intueri, mirari* sine illius conjunctionis appendice. Sic ego in schedis meis notavi, sic frater in suo exemplari. Et cur additur? Delevi penitus: & pertinet hoc ad librum 1. hist. cap. 2. quibus adde 13, 3. *Iac. Gronovius.*

7 *Horruit.*] Sueton. Vit. 10. *Ut campos, in quibus pugnatum est, adiit, abhorrentes quosdam cadaverum tabem, detestabili voce confirmare ausus est, optime olere occisum hostem, & melius civem.* Savilius.

8 *Diis loci.*] Illorum religio sylvis & campis suum tribuit peculiarem deum, quo non favente, nihil non isto loco sinistre tentarent homines. Sic Æneas apud Virgil. lib. 7. 130. Italiam ingressus, *Geniumque loci, primamque deorum Tellurem, Nymphasque & adhuc ignota precatur Flumina.* Orestes in Sophoclis Electra, *Ἀλλ' ὦ πατρῴα γῆ, θεοί τ' ἐγχώριοι Δέξασθέ με. Me patria tellus, vosque præsides dei Excipite me.* Apud Xenophontem 1. παιδ. Cambyses & Cyrus cum Persiam relinquerent: *προσευξάμενοι θεοῖς καὶ ἥρωσι τοῖς Περσίδα γῆν κατέχουσιν, ἵλεως καὶ εὐμενεῖς πέμπειν σφᾶς.* i. *Deos Persiæ tutelares rogabant, ut faverent & feliciter propositum iter conficere paterentur.* Mediam ingressi, *προσεύξατο αὖθις θεοῖς Μηδίαν γῆν κατέχουσιν, ἵλεως καὶ εὐμενεῖς δέξασθαι αὐτούς,* i. *iterum orabant deos* &c. *ut propitii acciperent.* Savilius.

9 *Spadonum gregibus.*] 3. hist. de Fabio Valente, *multo ac molli concubinarum spadonumque agmine.* Idem.

10 *Sectari cantantem solitus.*] Vide Sueton. 4. *Idem.*

11 *Luxu & sagina mancipatus.*] Nisi Cornelius in dandi casu singulari dixerit, *luxu*, Lucilium, Virgilium, Cæsarem secutus, uti supra 1. Hist. *prætextu veteris amicitiæ datum:* de quo Gell. lib. 4. malim scriptum, *luxui & saginæ mancipatus emptusque*, id est, traditus & acceptus, quæ propria verborum significatio est. de illo scriptum Ann.

11.

næ vacuos honoris menses aperiret, [1] coartati aliorum consulatus, [2] dissimulatus Martii Macri, tamquam Othonianarum partium ducis: & Valerium Marinum, destinatum à Galba consulem, distulit; nulla offensa, sed mitem, & injuriam segniter laturum. Pedanius Costa omittitur, ingratus principi, ut adversus Neronem ausus, & Verginii exstimulator. Sed alias protulit caussas. [3] actæque insuper Vitellio
72 gratiæ, consuetudine servitii. Non ultra paucos dies, quamquam acribus initiis cœptum, mendacium valuit. Exstiterat quidam, *Scribonianum se Camerinum ferens, Neronianorum temporum metu in Istria occultatum, quod illic clientelæ & agri veterum Crassorum, ac nominis favor manebat.* Igitur deterrimo quoque in argumentum fabulæ assumpto, vulgus credulum, & quidam militum errore veri, seu turbarum studio, certatim aggregabantur; cum pertractus ad Vitellium, [4] interrogatusque *quisnam mortalium esset*, postquam nulla dictis fides, & à domino noscebatur, conditione fugitivus, nomine *Geta*, [5] sumptum de eo supplicium in servilem modum.
73 Vix credibile memoratu est, quantum superbiæ socordiæque Vitellio adoleverit, postquam [6] speculatores è Syria Judæaque, *adactum in verba ejus Orientem* nuntiavere. Nam etsi vagis adhuc & incertis auctoribus, erat tamen in ore famaque Vespasianus, ac plerumque ad nomen ejus Vitellius excitabatur: tum ipse exercitusque, ut nullo æmulo, sævitia, libidine, raptu, in externos mores proruperant.
74 At Vespasianus bellum armaque, [7] & procul vel juxta sitas vires, circumspectabat. Miles ipsi adeo paratus, ut præeuntem sacramentum & [8] fausta Vitellio omnia precantem, [9] per silentium audierint. Muciani animus, nec Vespasiano alienus, & in Titum pronior. [10] præfectus Ægypti Alexander, consilia sociaverat. [11] Tertiam legio-

11. *Vertranius.* Videtur legendum, *luxu & sagina.* Ursinus.

1 *Cohortati aliorum consulatus.*] Emendavi, *coartati* &c. *Rhenanus.* Nonnulli sane loco dejecti; sed quisque, ut patet, binos menses explevit, recepta tum istius temporis consuetudine. adi notas in lib. 1. *Savilius.*

2 *Dissimulatus M. Macri.*] Scribendum videtur *Martii Macri.* Nam ita eum supra crebro nominat, qui Præfectus gladiatoribus fuit. *Lipsius.*

*Dissimulatus Martii Macri.*] Vulgo, *M. Macri.* Lipsius verum illius nomen restituit, quo supra à Tacito appellatur, & Flor. congruit, in quo legitur *Marci Macri.* Pichena.

3 *Actaque insuper Vitellio gratia, consuetudine servitii.*] Sic supra l. 13. *Seneca, qui finis omnium cum dominante sermonum, grates agit,* & in vita Agr. *agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii invidia.* Seneca de Ira 2, 33. *Notissima vox est ejus, qui in cultu regum consenuerat, cum illum quidam interrogasset, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem: Injurias, inquit, accipiendo & gratias agendo.* Idem.

4 *Interrogatus quisnam mortalium esset.*] Nos, *interrogatusque quis mor. esset.* Rhenanus.

5 *Sumtum de eo supplicium servilem in modum.*] Id est, virgis cæsus extremo supplicio affectus est, ut ostendit Acron in comm. Horatii. Nam domini servos ad trabem suspensos flagellabant, atque in media domo, ad terrorem incutiendum servis, habenas pendebant. *Lupanus.*

6 *Speculatores è Syria Iudæaque.*] Delevimus præpositionem *è*, quæ subintelligitur. *Rhenanus.* Aberat à vulgatis præpositio *è*, quam ex Flor. restitui. *Pichena.* Iterum Muretus præpositionem addit, *speculatores è Syria.* Possis etiam legere, *superbia socordiaque* nominandi casu, id est, quantum Vitellio aucta sit superbia. *Acidalius.*

7 *Et procul vel juxta sitas vires.*] Particulam *&* submovimus. *Rhenanus.* Hic etiam ex Flor. addidi illud *&*, quod in editis vacabat. *Pichena.* Inseruerim cum Mureto copulam, *& procul* &c. *Acidalius.*

8 *Fausta Vitellio omnia precantem.*] Malim hic *omina.* ut ostendi supra ad 1, 35. *Freinshemius.*

9 *Per silentium audierunt.*] Consueverunt enim bene sentientes milites, acclamationibus preces adjuvare. *Ferrettus.*

10 *Præfectus Ægypti Ti. Alexander.*] Ita videtur legendum, ut fortasse illud, *Ti.* ob præcedentem postremam syllabam *Ægypti* omissum sit à librario. Sueton. certe *Ti. Alexandrum Ægypti præfectum* edit in Vesp. 6. *Ursinus.* Censet Muret. inserendum *Ti. Alexander*, quæ nota valet, *Tiberius:* quod nomen etiam huic Alexandro. *Acidalius.*

11 *Tertiam legionem, quod è Syria in Mœsiam transisset.*] Tertia legio jam Antonio rerum ad Orientem potiente, in Syria fuerat, ut colligere est ex H. 3, 24. ibique postea quoque mansisse argu-

legionem, quod è Syria in Mœſiam tranſiſſet, ſuam numerabat. ceteræ Illyrici legiones ſecuturæ ſperabantur. Namque [1] omnes exercitus flammaverat arrogantia venientium à Vitellio militum, quod truces corpore, horridi ſermone, ceteros ut impares irridebant. [2] Sed in tanta mole belli plerumque cunctatio, & Veſpaſianus modo in ſpem erectus, aliquando adverſa reputabat; *Quis ille dies foret*, [3] *quo ſexaginta ætatis annos, & duos filios juvenes bello permitteret?* [4] *Eſſe privatis cogitationibus re-*

argumento eſt, quod Corbuloni adſuit 15, 6. H. 3, 24. Cui ſucceſſerit Mucianus. cujus beneficiis devinctam legionem in Mœſiam Nero tranſtulerit: ubi legato Aponio Saturnino Sarmatas vicit. H. 1, 79. H. 3, 24. Mox *transgreſſa* (ſic lego H. 2, 85.) *in partes* Veſpaſiani, *exemplum cæteris Mœſiæ legionibus præbuit.* Et duce Dullio Aponiano Veronam venit. H. 3, 10. Capuæ hiemavit H. 4, 3. Deinde iterum in Syriam remiſſa eſt H. 4, 39. nempe quod olim ibi fuiſſet. Unde & morem, qui in Syria, retinuerat, Solem ſalutandi, H. 1, 24. Hinc ergo Mucianus eam *ſuam numerabat*, ut ait auctor hoc loco. *Freinshemius.* Sed hoc loco non agit Tacitus de Muciano, ſed de Veſpaſiano, quem ſcribere voluit. *Jac. Gron.*

1 *Omnes exercitus flammaverat arrogantia venientium.*] Exemplar manuſcr. *omnis exercitus flammaverat ad arrogantiam* &c. Ubi *flammaverat* accipit abſolute. *Rhenanus.* Ubi elegantia Mureti mutantis, *omnis exercitus flammaverat ad arrogantiam* &c. Apage inficetam & non neceſſariam correctionem. *Acidalius.*

3 *Sed inerat à mole belli.*] In Florentino: *ſed iniant à mole:* ex quo Pichena, *ſed in tanta mole.* Lipſius.

*Inerat à mole belli plerumque cunctatio.*] Legitur in exemplari MSC. *inerat amor belli.* Scripſerim, *inerat timor belli, plerumque cunctatio.* Appoſitive. *Rhenanus.* Corrupte antea; *inerat à mole belli.* Flor. facilem mihi viam ad veram emendationem aperuit, in quo ita legitur: *iniant à mole belli.* unde ego: *in tanta mole.* idque etiam clare inveni in altero Manuſcr. *Pichena.* Hic non neceſſario Muretus mutat: *in tanta.* Phraſis Taciti eum decepit, quam notabis in ſimillimo loco hujus ipſius libri propius initium: *Sed quo plus virium ac roboris, è fiducia tarditas inerat.* Vellejus lib. 2. *Admonitio frequens inerat & caſtigatio, vindicta rariſſima.* Acidalius.

3 *Quo LX. ætatis annos, & duos filios juvenes.*] Suſpicor legendum, *quo ſexageſimo ætatis anno ſe & duos* &c. Pichena. Nihil hac figura orationis rotundius. Dicas eſſe unionem, itaque nihil mutandum; ut pluribus probo in ſuſpicionum farragine. *Gruterus.*

4 *Eſſe privatis cogitationibus progreſſum.*] Lipſius, *regreſſum*, legendum putat. Tamen ſi attendas, in hac privatorum & principum comparatione, nihil de regreſſu agitur. & ſententia videtur: privatos homines, cum cogitationem aliquam, ſeu vitæ inſtitutionem ſibi proponunt, eatenus progredi poſſe, quatenus ipſis videatur: ut in medio curſu quieſcere, & intra mediocritatis terminos conſiſtere, atque ex fortuna plus minuſve ad libitum ſumere. At qui imperium concupiſcunt, arbitrium progreſſumque nullum habere: quoniam aut ſummum contingent, aut ruent in præceps. Vulgatam igitur lectionem non mutaverim. *Pichena.* *Regreſſum* ad marginem notatum. quod nemo recipiet, qui ſequentia ex oppoſito dicta recte accipiet. *Acidalius.* Appoſuerunt viri eruditiſſimi ſuis edit. legendum forte, *regreſſum.* male prorſus: omnibus enim modis amplectendum *progreſſum*, niſi ſolidam vim facere amamus ſententiæ auctoris; ut oſtendi in Diatribis meis ad Tacitum. *Gruterus.* Vulgo *progreſſum:* at potior viſa eſt quam repoſuimus, *regreſſum*, cum ſententia hoc velit, & ſic alibi loquatur auctor. ut ſupra 4, 11. *nullo ad pœnitendum regreſſu.* Freinshemius. Recte vocem, *regreſſum*, repoſuit Freinshemius, cum ante, ſed nullo ſenſu, *progreſſum*, legeretur. Privatæ, & illa de invadendo principatu cogitationes hic inter ſe contenduntur. *Privatæ cogitationes* dicuntur, quibus ad quaſvis, ſed quæ infra principem ſint, publicas dignitates, potentiam, auctoritatem adſpiramus. Quicquid enim infra principem eſt, quantumvis cætera maximum & publicum, adſpectu principis eſt & dicitur *privatum.* paſſim Tacitus & alii auctores ſic loquuntur. Illæ *privatæ cogitationes*, etiam ambitioſiſſimæ, cuivis licitæ ſunt; nec peccatur, aut metuenda eſt pœna, etiamſi votis & conatibus non reſponderit eventus. Regredi enim hic impune licet. Si ſummas dignitates cogitaveris, nec acceperis, ut Conſulatum, licet ad ſecundas, aut tertias reſilire, ut Senatoriam, Prætoriam, Ædilitatem, Quæſtoriam, & quæ aliæ ſunt infra Conſulatum. At qui ad imperium ſemel aſpiravit, nec accepit, ab incepta regredi impune non poteſt. Reus eſt majeſtatis. Nihil ei reſtat niſi præcipitium, & ultima pernicies. Unde hic additur; *Imperium cupientibus, nihil medium inter ſumma & præcipitia.* Refer autem huc illud Juvenalis Sat. x.

*Quid Craſſos, quid Pompejos evertit, & illum*
*Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?*
*Summus nempe locus.*

*regressum; & prout velint, plus minusve sumi ex fortuna: imperium cupientibus, nihil*
75 *medium* [1] *inter summa aut præcipitia.* Versabatur ante oculos Germanici exercitus robur, notum [2] viro militari: *Suas legiones civili bello inexpertas; Vitellii, victrices: & apud victos, plus querimoniarum, quam virium. fluxam per discordias militum fidem, & periculum ex singulis. Quid enim profuturas cohortes alasque, si unus alterque,* [3] *præsenti facinore paratum* [4] *ex diverso præmium petat? Sic Scribonianum sub Claudio interfectum; sic percussorem ejus* [5] *Volaginium, è gregario ad summa militiæ provectum. Fa-*
76 *cilius universos impelli, quam singulos vitari.* His pavoribus nutantem, & alii legati amicique firmabant, & Mucianus, [6] post multos secretosque sermones, jam & coram ita locutus: *Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent,* [7] *an quod inchoatur, reipublicæ utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu,* [8] *aut certe non arduum sit. Simul ipse qui suadet considerandus est, adjiciatne consilio periculum suum: & si fortuna cœptis affuerit, cui summum decus acquiratur. Ego te, Vespasiane, ad imperium voco, tam salutare reipublicæ, quam tibi magnificum,* [9] *juxta deos, in tua manu*

Et ista,

*Alta turris tabulata, unde altior esset*
*Casus & impulsa praceps immane ruina.*

Hæc vera est sententia hujus loci. *Boxhornius.*

1 *Inter summa aut pracipitia.*] Nos, *inter summa ac pracipitia.* Rhenanus. Auscultandum Rhenano, refingenti *& pracipitia*, neque secus editio antiquissima, & per consequens Mſ. Vaticanus, ejus prolis mater. *Gruterus.*

2 *Viro militari.*] Vespasianus enim, antequam mitteretur in Judæam, in Germania fuerat legatus legionis, postea in Britannia, ubi triginta prœliis interfuit, viginti civitates expugnavit, insulamque Vectem Romano subjecit imperio, unde obtinuit *triumphalia ornamenta.* Suet. Vesp. 4. *Savilius.*

3 *Præsenti facinori.*] In exemplari Msc. est, *facinore.* Rhenanus.

4 *Ex diverso.*] Phrasis Tacito peculiaris, pro, ex parte altera. Sic lib. seq. *ac majore ex diverso mercede* &c. & inf. *quas enim ex diverso legiones?* lib. 13. *assultare ex diverso Tiridates.* Pichena.

5 *Volaginium.*] Nomen rarum, cujus partem primæ syllabæ annexam obiter expolire conatur Freinshemius ad 1. hist. 70. Sed non licet nobis separare, quod ita junctim servant MSS. Itaque nihil ex antiquo memini legisse ei magis appropinquans, quam in nummo, quem liberaliter studiis Græcis contulit Vir Eximius & ad eadem fovenda natus Jac. de Wilde mihi arctissimis inde vinculis junctus, in Selectis Numism. Antiquis tab. x. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΤΑΜΙΟΥ ΛΕΥΚΙΟΥ ΦΟΛΚΙΝΝΙΟΥ. Jac. Gronovius.

6 *Post multos secretosque sermones jam & coram.*] Ergo multos istos sermones non coram eo protulerat, quocum loquebatur? nugæ. Latet omnino cæcum aliquod vulnus, & conjicio toto capite considerato, aliquid hic fuisse de amicis: hoc enim ait, prius multos cum Vespasiano sermones secreto habuisse, denique *& amicis coram* (sic forte legendum) ea, quæ subjicit, locutum esse. Pluribus enim præsentibus hanc orationem habitam patet ex H. 2, 77. *Nobis nihil ultra arrogabo, quam ne post Valentem ac Cacinam numeremur.* & longe clarissime ex H. 2, 78. *Post Muciani orationem ceteri audentius circumsistere, hortari.* Freinshemius. Nescio cur hunc locum mutare aggressus sit vir doctus. Ratio, quam adfert, nulla est. *Coram* hic significat palam, multis audientibus, & quasi in publico. Ita ea voce usus Tacit. Ann. 6. ubi M. Terentius; *Spectamus porro, quæ coram habentur*; id est, quæ publica, & oculis judicisque omnium offeruntur. Vides igitur aliud hic esse *secretos sermones*, aliud *coram loqui.* Boxhornius.

7 *An quod inchoatur.*] Hæreo ad notam Cl. Ryckii, qua aperit (Cod. meus *au quod inchoaturi*) Atqui id ipsum a me in schedis meis ex MS. Mediceo annotatum vidit. Sed & paulo ante ibi scriptum erat *jam & coronam ita locutus*, ut forsan dubites *jam ad coronam ita loc.* Nam quæ ab illis duobus cum impetu produntur, exigua sunt. Multi secretique sunt aut epistolarum aut aliorum internuntiorum sermones, & præsertim ipsius Titi, ex cap. 79. At nunc ex provincia sua egressus, ut cum ipso Vespasiano ageret, ita loquutus fuit illi ad coronam, ut præsentes forent multi proceres nobilesque, quibuscum forsan aliquid jam communicaverat Vespasianus, ut nunc venientem simul audirent. *Jac. Gronovius.*

8 *Aut certe non arduum sit.*] In MS. Mediceo geminatur negativa *aut non certe non ard.* Scripsisse patet, *aut promptum effectu, aut non, certe non arduum sit.* Idem.

9 *Juxta deos.*] Videtur dictum pro, per favorem deorum, sicut dicimus, *secundum deos.* pro, post deos. At codex Budensis habet, *vixit deos.* ex qua scriptura nihil erui queat, nisi quis le-

*manu positum est. Nec speciem adulantis expaveris;* [1] *à contumelia quam à laude propius fuerit, post Vitellium eligi. Non adversus divi Augusti acerrimam mentem, nec adversus cautissimam Tiberii senectutem;* [2] *ne contra Caii quidem, aut Claudii, vel Neronis, fundatam longo imperio domum exsurgimus: cessisti etiam Galbæ imaginibus: torpere ultra, & polluendam perdendamque rempublicam relinquere, sopor & ignavia videretur, etiamsi tibi, quam inhonesta, tam tuta servitus esset.* [3] *Abiit jam & transvectum est tempus,* [4] *quo posses videri concupisse. confugiendum est ad imperium. An excidit trucidatus Corbulo?* [5] *splendidior origine quam nos sumus, fateor: sed & Nero, nobilitate natalium, Vitellium anteibat. Satis clarus est apud timentem, quisquis timetur. Et posse ab exercitu principem fieri, sibi ipse Vitellius* [6] *documento est, nullis stipendiis, nulla militari fama, Galbæ odio provectus.* [7] *Ne Othonem quidem ducis arte, aut exercitus vi, sed præpropera ipsius desperatione victum, jam desiderabilem & magnum principem fecit. Cum interim spargit legiones; exarmat cohortes,* [8] *nova quotidie bello semina ministrat. si quid ardoris ac ferociæ miles habuit, popinis*

legendum suspicetur, *vixit nepos*, hoc est, ganeo, scil. Vitellius. *Vixisse* dicimus, quos periisse significamus. Tum distingue: *Vixit nepos. In tua manu positum est.* Sed hæc conjectura esto. *Rhenanus.* Hoc est, voluntate, & quasi decreto deorum. ii enim favorem suum Vespasiano sæpius ostenderunt, ut alibi Tacitus. & post Muciani orationem ait: *responsa vatum & siderum motus referre*, & statim: *Recursabant animo vetera omina*, & quæ sequuntur. Etiam lib. præced. dixit: *occulta lege fati, & ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus imperium post fortunam credidimus.* Seu potius hoc sibi vult Mucianus: Ejusdem momenti fere tua voluntas est, ac Deorum favor. *Pichena.*

1 *A contumelia & laude propius fuerit.*] Muciani mens videtur: cum Vitellius suis vitiis, corruptisque moribus imperium laceret, contumeliosum potius quam laudabile esset, si eligi Imperator post illius obitum exspectares, atque interim illum regnare in perniciem reipublicæ permitteres. Ideo paullo post sequitur: *Torpere ultra & polluendam perdendamque rempublicam relinquere, sopor & ignavia videretur.* Verior tamen sensus est, ni fallor: Hinc, Vespasiane, videas, me tibi non adulari, cum quod contumeliosum est, tibi suadeam, scilicet post Vitellium eligi: id enim laudem & gloriam tibi minuere poterit, potius quam augere. *Idem.*

2 *Abiit iam, & transvectum.*] Obscura est sententia, & ergo acuta. An hoc vult, jam senem esse Vespasianum, & in hac modesta ætate nihil juveniliter, aut cupide atque ambitiose visum iri agere, sed omnia studio & amore reipublicæ? An potius alio telo, & proprio periculo excitat? Abiit jam tempus, nec in tua manu est, dissimulare aut tegere cupidinem imperii. Jam innotuit multis signis, & ut salvus sis, *confugiendum est ad imperium.* Lipsius.

3 *Ne contra Caji quidem.*] Sic quum in schedis meis notavissem, libens id ex solis eis admisit Ryckius, & ego sequor, ut cap. 15. *Ne Othonianis quidem.* Utinam sic quoque ab eodem fuisset actum 4, 35, sed nescio quæ vana fingit, ut maneat *nec victor quidem.* Jac. Gronovius.

4 *Quo posses videri concupisse.*] Regius liber habet manifeste, *quo posses videri concepisse.* Est *concipere* ex destinato suscipere. lib. 1. Ann. *Fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos non servili animo concepit.* Liv. l. 4. *In ea Sp. Melius spem regni conceperit.* Sic etiam dicitur *scelus concipi*, quod suscipitur. *Rhenanus.*

5 *Splendidior origine quam nos sumus.*] Flor. corrupte habet, *splendiori.* forte *splendidiori*: sed neque sic esset vulgata lectione melius. *Pichena.*

6 *Documento est.*] Verbum substantivum scias donum esse hujus temporis, quum in MS. Mediceo non exstet; & præterquam quod ab Tacito sæpe omittatur, potest ab proxime antecedentibus repeti. *Jac. Gronovius.*

7 *Ne Othonem quidem ducis arte, aut exercitus sui, sed.*] Castigavimus, *aut exercitus vi.* Rhenanus. Si integer sit locus, quod certe non ausim affirmare, videtur sensus. Postquam Mucianus, ut facilem belli exitum Vespasiano proponeret, dixisset, nullas esse in Vitellio virtutes: sequitur, illum ignavia ac vitiis suis effecisse, ut jam Otho princeps desideraretur, ac magnus præ Vitellio haberetur. qui quidem Otho non, ipsius Vitellii arte ac viribus, sed sua desperatione victus fuerit. Construitur autem sic: Vitellius fecit jam desiderabilem, & magnum principem, Othonem; non quidem victum ducis arte, aut exercitus vi, sed præpropera ejus desperatione. Ad hæc Mucianus vires Vitellii extenuans, addit legiones ab illo sparsas, cohortes exarmatas, & quæ sequuntur. *Pichena.*

8 *Nova quotidie bello semina ministrat.*] Cum supra

*nis, & comessationibus, & principis imitatione, deteritur. Tibi è Judæa & Syria & Ægypto novem legiones integræ, nulla acie exhaustæ, non discordia corruptæ: sed firmatus usu miles, & belli domitor externi. Classium, alarum, cohortium robora; &*
77 *fidissimi reges; & tua ante omnes experientia. Nobis nihil ultra arrogabo, quam ne post Valentem ac Cæcinam numeremur. Ne tamen Mucianum socium spreveris, quia æmulum non experiris: me Vitellio antepono, te mihi. Tuæ domui triumphale nomen, duo juvenes,* [1] *capax jam imperii alter, & primis militiæ annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. Absurdum fuerit, non cedere imperio ei, cujus filium adoptaturus essem, si ipse imperarem. Ceterum inter nos non idem prosperarum adversarumque rerum ordo erit. Nam si vincimus, honorem quem dederis habebo:* [2] *discrimen, ac pericula, ex æquo patiemur. imo ut melius est, tu hos exercitus rege, mihi bellum & præliorum incerta trade. Acriore hodie disciplina, victi, quam victores agunt: hos ira, odium, ultionis cupiditas ad virtutem accendit; illi per fastidium, & contumaciam hebescunt.* [3] *Aperiet & recludet contecta & tumescentia victricium partium vulnera bellum ipsum.* [4] *Nec mihi major in tua vigilantia, parsimonia, sapientia, fiducia est, quam in Vitellii*

supra ostenderit, plures legiones à Vitellio in suas provincias remissas, & cohortes prætorianas exarmatas, consequens erat, ut omnium illorum militum animos sibi adeo alienaverit, ut bellum cuperent. ea ergo erant præcipua novi belli semina. *Pichena.*

1 *Capax imperii.*] Annum agens vigesimum septimum. *Savilius.*

2 *Discrimen ac pericula.*] Vulgo, *periculum.* at Flor. *pericula*, quod reposui. *Pichena.* At cur tegit, quod ibidem ille codex habet non *partiemur*, ut vulgo, sed *patiemur?* nempe ut aperiret Ryckius, quem vide. Certe id mihi fuit tanti, ut redderem Tacito. *Jac. Gronovius.*

3 *Aperiet & recludet.*] Vix abest, quin ad hæc Demosthenis sit adspectum: & certe paria sunt, in Olynthiaca: Ὥσπερ ἐν τοῖς σώμασιν ἡμῶν, ἕως μὲν ἂν ἐρρωμένος ᾖ τις, οὐδὲν ἐπαισθάνεται τῶν καθ' ἕκαστα σαθρῶν. ἐπὰν δὲ ἀρρώστημά τι συμβῇ, πάντα κινεῖται, κἂν ῥῆγμα, κἂν στρέμμα, κἂν ἄλλο τι τῶν ὑπαρχόντων σαθρὸν ᾖ. οὕτω καὶ τῶν πόλεων, καὶ τῶν τυράννων, ἕως μὲν ἂν ἔξω πολεμῶσιν, ἀφανῆ τὰ κακὰ τοῖς πολλοῖς ἐστιν. ἐπειδὰν δὲ ὅμορος πόλεμος συμπλακῇ, πάντα ἐποίησεν ἔκδηλα. *Ut in corporibus nostris, dum valet aliquis, nullum dolorem sentit é partibus affectis; cum autem morbus supervenit, omnia commoventur, sive ruptura, sive luxatio, sive alia imbecillitas sit: ita res habet in urbibus, & regibus. qui donec foris belligerant, mala sua secreta habent; ubi verò vicinum bellum conflatum est, omnia aperiuntur & elucescunt.* Lipsius.

*Recludet contecta & tumescentia victricium partium vulnera.*] Ita Florent. nam in vulgatis sic transposite: *contecta victricium partium & tumescentia vulnera.* Pichena. Demosthenes prima in Philippum: Οὐκ ἐπὶ τὴν ἐκείνου πλευσόμεθα; Ποῖ δὴ προσορμιούμεθα, ἤρετό τις. εὑρήσει τὰ σαθρὰ τῶν ἐκείνου πραγμάτων αὐτὸς ὁ πόλεμος. Gronovius.

4 *Parsimonia, sapientia.*] Ambigo de voce *parsimonia.* Convenit in Vespasianum, scio: quem sordidum avarumque omnes faciunt, non solum parcum. sed cur inter principes & illustres virtutes hanc domesticam privatamque nominet? aut cur in ea fiduciam boni eventus collocet? Non digna videtur, quæ ad imperium adjuvet, aut ad id gradum struat: nisi fortasse comparatione Vitellii dictum, qui natus ad prodigendum. Utcumque, liceat dubitare an non reponendum, *acrimonia:* sed, ut dixi, dubitare. *Lipsius.*

*Nec mihi major in tua vigilantiâ, parsimoniâ, sapientiâ, fiducia est.*] Vocem *parsimonia* Lipsius arguit, tanquam non digna, quæ inter principes & illustres virtutes connumeretur, aut quæ ad imperium adipiscendum ullo adjumento esse possit. Quod licet non sine probabili ratione ab eo dictum sit, mihi tamen videtur, Mucianum non temere inter alias virtutes, etiam Vespasiani parsimoniam laudare, atque in ea victoriæ fiduciam reponere: cum belli nervos pecuniam esse constet, ut inferius dixit: ac si ea prodigeretur, ut à Vitellio fiebat, frustra in aliis virtutibus, atque in cetero bellico paratu spes relinquebatur. *Pichena.* Torpor vigilantiæ, inscitia sapientiæ, ad amussim respondent: verum *parcimonia* non videtur ἀντίθετον *sævitia.* Nec (addo) σωφροσύνη τῆς ἀκολασίας. Thucyd. l. 3. ἀμαθία τε μετὰ σωφροσύνης ὠφελιμώτερον ἢ δεξιότης μετὰ ἀκολασίας. i. *imperitia cum modestia utilius quam peritia cum licentia.* Nec *avaritia virtuti.* audi Sall. Catil. *nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant.* Juvanda omnia sunt interpretatione. Ad Græca ita Scholiast. Τὴν ἀκολασίαν ἀντέθηκε τῇ σωφροσύνῃ. δεῖ δὲ τὴν μὲν σωφροσύνην ἐνταῦθα ἐπὶ τῆς εὐηθείας δέξασθαι, τὴν δὲ ἀκολασίαν ἐπὶ τῆς [illegible]. i. *Licentiam opposuit modestiæ:* oportet autem *hic accipere modestiam pro simplicitate* (hoc

*tellii torpore*, *inscitia*, *sævitia*. *Sed & meliorem in bello caussam, quam in pace habemus.* [1] *nam qui deliberant*, *desciverunt*. Post Muciani orationem ceteri audentius 8 circumsistere, hortari, *responsa vatum*, *& siderum motus* referre. Nec erat intactus tali superstitione, ut qui mox rerum dominus, Seleucum quendam mathematicum, rectorem & præscium palam habuerit. [2] Recursabant animo vetera omina. [3] cupressus arbor in agris ejus, conspicua altitudine, repente prociderat; ac postera die, eodem vestigio resurgens, procera & latior virebat. grande id, prosperumque, consensu haruspicum: & summa claritudo juveni admodum Vespasiano promissa. Sed [4] primo triumphalia; & consulatus, & Judaicæ victoriæ decus,

(hoc est, quando placitis acquiescunt) *licentiam* vero pro *instabilitate* (hoc est quando à semel placitis discedunt.) Ad Latina hæc ego. *Virtus* aliquando ponitur vice munificentiæ, sive beneficentiæ. Thuc. l. 2. Καὶ τὰ ἐς ἀρετὴν ἐναντιώμεθα τοῖς πολλοῖς. i. *Et in iis*, *quæ ad virtutem spectant*, *à multis discrepamus*. Ubi Schol. ἀρετὴν λέγει νῦν φιλίαν καὶ εὐεργεσίαν. Sic noster contendit *sævitiam* cum *parcimonia*, id est, aversione crudelitatis: mitis enim erat Vespasianus & parcus puniendi. Ut ex Sueton. c. 10. Nec absurde hoc vocabulum ad alia quam ad frugalitatem transfertur. Plin. libro 10. Ep. 25. *Statuam poni mihi à te eo quo desideras loco* (*quanquam hujusmodi honorum parcissimus*) *patiar*. Plaut. Aul. 2, 2, 29. *Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior.* Τὸ *parcior* ibi hominem non signat, qui rei inserviat, sed qui imbiberat illud aureum: γνῶθι σεαυτόν. Quamobrem dives Megadorus Euclionis ingenium optime callens, merito nuptus eum ejus filia diffidit, dicitque eum esse *parcum*, hoc est se intra suum ordinem continentem, non affectare affinitates potentiorum. quæ omnia clarius Euclio ipse vers. 49. Cæterum non mihi persuaserint qui illos immanes commentarios vulgavere *parcior* nota significatione accipiendum esse, nam ratio horum: *Credo edepol*, *ubi mentionem ego fecero de filia*, *Mihi ut despondeat*, *sese à me derideri rebitur*, hæc est: *Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior.* Ad hoc Megadorus indotatam Euclionis filiam ducere volebat. *Scio quid dictura es*, *hanc esse pauperem*, *hæc pauper places.* Et; *Dummodo morata recte veniat*, *dotata est satis.* Salinerius. Ambigendi de voce, *parcimonia*, justa Lipsio causa, si vulgari significatione accipitur. At hic nova illa & vix alibi unquam usurpata. Clementiam enim intelligit Tacitus, aut quid clementiæ affine, quod alio vocabulo non possis exprimere. Id clarum ex antithesi, quia ut *torpori Vitellii*, *vigilantiam Vespasiani*, *& inscitia*, *sapientiam*: *sic sævitia parcimoniam* opponit. Ac forte ideo transponenda hæc vox, collocandaque post sequentem *sapientia*, ut ordo contrariorum rectius mutuo sibi respondeat, quem non ita sollicite observasse auctor potest, neque admodum necesse fuit. Omnino autem non *major* legendum, sed *minor*: quod mirum non vidisse alios, si sententiam loci viderunt. *Acidalius.* Non necessarium est: ut ista Vespasiani & Vitellii naturæ propria invicem conferantur: alioqui quomodo etiam respondebit sapientia Vespasiani sævitiæ Vitellii? Quare calidiuscule Lipsius emendasse videatur: *in tua vigilantia*, *acrimonia*. Quin disertus ille Mucianus publicam Vespasiani parsimoniam Reip. maxime utilem censebat. Unde de eo Xiphil. Ὁ δὲ Μουκιανὸς καὶ χρήματα ἀμύθητα συνεπράττετο, ὅθεν ἐνεδέχετο, εἰς τὸ δημόσιον ἀθροίζων ἑτοιμότατα, τὴν ἐπ' αὐτῷ ἀπέχθειαν εἰς ἑαυτὸν ἀντὶ τοῦ Οὐεσπασιανοῦ ἀναδεχόμενος. Νεῦρα γὰρ ἡγεμονίας τὰ χρήματα ἀεὶ ποτ' εἶναι λέγεται. Colerus.

1 *Qui deliberant*, *desciverunt.*] Acute & vere dictum. Fidem enim jam fregit, qui deliberat an servet. Plutarchus exprimere in Galba voluit (magni fecit ille vir hunc nostrum, & quamquam ævo compar, multa verbatim ex hac historia convertit:) ubi Vinium facit Galbam excitare & alloqui. Ὦ Γάλβα, τίνα τρόπον βουλεύσῃ; τὸ γὰρ ζητεῖν Νέρωνι εἰ πιστοὶ μενοῦμεν, ἤδη μενόντων ἐστί. Vocula negans excidit, & legendum ἤδη οὐ μενόντων. Verto: *O Galba*, *quomodo deliberas? Nam quærere an Neroni fidi maneamus*, *jam non manentium est.* Alludit & hoc Taciti, in Agricola: *Jam ipsos*, *quod difficillimum est*, *deliberare. Porro in ejusmedi consiliis*, *periculosius esse deprehendi*, *quam audere.* Lipsius.

*Nam qui deliberant*, *desciverunt.*] Dubitatio enim, ut scribit Cicero, cogitationem habet injuriæ. *Ferrettus.* Similis sententia est in vita Agric. *Jam ipsos*, *quod difficillimum fuerit*, *deliberare*; *porro in ejusmodi consiliis periculosius est deprehendi*, *quam audere.* Pichena.

2 *Recursabant animo vetera omina.*] Ita Flor. at male in vulgatis, *vetera omnia*. nam etiam paulo infra dixit, *implesse fidem ominis videbantur*. Pichena. Non male; sed cum referat Flor. *omina*, cur id spernamus? In re simili pene Curtius libro 3. *Vetera quoque omina*, *ut fert sollicitudo*, *revocaverat.* Gruterus.

3 *Cupressus arbor.*] Sueton. Vesp. 3. *Savilius.*

4 *Primi consulatus.*] *Quem gessit*, ait Sueton.

cus, [1] impleſſe fidem ominis videbantur: ut hæc adeptus eſt, portendi ſibi imperium credebat. Eſt Judæam inter Syriamque [2] Carmelus, ita vocant montem, deumque. [3] nec ſimulacrum deo, aut templum, (ſic tradidere majores) [4] aram tantum & reverentiam. Illic ſacrificanti Veſpaſiano, [5] cum ſpes occultas verſaret animo, Baſilides ſacerdos, inſpectis identidem extis, [6] *Quidquid eſt*, inquit, *Veſpaſiane, quod paras, ſeu domum exſtruere, ſeu prolatare agros, ſive ampliare ſervitia, datur tibi magna ſedes, ingentes termini, multum hominum.* Has ambages & ſtatim exceperat fama, & tunc aperiebat. nec quidquam magis in ore vulgi, crebriores apud
79 ipſum ſermones: quanto ſperantibus plura dicuntur. Haud dubia deſtinatione diſceſſe-

*per duos noviſſimos anni menſes* extremo Claudii principatu. *Idem.*

1 *Impleſſe fidem ominis videbantur.*] In regio libro legitur, *videbatur*, imperſonaliter. *Rhenanus.*

2 *Carmelus.*] Vide Sueton. Veſp. 5. Duos montes *Carmelos* auctor eſt Hieronymus, alterum Galilææ provinciæ ad Auſtralem plagam, in quo fuit Nabal maritus Abigail: & alter juxta Ptolemaidem, mari imminens, in quo Helias flexis genibus pluviam impetravit. Hujus meminere Sueton. Tacitus, Plinius, Strabo, Ptolemæus. Et hujus quoque frequens in ſacris Bibliis fit mentio, gratiſſimumque Deo locum fuiſſe conſtat, quum populo Hebræo per eum & in eo, modo gratiam donaque, ut Jerem. 2. & 49. Mich. 7. modo iram & pœnam demonſtraret, ut Jeſaiæ c. 16. & 33. & 37. Et Jer. 4. & 48. & Amoſ. 1. & Nahum. 1. c. Et in Cantico, *Caput illius aſſimilabitur Carmelo*, c. 7. & Jeſaiæ c. 35. In Carmelo, lib. 1. Regum, Saul parta victoria de Amalecitis erexit ſibi fornicem triumphalem, & obtulit holocauſtum Domino de initiis prædarum. Ex quo mihi conjici poſſe videtur, Deum, quem Carmeli dicit Tacitus, fuiſſe Deum, qui ſine fine vivit & regnat, cui Hebræi illo in monte ſacrificium offerebant, eumque ibidem venerabantur, aram & reverentiam habentes, minime vero templum, hoc enim ſolum in Hieruſalem, innominatum vero, quia non illi particulare nomen ut cæteris Diis gentium. Baſilidem autem ſacerdotem eum, de quo paulo poſt Tacitus, Hebræum fuiſſe conjicio, quia Suetonius de ea re verba faciens meminit Joſephi captivi Hebræi Veſpaſiano ea felicia vaticinati, ob id vinculis ſoluti: quem Beroaldus multis rationibus eundem met hiſtoriæ ſcriptorem fuiſſe comprobare contendit. Adhæc Sueton. Veſp. 4. ita ſcribit, *percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.* Id de Imperatore Rom. poſtea eventu patuiſſe prædictum. ut & Tacitus l. 5. hiſtor. 13. Oroſius *Judæi in Carmelum montem ſeductis ſortibus, quæ portendebant, exortos à Judæa duces rerum potituros eſſe.* Paria Hegeſippus libro 5. Hæc commemorare volui, ut videant noſtri ſeculi & futuri homines, eam eſſe Dei ſummi opificis omnipotentiam, ut etiam ex ore Taciti & Suetonii, alioquin acerrimorum Hebraicæ & Chriſtianæ religionis ſubſannatorum & irriſorum, & gentilium aliorum, ſuam gloriam & honorem invitis ipſis, & caligine ignorantiæ perſtrictis mentis oculis, ejicere potuerit; eoſque futuri Meſſiæ, & Chriſti Jeſu Domini noſtri, & generis humani Redemptoris vaticinium literis mandare coëgerit: ita tamen, ut quæ ſcripſerunt non intellexerint, gratiæ illius minime participes, cui honor & gloria ſit in ſecula ſeculorum. *Marc. Donatus.*

3 *Nec ſimulacrum.*] Pariſſimum illud, quod de Herculeo fano ad Gades tradit Silius lib. III.

*Sed nulla effigies, ſimulacraque nota deorum:*
*Majeſtate locum & ſacro implevere timore.*

Lipſius.

4 *Aram tantum & reverentiam.*] Malim, *ara tantum & reverentia.* Rhenanus. *Τῇ αἰτιατικῇ ἀντὶ τῆς ὀρθῆς κέχρηται. i. quarto vice primi caſus utitur.* Non repetam, quæ dixi in admonitione ad lectorem, & lib. 1. hiſt. ibi *tradito principibus more.* Salinerius. Ego contra & hæc & præcedentia verba, *ſimulachrum* ac *templum*, recte quarto caſu accipi puto, regique a verbo, *tradidere*, id eſt, majores tradidere, non eſſe Deo Simulacrum aut templum, ſed aram tantum & reverentiam. *Pichena.* Senſus poſtulat: *ara tantum & reverentia.* Nam & illa *ſimulachrum* & *templum* nominativi hic ſunt. *Grotius.* Si ita Muſis placuerit; nam multo melius hunc quartum caſum ſtabilivit Gruterus in notis ad 3. hiſt. 61, quam vel Rhenanus, vel Grotius, vel Ryckius primum. Lipſius nominativum aliquamdiu in margine editionum notavit, poſtea neglexit. *Jac. Gronovius.*

5 *Cum ſpes occultas verſaret animo.*] Nonne Tacitus ita vivum præbet ſpecimen votorum, *Quæ niſi ſeductis nequeas committere divis*, & deinde *tacita libantur acerra* ut deſcripſit ſedulo certe Perſius, egregie iſtic illuſtrante maximo Caſaubono. *Jac. Gronovius.*

6 *Quicquid eſt.*] Sueton. Veſp. 5. *Savilius.* Lego, *quicquid id eſt.* Acidalius.

1 Mu-

cessere; [1] Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream: illa Syriæ; hæc Judææ caput est. [2] Initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriæ cœptum, festinante Tiberio Alexandro, qui kalendis Juliis sacramento ejus legiones adegit. [3] Isque primus principatus dies in posterum celebratus, quamvis Judaicus exercitus [4] quinto nonas Julias apud ipsum jurasset, [5] eo ardore, ut ne Titus quidem filius exspectaretur, Syria remeans, & consiliorum inter Mucianum ac patrem nuntius. cuncta [6] impetu militum acta: [7] non parata cognitione, non conjunctis legionibus. [8] Dum quæritur tempus, locus, quodque in re tali difficillimum est, prima vox, dum animo spes, timor, ratio, casus obversantur: egressum cubiculo Vespasia-

1 *Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream.*] Cæsareæ multæ fuerunt. Una in Mauritania, unde ipsa *Cæsariensis* dicitur. Altera est Cæsarea, quæ cognominatur Philippi, cujus Matthæus cap. 16. mentionem facit, quam extruxit Philippus tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis, Herodis majoris filius & frater Herodis minoris, in honorem Tiberii Cæsaris. Ea mutato nomine *Paneas* dicta in provincia Phœnices ad radices Libani. Tertia est Cæsarea in Cilicia, Cæsarea ad Anazarbum dicta. Quarta, de qua hic loquitur, quam hoc loco Tacitus Judææ, alii Palæstinæ attribuunt. Certe Ptolomæus Judææ Palæstinæ nomen ei tribuit. Strabo & Tac. 4. hist. totum tractum à Judæorum tribubus cultum, Judæam vocant. Alii partem Palæstinæ Judæam faciunt. Plinius Idumæam cum Palæstina confundit, tamen hanc à Samaria, & Galilæa separat. Quod à me dictum est, ut ostenderem vario modo has regiones partiri, ne quis miretur, si Cæsaream Tacitus Judææ, alius Palæstinæ tribuat. Hujus quidem mentio fit in Actis Apost. c. 21. quæ prius *Turris Stratonis* vocabatur. Deinde ab Herode majore instaurata, *Cæsarea* nuncupata est in honorem Augusti. Huic quoque templum erexit, & ludos quinquennales dicavit. Antiochia vero Syriæ caput, & Cæsarea Judææ nominantur à Tacito, ea loquendi forma, qua Aventicum gentis Helveticæ caput libro 1. hist. dixit. Antiochia porro una est è primariis Syriæ civitatibus. nam Syria dividitur in multas partes, quas lubens omitto, quarum una *Syria Antiochena* dicitur. Verum mirum est Cæsaream *Judææ caput* à Tacito vocari, cum Hierosolyma Judææ caput fuerit: nisi dicas Tacitum post Hierosolymitanum excidium scripsisse, quo tempore & urbis, & ecclesiæ dignitas ad Cæsaream transierat. Quare à nostris, id est, Christianis, Metropolis facta est. *Lupanus.*

2 *Initium ferendi.*] Sueton. Vesp. 6. scribit inchoatum id ab Illyrico exercitu. *Savilius.*

3 *Isque primus principatus dies.*] Dies ille, Natalis imperii decore dictus. Spartianus Hadriano. *Tertio iduum earundem Natalem imperii statuit celebrandum.* Lipsius.

4 *Quinto Nonas Iulias.*] Suetonio scriptum: *quinto Idus.* sed eum ad exemplar Taciti emendandum videri non vane pronuntiat clarissimus Torrentius. *Idem.*

*Nonas Iul.*] Suet. v. Idus, qui undecimus est dies. *Savilius.*

5 *Eo ardore, ut ne Titus quidem filius exspectaretur.*] Nos duas istas voces, *eo ardore*, submovimus & distinximus, ut hic novæ sententiæ sit initium, *ut ne Titus q. fil. exspectaretur.* Rhenanus.

6 *Impetu militum.*] Illorum studia in Vespasianum, modus suscepti ab eo imperii, & quæcunque hic circumstantiæ observatu dignæ occurrunt, optime à Josepho descripta *ἁλώσ.* 4, c. 36. (qui coram inspexit) cum aliis speciatim in literas missis, quæ hic apud Tacitum silentio damnata, & Egesippo lib. 4. c. 27. si genuinus ille auctor est, ac non potius suppositia excerpta ex Josepho. *Savilius.*

7 *Non parata cognitione.*] Cui rei hic cognitio? quam vocem Taciti meus planissime spernit. Emendo vero, *non paratu ac concione.* Lipsius.

*Non parata cognitione.*] Cognitio proprie de judicibus. lib. 4. ann. 42. Sed usurpative à nostro non illepide de militibus imperium in aliquem collaturis. An Mœsici sine cognitione Vespasianum imperare dixerunt? Sueton. c. 6. *Cum alii alium alia de causa improbarent, & quidem è legione tertia, quæ sub exitu Neronis translata ex Syria in Mœsiam fuerat, Vespasianum laudibus ferrent, assensere cuncti* &c. At Syriacæ legiones paucorum impulsu, dictum factum, eum in imperatorem asciverunt. Cæterum eruditissimus vir *non paratu ac concione.* quo nil potius, si mendæ hic se penetrassent. *Salinerius.* Legerim cum Pichena: *Non parata concione:* qui Lipsium sequutus est. nam ille: *Non paratu ac concione.* Freinshemius.

8 *Dum quæritur tempus, locus, quodque.*] Sic exhibendum censui flagitante MS. Mediceo, in quo non exstat *locusque*, sed tribus literis postremis ablatis, idque apparet amœnius, perinde ut vexarunt Tacitum edendo 3. h. 22. *Eademque utraque acie arma*, quum ista appendix primæ vocis

sianum, [1] pauci milites solito adsistentes ordine, ut legatum salutaturi, *Imperatorem* salutavere. Tum cæteri accurrere, *Cæsarem* & *Augustum*, & omnia principatus vocabula cumulare. Mens à metu ad fortunam transierat. [2] In ipso nihil tumidum, arrogans, aut in rebus novis novum fuit. Ut primum [3] tantæ multitudinis offusam oculis caliginem disjecit, [4] militariter locutus, [5] læta omnia, & affluentia excepit. [6] namque id ipsum opperiens Mucianus, alacrem militem in verba Vespasiani adegit. Tum Antiochensium [7] theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est, concurrentes, & in adulationem effusos alloquitur: satis decorus etiam Græca facundia, omniumque quæ diceret atque ageret, arte quadam ostentator. Nihil æque provinciam exercitumque accendit, quam quod asseverabat Mucianus, *statuisse Vitellium, ut Germanicas legiones in Syriam, ad militiam opulentam quietamque transferret; contra Syriacis legionibus* [8] *Germanica hiberna, cœlo ac laboribus dura mutarentur.* Quip-

cis nulla sit in MS. eodem, ut patebit. *Jac. Gronovius.*

1 *Pauci milites solito adsistentes.* ] Præivit mihi ad hanc lectionem Flor. Vulgo, *assistunt*. Pichena.

2 *In ipso nihil tumidum.* ] Ita decuit per se magnum animum, non attolli per fortunam. Claudiani illud pulchrum, & hic aptum.

*Frons privata manet. non se meruisse fatetur,*
*Qui crevisse putat.*

Attamen non leviter innovavit Vespasianus, si vera quæ Sulpicius Severus scribit lib. II. Sac. Hist. *Vespasianus cum Hierosolymam obsideret, sumit imperium: & , ut mos est, diademate capiti imposito, ab exercitu Imperator consalutatus, Titum filium Cæsarem facit.* Sed palam illa falsa. Nec mos ejus ævi diadema tulit, nec Flavius per somnium usurpavit. *Lipsius.*

3 *Tanta multitudinis.* ] Quantæ igitur? & quæ inde offusa caligo. Forsan: *tanta mutationis.* Lib. 3. *Dum hac totius orbis mutatione fortuna imperii transit.* Josephus δ ἁλώσ. λσ. Συνιόντες δὲ οἱ τε ἡγεμόνες καὶ οἱ στρατιῶται κατ' ἰσοτίμιον φανερῶς ἤδη μεταβολὴν ἐπελάδοντο. Gronovius. Est prorsus idem, quod in illo eximio, sed infelice Pisone notavit I, Hist. 17. *Pisonem ferunt statim intuentibus, & mox conjectis in eum omnium oculis, nullum turbati aut exultantis animi motum prodidisse*, ubi nulla potest esse multitudinis ratio. Et certe Vespasianus crebro commiserat oculos majori & frequentiori turbæ, quam erat Cæsareæ. Nihilominus quum hic notam vellet scribere Ryckius, cætera coactus probare, annexuit ( MSS. tamen nihil mutant ) quod & ignoravit nemo, & nemo requisivit; quippe quum istud *multitudinis* tam sit inveteratum, ut id condonandum sit antiquitati, & prorsus habendum pro alieno ab Taciti manu ac sensu. Sed agitur de genere quodam stuporis in contemplatione novæ & inusitatæ fortunæ. Jac. Gronovius.

4 *Militariter locutus.* ] Rectissime, atque ita libri. Significat orationem ejus castrensem horridamque fuisse, non cultam forensi aut urbano more. Qui, *militariter lautus*, castigant: ineptiunt. *Lipsius.*

*Militariter locutus.* ] Castigavimus *militariter lautus.* Significat Vespasianum non fuisse exquisita seu urbana eloquentia excultum. *Rhenanus.* Ex his verbis apparet Vespasianum non fuisse exquisite urbana militia excultum. Unde Livius ait orationem Tempanii fuisse militariter gravem, & Sueton. in Jul. eloquentiam militarem probat, quæ non est nimis exculta flosculis eloquentiæ. Sic Cicero Cæsaris Commentarios *nudos* vocat, quasi sine pigmentis oratoriis, & sine vestitu cultiore orationis. *Lupanus.*

5 *Læta omina & affluentia excepit.* ] Nec sit prorsus mala lectio, si quis *omnia* legat. *Rhenanus.* Lipsius olim, *læta omnia & faventia.* quod jure postea sprevit. Murctus, *læta omina.* Nondum hoc satis. Perge porro, *læta omina ex affluentia.* Acidalius.

6 *Jam id ipsum.* ] Alii *Jamque.* at Fl. *Namque*, quod refertur ad verba, *læta omnia & affluentia.* Recte ergo sequitur, *alacrem militem i. v. V. ad.* Pichena.

7 *Consultare mos est.* ] Qui mos scilicet plerisque Græcorum, & qui oriundi a Græcis. Frontinus III. Stratag. cap. II. *Alcibiades in theatro disseruit, ubi ex more Græcorum locus consultationi præbebatur.* Justinus lib. XXII. *Agathocles velut reip. statum formaturus, populum in theatrum ad concionem vocari jubet.* Inde illud Satyrici, de principe oratore: *& pleni moderantem fræna theatri.* Meminit ejusce ritus Cicero pro Flacco, & alii. *Lipsius.*

*Theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est.*] Illud enim omnibus Græciæ civitatibus in usu, ut ex Græcis Oratorib. & Historicis discimus. Res ab Ausonio notata ludo Septem Sapientum, Prologo. *Savilius.*

8 *Germanica hiberno cœlo ac laboribus dura mutarentur.* ] Reposui, *Germanica hiberna.* Hiberna vocat

Quippe & provinciales, sueto militum contubernio gaudebant, [1] plerique necessitudinibus & propinquitatibus mixti; & militibus vetustate stipendiorum, nota & familiaria castra, [2] in modum penatium diligebantur. Ante idus Julias Syria omnis 81
in eodem sacramento fuit.. Accessere cum regno, Sohemus haud spernendis viribus; [3] Antiochus vetustis opibus ingens, & inservientium regum ditissimus. mox per occultos suorum nuntios [4] excitus ab urbe Agrippa, [5] ignaro adhuc Vitellio, celeri navigatione properaverat. nec minore animo, regina Berenice partes juvabat, florens ætate formaque, & seni quoque [6] Vespasiano magnificentia munerum grata. Quidquid provinciarum alluitur mari, Asia atque Achaja tenus, [7] quantumque introrsus in Pontum & Armenios patescit, juravere. sed inermes legati rege-

vocat hibernacula. *Rhenanus.* Statuit ergo vir ille doctus hiberna tantum fore destinata ad istam mutationem, & post hiemem revocandos inde Germanicos milites, ut locus redderetur illis, qui ante hiemem fuerant egressi. Quid eo vanius? quid provinciis calamitosius, quam sic repetito transitu? Nunquam id cogitari potuit, & stupeo id tolerari in editionibus optimi hujus Scriptoris. Proculdubio non sic de hoc astu egit Mucianus. Quippe & MS. Mediceus palam legit: *Syriacis legionibus Germanica hiberne cœlo ac laboribus dura mutarentur.* Quomodo etiam Budensis videtur habuisse, ut colligo ex silentio Rhenani. Quod si yelit utique substantivum adesse, nonne intelligi possunt sive *stipendia*, sive *castra*, quæ utraque mox memorantur? Restitui ergo priscam & integram scripturam. *Jac. Gronovius.*

1 *Plerique necessitudinibus & propinquitatibus.*] Provinciales militibus familiarissimos & milites provincialibus necessitudine, affinitate, & omnibus rebus conjunctos fuisse Cornelius ait; sed hoc posterius quis illi crediderit? *Provincialis mulier ei, qui ibi meret, contra Principum mandata si nubat*, inquit Ulpianus, *nuptiæ non sunt.* Nullæ igitur fuere ex hujusmodi conjunctionibus necessitudines, affinitatesve contractæ: nisi in Syria supplendis legionibus dicamus indicta fuisse per provinciam tirocinia: quemadmodum apud Livium Annali 37. legitur, *C. Atinium Labeonem, cum provinciam Siciliam & in ea exercitum regeret, jussum in supplementum scribere ex ipsa provincia, si vellet, peditum duo millia, & centum equites.* Illud si est, eos, qui in patria sua militarent, non videri contra mandata ex eadem uxorem ducere, idque etiam quibusdam mandatis contineri, quod Julius Paulus libro 5. Responsorum scripsit, huic loco aptissime accommodatur. *Vertranius.*

2 *Diligebantur.*] Id est, amabant vetera & nota castra, juxta ac suas ædes. Clarum, nec monitione dignum: nisi correctores, *dirigebantur*, maluissent. *Lipsius.*

*In modum penatium diligebantur.*] Fœdum erratum est hoc loco, castigavimus, *in modum penatium dirigebantur.* nam loquitur de construendo. *Diriguntur* autem castra aut domus, quoties ordines debiti servantur. *Rhenanus.*

3 *Opibus ingens.*] Adtextam censeo vocem, *ingens*: certe obnubilat sententiam & phrasem, quæ alias Tacito crebra. *Lipsius.*

*Antiochus vetustis opibus ingens.*] Non certe cum Lipsio adtextam vocem *ingens* censeam. Nec, quod ait, sententiam obnubilat. Nam de phrasi non repugno: sed utroque modo promiscue Tacitus. Magis concinnem, quod præcedit, *Sohemus haud spernendis viribus.* non alia caussa, nisi ut aptius opponantur; *haud spernendus* & *ingens.* Acidalius.

4 *Excitus ab urbe.*] Quomodo, aut quando ergo illuc venerit? Ex Egesippo disce, lib. IV. c. XXI. *Sententiam novi Principis de bello Judæorum suscitari, Vespasiano consilium fuit: misitque Titum filium, & regem Agrippam. Titus de Achaja revertit: Agrippa Romam contendit, ut apud novum Principem locaret gratiam.* Lipsius.

*Excitus ab urbe.*] Ex Judæa cum Tito veniebat, cum à patre ad Galbam mitteretur, qui cognita Galbæ morte regressus est Corintho. Agrippa nihilominus, inquit Josephus l. 4. c. 29. *ut apud novum Principem locaret gratiam*, ait, qui vulgo circumfertur Hegesippus l. 4. c. 21. *Savilius.*

5 *Ignaro adhuc Vitellio.*] Scripsimus, *adhuc*. Rhen.

6 *Vespasiano magnificentia munerum grata.*] De Vespasiani avaritia Scriptores omnes tradiderunt. & Tac. sup. eod. lib. *prorsus si avaritia abesset, omnibus ducibus par.* Pichena.

7 *Quantumque introrsus in Pontum.*] Tumet vana jactantia, quod hoc loco notat Ryckius. (Ita Flor. & Meus. vulgati hactenus: *quantumque introrsus Pontum*) Nam licet ipse ad Pichenæ editionem comparans membranam Mediceam notaverim in schedis meis voculam *in* illic omissam & in pluribus similiter editis, non tamen nos primi sumus, qui eam istic novimus. Utique & in Beroaldi editione, item in Aldi video illam præpositionem caste exstare. Ab Rhenano in Basileensi jam neglectam video. *Jac. Gronovius.*

gebant, [1] nondum additis Cappadociæ legionibus. Consilium de summa rerum,
[2] Beryti habitum. illuc Mucianus, cum legatis tribunisque, & splendidissimo quo-
que centurionum ac militum, venit. Et e Judaico exercitu, lecta decora. Tan-
tum simul peditum equitumque, & æmulantium inter se regum paratus, speciem
82 fortunæ Principalis effecerant. Prima belli cura, agere delectus; [3] revocare vete-
ranos: destinantur validæ civitates exercendis armorum officinis: apud Antiochen-
ses aurum argentumque signatur: eaque cuncta per idoneos ministros, suis quæ-
que locis, festinabantur. Ipse Vespasianus, adire, hortari, bonos laude, segnes
exemplo, incitare sæpius quam coërcere; vitia magis amicorum, quam virtutes
dissimulans. Multos præfecturis & procurationibus; plerosque senatorii ordinis ho-
nore percoluit, egregios viros, & mox summa adeptos: quibusdam fortuna pro
virtutibus fuit. [4] Donativum militi, neque Mucianus prima concione, nisi mo-
dice ostenderat; [5] ne Vespasianus quidem plus civili bello obtulit, quam alii in pa-
ce: egregie firmus adversus militarem largitionem, eoque exercitu meliore. Missi
ad Parthum Armeniumque legati; provisumque, ne versis ad civile bellum legioni-
bus, terga nudarentur. Titum instare Judææ; Vespasianum obtinere [6] claustra
Ægypti placuit: sufficere videbantur adversus Vitellium, pars copiarum, & dux
Mucianus, & Vespasiani nomen, ac nihil arduum fatis. Ad omnes exercitus le-
gatosque scriptæ epistolæ, præceptumque *ut prætorianos Vitellio infensos, reciperan-*
83 *dæ militiæ præmio invitarent.* Mucianus cum expedita manu, socium magis impe-
rii

1 *Nondum additis.*] Vespasianus ipse addidit. Vide Tranquillum cap. 8. in Vespas. *Lipsius.*

*Cappadocia legionib. nondum additis.*] Vespasianus confirmato jam imperio, ut scribit Sueton. 9. *Cappadociæ propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit.* Ex Tacito tamen non apparet penitus inermis: *Cappadocia Pontusque & quidquid castrorum Armeniis prætenditur.* Savilius.

*Nondum additis Cappadociæ legionibus.*] Si bona sunt, quæ adferam, inde disces; sin, poteris ex arbitrio consulere. Ad hunc enim locum pertinere ea, quæ dicit, testatur ipse Ezechiel Spanhemius posito ad oram (Hist. II, 81.) quæ sic scripsit in Dissertat. pag. 844. (*a locis ac regionibus, in* quibus agebant Romanorum legiones & exercitus, vulgo iidem appellarentur; unde obvii apud Tacitum aliusque iidem modo e nummis adlegati *Britannicus*, *Syriacus*, *Germanicus Exercitus*, & alicubi *Cappadociæ legiones.*) Sic patet vocem hanc *Cappadociæ* ab eo intellectam, fuisse in casu secundo, non tertio, prout tamen accipiendam esse apparet: id enim vult, ut cogimur intelligere ex verbis Suetonii, nempe regioni Cappadociæ nondum fuisse attributos, adsignatos certos militares numeros; atque etiam apparet hæc molliter ex calamo effundi posse, sed quæ carent bonæ meditationis fundamento. *Jac. Gronovius.*

2 *Beryti.*] Ex iis, quæ Josephi nobis prodit descriptio, apparet Beryti primo Vespasianum & Mucianum convenisse, & ante actum fuisse inter illos Tito internuntio, quem Tacitus cum Muciano in Syria locat; prorsus præter necessitatem, si antea fuerint congressi, & aliquid de summa rei decretum. Sane nihil in Tacito reperias de priore conventu, mirumque videatur, quomodo bini exercituum ductores coram se invicem potuerint compellare nondum suscepto bello. Si non convenisse statuas, priusquam arma ex publico decreto sumpta, perierit optimæ orationis materies, quam Tacitus Muciano tribuere omni modo conatur. Sed si historiæ spectetur veritas, & rerum in Judæa & Syria gestarum series ad animum revocetur, malo Josephi fide stare, qui, ut antediximus, oculos testes habuit. *Savilius.*

3 *Revocare veteranos.*] In quibusdam, *evocare:* & recte. Isti enim sunt vere Evocati: de quibus in Milit. nostra, lib. I. *Lipsius.*

4 *Donativum militi.*] Codex Budensis, *Donativo.* Forte, *Donativa.* Rhenanus. Scripsi, *Donativum*, quia sic ratio exigit, & Flor. innuit. Vulgo, *Donativa.* Pichena. Muret. *Donativum.* Nec facile aliter scripsit Tacitus. *Acidalius.*

5 *Nec Vespasianus quidem.*] Scripsimus, *ne.* Rhenanus.

6 *Claustra Ægypti.*] Josephus ἁλώσ. l. 4. c. 37. fuse hanc materiam exequitur, quam Italiæ necessaria sint hæc horrea, quantum undique per totam regionem munitionis robur difficillimos faciat terra marique aggressionibus aditus, & præsertim Alexandrini portus pericula, quæ descriptio satis curiosa est. Post consilia tamen Beryti habita, si Josephum sequimur, Vespasianus Alexandriam primus, quam Ægyptum adiit. *Savilius.*

1 Gna-

rii quam ministrum agens, non lento itinere, ne cunctari videretur; neque tamen properans, gliscere famam ipso spatio sinebat: [1] gnarus modicas vires sibi, & majora credi de absentibus. Sed legio sexta, & tredecim vexillariorum millia ingenti agmine sequebantur. [2] Classem è Ponto, Byzantium adigi jusserat: ambiguus consilii, num omissa Mœsia, Dyrrhachium [3] pedite atque equite, simul longis navibus versum in Italiam mare clauderet, tuta pone tergum Achaja Asiaque; quas inermes exponi Vitellio, ni præsidiis firmarentur: atque ipsum Vitellium in incerto fore, quam partem Italiæ protegeret, [4] si sibi Brundisium Tarentumque, & Calabriæ Lucaniæque litora infestis classibus peterentur. Igitur navium, militum, 84
armorum [5] paratu strepere provinciæ. Sed nihil æque fatigabat, quam pecuniarum conquisitio: *eos esse belli civilis nervos* dictitans Mucianus, non jus aut verum in cognitionibus, sed solam magnitudinem opum spectabat. passim delationes, & locupletissimus quisque in prædam correpti. quæ gravia atque intoleranda, sed necessitate armorum excusata, etiam in pace mansere; ipso Vespasiano, inter initia imperii, [6] ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante: donec indulgentia for-

1 *Gnarus modicas vires esse.*] Infinitum verbum *esse* delevimus. Mox scripsimus, *Sed legio sexta & tredecim vexillariorum millia*; non *sexta & VIII.* &c. *Rhenanus.*

2 *Classem è Ponto.*] Intellige classem, quæ Romanis etiam illic ordinaria, ad tuendam Ponti oram. Quanta ea fuit? hauries è solo Egesippo l. II. in oratione (cui pulchra placent, eam legat) Agrippæ: *Mæotia regna Bosporanique omnes Romano subjiciuntur imperio, & illud ante innavigabile pelagus quadraginta naves ad pacem exercent.* Lipsius.

3 *Pedite atque equite, simul longis.*] Approbare debui, quod hic aggressus fuit Cl. Ryckius exturbando verbo *peteret*, quod in his solebat esse quarto loco, at melius paulo post apparet in v. *peterentur*; nunc omnia recte spectant unum verbum *clauderet* ex fide optimi Medicei & ipsarum rerum commodo nexu. *Jac. Gronovius.*

4 *Si sibi Brundusium.*] Sic & in regio libro legitur. Ego vero scripserim, *Si simul Brundusium.* Docti mecum sentient. *Rhenanus.* Habeat hanc vocem inventor; nulla enim invidia. Sed Tacitum scripsisse *sibi* docent etiam Medicea monimenta, idque satis prudenter tuetur Cl. Ryckius, ordinem quoque vocum in regionibus nominandis ex antiquo recte vindicans. *Jac. Gronovius.*

5 *Paratu strepere provinciæ.*] Deducto prius in iter destinatum Muciano redit, ac sermonem de apparatu repetit, non sine turbis, & fortassis ut Muciani dicta comprobet *pecunias esse belli civilis nervos.* Savilius.

6 *Ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinate.*] Sic corruptus est locus, ut Lipsius suspicatur: Florentinus nihil juvat, nisi quod in eo legitur, *obstinante.* Sed fortasse non mala vulgata lectio. ut sit sensus, Vespasianum, initio imperii, adeo obstinatum non fuisse, ut postea fuit, in retinendis seu probandis iniquis exactionibus. Vel talia suadentibus aures tantummodo præbuisse: at progressu temporis egregium artificem ipsummet evasisse. *Pichena.* Hæc phrasis insolens non est, ut visum doctissimo viro: dicimus enim *obtinere animi firmitudinem*, pro in destinatis firmiter perseverare. Plaut. Asin. *Si istam firmitudinem obtines animi, salvi sumus.* Obtinere injuriam, pro à re injuste perpetrata non discedere. Liv. lib. 29. *Omnium primum satus tueri publicam fidem, partim edicto, partim judiciis etiam in pertinaces ad obtinendam injuriam redditis, res suas Syracusanis restituit.* Confer quæso, *ad obtinendas iniquitates* cum *in pertinaces ad obtinendam injuriam.* Vespasianus inter initia principatus pervicax non erat ad divites subvertendos rei pecuniariæ caussa, sed nonnunquam necessitati manus dabat, quandoque prædis obviam ibat, donec usus pravis magistris pessima quæque in se admisit. De ejus initio hæc mihi legas. Suet. 16. *Sunt contra qui opinentur ad manubias & rapinas necessitate compulsum, summa ærarii fiscique inopia* &c. Suetonius etiam testatur, eundem progressu temporis eandem semitam non trivisse: *Creditur etiam procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret.* quam nostro consona! *Sed necessitate armorum excusata.* Et *donec indulgentia fortunæ, & pravis magistris didicit, aususque est.* Salinerius. Placet satis Florentinum *obstinante.* Sic enim Plautus Aulul. 2, 2. *Id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia.* Cæterum *obtinere iniquitatem*, ut Ciceroni pro Quinctio: *non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum, auctoritatem adjuvare.* Et Philipp. secunda: *contra injuriam quam isto intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit.* Gronovius.

fortunæ, & pravis magistris, didicit, ausúsque est. Propriis quoque opibus Mucianus bellum juvit, [1] largus privatim, quod avidius de republica sumeret. Ceteri conferendarum pecuniarum exemplum secuti; [2] rarissimus quisque eandem in re-
85 ciperando licentiam habuerunt. Accelerata interim Vespasiani cœpta, Illyrici exercitus studio [3] transgressi in partes. Tertia legio exemplum ceteris Mœsiæ legionibus præbuit. Octava erat ac septima Claudiana, imbutæ favore Othonis, quamvis prœlio non interfuissent: [4] Aquilejam progressæ, [5] proturbatis qui de Othone nun-

1 *Largitus privatim, quod avidius de rep. sumeret.*] Flor. *largus privatim.* Forte non spernendum. Sed nec anteferendum vulgatæ. *Pichena.* Mur. *que.* Non opus mutari, nec utro modo legas interest. *Acidalius.* Quum in verbo *juvit* clare exprimatur jam testatio facti, non erat necesse, ut adderetur τὸ *largitus*, præsertim quum in MS. Mediceo tantum sit *largus*, quod & ipsum Taciti vocabulum, ut 3. h. 58. *largus promissis & immodicus.* Et sane jam olim istud *largus* probabatur Beroaldo perinde ut Aldo. Rhenanus est, qui usurpavit *largitus*, quod ipsi relinquendum. *Jac. Gronovius.*

2 *Clarissimus quisque.*] Castigavimus, *Rarissimus.* Rhenanus.

3 *Transgressi in partes.*] Participium, *transgressi*, submovimus. *Illyrici exercitus studio in partes.* Rhenanus. Vir doctus hanc narrationem, & quæ porro Vitellium inter & Vespasianum gesta complectitur, haud uno crimine damnat, non constare scil. suis membris, non pertractatam exacte, sed aspersas confusionis nebulas, me prorsus refragante, & si non hebet mihi judicii acies, patrocinante. Illyricum dividebatur in tres Provincias; Mœsiam, cui datus hoc tempore præses aut legatus Aponius Saturninus; Pannoniam, cui T. Ampius Flavianus præerat; Dalmatiam, quam Poppæus Sullanus (nam utriusque nominis dispar occurrit scriptura) regebat. In Mœsia tres erant legiones, Tertia Gallica, Octava Augusta, & Septima Claudiana, cum totidem *legatis legionum*; Dillio Aponiano tertiæ, hist. 3. Numisio Lupo octavæ, histor. 3. & Tertio Juliano septimæ legionis legato; atque ille, cum suo munere sponte abiret, ut docet hic locus, successorem habuit Vipsanium Messallam, 3. hist. In Pannonia quoque tunc erant duæ legiones, septima Galbiana, cui legatus Antonius Primus; & tertia decima Gemina, ab exstructis amphitheatris ex Italia remissa, cui legatus hoc bello Vedius Aquila, qui ultimo quoque bello legatum egerat, 3. hist. & 2. In Dalmatia unica duntaxat legio erat, undecima nempe Claudiana, (decima quarta in Britanniam traducta) & legatus ejus Annius Bassus, 3. hist. Revocatis ad examen, quæ præmisimus & in Tacito descripta extant, non video quid requiri possit ad hujus narrationis perfectionem, quæ optima mihi videtur, & præferenda aliis in hoc libro. Atque ita in genere in tota Taciti historia ex rebus memoratu dignis illas inter Vitellium & Vespasianum judico minus notæ censoriæ mereri, utpote paucioribus vitiis laborantes, illasque inter Othonem & Vitellium in varias patere reprehensiones, & præ ceteris pessime habitas. quoad tempus Illyricæ a Vitellio defectionis, ut temporum notandorum ubique incuriosus maxime Tacitus, ita Sueton. Vit. 15. faculam allucet, *octavo imperii mense desciverunt ab eo exercitus Mœsiarum atque Pannoniæ*; ut in Augusti principium aut Julii finem incidisse videatur. *Savilius.* V. c. habet, *transgressi in partes.* cum in vulgatis desit verbum *transgressi.* Ursinus. Librorum Vet. ac præsertim Flor. scripturam restitui, quam Rhenanus depravaverat, tollendo verbum, *transgressi*, tanquam supervacuum. Quod tantum abest ut redundet, ut potius mihi necessarium videatur. Ostendere enim debuit Tacitus, tunc primum Illyricum exercitum Vespasiano accessisse. quod si tantummodo, *studio in partes*, dixisset, credi poterat, eum olim fuisse Flavianarum partium. *Pichena.* Quod supra ad 2, 74. indicavi, locum hunc sic constituam: *Illyrici exercitus studio. Transgressa in partes tertia legio.* Freinshemius.

4 *Aquilejam jam progressa.*] Suet. Vesp. 6. scribit non tres legiones, sed duo millia ex tribus legionib. Aquilejam progressa; sed indubio errore deductus. *Savilius.* Legiones Mœsiacæ sive bina millia ex unaquaque earum (utrumque enim boni æquique facio, nam minimum id discrimen, & Scriptoribus crebrum, vel eæ eodem intervallo iter fecere, quo Dalmatiæ, & Pannoniæ miles. *fuere quatuor legiones, è quibus bina millia præmissa, ipsæ modicis intervallis sequebantur.* Tacit.) obvios Vitellianos habuerunt, qui victum & fato functum Othonem nuntiabant, seque ad transitionem hortabantur, quo ægre accepto, laceratis Vitellii vexillis, nuntiisque fugatis Aquilejam sese receperunt: ubi post sacrilegia rapinasque sibi metuentes in Vespasiani verba juraverunt. Suet. c. 6. *Mœsiaci exercitus bina è tribus legionib: millia missa auxilio Othonis, postquam iter ingressis nuntiatum est victum eum ac vim vitæ suæ attulisse; nihilo secius Aquilejam usque perseverarunt,*

nuntiabant, laceratisque [1] vexillis nomen *Vitellii* præferentibus, rapta postremo pecunia, & inter se divisa hostiliter egerant. Unde metus, & ex metu consilium, *posse imputari Vespasiano*, [2] *quæ apud Vitellium excusanda erant.* [3] Ita tres Mœsicæ legiones [4] per epistolas alliciebant Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant. [5] In eo motu Aponius Saturninus Mœsiæ rector, pessimum facinus audet, misso centurione ad interficiendum Tertium Julianum, septimæ legionis legatum, ob simultates, quibus caussam partium prætendebat. Julianus, comperto discrimine, & gnaris locorum adscitis, [6] per avia Mœsiæ ultra montem Hemum profugit. nec deinde civili bello interfuit, per varias moras susceptum ad Vespasianum iter trahens, & ex nuntiis cunctabundus, aut properans. At in Pannonia tertia 86
decima legio ac septima Galbiana, dolorem iramque Bedriacensis pugnæ retinentes, haud cunctanter Vespasiano accessere, vi præcipua [7] Primi Antonii. Is legibus nocens, & tempore Neronis [8] falsi damnatus, inter alia belli mala, [9] senatorium ordinem reciperaverat. Præpositus à Galba septimæ legioni, scriptitasse Othoni credebatur, ducem se partibus offerens; à quo neglectus, in nullo Othoniani bel-
li

*runt, quasi rumeri minus crederent: ibi per occasionem ac licentiam omni rapinarum genere grassati* &c. Noster: *tertia legio exemplum cæteris* &c. En noster affluenter dum Mœsici essent in itinere, *proturbatis qui de Othone.* quæ jejune à Sueton. dicta sunt, *nihilo secius Aquilejam usque perseverarunt, quasi rumori minus crederent.* Contra Sueton. diffuse narrat militum gesta in Aquileja. *ubi per occasionem* &c. quæ Tacitus scripsit nimis astricte: *Aquilejam progressa hostiliter egerant.* Sed cur dissimulem nostrum alibi a se ipso, & à Suetonio discordare? apud hunc Mœsici audiunt in itinere mortem Othonis, qui apud nostrum vivus est Mœsicis Aquilejam jam ingressis. *Sed præmissi Mœsiæ tandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquilejam ingressas nuntiabant.* Quid si ἐντεχνῶς, non vere, ut averterent Othonem ab extremorum cogitatione? Discordia igitur silet, quam inter eos excitavit doctiss. vir, de corruptione vero quid dicam non habeo, quando eam minime hic odoror. *Salinerius.* Sed istud *jam* ab lascivis additum, quum neget codex Mediceus ab Tacito venisse, penitus & ipse delevi. *Jac. Gronovius.*

5 *Proturbatis qui de Othone.*] Id est, spretis rejectisque qui victum eum, & vixisse dicebant. quod Suetonius dixit, *rumori eos non credidisse*: ut solent homines, in spem suam proni. *Lipsius.*

*Qui de Othone nuntiabant.*] Id est, qui mortem Othonis nuntiabant. *Pichena.*

1 *Vexillis nomen Vitellii præferentibus.*] Hinc observandum solita vexilla imperatoris nomine inscribi, ut apud Sueton. de Vespasiano 6. *Nomen ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt.* Vertranius.

2 *Quæ apud Vitellium excusanda.*] Id est, posse Vespasianum iis obligari, quæ contra Vitellium, etiam non pro se, facta fuerant. *Ferretus.*

3 *Ita tres Mœsicæ legiones.*] Lego, *jam tres* &c. *Acidalius.*

4 *Per epistolas alliciebant Pannonicum exercitum.*] Hæc verba, *Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant*, adulterina sunt & supposititia, proinde erasimus. Supra, nescio ubi, sic loquitur Tacitus, *aut abnuenti vim parat.* Distinximus vero sic sententiam, *ita tres Mœsicæ, legiones per epistolas alliciebant.* Nunc vides nihil deesse. *Rhenanus.*

5 *In eo motu Aponius*] Correxi ex Flor. Vulgo, *in eo metu.* Pichena.

6 *Per avia Mœsiæ ultra montem Hemum.*] Hemus mons est Thraciæ, quem adeo altum scribunt, ut ab eo Ionium, & Ægæum mare spectari dicant. Mœsia vel Mysia scribitur. Quatuor Mœsias Ptolomæus facit, in Europa duas, superiorem & inferiorem: in Asia, majorem & minorem. De Europea hic loquitur, quæ *Besnia*, & *Servia*, & *Bulgaria* vulgo dicitur, ditionis Turcarum. *Lupanus.*

7 *Primi Antonii.*] Egesippi super hoc nobili duce errorem non celo sive errores potius. Is enim libro IV. cap. XXIX. facit eum *Præfectum tertio ordini militari*, id est, legioni tertiæ. Atqui septimæ præponit eum statim noster. Item in Mysia eum collocat: noster clare in Pannonia. Quis autem præponderare fidem Cornelianam nesciat? *Lipsius.*

8 *Falsi damnatus.*] 14. annal. *Savilius.*

9 *Senatorium ordinem reciperaverat. Præpositus à Galba septima legioni, scriptitasse.*] Hæc aliquanto melius distinxi. Vulgo enim sic: *reciperaverat, præpositus à Galba septimæ legioni. scriptitasse.* Pichena. Potius est hæc verba sequentib. jungi per distinctionem hujusmodi: *Senatorium ord. reciperaverat. Præpositus à G. VII. legioni, scriptitasse* &c. *Acidalius.*

 1 Fla-

li usu fuit. labantibus Vitellii rebus Vespasianum secutus, grande momentum addidit, strenuus manu, sermone promptus, serendæ in alios invidiæ artifex, discordiis & seditionibus potens, raptor, largitor, pace pessimus, bello non spernendus. Juncti inde Mœsici ac Pannonici exercitus, Dalmaticum militem traxere, quamquam consularibus legatis nihil turbantibus. [1] Titus Ampius Flavianus Pannoniam, [2] Poppæus Silvanus Dalmatiam tenebant, divites senes. [3] Sed procurator aderat Cornelius Fuscus, vigens ætate, claris natalibus. [4] prima juventa, quietis cupidine, senatorium ordinem exuerat. [5] idem pro Galba dux coloniæ suæ, eaque opera procurationem adeptus, susceptis Vespasiani partibus, acerrimam bello facem prætulit. non tam præmiis periculorum, quam ipsis periculis lætus; pro certis & olim partis, [6] nova, ambigua, ancipitia malebat. Igitur movere & quatere quidquid usquam ægrum foret, [7] aggrediuntur. Scriptæ in Britanniam ad quartadecimanos, in Hispaniam ad primanos epistolæ: quod utraque legio pro Othone, adversa Vitellio fuerat. sparguntur per Gallias litteræ; momentoque temporis flagrabat ingens bellum, Illyricis exercitibus palam desciscentibus, ceteris fortunam secuturis.

87 Dum hæc per provincias, à Vespasiano ducibusque partium geruntur; Vitellius contemptior in dies segniorque, ad omnis municipiorum villarumque amœnitates resistens, gravi urbem agmine petebat. [8] Sexaginta millia armatorum sequebantur, licentia corrupta. calonum numerus amplior; [9] procacissimis etiam inter servos lixarum

1 *Flavianus.*] Malui quam, *Fabianus.* Farnesianum codicem audio, & Tacitum ipsum, qui non aliter sequenti libro appellat. *Lipsius.*

*Titus Fabianus Pannoniam.*] Initio lib. conseq. idem dicitur *T. Appius Flavianus*: ubi rectius, non liquet. *Vertranius.* Addidi nomen, *Ampius*, ex Flor. Ita enim Tacitus eum nominat, initio lib. seq. *Pichena.*

2 *Pompejus Sullanus.*] Imo *Silvanus.* Ita enim libro proximo: *Sex millia Dalmatarum ducebat Pompejus Silvanus, consularis senex.* Lipsius.

*Poppeus Silvanus Dalmatiam.*] Ita restituendum fuit. nam infra l. 3. & 4. sic appellatur. Male in vulgatis, *Pompejus Sullanus.* Pichena.

3 *Sed procurator aderat Corn. Fuscus.*] Malim legere, *Et procurator* &c. nam extrema proxime præcedentis vocabuli litera est S. Hinc errori præbita ansa. *Rhenanus.* Cujus provinciæ procurator esset, Pannoniæ, an Dalmatiæ, minime traditur. Ideo credendum est, utriusque. nam inferius apparet, eum apud utrumque exercitum auctoritatem habuisse. *Pichena.*

4 *Prima juventa, quietis cupidine.*] Non sane quieti hic homo ingenii, ut sequentia ostendunt. Lege *quæstus cupidine*, & expone ex illo loco 16. Ann. *Mela quibus Gallio & Seneca parentibus natus, petitione honorum abstinuerat, per ambitionem præposteram: ut eques Romanus Consularibus potentia æquaretur, simul acquirendæ pecuniæ brevius iter credebat per procurationes administrandis Principis negotiis.* Grotius. Cujus nec judicium, nec mutatio approbari potest. Neque enim ordinem senatorium exuit, ut in equestri agens procurationem a Cæsare impetrare posset, sed tantum ut ab negotiis & republica porro abesset, nondum hausto pecuniæ studio, quod etiam fortasse nunquam habuit, quamvis procurationem adeptus. Utique enim procurationis munus non statim traducit unumquemque ut quæstus cupidine ardentem. Fuere & procuratores non utique alienorum avidi. Sane perversus est erga fidem codicis MS. *Jac. Gronovius.*

5 *Idemque pro Galba.*] Scripsimus, *idem pro Galba.* Rhenanus.

6 *Nova, ambigua, & ancipitia malebat.*] Induximus particulam &; ut legas, *nova, ambigua, ancipitia malebat.* Rhenanus.

7 *Aggrediuntur.*] Procul dubio verius ex Flor. quam, *aggreditur*, ut in vulgatis. Cave enim hæc ad Corn. Fuscum referas, sed ad Vespasianum, cæterosque suarum partium duces. *Pichena.*

8 *Sexaginta millia armatorum.*] Valens ex Germania collegerat xl. millia armatorum, præter legionem Italicam & octo cohortes Batavorum &c. Cæcina triginta millia, præter alam Syllanam &c. *Vitellius tota mole belli secuturus*, ait Tacit. 1. hist. 61. & hoc lib. *reliquas Germanici exercitus vires trahebat*, præter octo millia è Britannico delectu. Ex multitudine in hunc locum collecta, nihil in Tacito occurrit, quod persuadeat, quidquam dimissum, præter cohortes Batavorum, & tamen sexaginta tantum armatorum millia hic numerantur. *Savilius.*

9 *Procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis.*] Velim discere à quoquam, quomodo hæc accipienda sint. Sed ne longius absurditatem hujus

rum ingeniis. [1] tot legatorum amicorumque comitatus inhabilis ad parendum; etiam si summa modestia regeretur. Onerabant multitudinem, obvii ex urbe senatores equitesque: quidam metu; multi per adulationem; ceteri ac paulatim omnes, ne aliis proficiscentibus, ipsi remanerent. Aggregabantur è plebe, flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti, scurræ, histriones, aurigæ, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat. Nec coloniæ modo aut municipia, congestu copiarum; sed ipsi cultores, arvaque, maturis jam frugibus, ut hostile solum vastabantur. Multæ & atroces inter se militum cædes, post seditionem Ticini cœptam; 88
manente legionum auxiliorumque discordia, ubi adversus paganos certandum foret, consensu. Sed plurima strages, ad septimum ab urbe lapidem. singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, ut [2] gladiatoriam saginam, dividebat. [3] & effusa plebes, totis se castris miscuerat. [4] Incuriosos milites, vernacula, ut rebantur, urbanitate quidam spoliavere, [5] abscisis furtim balteis, *an accincti forent* rogitantes. Non tulit ludibrium insolens contumeliæ animus: inermem populum gladiis invasere. cæsus inter alios pater militis, [6] cum filium comitaretur; deinde agnitus; &

jus lectionis prosequar, veram, ut confido, promam; unde statim patebit receptæ falsitas: rescribo igitur; *Procacissimis etiam inter severos* (hoc est, retinentes disciplinæ) *lixarum ingeniis.* Hoc ait, ut intelligatur quantum damni intulerit illa hominum fæx, inter omnigenam omnium licentiam, quæ etiam inter severos disciplinæ custodes vix continetur. Similia fere statim subjicit: *tot legatorum amicorumque comitatus inhabilis ad parendum, etiamsi summa modestia regeretur.* Adde infra H. 4, 10. *lixarum precax manus.* Freinshemius.

1 *Tot legatorum.*] Non legatos accipio à civitatibus Vitellio missos honoris & obsequii causa, sed legatos legionum. *Pichena.*

2 *Gladiatoriam saginam.*] Gladiatores & Athletæ apud Veteres delicate habebantur, & quodammodo saginati. Atque eo digitum velut intendit usitata phrasis, *Athleticus habitus,* & *gladiatoria sagina.* Cic. *cum gladiatoria totius corporis firmitate:* Cyprianus, *impletur in succum cibis fortioribus corpus, & arvina assidui nidoris moles membrorum robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam carius pereat.* Savilius.

3 *Et effusa plebs.*] Fere semper scribitur in Florent. *plebes.* Prisco more. *Pichena.*

4 *Vernacula urbanitate.*] Libri aliquot veteres; *vernacula utebantur urbanitate.* Fuit omnino, *ut rebantur. Illi jocari se urbanatim censebant: at milites rusticatim tetigerunt.* Lipsius.

*Incuriosos milites, vernacula urbanitate.*] Aliquod vitium hic latere suspicor, cum Florentin. ac Ven. verbo sint auctiores, *vernacula utebantur urbanitate.* Tamen vulgatam lectionem mutare nolui, & satis mihi fuit, de scriptura vetere fidem facere. *Pichena.* Atqui eam firmaverat jam Beroaldus in editione Romana, vel, ut scribit Ryckius, Edd. ante Rhenanum. Sed perfidi & sævi fuerunt posteriores, ausi excidere illud verbum, quum utique offerretur ab vetustissimo codice Mediceo eadem fide, qua reliquus universus Tacitus; ut illorum fœdæ manus nihil juris in eo haberent. Quia nihil hic appositum ab patre video, existimo eum renuntiavisse illis, quæ edidit in Pecunia Vetere 4, 10. utpote tunc de Lipsio aut oblitus aut ignorans. Cæterum vide, an non Lipsiana posthabenda sint, & simpliciter fruendum eo, quod exstat in MSS. In narrationibus enim vidoas interdum talia præcisa, abrupta, & sic amputatis nonnulla interposita: *Incuriosos milites, vernacula utebantur urbanitate, quidam spoliavere* &c. L. Piso apud Gellium 6, 9. *Et in conclave postquam introivit, adolescentes ibi complures sedebant contemnentes eum, assurgere ei nemo voluit.* Plautus Casina. *Is servus, sed abhinc annos factum est sedecim, cum conspicatus est primo crepusculo puellam exponi.* Sic & Lucianus in Dialogo Apollinis & Bacchi. Ο' μὲν γάρ τοι Πρίαπος, γελοῖον γάρ τι σοι διηγήσομαι, πρώην ἐν Λαμψάκῳ γενόμενος, ἐγὼ μὲν παρῄειν τὴν πόλιν, ὁ δὲ ὑποδεξάμενος &c. *Jac. Gronovius.*

5 *Abscisis furtim balteis.*] Sic debui edere, qui in vetustissimo Mediceo non aliter scriptum esse reperirem, non *abscissis*, ut vulgo est apud omnes, præsertim quum de Livii & Senecæ membranis idem testatus fuerit pater. Ita rursus scriptum erat 3. hist. 74. *Abscise capite truncum*, non *abscisso*, quod obsidet editiones, idque solum est, quod a me in schedis meis notatur, ut unicuique etiamnum liquere potest; adeo ut ego nequaquam explicuerim, quo pacto Ryckius illic scribere potuerit in Flor. non esse vocem *abscisso*, quum sola octava litera absit, reliquis septem ordine quo debent rite conscriptis. Ibidem 3, 78. *Abscisis omnibus præsidiis.* Jac. Gronovius.

6 *Cum filium comitaretur.*] Hæc non sunt sine mendo.

& vulgata cæde, temperatum ab innoxiis. In urbe tamen trepidatum, præcurrentibus passim militibus. Forum maxime petebant, cupidine visendi locum, in quo Galba jacuisset. [1] Nec minus sævum [2] spectaculum erant ipsi, tergis ferarum & ingentibus telis horrentes, cum turbam populi per inscitiam parum vitarent, aut ubi lubrico viæ vel occursu alicujus procidissent, ad jurgium, mox ad manus & ferrum transirent. Quin & tribuni præfectique cum terrore & armatorum catervis

89 volitabant. Ipse Vitellius, à ponte Milvio, insigni equo, [3] paludatus accinctusque, senatum & populum ante se agens, quo minus ut captam urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta prætexta & composito agmine incessit. [4] Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemque circa è legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum signa, & post peditum ordines, eques: dein quatuor & triginta cohortes, ut nomina gentium, aut species armorum forent, discretæ. [5] Ante aquilam præfecti castrorum tribunique, & primi centurionum, candida veste: ceteri juxta suam quisque centuriam, armis donisque fulgentes. Et militum phaleræ, torquesque splendebant. [6] decora facies, & non Vitellio principe dignus exercitus. Sic Capitolium ingressus, atque ibi matrem complexus, [7] Augustæ nomine honoravit.

mendo. Si filium comitatus est pater, quomodo Ignotus, ut deinde agnosci eum oportuerit? Intelligo jocatum fuisse in filium, quem non noverat, à quo nec ipse agnitus, nisi post factam cædem. Malim igitur, *conviciaretur*. Reinesius. Pater undecumque filium prosecutus, non à filio, sed ab alio milite hominem ignorante, irato autem omnibus paganis, quod alicujus illorum fraude zonam perdidisset, & in obvios sæviente, cæsus est: deinde intellectum non hunc in ea culpa, neque è scurris istis fuisse, sed filio comitem hæsisse. *Gronovius.*

1 *Nec minus sævum spectaculum.*] Notaveram in schedis meis ex unico illo Mediceo *fœvum*, committebamque id Ryckio, non opinans hactenus id ab eo pluris æstimatum iri, quam ab Pichena & aliis, qui istis membranis inhæserunt, ut publicaret, & statim transiret, quasi debuisset accipere pretium ex interpolatissimo ejus exemplari, & voce hac nonnisi per margines ostentata. Aliter judicavit magnus vernaculæ linguæ ab Amstelodamo interpres, qui licet ignoraret hanc esse antiquam & veram lectionem eamque exstare in illo monumento, vertebat, *Ende waren zy self immers zoo yslyk om t' aanschouwen*, sic palam confessus τὸ *sævum* non bene convenire. Sævum spectaculum est gladiatorum, & ubi cruor effunditur sine modo. Quod etiamnum hic non fit; unde vocem spuriam expuli, vera & prisca reposita. Donati verba sunt ad Adelphos, 4, 2. *Obnuntiare dicuntur, cum aliquid mali ominis scævumque viderint*, ut hoc loco belluarum tergis inclusos vultus humanos & armatos. *Jac. Gronovius.*

2 *Spectaculum erant ipsi tergis.*] Pronomen *ipsi* non est in Budensi codice. *Rhenanus.*

3 *Paludatus accinctusque.*] Sueton. diserte narrat sic fecisse cap. 11. *Urbem ad classicum introiit paludatus ferroque succinctus inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis.* Videtur hic mos fuisse introeundi urbem armis victam. Josephus ἁλώσ. 4. c. 35. hujus quoque ingressus meminit. *Savilius.* Ex his verbis satis patet, inter *prætextam* & *paludamentum* longam esse differentiam. Nam paludati erant Consules, exercituum duces, & ipsi Imperatores. Valerius de Crasso loquens, cum in Parthos proficisceretur: *Pullum ei traditum est paludamentum, quum in prælium exeuntibus album & purpureum dari soleret.* Id quoque melius Plinii exemplo in Paneg. demonstratur: *Gestus Consulatus non hoc urbis otio, & intimo sinu pacis, sed juxta barbaras gentes, ut illi solebant, quibus erat mos paludamento mutare prætextam.* Asconius quoque notat in Verrem *prætextam* fuisse nobilium virorum & mulierum gestamen. Tacit. libro 3. hist. *Sed ubi Cæcinna prætexta lictoribusque insignis dimota turba incessit, exarsere victores.* Lupanus.

4 *Quatuor legionum vexilla.*] Octo legiones, quæ hic & alibi velut in partibus Vitellianis notantur, fuerunt Italica & septem legiones è Germania, nulla licet integra, nisi sola Rapax. Ceteræ omnes imminutæ, relicta militum parte, quibus tamen divisis nomen utrinque priscum, & velut suo toti, manet. *Savilius.*

5 *Ante Aquilam.*] Accipe, ante quamque suam Aquilam. Alioqui verius Aquilas: quatuor nam erant simul. *Lipsius.*

6 *Decora facies, & non Vitellio principe dignus exercitus.*] Hæc tota clausula non est in MSC. libro. Suspicor è margine in contextum relatam. *Rhenanus.*

7 *Augusta nomine decoravit.*] Reposui, *honoravit.* Idem.

1 *Sine*

ravit. Postera die, tamquam apud alterius civitatis senatum populumque, magnificam orationem de semetipso prompsit, industriam temperantiamque suam laudibus attollens: consciis flagitiorum ipsis qui aderant, omnique Italia, per quam somno & luxu pudendus incesserat. Vulgus tamen vacuum curis, & [1] sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum, clamore & vocibus adstrepebat: [2] abnuentique nomen *Augusti*, expressere ut assumeret, [3] tam frustra quam recusaverat. Apud civitatem cuncta interpretantem, [4] funesti ominis loco acceptum est, quod maximum pontificatum adeptus Vitellius, de cæremoniis publicis quinto decimo Kalendas Augusti edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus. adeo omnis humani divinique juris expers, [5] pari libertorum amicorumque socordia, velut inter temulentos agebat. Sed [6] comitia consulum cum candidatis civiliter

1 *Sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum.*] Quid si *solas?* quod requirere illa videntur, *sine falsi verique discrimine.* Nec tamen mutaverim. *Acidalius.*

2 *Abnuentique nomen Augusti.*] Augusti nomen felix faustumque habebatur, & ut bonum aliquod omen atque etiam honoris causa, Imperatoribus à populo Rom. tribui solebat. Vitellio autem parum congruens fuit, cum infelicem exitum brevi sortiturus esset. Frustra ergo illi tributum, ab eoque assumptum, quia nihil ei profuit: frustra recusaverat, quia assumpsit. Vel potius intelligas, tam frustra, id est, tam temere, eademque levitate. *Pichena.*

3 *Tam frustra quam recusaverat.*] Augustum nomen religiosum faustumque est. Tranquillus Aug. *Prævaluit, ut Augustus vocaretur, non tantum novo sed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur.* tam frustra ergo assumpsit nomen fortunati & boni ominis, quam frustra recusaverat: coëgit enim vulgus, ut acciperet. *Ferrettus.*

4 *Funesti ominis loco.*] Livius lib. 6. *Tum de diebus religiosis agitari cœptum, diemque A. D. XV. Kal. Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii cæsi, quo deinde ad Alliam cum exitio urbis fœde pugnatum, à posteriore clade Alliensem appellarunt, insignemque nulli rei publice privatimque agendæ fecerunt.* Dionys. lib. 9. de clade Cremerensi, τὴν δὲ ἡμέραν ἐκείνην, ἐν ᾗ τὸ πάθος ἐγένετο, μέλαιναν τε καὶ ἀποφράδα τίθεται (ἡ τῶν Ῥωμαίων πόλις) καὶ οὐδενὸς ἂν ἔργου ἐν ταύτῃ χρηστοῦ ἄρξαιτο, i. *diem, in quem incidit ista clades, populus Rom. infelicem & nefastum dixit, neque quicquam rei foriæ illo die inceptari voluerunt.* Savilius.

5 *Pari libertorum amicorumque socordia.*] Sed MS. Mediceus testatur auctorem asyndeto usum, *pari libertorum, amicorum socordia*, quod ut sæpe illi blanditur, ita certe nunc satis amœnum. *Jac. Gronovius.*

6 *Comitia Consulum cum candidatis civiliter celebrans.*] Quid per *Comitia Consulum* hoc loco intelligatur, cum in nullam reip. partem admitteretur populi suffragium, aut non capio, aut *Comitia Consulum civiliter celebrare* tantundem valet ac munera à candidatis Consulatus edita (sive ipsi sive alii ederent) civiliter celebrare. Libera rep. candidati captandis populi studiis dabant gladiatores, donec prohiberetur, lata in id à Tullio lege, & crimen ambitus haberetur. Cic. in Vatin. *Ego de ambitu ex SC. tuli, qua dilucide vetat biennio, quo quis petat petiturusve sit, & gladiatores dare, nisi ex testamento.* Ubi vero iis, quæ petere instituissent, potirentur, non licitum modo fuit, sed aliquo modo in omnibus muneribus necessarium populo ludos edere, excogitatis quæcunque in oblectationem publicam valerent. Eximio igitur & sumptuoso apparatu omnia instruebantur, quoties res posceret. Sub Imperatoribus populo licet excluso à conferendis honoribus, tamen & candidati & designati & qui jam dignitate fungebantur, consuetas gladiatorum, Circensium &c. voluptates ei exhibuerunt, solo popularis gratiæ aucupio. Tempore Alexandri Mammææ, *Quæstores candidati munera populo dederunt.* Sub Nerone, *Quæstorib. designatis gladiatores edendi necessitas erat*, inquit Tacit. *Consul designatus est & munus edidit.* Marcellus JC. l. 36. Interesse autem spectaculis in Principe arguebat animum popularem, Xiphil. de Oth. εἰς τὰ θέατρα συνεχῶς εἰσεφοίτα θωπεύων τὸ πλῆθος. Sueton. de Aug. 15. *Ipse Circenses spectabat: spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aderat.* Tacit. 1. Ann. de eodem, *Civile rebatur misceri voluptatib. vulgi.* Sic raro ibidem conspici, arrogantis erat, tetricique & popularitatem fugientis animi. Cujus rei se ipsum damnat Julianus in Misopogone: ἀεὶ μισῶ τὰς ἱπποδρομίας, ὥσπερ οἱ χρήματα ὀφλήκοτες τὴν ἀγοράν, ὀλιγάκις οὖν εἰς αὐτὰς φοιτῶ, i. *fugio Circenses, ut, qui in ære alieno sunt, publicos conventus, rare itaque intersum.* Aut si intraveris, mens peregrinatur, aut *aliud agis*, ut Cæsar, *qui vulgo reprehensus est*, narrante Sueton. *quod inter spectandum*

C c

viliter celebrans, omnem infimæ plebis rumorem, in theatro ut ſpectator, in circo ut fautor affectavit. quæ grata ſane & popularia, ſi à virtutibus proficiſcerentur, memoria vitæ prioris, indecora & vilia accipiebantur. Ventitabat in ſenatum, etiam cum parvis de rebus patres conſulerentur. ac forte Priſcus Helvidius, prætor deſignatus, contra ſtudium ejus cenſuerat. Commotus primo Vitellius, non tamen ultra quam *tribunos plebis in auxilium ſpretæ poteſtatis* advocavit. Mox mitigantibus amicis, qui altiorem iracundiam ejus verebantur, *nihil novi accidiſſe* reſpondit, *quod duo ſenatores in republica diſſentirent: ſolitum ſe etiam Thraſeæ contradicere.* [1] Irriſere pleri-

*dum epiſtolis libelliſque legendis ac reſcribendis vacaret.* Sic Vitellius non adiuiſſe tantum videtur ſpectaculis frequens, quæ candidati Conſulatus aut deſignati edebant, ſed & ſuas partes egiſſe. Ex. gr. *Mirmyllonum contra Thraces in Theatro*, aut *Venetorum contra Praſinos in Circo*, & ſic *omnem infimæ plebis rumorem affectaſſe*: ingens hoc tempore argumentum ad popularitatis famam. Sueton. Tito 8. *Savilius.* Nuſquam jejunius & infelicius ἐ *nuiv.* Immo cum ſuis candidatis circumiens & prenſans Patres, penes quos tum erant comitia. Livius 39. *Claudius conſul ſine lictoribus cum fratre toto foro volitando, clamantibus adverſariis & majore parte ſenatus, meminiſſe eum debere prius, ſe conſulem populi Rom. quam fratrem P. Claudii eſſe: quin ille ſedens pro tribunali aut arbitrum aut tacitum ſpectatorem comitiorum ſe praberet, coërcori tamen ab effuſo ſtudio nequiit.* Val. Maximus libro 5, 2. *Metellus non dubitavit conſul pro Q. Calidio pratura candidato ſupplicare populo, quod tribunus pl. legem, quo pater ejus in civitatem reſtitueretur, tulerat.* Cicero pro Plancio c. 6. *Si quotieſcumque prateritus erit is, qui non debuit prateriri, toties oportebit eum, qui factus erit, condemnari: nihil jam eſt, quod populo ſupplicetur; nihil quod diribitio, nihil quod ſuffragatio magiſtratuum, renuntiatio ſuffragiorum exſpectetur.* Sic enim legendum. Et in eadem: *precibus aliquid attulimus etiam nos, appellavi populum, tribubus ſubmiſi me & ſupplicavi: ultro mehercules, ſe mihi etiam offerentes, ultro pollicentes rogavi.* Sueton. Aug. 86. *Quoties magiſtratuum comitiis intereſſet, tribus cum candidatis ſuis circumibat, ſupplicabatque more ſolenni.* Prorſus ſic poſtea civiliores principum agebant inter Patres. Plinius 3. ep. 20. *Exceſſeramus ſane manifeſtis illis apertiſque ſuffragiis licentiam concionum. non tempus loquendi, non tacendi modeſtia, non denique ſedendi dignitas cuſtodiebatur. Magni undique diſſonique clamores: procurrebant omnes cum ſuis candidatis: multa agmina in medio, multique circuli & indecora confuſio.* Ex his immodicis ſtudiis homini prudenti facile colligere eſt ſimile quid, licet non tam vehemens, etiam ſeveros feciſſe. Idem Plinius Paneg. 69. *Nec ideo ſegnius juvenes noſtros exhortatus es, Senatum circumirent, Senatui ſupplicarent: atque ita à Principe ſperarent honores, ſi à Senatu petiſſent. Quo quidem in loco, ſi quibus opus exemplo, adjeciſti, ut te imitarentur.* cap. 70. *Quo gaudio exceptum eſt, cum candidatis, ut quemque nominaveras, oſculo occurreres? devexus quidem in planum, & quaſi unus ex gratulantibus.* Et mox: *Contigit ergo oculis noſtris inſolita facies, Princeps & candidatus æquales & ſimul ſtantes: intuerique parem accipientibus honorem, qui dabat.* Denique: *Cum orationi oculos, vocem, manum commodares: ut ſi alius eadem iſta mandaſſet, omnes comitatis numeros obibas: atque etiam, cum ſuffragatores nomina, honore quo ſolent, exciperent: tu quoque inter excipientes eras, & ex ore Principis ille ſenatorius aſſenſus audiebatur.* Hoc eſt, *civiliter cum candidatis comitia celebrare.* Et ſic gratiam quærebat in ſenatu. Quod ſequitur, delinimentum ad plebem eſt, & à præcedenti differt toto genere. *Gronovius.*

1 *Irriſere pleriſque impudentiam æmulationis.*] Fuit Thraſea ſemper ſuſpectus Neroni, ideoque minus potens: quamobrem merito *imprudentiam æmulationis irriſerunt:* ita enim malim quam *impudentiam:* nam ſi ſimiliter Vitellius olim ſe oppoſuit Thraſeæ, quemadmodum Helvidius illi: oportuit Helvidium fuiſſe Vitellii ſimilem, Thraſeam vero Helvidii. Sed Thraſea in ſummo potius odio fuit Neroni, & Vitellius ob ſimilitudinem morum, & propter patrem, in ſumma gratia. Imprudenter igitur contulit Thraſeam, & Helvidium, &c. *Ferretus.* Æmylio magis placet ſcribi, *imprudentiam:* ego nihil muto. Siquidem cum Helvidius à Vitellio diſſenſiſſet, dixit Vitellius, *ſolitum ſe etiam Thraſeæ contradicere.* Quo dicto à pleriſque irriſus eſt; non quod Thraſeam & Helvidium contuliſſet, ut alii putant, ſed quod à Thraſea integerrimo viro diſſimillimus, impudenter illius ſimilis videri vellet, cui ſic contradiceret Helvidius, ut Thraſeæ olim ipſe. *Aliis id ipſum placebat*, ſcil. impudenter dictum, quod pro exemplari veræ gloriæ Thraſeam retuliſſet, non eorum quemquam, qui plus illo apud Principes ſuperiores potuiſſent. fuerat autem ob virtutes & invictam libertatem animi inviſus Neroni Thraſea. ideoque in minori dignatione. De quo Annal. 16. multa. *Vertranius.*

1 *Quod*

plerique impudentiam æmulationis: aliis id ipsum placebat, [1] quod neminem ex præpotentibus, sed Thraseam ad exemplar veræ gloriæ legisset. [2] Præposuerat 92
prætorianis P. Sabinum à præfectura cohortis, [3] Julium Priscum dum centurionem: Pri-

1 *Quod neminem ex præpotentibus.*] Auctoritate Florentin. scripsi, *neminem*. Vulgo, *quod non ex* &c. *Pichena.*

2 *P. Sabinum, ac præfectura cohortis.*] Bene Mercerus, *P. Sabinum à Præfectura cohortis; & Julium*: id est, qui dumtaxat cohorti præfuerat, & docet alium hunc Sabinum à fratre Vespasiani esse. *Lipsius.*

*Præposueras Prætorianis P. Sabinum.*] Non fratrem Vespasiani, ut viri docti, repugnante historia, scribunt. Ille Sabinus in carcerem conjectus erat *ob amicitiam Cæcinæ*, 3. hist. Vespasiani frater erat *præfectus urbis*, & libertate fruebatur, donec in Capitolio obsideretur & caperetur. *Savilius.* Non esse hunc Sabinum, qui præfectus urbi & Vespasiani frater, recte monuit Savilius. Nam hic vinctus detecta proditione Cæcinæ, lib. seq. at Flavius Sabinus liber in urbe, & in suo magistratu, usque ad civilem tumultum, quo crematum Capitolium. Itaque manebit per hunc Sabinum vera Onufrii nota, de prænomine Flaviæ gentis. Et hic igitur legendum: *P. Sabinum à præfectura cohortis, Julium Priscum, dum centurio esset.* hoc enim vult, prætorio præpositos duos a Vitellio; Sabinum hunc, qui antea præfectus cohortis fuerat, Priscum, qui tum centurio. Et *cohortis*, scil. auxiliaris: nam iis præfecti, ut legionariis Tribuni. Tacitus sæpe & universa historia prisca. *Mercerus.* Libenter Merceri emendationem sum amplexus, nam cum ea fere congruit Flor. qui habet, *ad præfectura cohortis.* Observavit etiam Mercerus, istum P. Sabinum, alium esse a Flavio Sabino Vespasiani fratre, quod Lipsio causam erroris dedit. *Pichena.* Quot hic tricas invexit hyperbatica locutio, quibus usus non erat, si Tacito Latinorum magnificentissimo ea concederemus, quæ sæpius in Thucydide mitamur. Si tenuem characterem noster affectasset, ea profecto sic exarasset: *Præp. præt. P. Sabinum, ac Jul. Priscum, dum centurio esset cohortis præfecturæ.* ambo enim præfecti prætorio. lib. 3. hist. *P. Sabinum prætorio præfectum ob amicitiam Cæcinæ vinciri jubet, substituto in locum ejus Alpheno Varo*: Et: *Vitellius ut è somno excitus Jul. Priscum & Alphenum Varum cum XIV. prætoriis cohortibus obsidere Apenninum jubet.* At is Priscus, antequam præfectus prætorio, erat centurio unius prætoriæ cohortis, ut Sempronius Densus, lib. 1. hist. 43. Et *præfectura* facta prætorii mentione, non semel à nostro usurpatur, lib. 4. ann. 2. Doctiss. vir credit hunc P. Sabinum alibi dici Flavium Sabinum, fratremque esse Vespasiani, post urbis curam prætorianis præfectum: indeque Panvinium carpit, qui negat prænomen *Publii* unquam in Flavia gente receptum fuisse. Verum P. iste Sabinus, alius est à Flavio Sabino fratre Vespasiani, qui nostro semper scribitur Flavius Sabinus, aut Sabinus tantum, 1. hist. 46. & 77. 2, 63. & 99. 4, 64. Hæc pace doctiss. viri à me dicta sint. Cæterum adversus pervicaces his uterer. Si Flavius Sabinus præfectus prætorio fuit post urbis præfecturam, quando redditur urbanæ præfecturæ? paulo enim ante mortem, & in ipsa morte agebat præfecturam urbis. Hunc scil. Vitellius vinxisset ob suspicionem amicitiæ cum Cæcina, (ut accidit P. Sabino) quem nec Flavianis jam urbi imminentibus custodire sustinuit? *Salinerius.* Nititur emendare Lipsius. Sed nimium licenter addidit de suo, quod libuit: ut phrasin taceam non Taciti, *præponere præfecturæ.* Neque Lipsius eam religionem hic servavit in mutando, quam solet: etiam sententiæ ambiguus, duplicem lectionem dedit. Mihi & verba & sententiam diligentius pensitanti sic videtur: voces duas *præfectura cohortis* trajectas esse, alteram earum & leviter mutatam, quas si liceat mihi sic vicissim mutare & trajicere, credam locum sanum fore: *Præposuerat prætor. P. Sabinum, ac Julium Priscum, dum prætoriæ cohortis centurio esset.* Certo enim id colligitur è proximo libro collegas hos prætorianæ præfecturæ fuisse. Et de Prisco verisimile est, quia Centurionem fuisse dicit, fuisse prætoriæ cohortis. Atque ideo tanquam rem novam & magnæ promotionis exemplum addit, ex Centurione prætoriæ cohortis, præfectum ipsius prætorii factum. *Acidalius.*

3 *Dum centurio esset.*] In Farnesiano, non erat vocula, *esset.* itaque ex facili & vero emendavi, *tum centurionem.* Significat utrumque ex parvo aut modico ad primam dignitatem promotum. *Lipsius.*

*Julium Priscum tum centurionem.*] Ita Lipsius correxit, cum inepte in vulgatis legeretur, *dum centurio esset.* ortus enim est error, quia mss. & in his Florent. habent, *dum centurionem.* Pichena. Hæc quum ab viro docto tam distincte sint annotata, miror quid recoquat Ryckius quæ sufficit semel patefieri. Id non intelligo, quemadmodum ab utroque contemnatur illud *dum*, quod sic iterando adseverant in Mediceo scriptum. Si tale est, ut mereatur non amari, certe nec opus erat indicari. Sed est quantivis pretii, ut ex colloquiis in scena discimus usitatissimum Romæ fuisse, unde restitui. Asconius Pedianus in argumento Milonia-

Priſcus, Valentis; Sabinus, Cæcinæ gratia pollebant. Inter diſcordes, Vitellio nihil auctoritatis. munia imperii Cæcina ac Valens obibant, olim anxii odiis, quæ bello & caſtris male diſſimulata, pravitas amicorum, & fecunda gignendis inimicitiis civitas auxerat, dum ambitu, comitatu, & immenſis ſalutantium agminibus contendunt, comparanturque, variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus: [1] nec unquam ſatis fida potentia, [2] ubi nimia eſt. Simul ipſum Vitellium, ſubitis offenſis aut intempeſtivis blanditiis mutabilem, contemnebant metuebantque. Nec eo ſegnius invaſerant domos, hortos, opeſque imperii: cum flebilis & egens nobilium turba, quos ipſos liberoſque patriæ Galba reddiderat, nulla Principis miſericordia juvarentur. Gratum primoribus civitatis, etiam plebes approbavit, [3] quod reverſis

lonianæ: *Et ob id menſe Januario nulli dum neque conſules neque prætores eſſent.* Jac. Gronovius.

1 *Nec unquam ſatis fida.*] Non bene divelluntur hæc à præcedentibus. Diſtinguo: *Variis in hunc aut illum inclinationibus: nec unquam ſatis fida potentia, ubi nimia eſt: ſimul ipſum Vitellium.* Freinshemius.

2 *Ubi nimia eſt.*] Volumen regis Corvini, *ubi minima eſt*. Legerim, *ubi vi nimia eſt*. Rhenanus.

3 *Reverſis ab exilio jura libertorum conceſſiſſet.*] Interpretor. Cum Galba exſules reſtituiſſet; non tamen etiam bona. credo, quia in fiſcum illata, & pleraque jam per prodigentiam Neronis conſumpta. Sed nec pars quæ accuſatoribus ſententia judicum ſemel donata, temere eripienda videbatur. Itaque egebant. Vitellius eos miſeratus, huc decurrit ut largiretur Jura libertorum, dupliciter quidem: redderet inquam jura libertorum veterum, daret & eorum qui poſtea manumiſſi. non aliter quam ſi ab illo juſto domino manumiſſi fuiſſent. In ſpeciem igitur ingens hoc donum. Nam operas liberti domino debebant, alimenta ſi egeret, denique teſtamento bonorum ſemiſſem. quæ omnia prompta & obvia tibi apud JCtos. Hoc vulgo etiam appellant, Jus patronatus, & Jus patronorum, Plinius epiſtola xr. libro 10. Ejuſdem ſententiæ verſus illos Martialis cenſeo (Princeps JCtorum hodie varie eos tamen traxit) ad Trajanum:

*Qui ſua reſtituis ſpoliato jura patrono,*
*Libertis exſul non erit ille ſuis.*

Nec diſſimilis, imo major benignitas Auguſti in Iulum Antonii hoſtis ſui filium. de quo Dio lib. LI. Τῷ Ἰούλῳ τῷ τοῦ Ἀντωνίου τοῦ τε Φουλουίας υἱεῖ, τοὺς ἐξελευθέρους αὐτοῦ πάνθ᾽ ὅσα τελευτῶντάς σφας καταλιπεῖν αὐτῷ κατὰ τοὺς νόμους ἔδει, παραχρῆμα δοῦναι ἐκέλευσε: *Iulo, Antonii & Fulviæ filio, libertos ejus, quidquid mortuos relinquere ex legibus conveniebat, ſtatim dare juſſit.* Non enim dedit ſolum ea jura, ſed repræſentavit. *Lipſius.* De hoc Iulo Antonii & quam recte ſic Lipſius Dionem imitetur, vide ad 1. ann. 10. *Jac. Gronovius.*

*Quod reverſis ab exilio jura libertorum.*] Libertus alere patronum tenebatur. Si quæcunque illum bonis fortuna evolviſſet, poſt mortem quoque jubent priſcæ conſtitutiones facere ex ſemiſſe hæredem. Si fraus interveniſſet, patrono lex dabat *omnium bonorum poſſeſſionem etiam contra tabulas.* Atque hæc duo, præter alia obſequia (lex vocat *operas*) præcipue conſtituebant *libertorum jus*, ut docet 38. Dig. Vitellius autem ut *reverſis ab exilio jura libertorum conceſſit* ex beneficio, ita conſecutis temporibus in ſua veniſſe videntur ex jure communi. Ulpian. Dig. 38. tit. de bonis libert. l. 3. Et eodem tit. l. 4. Paulus. *Savilius.* Jus patronis dederunt leges veteres amplum & multiplex in libertos: obſequium enim præſtare tenebantur, & operas: aliter tamen atque aliter ſi eſſent officiales operæ vel obſequii. item alendi libertis erant patroni egentes: Modeſtini verba ſunt: *Cum probatum ſit contumeliis patronos à libertis eſſe violatos, vel illata manu atrocius eſſe pulſatos: aut etiam paupertate, vel corporis valetudine laborantes, relictos: primum eos in poteſtatem patronorum redigi, & miniſterium præbere dominis cogi: ſin autem nec hoc modo admoneantur, à Præſide emptori addicantur, & pretium patronis tribuatur.* Ex quibus puto facile intelligi, quid ſenſerit Cornelius: nam cum exulib. quibuſdam bona ablata fuiſſent. & jus in libertos, iis ab exilio reverſis, jura libertorum Vitellius conceſſit; hoc eſt, inter cætera ut alere patronos egentes tenerentur: quod tamen corrumpebant ingenia ſervilia abditis pecuniis. *Ferrettus.* Jus libertorum Tacito, Marcello, Ulpiano, id eſt, quod aliis *jus patronatus*, ſcil. quod patronus in manumiſſos habet, *Sunt enim manumiſſoribus permulta in libertos conceſſa*, inquit Ulpianus. His autem fere jus illud libris ſtudii noſtri legitur conſtitiſſe: impoſitis libertatis cauſa dono, munere, operis, vel officio, vel obſequio, vel alimentis exigendis, vel ex pacta ſocietate liberti bonorum dimidia à ſuperſtite exigenda, vel defuncti liberti bonis ex ſucceſſione accipiendis. Proinde ex hoc Taciti loco diſcere oportet, cum exulibus ablata bona fuiſſent omnia, mobilia & immobilia; jura quoque ablata fuiſſe, ut quæ in libertos haberent. Vitellius ab exſilio reverſis jura libertorum reſtituit:

reversis ab exilio jura libertorum concessisset: [1] quamquam id omnimodo servilia ingenia corrumpebant, [2] abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus. & quidam in domum Cæsaris transgressi, atque ipsis dominis potentiores. Sed miles, plenis castris, & redundante multitudine, in porticibus aut delubris, & urbe tota vagus,

tuit: hoc est, ut à libertis patroni colerentur; inopes alerentur, illisque, si decessissent, succederent. fraudabant tamen Vitellii edictum & patronos liberti, qui pecunias & facultates abderent, & potentioribus adscriberent. Tum illo se modo jus, & adversus id vafrities servilis habebat: secutis autem seculis omnia mutata. Neque enim bona cuiquam, nisi in perpetuam exilii pœnam damnato ablata sunt l. 39. D. de jure fisci. & restitutus ex exilio patronus ipso facto amissum jus patronatus recepit: cujus sententiæ sunt Ulpianus & Hermogenes l. 3. D. de bonis libertorum & 21. D. de jure patronatus. *Vertranius.* Genuinum certe sensum Vertranius assequutus est; at verborum difficultatem non ademit. Patrono egenti tenebatur alimenta præbere libertus, l. 2. C. de libert. & eorum lib. tenebantur & libertorum filii petere tutorem à patronis, l. 2. §. liberti. C. qui pet. tut. libertus quoque tenebatur obsequia honoremque & reverentiam præstare patrono, l. 5. C. de obseq. à lib. pat. præst. Plato lib. de legibus 11. *jus esse patrono propria auctoritate capere libertum, si ab eo sufficienter non colatur.* Item lis à liberto moveri adversus patronum non poterat; nec eundem actione famosa in jus vocare poterat, saltem nisi venia à Prætore impetrata l. 4. §. 1. D. de in jus voc. l. 2. C. eod. Poterat & patronus libertum ingratum ac contumacem in servitutem revocare, l. 1. C. de ingrat. lib. Tenebatur & libertus operas præstare ad nutum patroni, l. 1. & 3. & 22. D. de ope lib. Sed quod magis ad rem præsentem facit, erat & successionis jus patronis in bonis liberti, ex l. 12. tab. si is decessisset sine legitimo hærede, §. 1. de succ. libert. Dein L. Papia cum filiis patroni libertus in virilem partem vocatus si HS. C. esset patrimonium, §. *Postea.* eodem. Justinianus, decedentibus libertis sine liberis, ab intestato patronis ex l. XII. tabb. delatam successionem reservavit. *Sed nostra constitutio eod.* Succedebantque liberto non solum patronus, sed etiam conjuncti, vel proximi patrono, usque ad quintum gradum, §. *sed nostra.* His stantibus quum Galba nobiles exulantes patriæ reddidisset, minime tamen bonis restitutis, egenique ideo essent, nec à Vitellio bonorum traditione juvarentur, tamen jus libertorum illis concessit, quod parum vel nihil profuit calliditate libertorum, qui pecunias, quibus potissimum eorum divitiæ constabant, transferebant in potentes amicos, sicque patronos fraudabant. ita enim interpretor *ambitiosos & occultos sinus.* Namque intimos amicos *sinus* quandoque appellatos observamus. Ita Cic. ad Att. *in sinum & familiaritatem adolescentis.* Et iterum: *Bibulum noli dimittere ex sinu tuo.* Et in Verr. 3. *Calumniatores de sinu suo apposuit*, id est, familiares & amicos. Sic. Tac. 4. Hist. *quos ubi spoliis sanguineque expleverint, mutari, exquirique novos sinus*, id est, amicos. Addit autem Tacitus *ambitiosos*, hoc est, per ambitionem conquisitos, ut eorum favore & gratia tutarentur. Sic Jurisperiti *ambitiosa decreta* dixere per gratiam favoremque elicita. Ulpian. l. 4. de decret. ab ord. faciend. & l. 3. D. de minor. l. 65. §. 2. D. ad SC. Trebell. Dixit autem Tacitus non solum *ambitiosos sinus*, sed & *occultos*, haud congrue, siquidem apud eosdem JC. legimus, *in sinu habere*, id est, in occulto l. 27. D. de prob. Lamprid. in Comm. *prædam omnem in sinu contulit*, hoc est, occultavit. Iterum: *Qui etiam condemnationes in sinum vertisse diceretur.* Tertul. in lib. De fuga in persec. *Paciscens cum delatore, vel milite, vel ministro aliquo præsidis, sed tunica & sinu, quod ajunt.* Et Tac. l. 3. Hist. *Sed opes Cremonensium in sinu præfectorum legatorumque fore*, id est, occulta potestate. *Marc. Donatus.*

1 *Quamquam id omnimodo.*] Probavi vocem *omnimodo* ex Flor. Vulgo, *omnino.* Pichena.

2 *Ambitiosos sinus.*] Argui olim de mendo, ipse fortasse arguendus. Sententiam nunc expedio: Vitellium quidem exsulibus reversis jura reddidisse vetera in libertos: sed non cum magno fructu. quia pecunias suas occultabant per varias artes & recessus. ita in alimentis, aliisque, patronos fraudabant, ut modici ipsi & inopes. Voci *Sinus*, ea vis subest fraudandi, subtrahendi, occulendi. Tacitus libro IV. infra: *Tradi se præfectis centurionibusque, quos ubi spoliis expleverunt, mutari: exquirique novos sinus & varia prædandi vocabula.* Plinius libro XXXVI. *Unde M. Scaurus pater, toties Princeps civitatis, & Marianis sodaliciis rapinarum provincialium sinus?* Sinum vocat hominem ipsum, in quem rapinæ omnes collatæ velut in sinum. Plura exempla huic rei vide, si lubet, apud Barn. Brissonium in Lexico: & lumen ab eo fœnerare, qui vere Europæ lumen. *Lipsius.*

*Abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus.*] Sinus ambitiosi videntur, cum pecuniæ depositæ essent apud potentiores. *Pichena.*

vagus, non principia noscere, non servare vigilias, neque labore firmari: per illecebras urbis, & inhonesta dictu, corpus otio, [1] animum libidinibus imminuebant. Postremo ne salutis quidem cura, [2] infamibus Vaticani locis magna pars tetendit. unde crebræ in vulgus mortes. Et adjacentia Tiberi [3] Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora, fluminis aviditas, & æstus impatientia labefecit. Insuper confusus, pravitate vel ambitu, ordo militiæ. Sedecim prætoriæ, quatuor urbanæ cohortes scribebantur, quis singula millia inessent. Plus in eo delectu Valens audebat, tamquam ipsum Cæcinam periculo exemisset. sane adventu ejus partes convaluerant, & sinistrum lenti itineris rumorem prospero prœlio verterat: omnisque inferioris Germaniæ miles Valentem assectabatur. unde primum creditur Cæcinæ
94 fides fluitasse. Ceterum non ita ducibus indulsit Vitellius, ut non plus militi liceret. sibi quisque militiam sumpsere; quamvis indignus, si ita maluerat, urbanæ militiæ adscribebatur: rursus bonis remanere inter legionarios aut alares volentibus, permissum. nec deerant qui vellent, fessi morbis, & intemperiem cæli incusantes. Robora tamen legionibus alisque subtracta; [4] convulsum castrorum decus, viginti mil-

1 *Animum libidinibus imminuebant.*] Recte sic legi in MS. Mediceo; recte id restituit Cl. Ryckius, quem in hoc sequi non dubitavi, tum quod ita scripsit Tacitus, tum vel varietatis causa, quam valde sectatur. Utique doctius, quam suppositum *imminuebat*. Ita mox similiter consensi in *mi adjacente Tiberi*, ut ex eodem notavi, pro vulgato *adjacentia*. Jac. Gronovius.

2 *Infamibus Vaticani locis.*] Ob aërem parum purum: quod etiam hodie experiuntur. Frontinus lib. II. De Aquæductibus, vult id emendatum in tota urbe, suo ævo, idque ablutione aquarum: *Ne perennes quidem aquæ otiosæ sunt. Nam immunditiarum facies, & impurior spiritus, & caussa gravioris cæli, quibus apud veteres* URBIS INFAMIS AER *fuit, sunt remota.* Lipsius.

*Infamibus Vaticani locis.*] Vaticanus collis non procul à Tiberi est, conterminus Janiculo supra molem Adriani; in quo D. Petri Basilica nunc est, & Pontificum aliorumque nobilissimæ ædes. Quomodo itaque illius locos infames vocet Tacitus, difficultate non caret: præsertim quum antiquitus in eo & Circus Caji & Neronis, & Obeliscus fuerint, tradente Plinio lib. 16, 40. & 36, 11. necnon & celeberrima illa Ilex, de qua idem lib. 16, 44. Ibidemque etiam laudabiles perficerentur patellæ, scribente Juven. Sat. 6. *Vaticano fragiles de monte patellas.* Et quod pariter deliciosus haberetur, innuere videtur Horat. lib. 1. Od. 20. Itaque cur *infames* illius *locos* scripserit Tacitus, indagandum. Ego sane ab effectu sic appellatos existimo, eo quod Vitelliani milites, æstus & sitis impatientes, libidinibus quoque operam dantes, fluminis vicinitate allecti, crebris mortibus occasionem præbuerint, vires concubitu frequenti imminuentes, copiam aquæ ingurgitantes. nam tunc forte a meretricibus loci illi frequentibus incolebantur; sicuti ea Tiberis flumen adjacentem habuisse constat. Quod si hæc expositio non placet, aliam subjicimus, Tacitum non universum Vaticanum infamem appellasse, sed tantum partem, hoc est, locos infernos, quos tunc aquis putribus & cœno multo abundasse credendum, ob idque insalubres habitationes habuisse, præsertim æstivo tempore caloribus æstuantibus. Cujus rei aliquod lumen habemus ex Gellio, 16, 17. *Aram & statuam Ajo Deo locatam in Vaticano in infima nova via.* Lamprid. in Heliogabalo: *Fertur Elephantorum quatuor Quadrigas in Vaticano agitasse, dirutis sepulchris, quæ obsistebant.* Ex quibus colligere possumus, postquam Romæ sepeliere mortuos, (quod antea, ut alibi ostendimus, vetitum erat) Vaticani locos sepeliendis cadaveribus destinatos, ob idque à Tacito infames vocatos. *Marc. Donat.*

3 *Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora.*] In volumine regis Corvini legitur, *Germanorum Gadavorumque.* Lego, *Batavorumque.* ut per *Germanos* etiam transrhenanos intelligamus, Tencteros, Bructeros, Usipetes, & Chamavos, qui in exercitu Vitellii erant. At hodie Galli inediæ, æstus, frigoris, sitis & alieni cœli longe tolerantiores. Secus tamen produnt auctores de vetustissimis Gallis, quos Germanis faciunt persimiles. *Rhenanus.* Beatus, *Batavorum.* Sed meminisse potuit ejus, quod supra eodem Cornelius dixit, *cohortes Batavorum, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissas.* quæ si non inde redierunt, non possunt videri Tiberi adjacuisse. Igitur nihil ex recepto scripto mutandum censeo. *Vertranius.*

4 *Convulsum castrorum decus* XX. *millibus è toto exercitu permixtis.*] Muret. *convulsumque.* Mihi duriter etiam dictum videtur, *permixtis è toto exercitu.* Nec tamen facile mutarim: nisi forte nova voce, sed valde significante scripsit Ta-

millibus è toto exercitu permixtis magis quam electis. Concionante Vitellio, po-
ſtulantur *ad ſupplicium Aſiaticus, & Flavius, & Rufinus duces Galliarum, quod pro
Vindice bellaſſent.* Nec coërcebat ejuſmodi voces Vitellius; [1] ſuper inſitam animo
ignaviam, [2] conſcius ſibi inſtare donativum & deeſſe pecuniam, omnia alia militi
largiebatur. [3] Liberti Principum, *conferre pro numero mancipiorum* ut tributum juſſi.
Ipſe ſola perdendi cura, ſtabula aurigis extruere: Circum gladiatorum ferarumque
ſpectaculis opplere: tamquam in ſumma abundantia, pecuniæ illudere. Quin & 95
natalem Vitellii diem, [4] Cæcina ac Valens, editis tota urbe vicatim gladiatoribus,
celebravere: ingenti paratu, & ante illum diem inſolito. Lætum fœdiſſimo cuique,
apud bonos invidiæ fuit, quod [5] extructis in campo Martio aris, [6] inferias Nero-
ni feciſſet. cæſæ publice victimæ crematæque: [7] faces Auguſtales ſubdidere:
quod ſacerdotium, ut Romulus Tatio regi, ita Cæſar Tiberius Juliæ genti ſacra-
vit. Nondum quartus à victoria menſis, & libertus Vitellii Aſiaticus, Polycletos,
Patrobios, & [8] vetera odiorum nomina æquabat. Nemo in illa aula, probitate
aut induſtria certavit: unum ad potentiam iter prodigis epulis, & [9] ſumptu ganea-
que

Tacitus *emixtis.* Quod dicere vult, vix ſane expreſſius pariter & acutius alio verbo dixerit. *Acidalius.*

1 *Super inſitam animo ignaviam.*] Flor. inſerit vocem, *inſitam morte animo.* Putarem, *inſitam forte:* etſi hoc ad cauſſam ſequentem traho. *Lipſius.*

*Super inſitam animo ignaviam.*] Corruptam vocem addit Flor. *inſitam morte animo.* Unde divinabam, an legendum: *ſuper inſitam inerti animo ignaviam.* Quod Vitellio certe non incongruens, cum lib. præced. de eo Tacitus dixerit: *fortunam principatus inerti luxu, ac prodigis epulis præſumebat.* Et ne cui fortaſſe idem videatur, *inertia*, atque *ignavia*, Ciceronis locum refero, qui lib. 12. epiſt. ad Cornificium ait: *nec tua ignavia etiam inertiam afferret.* Pichena.

2 *Omnia alia militi.*] Hunc quoque locum liberare inuſta nota poſſumus. Ait enim hoc: Vitellium, quia pecuniam dare militi non poterat, impunitatem & licentiam omnis culpæ dediſſe: ut hac ſaltem blanditia eum retineret. Nec aliter ſane fit in paupere militia. *Lipſius.*

*Conſcius ſibi inſtare donativum, & deeſſe pecuniam, * omnia alia.*] Liberare hunc locum ſtigmate Lipſius vult interpretatione: an liberet, plane neſcio. Illud ſcio, quidquid illis poſtremis ſit, ſententiam puncto finiendam poſt vocem *pecuniam.* Neque enim ſermonis textus aliter patitur. Sequentia integra prorſus ego non cenſeo. Quod ſi ea illorum, quam Lipſius vult, ſententia: tamen minimum una vocula deerit, & talis: *Interim omnia alia militi largiebatur.* Sed certe, ſententia hæc, difficile eſt, ut vera ſit: quando neque cum præcedentibus neque ſequentibus cohæret. *Acidalius.*

3 *Liberti Principum.*] Non muto: & ſcio multos Romæ, eoſque prædivites, priorum Principum libertos. Videatur tamen & lectio & rapina proclivior, ſi libertos *patrum* ſubſtituas: aut de iis *Principes* hic capias. *Lipſius.*

*Liberti principum conferre.*] Verbum, *conferre*, non eſt in libro Bud. *Rhenanus.*

4 *Cæcina ac Valens.*] Ita nos, vulgo, *&.* Idem.

5 *Exſtructis in campo.*] Scriptor incertus apud Suidam in voce Βιτέλλιος, hanc rem ſic narrat: Καὶ τὸ νεκρὸν τοῦ Νέρωνος ἐς κοῖλόν τινα καὶ ἀφανῆ τάφον καταχωσθέντα ... Lipſius.

6 *Neroni feciſſet.*] Repoſui pro, *jeciſſet.* Idem.

*Inferias Neroni jeciſſent.*] Non eſt in lib. Budenſi *Neroni*, nec *jeciſſent*, ſed *jeciſſet.* Rhenanus.

7 *Faces Auguſtales.*] Tac. 1. Ann. *Idem annus novus ceremonias accepit, addito ſodalium Auguſtalium ſacerdotio, ut quondam Titus Tatius retinendis Sabinorum ſacris ſodales Titios inſtituerat.* Ubi videmus a Tacito illud tribui Tatio, quod hic Romulo adſcribit. *Savilius.* Forte recte ſe habet, *faces*, eo quod plures aræ fuerint exſtructæ. Florent. tamen habet, *facem.* Sic lib. 15. *Structam ante Augurale aram ſubdita face accendit.* Pichena. Mur. *facem.* leve nimis hoc. *Acidalius.*

8 *Vetera odiorum nomina æquabat.*] Divitias ſcil. quas congeſſerat. *Pichena.*

9 *Sumtu Cajanæ aquæ.*] De Cajana aqua, id eſt, ut volunt, aquæductu illo ſumptuoſo; nugæ magnæ. Nec Ferretti quidem emendatio ad genium meum aut librorum, *Cajanæ aulæ.* Nobis ſuboluit mendum & ejus cauſſa, è deductione copulæ: quam reddimus, legimuſque, *ſumptu ſaginaque.* Saginæ vox apta, quoties de helluone Vitellio: & Tacito velut de induſtria uſurpata. Ut, *luxu, & ſagina mancipatus emtuſque.* Iterum: *medio die temulentus & ſagina gravis.* Nec aliter Cicero pro Flacco: *Qui multitudinem illam non*

au-

que satiare inexplebiles Vitellii libidines. Ipse abunde ratus, si præsentibus frueretur, nec in longius consultans, [1] novies millies sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur. Magna & misera civitas, eodem anno Othonem Vitelliumque passa, inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos, varia & pudenda sorte agebat; donec successere Mucianus & [2] Marcellus & magis alii homines, quam alii mores.

Pri-

*aucteritate, sed sagina tenebat.* Hæc apta & bona. Palmerii tamen conjectura non minus recte, *sumptu ganeaque.* Lipsius.

*Sumptu Cajana aqua.*] Quid hic sibi velit *sumptus Cajana aqua*, haudquaquam intelligo: deinde quid *sumptus* ad *aquam* facit? malim ergo, *Cajana aula.* Ferrettus. Homo variæ lectionis & doctrinæ Æmil. Ferrettus, & à maximo rege Francisco literarum parente in Parisiensem Curiam adscriptus dubitat, & *Cajana aula* reponendum putat, quod à me dictum ne putet, ut hominis doctiss. laudi detraham, qui omissis causis, & altercationibus illius fori Parisiensis, totum se Juris Civilis professioni addixit. Quam ob rem locum pluribus illustrandum suscepimus, ne quid antiquitatis, quoad in nobis erit, prætermittatur. Itaque Sueton. in Cal. sic refert cap. 12. *Inchoavit autem aquaductum regione Tiburti, & amphitheatrum juxta septa.* Idem in Claud. 19. *Opera magna potius quam necessaria, multa perfecit. Sed vel pracipua, aquaductum à Caje inchoatum.* Et paulo post; *Claudia aqua gelidos & uberes fontes* &c. *in urbem perduxit.* Frontinus lib. 1. de æquæductibus, *Caligula duos ductus inchoavit, quos Claudius consummavit.* Plinius 36, 15. *Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati à Cajo Casare, & peracti à Claudio.* Ex quo Plinii loco & reliquorum verbis potest intelligi, *Cajanam aquam* dici per adjectivum à Cajo deductum, quæ à Cajo Caligula incepta est. Sicque Sueton. in Vesp. 2. *Cajana nece* dixit, id est, quo Cajus Caligula interfectus est. *Lupanus.* Hic locus non nisi ex Plinii interpretari potest lib. 36, 15. Illis concinit Sueton. Claud. 20. apud quem C. Cæsar Caligula inchoavit aquæductum regione Tiburti, & eum Claudius perfecit. Cornelius autem, ut de maximo dicturus sumptu in Cajanam aquam impenso, Vitellianas libidines inexplebiles scripsit. Quare mirari satis non possum, cur *Cajana aula* scriptio magis placeat Ferretto. *Vertranius.* Fœda depravatio in vulgatis omnibus irrepserat: *& sumpsu Cajana aqua.* super ea variæ emendationes. Lipsius aptissime ad sensum restituit, *& sumpsu saginaque.* Palmerius autem verius, ut opinor, & ad literam propius: *& sumptu ganeaque.* Quam lectionem recipere non dubitavi, cum a Flor. codice non parum juvetur, qui habet: *& sumptu gajaneaque.* Et est ea vox auctori nostro familiaris. Ann. lib. 3. *ventris & ganea paratus.* & lib. 4. *inter ganeam* ac *stupra.* Pichena. Etiam hic me sollicitat emendandi cacoëthes, & lego: *Epulis, & sumptu: ut Cajana aqua satiare.* Comparat ecce Vitellium cum Caligula, nec audet ulli dare palmam luxuriæ. Τὸ *satiare* transit in vim nominis. *Ad nostrum vivere triste.* Plaut. Bacchid. *Hic vereri perdidis.* Id. Pers. *age circumfer mulsum bibere.* Salinerius. Habeo sub oculos editionem Aldi, in cujus margine adscriptum est [Guevart. l. sumptu ganeæ aleæque.] Sed oportet manum dare antiquæ fidei. *Jac. Gronovius.*

1 *Novies millies sestertium*] Sidonius in Panegytico ad Majorianum, abire ab hac summa videtur, ubi vitia singulorum Principum recensens, de isto ait:

——— *post quina Vitelli*
*Millia, famosi ventris donata barathro.*

Valde, inquam, abit, si de tota ejus sagina & luxu accipis: quod non debes, sed magis de singularibus epulis, & quod tantum in paucis aliquot cœnis. Xiphilinus quidem ex Dione, *ὀλίγων ἡμερῶν διαλείπων, ἑκατὸν εἰς τὸ δεῖπνον μυριάδας ἀναλῶσαι*, conscripsit: *in paucis diebus, centum myriades absumsisse in cœnam*: quæ sunt Latine *quadragies* HSS; nobis *centum millia* Philippicorum. Tale & Suetonius indicat, cum *singulos apparatus dominis, sive convivatoribus, constitisse non minus quadringenis* HS. asserit: id est, *decies mille* Philippicis: sed observa, *singulos.* Sidonius igitur in singulis illis millibus, dum *quina* ea numerat, intelligit *millena* HS. neutro (ut cum Grammaticis dicam) genere: atque ita juste efficit *quinquagies* HS. sive *centum vigintique millia* Philippicum, prope ad Xiphilinum. Quod si in eo, pro more & communi sermone, *quina millia* dumtaxat capias, id est *quina* HS. quantulum sint; *centum vigintiquinque Philippai*: ridiculum. *Lipsius.*

*Novies millies sestertium.*] Id est, ex regulis, quas præstruximus, septem milliones, semel & tricies mille, ducentas & quinquaginta libras sterlingas. *Savilius.* Vide Pecuniæ Veteris 3, 6. & 4, 6. *Gronovius.*

2 *Marcellus.*] Epirus Marcellus oratoria laude celebris, Neronianæ in Thraseam & alios crudelitatis instrumentum, & omnibus sub quibus vixit, Principibus carus, utpote qui ipsorum actionibus lenocinium faciebat. Vide Tacit. 2. & 4. hist. *Savil.*

1 *Nul-*

Prima Vitellio *tertiæ legionis defectio* nuntiatur, missis ab Aponio Saturnino episto- 96
lis, antequam is quoque Vespasiani partibus aggregaretur. Sed neque Aponius cuncta, ut trepidans re subita, perscripserat, & amici adulantes, [1] mollius interpretabantur; *unius legionis eam seditionem*; *ceteris exercitibus constare fidem*. In hunc modum etiam Vitellius apud milites disseruit, prætorianos nuper exauctoratos insectatus, *à quibus falsos rumores dispergi*; *nec ullum civilis belli metum* asseverabat, suppresso Vespasiani nomine, & vagis per urbem militibus, qui sermones populi coërcerent. id præcipuum alimentum famæ erat. Auxilia tamen è Germania Britannia- 97
que & Hispaniis excivit segniter, & necessitatem dissimulans. Perinde legati provinciæque cunctabantur. Hordeonius Flaccus suspectis jam Batavis anxius proprio bello; Vectius Bolanus nunquam satis quieta Britannia: & uterque ambigui. neque ex Hispaniis properabatur, nullo tum ibi consulari. trium legionum legati, pares jure, & prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium, adversam ejus fortunam ex æquo detrectabant. In Africa legio cohortesque delectæ à Clodio Macro, mox à Galba dimissæ, rursus jussu Vitellii [2] militiam cepere. simul cetera juventus dabat impigre nomina. quippe [3] integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat: [4] perinde socii de imperio utriusque conjectabant. sed experimentum contra fuit. Ac primo Valerius Festus lega- 98
tus studia provincialium cum fide juvit. mox nutabat, palam epistolis edictisque Vitellium, occultis nuntiis Vespasianum fovens, & hæc illave defensurus, [5] prout invaluissent. Deprehensi cum litteris edictisque Vespasiani, per Rhætiam & Gallias militum & centurionum quidam, ad Vitellium missi necantur: plures fefellere, fide amicorum, aut [6] suomet astu occultati. Ita Vitellii paratus noscebantur; Vespasiani consiliorum pleraque ignota: primum socordia Vitellii; [7] dein [8] Pannonicæ

1 *Nullius interpretabantur; unius legionis eam seditionem.*] Volumen regium quoque continet, *nullius interpretabantur.* sed nos castigavimus, *mollius interpr.* &c. *Rhenanus.*

2 *Militiam cœpere.*] Illud æ cogor adspicere aliquid palladii instar, unde salutem Taciti pendere existimaverint viri docti; adeo superstitiose per omnes editiones propagatum reperio. Ego autem crediderim sic magis placiturum fuisse auctori *cœptare militiam.* Sed credo in MS. Mediceo manifeste scriptum esse *cepere.* Id tandem repono. *Jac. Gronovius.*

3 *Integrum illic.*] De Vitellio, eadem Suetonius in vita ejus cap. v. *At de Vespasiano mutat, &* Africam integerrime, *inquit,* nec sine magna dignatione administravit. *Qui concilientur, non video.* Lipsius.

*Integrum illic ac favorabilem.*] *In administranda provincia* (Africa) *singularem innocentiam præstitit*, ait Suet. Vit. 5. Tacito suffragatus; sed in Vespasiano penitus contrarium sentit. Tacitus, *famosum invisumque proconsulatum in Africa Vespasianus egerat.* Sueton. Vesp. 4. *Exin sortitus Africam integerrime nec sine magna dignatione administravit.* Savilius.

4 *Proinde socii de imperio.*] Scripsi, *perinde.* Rhenanus.

5 *Prout invaluissent.*] Non male, *prout ii valuissent.* Temporum enim hominem describit, qui nunc in suspenso, inclinaturus erat ad partes valentioris. Multi ejusmodi Vulpiones præsertim per bella civica. Talis rex Juliates, lib. 12. Annal. qui *societatem Meherdatis palam induerat, in Gotarzem per occulta & magis fida inclinabat.* Et depingit in uno omnes Claudianus:

*Libravit geminas, eventu judice, vires,*
*Ad rerum momenta cliens; seseque daturus*
*Victori.* ——— Lipsius.

*Prout invaluissent.*] Cave mutes cum Lipsio, *prout ii valuissent.* Acidalius.

6 *Suomet astu.*] A Ferretto est. male antea, *statu.* Lipsius.

*Suomet statu occultati.*] Malim, *suomet astu.* Ferrettus.

7 *Deinde Pannonicæ.*] Sed in MS. Medic. tantum est *Dein Pan.* idque nunc sequor. *Jac. Gronovius.*

8 *Pannonicæ Alpes.*] Mela libro 2. scribit Alpes ab ipsis littoribus longe lateque diffusas, primo ad Septentrionem magno gradu excurrere: at ubi Germaniam attigerunt, verso impetu in Orientem abire, & in Thraciam usque penetrare. Cujus opinioni adstipulatur hoc loco Tacitus, & in princ. seq. lib. & Rufus Sextus in epitome ad

nonicæ Alpes præsidiis insessæ, nuntios retinebant. [1] mare quoque Etesiarum flatu
99 in Orientem navigantibus secundum, [2] inde adversum erat. Tandem irruptione hostium, atrocibus undique nuntiis exterritus, Cæcinam & Valentem [3] expediri ad bellum jubet: præmissus Cæcina; Valentem è gravi corporis morbo tum primum assur-

Valentinianum Augustum: *Accesserunt Romanæ urbi Alpes maritimæ, Alpes Cottiæ, Rhætica, Norica, Pannonica.* Tametsi Plin. 3. 19. Alpes in Istriam usque extendat, & Paulus Iovius *Carnicas* Alpes vocat, à Carnis accolis, quos vulgo *Cranos* appellant literis mutatis. *Lupanus.*

1 *Mare quoque Etesiæ.*] Intricata valde lectio in scriptis. Vaticanus: *mare quoque & Elesi flabra aquilonis, harum flatu.* nec aliter Farnes. At Budensis, *mare quoque & esi flabra Aquilonis verum flatur.* Nos legimus, *Mare quoque etesii flabant Aquilones. Horum flatu.* Plinius libro 11. *Post biduum iidem Aquilones constantius perflant, per dies* XL. *quos Etesias vocant.* Et clarum certe est, Aquilones propitios optabilesque iis, qui ex Italia Orientem adnavigant: qui ex eo Italiam, contra. Cæsar lib. III. Belli Civil. *Ipse enim necessario Etesiis tenebatur, qui Alexandria navigantibus sunt adversissimi venti.* Lipsius.

*Mare quoque Etesiæ flabant, harum flatus in Orientem.*] Codex Matthiæ regis habet, *Mare quoque & esi flabra Aquilonis Verum flatur in Orientem navig. secundum inde adversum erat.* Lego: *Mare quoque Etesiarum flatu in Orientem nav. secundum, inde adversum erat.* Duæ porro voces *flabra aquilonis*, è margine codicis archetypi, quem doctus aliquis annotarat, in contextum a describente sunt relatæ. De sinceritate lectionis istius nihil ambigo. Sic lib. 5. Ann. *Quia flatibus Etesiarum implentur vada, hibernus auster revolvit fluctus.* Rhenanus. Etesiæ ex sententia Aristotelis 2. Meteor. & Theophrasti de ventis, Βόρειοί εἰσι κατ' ἔτος πνέοντες μετὰ τὰς θερινὰς τροπὰς καὶ κυνὸς ἐπιτολὴν, i. *Boreales sunt venti qui spirant post hibernum solstitium & ortum Caniculæ.* Κυνὸς ἐπιτολὴ, si Plinium sequimur, tum incidit in decimum octavum Iulii, *& post biduum exactus*, ait idem Plinius, *Etesiæ diebus 40. perflant, nec ulli ventorum magis stati sunt*; ut Etesiæ spirare inciperent ordinarie à vigesimo Iulii, atque exspirarent in fine Augusti. Solstitium autem æstivum cum viginti quinque dies antecedat κυνὸς ἐπιτολὴν, ut statuit Olympiodorus in 2. Meteor. vigesimo quarto Iunii die tum exoriri debuit ex justo calculo. A quo die cum enormis esset anni Iuliani longitudo, nostro tempore anticipatum & undecim aut duodecim diebus, retractumque in Iunii duodecimum aut decimum tertium. Iam vero Etesiarum flatus adeuntibus Ægyptum & Orientem secundos esse, redeuntibus adversos, præter regionis situm, argumento etiam fuerit, quod Thales & Philosophorum alii (ut narrat Diod. Biblioth. lib. 1.) putaverunt Nilum incrementi sui causam habere ex Etesiarum flatu, αἱ ἀντιπνέουσαι ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ ποταμοῦ κωλύουσιν εἰς θάλασσαν ἐκχεῖσθαι τὸ ῥεῦμα, i. *qui cum fluvii ostiis contrariis spirent, aquas in mare exonerari prohibent.* Savilius. Ego vero ausim rescribere, *Mare quoque Etesiarum flatu in Orientem navigantibus secundum.* Nam quæ in vulgatis & scriptis libris adduntur, à margine irrepserunt, ad quam studiosus adnotarat ex Lucretio: *Etesia flabra Aquilonum.* Mercerus. Nulla hic lux a Florent. In eo enim æque corrupte legitur: *Mare quoque & Esi flabra Aquilonis. arum flatu.* Pichena. Magna scripturæ diversitas, sed nata è glossis. Aperte enim illa in Vaticano & Budensi, *flabra Aquilonis*, interpretamentum sunt ad vocem *Etesiæ.* Itaque non audi Lipsium: *Mare quoque Etesii flabant* (vel *inflabant*) *Aquilones. Horum flatu* &c. Neque enim assuta illa cogenda in emendationem erant. ut de locutione ipsa non dicam, *mare flare*, vel *inflare.* quæ historica nequaquam est. Illis resectis simplicissimam & apertissimam lectionem facio: *Mare quoque Etesiarum flatu in orientem* &c. quomodo & Muretus conjecerat ante nos. *Acidalius.* Oportet hunc locum in codice Mediceo conferre cum altero, qui ab Pichena annotatur lib. 3. hist. c. 20. quæ duo notabilia exempla sunt marginalium annotationum perverse translatarum & adscitarum in ipsum contextum, quod mireris, tempore tam antiquo. Sicut enim hic Etesiæ explicandi erant, ita illic vineæ inter machinas bellicas. Porro legitur in Mediceo *Cæcinam ac Valentem*, non *&*, quod habent editiones. *Jac. Gronovius.*

2 *Inde adversum erat.*] Sensus vellet, *inde adversum iter.* Freinshemius. Crederem, si reliqua vulgata constarent. Sed nihil certius quam [illegible] & expungenda in vulgatis esse τὸ *acflabanth.* in MSS. *flabra aquilonis* (quod Rhenano, Mercero, Acidalio, mihi denique, omnibus, opinor, alios ignorantibus in mentem venit) scribendum, *Mare quoque Etesiarum flatu.* ita τὸ *erat* necessarium, τὸ *iter* locus nullus est. *Gronov.*

3 *Expediri ad bellum jubet.*] An non elegantius *expedire?* ut loquebatur ad finem lib. 1. *Multos è magistratibus, magnam consularium partem, Otho, non participes aut ministros bello, sed comitum specie, secum expedire jubet.* Acidalius.

1 *Et*

assurgentem, infirmitas tardabat. Longe alia proficiscentis ex urbe Germanici exercitus species; non vigor corporibus, non ardor animis: lentum & rarum agmen, [1] fluxa arma, segnes equi: impatiens solis, pulveris, tempestatum; quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. Accedebat huc Cæcinæ ambitio vetus, torpor recens, nimia fortunæ indulgentia soluti in luxum: [2] seu perfidiam meditanti, infringere exercitus virtutem inter artes erat. Credidere plerique [3] Flavii Sabini consiliis concussam Cæcinæ mentem, ministro sermonum Rubrio Gallo, *rata apud Vespasianum fore pacta transitionis.* simul odiorum invidiæque erga Fabium Valentem admonebatur, [4] *ut impar apud Vitellium, gratiam viresque apud novum Principem pararet.* [5] Cæcina complexu Vitellii multo 100
cum honore digressus, partem equitum ad occupandam Cremonam præmisit. [6] mox vexillarii quartædecimæ, & sextædecimæ legionum; [7] dein quinta, & duoetvice-

1 *Et fluxa arma.*] Copulativam non agnoscit Beroaldus, nempe quia eam non cernebat in archetypo Mediceo, prout certe ibi non est, ut etiam testatus jam fuit Ryckius in eo deceptus, quod edat [Edd. hactenus: *& fluxa arma.*] Immo nec habet Aldus. Itaque facessere hinc jussi exemplo Ryckii. *Jac. Gronovius.*

2 *Seu perfidiam meditatio.*] Scripsi, *seu perfidiam meditanti.* Rhenanus. Sed quum illud *meditatio* veniat ex scriptis libris, prout certe in MS. Mediceo etiam legitur, potius rear ab Tacito venisse *meditato.* Nam hæc pars consiliorum jam sedebat, cui statuebat opportunum fore si debilitaret hunc exercitum. *Jac. Gronovius.*

3 *Flavius Sabinus.*] Vespasiani frater & præfectus urbis. *Savilius.*

4 *Ut impar apud Vitellium.*] Scripsi, *apud Vitellium*, ex Flor. Ven. & aliis veteribus. Vulgo, *ad Vitellium.* Pichena.

5 *Cæcina complexu Vit. . . . . digressus.*] Cap. 65. dicit *Digressum a Lugduno Vitellium.* Quidni ergo *Cæcina a complexu* &c? *Jac. Gronovius.*

6 *Quartadecima & sextadecima.*] Libri scripti, *vexilla XIIII. & XIII. legionum.* Sed verius est, *XV.* aut, quod Mercero placet, *quarta*: nam de Britannicis mox sequitur, inter quas hæc *XIV.* fuit. Ceterum, semel sciendum est, duplicia vexilla videri illo ævo fuisse. Prius, è veteranis, qui stipendiis peractis, id est vigesimo militiæ anno absoluto, sub vexillis habebantur, donec præmium & emerita acciperent: de quibus 1. *Annal.* & alibi dixi. Alterum, ex electione, in necessitate aliqua aut bello: cum ipsæ legiones & Aquilæ in castris aut provinciis relinquebantur, certa manu decerpta, qui sub vexillo mittebantur. Hi tales, Vexillarii, & è tali legione, dicuntur: ac nunquam crebrius est in his libris. Testimoniis hæc firmare liceret: aliàs, aut ab alio fiet: nunc satis indicasse. *Lipsius.*

*Mox vexillarii quartadecima* &c.] Lege, *quintadecima*, quæ una ex quatuor inferioris Germaniæ legionibus. quartadecima enim, hostili in Vitellianas partes animo, in Britanniam missa erat. *Savilius.* Falsus numerus. nam *quartadecima* è victis legionibus remissa in Britanniam à Vitellio. Vidit Savilius, & vertit *quinta decima.* Lipsius in libris esse testatur, *vexilla XIIII. & XIII.* è quis legerim *vexilla quarta & sextadecima.* Quæris quare quintam & quintamdecimam omiserit, quæ mox in acie? Nec habeo quod dicam: nisi aut hic etiam inter notas numerorum eæ reponendæ; aut eæ relictæ in Italia fuerant, non ductæ in urbem usque, dein in itinere junctæ Cæcinæ. *Mercerus.* Mendosum hunc locum suspicor ex Florent. qui habet: *Mox vexilla in quatuordecim XIII. legionum.* Considero etiam quod postea dicitur: *dein quinta & duoetvicesima secuta.* Infert enim alias legiones præmissas, & tamen nullæ apparent. Leviter ergo dubitavi, num sit legendum: *& ex vexillariis quatuordecim millia. legionum dein quinta.* Octo enim Vitellianæ legiones erant. ideo non mirum, si ex unaquaque vexillarios illos, ut expeditiores ad iter, cum equitatu præmiserit. Forte scriptum in veteribus, MIII. quod pro, XIII. sumptum fuerit. Nec nimis magnus vexillariorum numerus videatur, cum superius eod. l. dixerit: *Sed legio sexta, & tredecim vexillariorum millia, ingenti agmine sequebantur.* Hanc tamen conjecturam ego ipse nihili facio. *Pichena.* Documento est hic locus, quantopere recensione variarum lectionum fruitus fuerit Ryckius, & tamen sine ullo ingenii ardore. Attamen hæc verba *mox vexillarii quartadecimæ & sextadecimæ legionum* jacere velut deserta, & neque recte accommodari præcedentibus, non etiam proxime subnexis, unicuique patet. Itaque considera apices scriptæ lectionis in Mediceo, & cernes inde prodire: *præmisit; mox vexilla tertia, quartadecimæ & sextadecimæ legionum. Dein.* Utique enim illam tertiam occultabant in MS. characteres voculæ *in*, sed in editis ductus *rii* prave annexi vocabulo *vexilla*, numero tamen apicum servato. *Jac. Gronov.*

vicesima secutæ: postremo agmine unaetvicesima Rapax, & prima Italica incessere, [1] cum vexillariis trium Britannicarum legionum, & electis auxiliis. Profecto Cæcina, scripsit Fabius Valens exercitui, quem ipse ductaverat, *ut in itinere opperiretur; sic sibi cum Cæcina convenisse:* qui præsens, eoque validior, *immutatum id consilium* finxit, *ut ingruenti bello tota mole occurreretur. Ita accelerare* legiones *Cremonam*, pars *Hostiliam petere* jussæ: [2] ipse Ravennam devertit, [3] prætexto classem alloquendi. [4] mox Patavii secretum componendæ proditionis quæsitum. Namque [5] Lucilius Bassus post præfecturam alæ, Ravennati simul ac Misenensi classibus à Vitellio præpositus, quod non statim præfecturam prætorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosa perfidia ulciscebatur. nec sciri potest, traxeritne Cæcinam, an (quod evenit inter malos, ut & similes sint) eadem illos pravitas impulerit.
101 Scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo, [6] monumenta belli hujusce composuerunt, *curam pacis & amorem reipublicæ*, [7] corruptas in adulationem *caussas* tradidere. Nobis super insitam levitatem, & prodito Galba [8] vilem mox fidem,

7 *Et duodevicesima.*] Vatic. & ipsa res poscunt, *duoetvicesima*. Lipsius.

*Dein quinta & duoetvicesima secuta.*] Correxi ex Flor. Vulgo, *duodevicesima*. Pichena.

1 *Cum vexillariis Hystris Britannicarum leg.*] Exemplar Budense: *Cum vexillario hystrium britann.* &c. Legendum *cum vexillariis III. Britann. leg.* Rhenanus.

2 *Ipse Ravennam devertit.*] Ita in Budensi exemplari legitur: nam librarius ille perpetuo propemodum *devertere* scripsit pro *divertere*. Rhenanus. Sed & in MS. Mediceo non aliter exaratum est, quam *devertit*. Jac. Gronovius.

3 *Prætextu classem alloquendi*] MSC. liber, *prætexto*. Dicitur autem non minus Latine *prætexto* quam *prætextu*. Quid ergo opus erat mutare. *Rhenanus*. Forte, *prætextu*. Si *prætexte* retines, & participium accipis, erit ea loquendi forma, quam in solo Tacito Lipsius observavit, nos etiam in Val. Max. notavimus l. 4. c. 3. Ad eum locum notas nostras vide. Sed *prætexte* iterum ut nomen libro 3. *Deliguntur legati ad exercitus, ut prætexte reip. concordiam pacemque suaderent.* Ubi Muret. tamen emendabat, *prætextu*. Sed & Sueton. *prætextum* neutro genere disertim usurpat Jul. 30. *Et prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit*. Acidalius.

4 *Mox Patavii secretum.*] In manuscripto libro legitur, *ad secretum*. Lego, *id secretum componendæ proditioni quæsitum*. Rhenanus.

5 *Lucilius Bassus.*] Frustra solicitant libri. Nam Vaticano est, *Blasus*: Farnesiano, *Blexus*. At Bassi cognomen firmat omnino priscum monumentum quod Aquileiæ, cujus exemplar à Fulvio Ursino mihi traditum subjeci.

IMP. CÆSAR. VESPASIANVS. AVG.
PONT. MAX
TR. POT. II. IMP. VI. P. P. COS. III. DES. IIII. VETERANIS. QVI. MILITAVERVNT. IN. CLASSE. RAVENNATE. SVB SEX. LVCILIO. BASSO. QVI. SENA. ET. VICENA. STIPENDIA. AVT. PLVRA. MERVERVNT ET. SVNT. DEDVCTI. IN. PANNONIAM QVORVM NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE EORVM. CIVITATEM. DEDIT. ET. CONVBIVM. CVM. VXORIBVS. QVAS. TVNC. HABUISSENT. CVM. EST. CIVITAS. IS DATA. AVT. SI. QVI. CÆLIBES. ESSENT. CVM. IIS. QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVMTAXAT. SINGVLI. SINGVLAS. NON APRIL. CÆSARE. AVG. DOMITIANO. CN. PEDIO. CASTO. COS. ILATORI. VENETI. F. CENTVRIONI. AMAEZEIO. DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. EX. TABULA. ÆNEA. QVÆ. FIXA. EST. ROMÆ IN. CAPITOLIO. AD. ARAM. GENTIS IVLIÆ. DEFORAS. PODIO. SINISTERIORE. TAB. I PAG. II LOC. XXXXIIII. *Lipsius*. Ita sane legitur in ipsa Lipsii editione: ita per summam atrocitatem spatio centum annos egresso repetitur identidem tenor hujus inscriptionis; quum tolerari nequeat, ut dicatur CÆSARE AVG. DOMITIANO, quum vivat & præscribatur CÆSAR VESPASIANVS AVG. sive ea fuit infelicitas calami Lipsiani, sive aliorum inertia, facies posthac ut habeas CÆSARE AVG. F. DOMITIANO. Ita recte Gruterus. *Jac. Gronovius*.

6 *Monumenta belli hujusce.*] Sic revoco lectionem vel seriem vocum, prout prior edidit Beroaldus, quam posteri fatue converterunt in *hujusce belli*, contra exemplum codicis MS. qui non erat nunc deserendus. *Jac. Gronovius*.

7 *Corrupti in adulationem causas tradidere.*] Codex Budensis, *Corruptos* habet. Reposui, *corruptas in adulationem causas tradidere*. Rhenanus.

8 *Vilem mox fidem.*] Nos, *mox vilem fidem*. Idem. Idque sequuntur editiones, quum clare MS. Mediceus, cui omnia permittenda sunt, habeat omnino *vilem mox fidem*. Non omitto interim hoc loco subjicere & publicare, quid proprium hic habeat codex Oxoniensis. In eo enim

quum.

fidem, [1] æmulatione etiam invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur, [2] pervertisse ipsum Vitellium videntur. Cæcina legiones assecutus, centurionum militumque animos obstinatos pro Vitellio variis artibus subruebat: Basso eadem molienti minor difficultas erat, lubrica ad mutandam fidem classe, ob memoriam recentis pro Othone militiæ.

quum liber primus & secundus historiarum esset junctus sine ullo interstitio aut novi tituli signo, post finem hujus secundi per rubricam hæc habet adscripta: *si repperero finem septimi decimi libri & principium octavi decimi, quæ utraque confusa sunt cunctis in libris & varia, locum annotabo: si lector offenderis: & tu signes oro. Valeas qui legeris, & recte annotaveris* satis ... hæc. & sequitur: *Cornelii Taciti actorum diurnalium augusta historia liber XVIIII' incipit.* Qui titulus singulis libris præponitur, unde ortus, qui dixerim aliter, quam judicavit Lipsius ad principium annalium. *Jac. Gronovius.*

1 *Æmulatione etiam invidiaque.* ] Addidi ex Flor. ac Ven. illud, *etiam*, quod à vulgatis aberat. *Pichena.*

2 *Pervertisse ipsum Vitellium.* ] Vox Vitellii inepte repetita, & inculcata, ut solet, ab interprete. Scribo ea ejecta, *pervertisse ipsum videntur.* Lipsius.



# C. CORNELII TACITI
## AB
# EXCESSU NERONIS
# HISTORIARUM
## LIBER TERTIUS.

### BREVIARIUM LIBRI.

*Vespasiani copiæ in Italiam veniunt, duce & instinctore Antonio Primo. Sparsim quædam gesta, & leves pugnæ. Classis Ravennas ad Vespasianum deficit: & proditorem animum Cæcina aperit. sed hic parum prospere, quia à milite vinctus captusque. Prælium inde ad Bedriacum: quo victi Vitelliani. Iterum superventu novarum legionum prælium: idque noctu. sed & tunc pulsi Vitelliani. Castra ad Cremonam oppugnantur & tandem expugnantur. ubi magna strages, paullo post in ipsa urbe omne genus cladium. Vitellius interea in luxu, nec sine sævitia. P. Sabinum vinciri jubet, Junium Blæsum interfici. Fabius Valens contra Antonium venit: sed pugna illa magna cognita, cum paucis aufugit, & in mari oppressus est. Britannia turbata, item Germania, & Dacia. Vespasiani duces Romam petunt. Vitellius insideri Apenninum jubet. sed belli mox pertæsus, paciscitur cum Sabino Vespasiani fratre. Quod pactum Germanici milites rupere. Sabinum in Capitolium compulerunt, obsederunt, expugnarunt, incenderunt. Quædam à L. Vitellio fratre Principis in Campania gesta. Tandem Vespasiani omnes copiæ Romam venere: per vim & varia prælia ingressæ sunt, omniaque libidine & cæde fœdarunt. Mors ipsius Vitellii. Gesta uno eodemque anno.*

1 MEliore fato [1] fideque partium Flavianarum duces consilia belli tractabant. Petovionem [2] in hiberna tertiædecimæ legionis convenerant: illic agitavere,

### COMMENTARIUS.

1 *Fideque partium Flavianarum.*] Hæc est series vocum in optimo MS. unde etiam probe sic editum Romæ. Sed jam Aldus & Rhenanus trajecerunt *Flavianarum partium* nescio qua lascivia, quam repuli. *Jac. Gronov.*

2 *In hiberna tertiadecima legionis.*] Hinc & ex aliis

vere, *placeretne* [1] *obstrui Pannoniæ Alpes, donec à tergo vires universæ consurgerent; an ire comminus, &* [2] *certare pro Italia constantius foret.* Quibus opperiri auxilia, & trahere bellum videbatur, *Germanicarum legionum vim famamque* extollebant, *& advenisse mox cum Vitellio Britannici exercitus robora: ipsis nec numerum parem pulsarum nuper legionum, & quamquam atrociter loquerentur, minorem esse apud victos animum. Sed insessis interim Alpibus, venturum cum copiis Orientis Mucianum. Superesse Vespasiano mare, classes, studia provinciarum, per quas velut alterius belli molem cieret. Ita salubri mora, novas vires affore, & præsentibus nihil periturum.* Ad ea [3] Antonius 2
Primus (is acerrimus belli concitator) *festinationem ipsis utilem, Vitellio exitiosam* disseruit, *plus socordiæ, quam fiduciæ, accessisse victoribus, neque enim in procinctu & castris habitos: per omnia Italiæ municipia desides, tantum hospitibus metuendos, quanto ferocius ante se egerint, tanto cupidius insolitas voluptates hausisse. Circo quoque ac theatris, & amœnitate urbis emollitos, aut valetudinibus fessos.* [4] *Sed addito spatio rediturum & his robur meditatione belli. nec procul Germaniam, unde vires: Britanniam freto dirimi:* [5] *juxta Gallias, Hispaniasque, utrimque viros, equos, tributa: ipsamque Italiam & opes urbis: ac si inferre arma ultro velint, duas classes; vacuumque Illyricum mare. Quid tum claustra montium profutura? quid tractum in æstatem aliam bellum? unde interim pecuniam, & commeatus? Quin potius eo ipso uterentur, quod Pannonicæ legiones deceptæ magis, quam victæ, resurgere in ultionem properent: Mœsici exercitus integras vires attulerint.* [6] *Si numerus militum potius, quam legionum putetur; plus hinc roboris, nihil libidinum, & profuisse disciplinæ ipsum pudorem. Equites vero, ne tum quidem victos; sed quamquam rebus adversis, disjectam Vitellii aciem. Duæ tunc Pannonicæ ac Mœsicæ alæ perrupere hostem. Nunc sedecim alarum conjuncta signa,*

aliis Taciti locis quamplurimis apparet, unicuique legioni hiemis tempore propria hiberna fuisse, aut intra muros civitatum, aut non longe ab illis; contra in æstate plures simul legiones iisdem castris tenebantur, præsertim ubi bellum, aut belli periculum. Hunc morem diligenter observavit Mercerus ad lib. 1. Ann. *Pichena.*

1 *Obstrui Pannoniæ Alpes.*] Videntur antea fuisse interclusæ lib. 2. *deinde Pannoniæ Alpes præsidiis insessæ nuntios retinebant.* Sed fortasse eo usque tantum ut transeuntibus illac nuntiis non pateret iter. *Idem.*

2 *Certare pro Italia.*] Non temere mutem *pro Italia*, & tamen sententiæ non videtur convenire. Forte scribendum, *per Italiam*, id est, in Italia. Hæc enim sit eorum fortan consultatio, an manendum intra Pannonicas Alpes, an statim in Italiam bellum transferendum. Sed non mutem. Antonius infra: *sibi salutem securitatemque Italiæ cordi fuisse.* Acidalius.

3 *Antonius Primus.*] Septimæ legionis legatus, quæ Galbiana dicta est. *Savilius.*

4 *Sed addito spatio, rediturum & his robur meditatione belli.*] Non finienda hic sententia puncto: sed nectenda cum sequentibus, *rediturum & his robur med. belli; nec procul*, &c. *Acidalius.*

5 *Juxta Gallias, Hispaniasque, utrinque viros, equos, tributa.*] Non feres, *utrinque.* Non enim de duabus tantum loquitur, Galliis, Hispaniisque; sed & Britannia. Itaque dicendum potius fuerat, *undique.* Sed alibi laborat locus. Credam ego vocabulum *vires* inculcatum ex sequenti versu, ubi *viros*; atque eo sublato, ita scribenda distinguendaque reliqua: *Nec procul Germaniam, unde Britanniam freto dirimi; juxta Gallias, Hispaniasque, utrimque viros, equos*, &c. Sic *utrimque* accipies, cum è Germania & Britannia, tum è Galliis & Hispaniis. Jungit enim ob vicinitatem binas utrobique regiones. Quamquam non tam vicina Germaniæ Britannia: neque si caute loqui velis, a Germania, neque freto hercule dirimitur. Sed Antonius in rem suam ita loqui voluit, complexus sub Germaniæ vocabulo etiam Belgium, (quæ tota pars Romanis *Inferior Germania* appellata) *freti* nomine designans eam maris partem, qua ex Belgio brevissimus in Britanniam trajectus est. Hoc idem de hoc loco censuisse etiam Muretum suspicor, quia vocem *Vires* subduxerat lineola, non ea tamen plane, qua delenda solet signare. *Acidalius.*

6 *Si numerus militum potius quam legionum putetur.*] Vires enim Vitellii extenuans, ostendere vult, illas legiones, licet numero ac nomine plures Flavianis, tamen vacuas & infrequentes fuisse, neque ad justum militum numerum. *Pichena.*

*figna, pulsu sonituque, & nube ipsa operient ac superfundent oblitos præliorum equites, equosque. Nisi quis retinet, idem suasor, auctorque consilii ero.* [1] *Vos, quibus fortuna in integro est, legiones continete, mihi* [2] *expeditæ cohortes sufficient.* [3] *Jam reseratam Italiam, impulsas Vitellii res audietis: juvabit sequi, & vestigiis vincentis insistere.*

3 [4] Hæc atque talia, flagrans oculis, truci voce, quo latius audiretur, (etenim se centuriones & quidam militum consilio miscuerant) ita effudit, ut cautos quoque ac providos permoveret; vulgus & ceteri, *unum virum ducemque*, spreta *aliorum segnitia*, laudibus ferrent. Hanc sui famam ea statim concione commoverat, qua recitatis Vespasiani epistolis, non ut plerique incerta disseruit, [5] huc illuc tracturus interpretationem, prout conduxisset; aperte descendisse in caussam videbatur:
4 [6] eoque gratior militibus erat, culpæ vel gloriæ socius. Proxima Cornelii Fusci procuratoris auctoritas. is quoque inclementer in Vitellium invehi solitus, nihil spei sibi inter adversa reliquerat. [7] Titus Ampius Flavianus natura ac senecta cunctator, suspiciones militum irritabat, tamquam affinitatis cum Vitellio meminisset. [8] idemque quod cœptante legionum motu profugus, dein sponte remeaverat, [1] per-

1 *Vos, quibus fortuna.*] Id est, vos, quibus etiam nunc deliberare licet, quique spem veniæ in Vitellii victoria nondum abjecistis, continete legiones, nec vos aleæ committite. Infra de Corn. Fusco. *Is quoque inclementer in Vitellium invehi solitus, nihil spei sibi inter adversa reliquerat.* Pichena.

2 *Expedita cohortes.*] Id est, absque impedimentis. *Savilius.*

3 *Jam, reserata militia.*] Non sperno: aptius tamen fortasse, certe clarius, *reserata Italia.* Atque id Taciti sive Antonii concionantis mentem propius tangit. *Lipsius.*

*Jam reserata militia.*] *Reserata initia* elementa literarum & mentem auctoris propius erit & emendatio mihi videtur certa. *Is. Pontanus.* Sagacissimus Lipsius mendum odoratus est, atque ex ingenio pene correxit, cum restituendum censeat, *jam reserata Italia.* Quo duce, Florent. etiam juvante, qui habet, *jam reserata militiam:* lego, *reseratam Italiam.* Si enim reddideris priori verbo suam literam *m*, remanet, *ilitiam*, ex quo facile, *Italiam.* Idem fere dixit lib. præced. *Aperuerat jam Italiam ala Syllana.* Nihil jam certius hac emendatione puto; ac nisi delicatiores aures veritus fuissem, eam recipere non dubitassem. *Pichena.* Omnino cum Lipsio legendum, *reserata Italia*, non *militia*: emendationem firmat locus lib. præced. *Aperuerat jam Italiam.* Acidalius. Pro indubitata habeo emendationem Pichenæ. Similiter in re simili supra 2, 17. *Aperuerat jam Italiam, bellumque transmiserat.* Freinshemius. Omnino magna verba sunt, quibus viri docti possessionem hujus loci adsignant Italiæ, nimirum quia blandimenta quædam in ea audienda & æqualitas verborum ex libro præcedente eos ad securitatem raptos excœcat, ut lectionis veteris indicia sequi detrectent. Quid enim simplicius est, quam si pro *reserata militiam* legas *reseratam ibi viam?* Jac. Gronovius.

4 *Hæc & talia.*] Nos, *hæc atque talia.* Rhenanus. Sed in MS. Mediceo est *hæc ac talia.* Jac. Gronovius.

5 *Huc illuc tracturus interpretationem.*] Sive, *interpretatione.* Acidalius.

6 *Eoque gratior militibus.*] Flor. *gravior*, nec male, ut sit δεινότερος, plus ponderis & auctoritatis. Infra ea vox eodem sensu: *eo gravior auctor* &c. lib. seq. *Contusis Ubiis, gravior, & successu rerum ferocior Civilis.* Contra de eodem Antonio infra lib. 4. *Unde paulatim levior viliorque haberi.* Pichena. Amplector omnino Codicis Flor. lectionem, *gravior*, cum & eam invenerim item in editionum prima, *Gruterus.* Quid post hos scripserit Ryckius, patet. At ille nunquam ex me quæsivit, quid rei esset, qui sæpe non annotavi, quod Pichenam deprehendebam ex fide publicavisse. Nec Pichena ludit in illis codicibus; sed quoties aliquem alium primario innuit, diserte indicat. Certe *gravier* est ex optimo MS. prolatum, etiam manu fraterna testante. Quæ vox etsi in Annalibus adhibeatur sensu molesto, tamen idcirco non penitus exuit etiam meliorem. *Jac. Gronovius.*

7 *T. Ampius Flavianus.*] Verum hoc nomen erui è libris, qui aut *Tampius* aut *Tumpius* præferunt, cohæsu scilicet notæ. Ampia gens inter Romanas nota. Vulgo *Appium* hic legas, falso: quia non uni duplex prænomen esse potuit. *Lipsius.*

*Ampius Flavianus.*] Pannoniæ legatus. *Savilius.*

8 *Idemque quod* &c.] Non intellexerunt viri docti mentem Taciti, dum sic in utraque periodo credunt ab eo consideratum ipsum virum. At de eo agit in prima, ubi ille dicitur suspiciones irrita-

[1] perfidiæ locum quæsisse credebatur. Nam Flavianum omissa Pannonia ingressum Italiam, & discrimini exemptum, rerum novarum cupido legati nomen resumere, & misceri civilibus armis impulerat: suadente Cornelio Fusco; non quia industria Flaviani egebat, sed ut consulare nomen surgentibus [2] cum maxime partibus, honesta specie prætenderetur. [3] Ceterum ut transmittere in Italiam, impune & usui foret,

irritavisse; at in hac parte non ipsum vult eredi quæsisse perfidiæ locum, sed istam actionem, qua primo profugus, dein remeaverat, significat fuisse originem ita de eo eogitandi. Itaque habetur scriptum in MS. Mediceo *idque quod*, non *idemque* vane ab editoribus ita productum. Id debuit animadverti ab Pichena. *Jac. Gronovius.*

1 *Perfidia locum quæsisse*] Credebant scilicet Flavianum in Pannoniam revertisse, ea mente, ut legiones illas rursum à Vespasiano alienaret. *Pichena.*

2 *Cum maxime*] Ita satis clare & signanter MS. Mediceus, non *tum m.* Approbavit hanc scribendi rationem Rhenanus in notis ad 1. hist. 29. *Jac. Gronovius.*

3 *Ut transmitteret*] Clausula corrupta, manca, nec scio an loco posita. Farnesianus: *ut transmitteretur in Italiam impunem eo visui foret scriptum Aponio, Satium revirescere crederetur.* Nec aliter Vatic. nisi quod, *usui:* & supra *Satium* adnotat, *Setium.* Ficulnum auxilium: eerte mihi, qui sine libris non enato ex hac lacuna. *Lipsius.*

*Caterum ut transmitteret in Italiam*] Budense exemplar habet, *Caterum in Italiam impune & eo usui foret scriptum Aponio socium revirescere credebatur.* Ex verbis istis hujusmodi lectionem exsculpsimus: *Caterum quum in Italiam, impunito eo usu, foret scriptum, socium revirescere credebat.* Nunc perpendat lector, utra lectio huic loco magis sit accommoda. Videtur antem mihi ideo dictum *impunito eo usu*, quia non semper licet è castris ad amicos mittere literas, ad cavendam proditionem. *Rhenanus.* Vulgo in fine periodi legitur, *credebat.* itaque sensus esse poterit; Cæterum credebat adscriptum destinatum socium Aponio revirescere partes Vespasiani iterum sequuturo, ut impune, tutoque transiret in Italiam, ibique utilitati esset Vitellianis. Supra enim inquit, *profugus, deinde sponte remeaverat, perfidia locum quæsisse credebatur.* Ferrettus. Subobscurus locus hie ita illuminandus videtur. Tiscurus Appius Flavianus. qui supra *Fabianus*, legatus consularis Pannoniam tenebat, qua omissa legionum cœptante motu, Italiam ingressus, dein remeaverat in Pannoniam, eoque nomine perfidiæ suspectus erat. Illi Fuscus Pannoniæ procurator suadebat, ut enm copiis sine militum suspicione transiret in Italiam, & surgentibus tum maxime partibus, se utilem suis, Vitellianis præberet, seque Aponio Satnrnino legato Mœsici exercitus in partibus tutandis socium scriptum, viribus & auctoritate revalescere crederet. Quo sensu verba Corneliana accipienti nihil de sinceritate lectionis receptæ ambigendum est. *Vertranius.* Transpositionem magnam hic fuisse primus observavit Lipsius, cui homini sane plurimum debet Tacitus; solertiss. ingenio, diligentia, judicio, ab eo correctus, illustratus. Quod necesse est agnoscant & fateantur etiam inviti, qui tanti viri singulari eruditioni invide & maligne detrahunt. Addidit Savilius observationem notatu sane dignam, paginas transpositas fuisse, quia par versuum numerus ab his verbis, *Quæsitum inde quæ sedes*, ad illa, *Ac ne inermes Provinciæ:* qui ab istis ad illa, *Et partes præsumpsere.* Quorum doctissimis observationibus panca sunt, quæ addantur. Nam in lib. omnibns habes; *Ceterum ut transmitteretur in Italiam impunem eo usui foret, scriptum Aponio Satium revirescere crederetur.* quæ postrema duo verba dissimulant. Mihi certum est ita scribenda: *Ceterum ut transmitteretur in It. impune, magno u. fore scriptum Ap. Saturnino ut cum Mœsico exercitu celeraret*, & quæ sequuntur, usque ad illa, *Decorum pro causa ratus, si placere Galbæ principatus & partes revirescere crederetur. Quæsitum inde.* Et in fine ejus paginæ *Vitellium ut inimici præsumpsere.* Primum in consilio Petovione, duces partium intelligo, non tres Illyriei Consnlares, Pompejum, Dalmatiæ: Flaviannm, Pannoniæ: Aponium, Mœsiæ; sed Flavianum solum eum Antonio ae Vedio legatis legionum, & Cornelio Fusco procuratore. Ubi Antonii sententia invaluit, bellum ultro inferendum Italiæ eensentis; ut id sine noxa fieret adversus tot Germanicas veteranas legiones, scriptnm est Aponio ut is quoque in Italiam cum Mœsicis legionibus properaret; quod ab eo factum statim docet Tacitus. Id, quia Aponius legatus Consularis, & ad parem scribebatur, consilii & precum forma scriptum, *Magno usui fore*, ut cum suis properaret, nam sane ita legerim. Conjunctio luxatarum paginarum in hac voce, *Saturnino*; cujus prior pars in illo *Satium*, quod libri omnes agnoscunt, altera in verbo, *ut innocuum exercitum*, pro, *ino, ut cum exercitu.* Ceterornm ratio certior & liquidior, quam ut verbis indigeat. *Mercerus.* Hæc restitui juxta Florentinum, hoc sensu: ut transmissio illa impune fieret, & usui esset. In vulgatis confusius: *caterum ut transmitteret in Italiam impune, & eo usui foret.* Pichena. Vir doctiss. duo profert, quibus ea confusa credi vult: alterum, Flaviani in Italia dicuntur esse, & ibi quærere de sede belli, cum nondum tamen eo pervenissent, nam paulo post describitur eorum adventus, *Antonio vexillarios, &c.* alterum, non eos potuisse, nec

foret, [1] ſcriptum Aponio Saturnino, *cum exercitu Mœſico celeraret.* [2] Ac ne inermes provin-

debuiſſe Veronam venire tot à tergo relictis. ad primum ſic reſpondeo: Petovioni agitur de ſede belli, inde iter Italiam verſus arripitur. *Cæterum ut tranſmitteret in Italiam impune, & eo uſui foret, ſcriptum Aponio ſocium reviveſcere crederet: quaſitum inde quæ ſedes belli legetur, Verona viſa potior, poſſeſſa ipſo tranſitu Vicentia.* Vides igitur literas Petovione ad Aponium dari, qui jam Aquilejam obtinebat. Petovioneque conſultari de occupanda Verona, inde Italiam peti, & attingi. *poſſeſſa ipſo tranſitu Vicentia.* Illa autem, *Antonio vexillarios è cohortibus*, referenda ſunt non ad priorem Antonii irruptionem (ut clarius infra) ſed ad excurſionem, quam occupata Verona inde fecerat, ut ea caperet, quæ ſtudio celeritatis amiſerat. Secundum ſic refuto; quæ manus erat ibi, quæ primo reſiſteret? quis ei à tergo inſtaret tribus Mœſicis legionibus Aquilejam jam ingreſſis? jure igitur Antonius aliis locis prævertit occupationem Veronæ, nam ea, *potior viſa patentibus, &c.* Inſtat rurſus doctiſſ. vir, atque hanc totam narrationem diſſonam: ſed par fuerat principes Sarmatarum prius in commilitium vocare, cæteraque illius tractus providere, quam e Pannonia diſcederetur: quodque Verona in vulgatis Vitellianis auferatur auxilio duarum legionum VII. Galbianæ & tertiadecimæ Geminæ; quarum tamen in Italiam deſcenſio recenſetur poſt Veronam captam, poſtque pugnam ad Forum Alieni *vulgata victoria poſt principia, &c.* Prioribus ſic obviam itur: præ impetu nonnulla Antonium fugiſſe, quæ nihilominus in Italia curantur, noſtroque eo ordine dicuntur, quo ab eo geſta ſunt. Poſteriora diluere arduum non eſt: Antonius duabus legionibus comitatus, Veronam cepit, iiſque ibi relictis, rapit vexillarios è cohortibus, & equitum partem ad invadendum vicina Aquilejæ: eum (audita proſpera ad forum Alieni pugna) duæ illæ legiones ſequuntur, ut quæ illum plurimi facerent, ejuſque victoriis intereſſe vellent, at Patavii paucos dies indulgent quieti, quod Antonius omnia more torrentis ſit exſecutus, unde nec ei nec aliis copia reſpirandi. nec mihi objicias male à duabus his legionibus Veronam deſeri, præſertim Cæcina non illinc longe cum exercitu conſidente; is enim proditionem meditabatur. *Sed Cæcina, &c.* Et ad Veronæ defenſionem ſatis erat ſeptima Claudiana cum Saturnino. *Interim Aponius, &c.* Nunc breviter & continenter hoc exordium recenſebo, nec à vulgatis latum unguem diſcedam. Antonius una cum Pannonicis legionibus intrat Italiam, Veronam capit, tentat levi prœlio Vitellianos, inde intendit animum (quod prius erat faciendum) ad Sarmatas, cæteraſque gentes continendas & alliciendas: poſt cum vexillaribus cohortium, & equitum parte occupatum it loca illa quibus in tranſitu abſtinuerat, ut derepente Veronam partibus adjungeret: hoſtes fudit ad Forum Alieni, Patavioque cum duabus legionibus (quæ eo alacres ierant) Veronam redit, eamque oſtentandi gratia vallo militari circumdat. At Antonius (dicat aliquis) ſolum petiit expeditas cohortes. *mihi expeditæ cohortes ſufficient.* petiit, at omnes traxit. *ut cautos quoque ac providos permoveret, vulgus & cæteri unum virum ducemque, &c.* alioquin minime noſter ſibi conſtaret, ſi Antonius petita duntaxat obtinuiſſet: nam qui ante adventum duarum legionum rapere potuiſſet equitum partem ad Italiam invadendam? cohortes enim proprie de equitibus non dicuntur. Cæterum ſedis oportunitas numquam neglectui habita eſt: Athenienſes Meſſanæ inhiabant quod haberet προσβολὴν τῆς Σικελίας. id eſt, Siciliæ aggreſſionem. Thucyd. lib. 2. Liv. lib. 40. Scipio *ad oppugnandam Uticam vires belli convertit, ut ſi eam deinde cepiſſet, ſedem ad cætera exſequenda haberet.* Socii Aponius & Flavianus erant hiſt. 2. *juncti inde Mœſici ac Pannonici exercitus, &c.* quorum Aponius Mœſiacas: *in eo metu Aponius Saturninus Mœſiæ rector.* Flavianus Pannonicos regebat: *T. Flavianus Pannoniam, &c.* at Flavianus in conſternatione legionum, deſertor partium Italiam petierat: inde ſtudio rerum novarum ultro in Pannoniam redierat, ideo Primus inde ſcribit Aponio, qui jam Aquilejam poſſidebat hiſt. 2, 85. *Aquilejam jam progreſſa.* Et Flaviani pœnitentiam neſciebat, ut eum tranſitu non prohiberet. *Socium reviveſcere* eleganti metaphora, quaſi areſcat, qui partes deſerit: uti autem metaphoris ad ſobrietatem, inprimis magnificentiam concinnat. Demetr. πρῶτα μὲν ἐν μεταφοραῖς χρηστέον· αὗται γὰρ μάλιστα καὶ ἡδονὴν συμβάλλονται τοῖς λόγοις, καὶ μέγεθος, μὴ μὴν πυκναῖς i. *primum igitur utendum eſt tranſlationibus, hæ enim maxime voluptatem & magnitudinem orationibus conferunt: non autem crebris.* Conſule Thucydidem lib. 2. ἐν χρῷ αἰεὶ παραπλέοντες i. *prope ſemper adnavigantes.* ubi Scholiaſtes εἴρηται δὲ ἀπὸ μεταφορᾶς τῆς κουρᾶς ἄχρι τοῦ χρωτὸς γινομένης. i. *dictum eſt per tranſlationem tonſura uſque ad cutem facta.* Saluerius.

1 *Scriptum Aponio Saturnino, cum exercitu Mœſico celeraret*] Quod Lipſius primum de paginis hic tranſpoſitis animadvertit, neminem eſſe credimus, qui in dubium revocet. nam & res ipſa per ſe clara eſt hiſtoriam attente legentibus; & ab aliis deinde obſervatum fuit; etiam verſuum numerum in hac tranſpoſitione optime congruere. Præterea Flor. codex id manifeſtiſſime indicat. nam hic pro *Aponio ſocium*, ut in vulgatis, habet, *Aponio ſatium.* inferius vero, pro, *ut innocuum exercitum Mœſicum celebrare*, ille, *nino cum exercitum Mœſico celeraret.* Adeo ut luce clarius conſtet, illud, *ſatium*, quod legendum, *Satur*, finem unius paginæ fuiſſe & fractam vocem, *nino*, principium alterius, quæ ſimul juncta, conficiunt, *Saturnino.* Nos ergo ad faciliorem lectoris uſum, librariorum incuria tranſpoſita, in verum ordinem redegimus, partim Lipſii

provinciæ, barbaris nationibus exponerentur, principes Sarmatarum Jazygum, [1] penes quos civitatis regimen, [2] in commilitium asciti. [3] *plebem* quoque, *& vim equitum*, qua sola valent, offerebant: [4] remissum id munus, [5] ne inter discordias externa molirentur, [6] aut majore ex diverso mercede, jus fasque exuerent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus, reges Suevorum, qui vetus obsequium erga Romanos, [7] & gens fidei commissæ patientior. opposita in latus auxilia, [8] infesta Rætia, cui [1] Por-

psii, partim Merceri sententiam secuti, atque etiam Manuscripti nostri fidem & auctoritatem. *Pichena.*

2 *Ac ne inermes provinciæ*] Quicquid in Latinis exemplarib. incipit, ab his verbis, *ac ne inermes provinciæ, &c.* usque ad illa, *si placeret Galbæ principatus*, inclusive præponatur illis, *quæsitum inde quæ sedes bello legeretur, &c.* sic cohærent illa *ut innocuum exercitum Mœsicum celebrare* cum hisce, *& præsumpsere partes.* Confusio primo videtur nata, quod linearum & litterarum inter *quæsitum unde* & *Mœsicum celebrare* fere par sit numerus cum illis inter *ac ne inermes* & *Galbæ Principatus* ex transpositione paginæ in exemplari, unde in ea, quæ habemus exempla, transfusum vitium. *Savilius.* Faernus legebat, *ut invictum exercitum Mœsicum* pro *innocuum.* Ursinus. Flor. *ac ne inermes.* Vulgo, *at ne.* Pichena. Emendo, & in ordinem ita committo, *jus fasque exuerent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus r. S. q. v. o. e. R. e. g. fidei commissa patientior. Ac ne inermes provinciæ barbaris nationibus exponerentur, opposita in latus auxilia. Infesta Rætia: c. P. S. p. e. i. c. V. f. Igitur Sextilius F. c. a. A. o. VIII. c. a. N. j. ad o. r. Æ. a. q. R. N. interfluit missus, nec his aut illis p. t. f. p. alibi transacta. Et interjectus exercitus per Ratiam, Julias quoque Alpes, ne pervium illa Germanicis exercitus foret, obrepserat. Antonio vexillarios, &c.* Eum sane ordinem res ipsa postulat. Ac primo Tacitus Romana pariter & externa Vespasiani auxilia; deinde curam provisumque ducum memorat; ne aut provinciæ exercitibus spoliatæ aliis nationibus in predam interea cederent, aut ne aliqua hostilibus copiis transitus, & irruptionis occasio relinqueretur: post quæ denique profectionem Antonii & Vari, ingressumque ipsius belli. *Acidalius.*

1 *Penes quos civitatis regimen*] Aut sunt hæc à manu glossatoris, aut inusitato sibi vocabulo, *civitatem* heic accepit, ut fere Jul. Cæsar pro gente integra. *Gruterus.*

2 *In commilitium asciti*] Videtur sensus: abductis ex Pannonia & Mœsia exercitibus; timebant Flaviani duces, ne provinciæ illæ, inermes relictæ, à vicinis nationibus turbarentur, & præsertim à Sarmatis Jazygibus. Ideo illorum principes, specie honoris, in commilitium evocaverunt, revera quasi obsides. Sed cum ipsi obtulissent etiam plebem & equites, recusatum id munus, ne forte inter Romanorum discordias ipsi externam aliquam seditionem suscitarent, aut in ipso bello ad Vitellium deficerent. quod evenire non poterat, cum plebs sine principibus domi remaneret, ac principes in Italia sine suorum popularium manu militarent. At melius juxta hunc sensum distinxi, apposito puncto post verbum, *asciti*; cum antea continua oratione scriptum esset, *asciti, plebem, &c.* Pichena.

3 *Plebem quoque & vim equitum*] Malim; *peditem quoque & vim equitum.* Hist. 1, 79. de Sarmatis. *Namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum vis velut extra ipsos; nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum, ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit.* Qui locus huc, & pro hac conjectura nostra faciat. *Boxhornius.*

4 *Omissum id munus*] Nos, *remissum id munus.* Rhenanus.

5 *Ne quid discordia externa molirentur*] Ita Faernus legebat pro eo, quod vulgo legitur; *Ne inter discordias.* Ursinus.

6 *Aut majore ex diverso mercede*] Reposui, *aut,* ex Florent. vulgo, *ac majore.* Pichena.

7 *Et gens fidei commissa*] Mei codices, *commissior, patientior.* An, *fide cognitior?* an impar medicina nostra huic vulneri? Palmerius legit: *fidei commissior: patenti ora, opposita in latus auxilia.* nescio an savente Æsculapio. *Lipsius.*

*Gens fidei commissa patientior*] Flor. etiam corrupte: *fidei commissior patientior. posita in latus.* ex quo nihil aliud elicio, nisi quod forte, pro, *patientior*, legendum est, *patiens*, ut syllaba *or*, convertatur in, *op*, ad verbum, *posita*, pertinens. Reliqua emendare non meæ opis. Sententia postularet, *gens fida, ac laborum patiens:* vel, *atque onerum patiens.* aut aliquid simile. *Pichena.* To *commissa* id est junctæ. Virg 3. Æn. 427. *Pristis Delphinum caudas utero commissa luporum.* Suevorum gens fida Romanis, non fœdifraga censebatur, ut Sarmatæ Jazyges. *patientior* pro *patiens*, ut *tristior* pro *tristi.* Virg. lib. 1. Æn. *Tristior & lachrymis oculos suffusa nitentes Alloquitur Venus.* Salinerius. Huic plagæ non Lipsius, non Palmerius, non Muretus, qui legit, *gens fidei commissa patientior*, medentur, etsi tentant: ego ne tento quidem, ita medicinam omnem hic despero. Est & qui legat, *fidei constantior*, qua phrasi Tacitus utitur parum infra hoc lib. *Claudius Apollinaris, neque fides constans, neque strenuus in perfidia.* Est & qui velit, *fidei promissa servantior.* Acidalius. Emendem, *gens fidei commissa potentiorum.* Romani habebant instrumenta servitutis & reges, quorum potentiam vi sua sustinebant, ut per eos gentes retinerent in obsequio.

Ee 2 Non

[1] Portius Septiminus procurator erat, incorruptæ erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix [2] cum ala Auriana & octo cohortibus, ac Noricorum juventute, [3] ad occupandam ripam Æni fluminis, quod Rætos Noricosque interfluit, missus. [4] nec
6 his, aut illis prœlium tentantibus [5] fortuna partium alibi transacta. [6] Antonio vexillarios

Non dissimile illud Annal. 6. de Artabano, qui Seleuciæ plebem primoribus dicitur tradidisse suo ex usu. Et lib. 8. Thucyd. Pisander suadet Atheniensibus, ut paucis remp. committant, eo enim modo futurum, ut plus ipsis fidei haberet rex Persarum. Sic & Philippus rex ubique fovebat partes potentiorum, quod observatum Demostheni Philippica 6. *Grotius.* Etiam in hac parte unicus ille Mediceus, dum sic exhibet, etsi parum detortus, tamen satis manifeste aperit priscam lectionem, cui miror non invigilavisse Ryckium, qui sic defungitur, ut post varietatem proditam annectat paraphrasin Patris mei. Aliud agi oportet. Istud *or* est residuum ex conjunctione sic scribi solita *q;*. Sic enim restituo: *fidei commissique patientior.* Videtur imitatio Ovidii 2. Metam. 558. *Commissa duæ sine fraude tuentur.* Paulo ante retinui *quis* ex MS. eodem, non *quibus*, ut nuper recte incepit fieri. *Jac. Gronov.*

8 *Infesta Rhætia*] Videtur scribendum: *opposita in latus auxilia infesta Rhætia* Ut infra: *L. Vitellium fratrem cum sex cohortibus & quingentis equitibus ingruenti per Campaniam bello opposuit.* Gronovius. Sed istud *opposita* nullam habet firmitatem, ab ipso fabricatum Pichena, de quo nihil apud veteres nisi quod in contextu jam habeat Rhenanus; quum solum *posita* sit in MS. optimo, idque sufficiat. *Jac. Gronovius.*

1 *Portius Septiminus*] Ita nos. *Rhenanus.* Vaticana editio & Veneta *Septiminus:* & debet placere: quotsum enim uni duarum familiarum nomina. *Gruterus.* Huic vide quam iratus fuerit Ryckius, ut meminisse ejus nunc nolit, quem paulo ante tam graviter percussit: scilicet quia illum prævenit. *Jac. Gronovius.*

2 *Cum ala Tauriana*] Itane? atqui ala Tauriana, sive Taurina, adjuncta legioni Italicæ in Vitellii partibus erat: nec de transfugio aut discessu ejus usquam didicimus. Ut justa caussa sit, cur Vaticanam & Flor. lectionem recipiam, *Ala Auriana.* Nomina enim fere equitum alis, à præfectis: Taurianæ, Frontonianæ, Valeriæ, Silanæ, Aurianæ. & hæc ipsa Auriana perseveravit ad labens imperium, legasque in Notitia imperii Sub dispositione Ducis Armeniæ: *Ala Auriana, Dascusa.* Lipsius.

*Sextilius Felix cum ala Auriana*] Ita Flor. & de Vaticano testatur Lipsius. male vulgo, *cum ala Tauriana.* Pichena.

3 *Ad occupandam ripam Rheni fluminis*] Castigavimus contra manuscriptum exemplar, *ad occupandam ripam Æni fluminis*, nam auctore Ptolemæo, Noricum ab occasu terminatur Æno fluvio. De hoc loco meminimus lib. 1. rerum German. *Rhenanus.*

4 *Nec his aut illis prælium tentantibus*] Scripsimus, *nunc illis aut his prælium tent.* Rhenanus. Rectius ex Flor. ac Ven. *nec his aut illis.* In vulgatis minus apte, *nunc illis aut his*, &c. *Pichena.*

5 *Fortuna partium alibi transacta*] Hoc est, alibi bellum translatum, secundiore Flavianarum partium fortuna. *Pichena.* Volunt dicere, dum hi utrimque contantur, nec belli partem capessunt, quamvis inimicis animis, alibi locum summa rerum decreta est. Sed forte typorum error est, & scripsit Pichena, *transactum.* Gronovius.

6 *Antonio rapienti vexillarios*] Legiones, earumque centuriones, iter, & quicquid circumstantiarum limatior cura deposcat, hoc bello perspicue & plene auctor noster pertractavit, longe melius quam ultimo inter Vitellium & Othonem, aut secuto, inter Civilem & Romanos in Germania. Hic Antonius, legatus septimæ Galbianæ, primus in viam se dedit, extremo Augusto, aut initio Septembris, secum trahens vexillarios è cohortibus, & partem equitum; non modicas procul dubio vires, integram licet non explerent legionem. Profectus cum illo Arrius Varus, sola tum primipili auctoritate, sed ignoro, cujus legionis. Lib. autem 4. Tertia legio vocatur *familiaris Arrio Varo miles.* Postea, ut hist. 4. docemur. & prætoriano militi præfuit, obtinuitque *prætoria insignia*, & per Mucianum dejectus loco suo, factus est *præfectus annonæ.* Patavii aut inde non procul duæ legiones è Pannonia Antonium assecutæ, nimirum *septima Galbiana*, cui legatus Antonius ipse, & *Tertia decima Gemina* cum Vedio Aquila, ejus legato, Titus quoque Ampius Flavianus Legatus, ut ex conjecturis affirmare licet, simul eo devenit; mox enim in seditione ad Veronam legitur Aponius Saturninus Mœsiæ præses cum *septima Claudiana*, Vipsano Mesalla Legato, Veronæ eum assequitur. Et paullo post, Veronæ aut prope eam duæ aliæ legiones ex Mœsia, *Tertia Gallica* cum Dillio Aponiano, & *octava Augusta* cum Numisio Lupo. Atque hoc partium Flavianarum robur in prælio ad Cremonam fuit, exceptis quibusdam veteranis prætorianorum cohortibus, quæ & illic & alibi memorantur; sed quando & ubi in istas partes concesserint, nusquam diserte, ut equidem decuit, recensetur. Vitellio sub signis fuerunt in campis Cremonensibus duæ integræ legiones, *una & vicesima Rapax*, Cæcina ducente ex Germania, & *Italica* à Valente Lugduno excita, & sex legionum non integrarum vires ex Germania: nimirum *Quarta & octava decima*, alias *duo & vicesima* ex Germania superiori; *prima, quinta, quintadecima & sextadecima* ex inferiori Germania; earum sex 2. hist. nominantur.

Ante-

larios è cohortibus, & partem equitum ad invadendam Italiam rapienti, comes fuit Arrius Varus, [1] strenuus bello, [2] quam gloriam ei dux Corbulo, & prosperæ in Armenia res addiderant. Idem *secretis apud Neronem sermonibus*, ferebatur *Corbulonis virtutes criminatus.* unde infami gratia primum pilum adepto, læta ad præsens male parta, mox in perniciem vertere. Sed Primus ac Varus, [3] occupata Aquileja, in proxima quæque & Opitergii & Altini lætis animis accipiuntur. relictum Altini præsidium

Antequam manus consererent istæ octo, speciatim additoque nomine exprimuntur. Præter octo legiones, militabant istis partibus *Vexillarii* ex tribus legionibus Britannicis, *secunda Augusta*, *nona & vicesima Victrice*, pars ex octo millibus armatorum, quos Vitellius è Germania duxerat, *Britannico delectu* 2. & 3. hist. atque hi milites parebant Cæcinæ. Post pugnam Cremonensem *victa legiones per Illyricum dispersa* 3. hist. Quinque legiones victrices, auctæ *undecima Claudiana*, & sex insuper millia ex Dalmatia duce Poppæo Silvano, istius regionis legato, & Annius Bassus, legionis undecimæ Legatus, Veronæ substiterant. Antonius, cum auxiliariis & *lectis è legionib.* pergebant ad Fanum fortunæ. 3. hist. Ad Fanum porro cum venissent, Verona omnes arcessi jubent copias, quæ istos assecutæ ad Carsulas. Post cladem Cremonensem Vitellius misit Fabio Valenti tres prætorianas cohortes cum ala Britannica, captas à Cornelio Fusco ad Ariminum, deinde utrumque præfectum militi prætoriano cum ejus quatuordecim cohortibus, quibusdam equitum alis, & legione è *Classicis*. alia quam erat Adjutrix Classica (quæ tum in Hispania) & forte recens conscripta. Atque hæ fuerunt vires utriusque exercitus, quæ huic prælio interfuerunt. *Savillius.*

1 *Strenuus bello gloriam*] Locus quem fœdatum arbitror non vane. Nam scripti mei, *Strenuus bello magis quam gloria. & dux Corbulo.* Divinabam olim, *strenuus bello, quam gloria: ei dux Corbulo & prospera in Armenia res.* omissa voce, *addiderant*, quam additam censebam à glossographo sententiæ fulciendæ. Genus quidem hoc loquendi, per Tacito crebrum. Annali IV. *Agrippa claris majoribus, quam vetustis.* Annal. I. *Pacem quam bellum probabam:* & sæpius. Plautus ipse non refugit, Rudente:

*Eo tacens, quia tacita bona est mulier semper, quam loquens.*

Iterum Menæchmis:

*Quin vidua vivam, quam tuos mortes perferam.*

Nec quidquam in his mutandum. intelligitur enim magis, potius: uti Græcis crebro τὸ μᾶλλον. Iterum Plautus:

*Certum est moriri, quam hunc pati lenonem in me grassari.*

Livius:

*Multiplex quam numero damnum est.* Laberius.
*Consistet agro, & quam descendas, decides.*

Curtius lib. VII, *Nec me ars mea, quam benivolentia perturbat.* Noto pluribus, ut illustrem genus dicendi quod obscurum visum multis & in Tacito durum. At de loco hoc ipso, nunc quidem hæreo. Parum aptæ sententiæ videtur, *strenuus gloria*; nec antithesis clara. Rodolphus adnotarat in suo codice, *strenuus bello magis quam bonus.* Certe valde mihi placeat legi, *strenuus bello, quam bonus. gloriam ei dux Corbulo, &c.* Et vereor uti Rodolphus in libro aliquo reppererit, non ausus sequi. *Lipsius.*

*Strenuus bello, quam gloriam*] Versentur Mss. codices, conjecturis indulgeamus, nil potius attamen vulgata lectione. Arrius habebatur bellorum peritus, quæ laus sive gloria inde orta, quod stipendia fecerat sub optimo duce Corbulone: magno enim in pretio habentur, & undique magnis conditionibus invitantur, qui sub strenuis ducibus meruerunt: quotus enim quisque est, qui eos quovis pretio non ambiat, quos sub Alexandro Farnesio militasse sciat? quis modo non montes auri promitteret militibus Henrici quarti regum ducumque fortissimi? Verum Arrius iste spei de se conceptæ minime respondit, nam neque fortem militem, neque constantem ducem se præbuit. *pavidus turba suorum miscetur, intulitque formidinem.* Salinerius.

1 *Quam gloriam ei dux Corbulo & prospera in Armenia res addiderant*] Turbat hic Lipsius, sine causa. Mihi liquet: si pro *addiderant*, scribam *circumdederant.* quo verbo quin sit Tacitus hic usus, dubitari non potest. si exempla ejus locutionis ipsi velut propriæ, sparsa ubique plurima inspiciantur. Aliquot mihi notata ad Dialogum de Oratorib. quæ huc inde transfer. *Acidalius.*

2 *Occupantes Aquileja*] Budensis codex & Romana editio, *occupata Aquileja, in proxima quaque.* Haud displicet. possit & legi, *in proximo quoque.* Lipsius.

*Occupantes Aquileja proxima queque*] Codex Budensis, *occupata Aquileja, proxima quoque* Subaudi *occupantes.* Rhenanus. Flor. *occupata Aquileja, proxima quaque.* Sed non ideo melius. *Pichena.* Alii libri, *occupata Aquileja, in proxima quaque.* Id magis placet. Lipsii, *in proximo quoque*, ferri non pote. Elliptica namque oratio est, cui verbum subauditur. Tales in Tac. crebræ 2. Ann. *Quod arduum, sibi: catera legatis permisit.* Agric. *Nihil per libertos servosque publice rei.* lib. 5. hist. *Omnia serviliter pro dominatione.* & hoc libro. *Nihil prorsus quod aut corrumperet hostem, aut terreret.* Acidalius. Verum omnino, *occupata Aquileja, in proxima.* Ea urbe in potestatem redacta

fidium adverfus claffem Ravennatem, nondum defectione ejus audita. [1] inde Patavium & Atefte partibus adjunxere. illic cognitum, *tris Vitellianas cohortes, & [2] alam cui Scribonianæ nomen, ad Forum Alieni, ponte juncto, confediffe.* placuit occafio invadendi incuriofos; nam id quoque nuntiabatur. luce prima [3] inermos plerofque oppreffere. Prædictum *ut paucis interfectis, ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent.* & fuere qui fe ftatim dederent. plures abrupto ponte, inftanti hofti viam abftulerunt.

7 Vulgata [4] victoria, poft principia belli fecundum Flavianos, duæ legiones, feptima Galbiana, tertiadecima Gemina, [5] cum Vedio Aquila legato, Patavium alacres veniunt. ibi pauci dies ad requiem fumpti: & Minucius Juftus, præfectus caftrorum legionis feptimæ, [6] quia adductius quam civili bello imperitabat, fubtractus militum iræ,

vicini portas eis aperuere. Hoc eft: *accipiuntur in proxima.* Sic Virgilius, *& dominum Æneam in regna recepit.* Gronovius.

1 *Inde Patavium & Atefte*] Atefte fitum eft in Euganeis montibus prope Patavium, à quo nobilem illam Eftenfium familiam, quæ plus minus centum annos Ferrariæ imperat, deductam volunt Cœlii Calcagninus & Rhodiginus, Ateftinamque vocandam dicunt. Nunc tamen caftellum eft fub ditione Venetorum, quod aliquando invifi, nominis celebritate adductus, cum Patavii in nobili Mufarum domicilio Lazaro Bonamico bonarum literarum profeffori operam darem. *Lupanus.*

2 *Scriboniana nomen*] Aliquot libri, *Seboniana* Lipfius.

*Alam cui Scriboniana nomen*] Lipfius ait, in nonnullis cod. legi, *Seboniana.* quod etiam Flor. haber *Pichena.* Ita & ipfe vidi. Huic autem nihil æque propinquat, ac *Senoniana*, ex Senonibus lectæ, fi fuerint. *Jac. Gronovius.*

3 *Inermos plerofque oppreffere*] Scripfi, *inermos* ex Flor. vulgo, *inermes.* Sic lib. 1. Ann. *quem ignarum inermumque, quamvis firmatus animo Centurio, ægre confecit.* Pichena.

4 *Poft principia belli*] Abeft particula, *poft*, à Budenfi: eoque Rhenanus, *principio belli*, refcribit, me favente. *Lipfius.*

*Victoria poft principia belli*] Exemplar Matthiæ regis, *victoria principia belli fecundum Flavianos date legiones.* Lego: *victoria principio belli fecundum Flavianus data, legiones, &c.* Rhenanus. Melius erit fi legas, *principio belli:* & *poft* auferas, quod deeft etiam Corviniano, & vulgaribus libris fupereft. *Vertranius.* Abeft quidem illud, *poft*, à Flor. qnod congruere videtur cum Rhenani lectione. idqne Lipfius probat. Tamen in eo codice fcriptum eft, *principia*, ut litera, *p*, utrique dictioni infervire videatur. nam fæpiffime in eodem libro invenitur, *p'*, pro, *poft.* Pichena. Mihi non deleto, fed mutato *poft*, legi placeat: *ipfo principio belli.* Acidalius. Vera & accurate exfignata funt ifta ab Pichena. Sed ifta nota non iemper notat *poft*, fed etiam *per*: neque enim alteram notam ꝑ qua hodie utimur ad *per* fignandum, memini obfervaviffe in illo codice. Et recte dixerit *per principia belli* eveniffe ifta, incommode *poft.* Infra cap. 18. dicit *læto inter initia equitum fuorum prælio.* Jac. Gronovius.

5 *Cum Vedio Aquila Legato*] Et Tito Ampio Flaviano Pannoniæ Legato. *Savilius.*

6 *Quia audacius quam*] Sperno illud, *audacius:* nec protervo militi umquam ea in duce difplicuerit, fed rigor potius & feveritas. Itaque bene Vaticanus, *adductius:* cui verbo ea vis. Tacitus lib. xiv. Annal. *Pluribus fermonibus, modo familiaritate juvenili Nero, & rurfus adductius, quafi feria conforciaret.* Idem xiv. Annal. *Adductum quafi & virile fervitium.* ita enim ibi malo cum codice Budenfi, quam *Addictum.* Suetonius fenfu fimili Tiberium inceffiffe fcripfit, *vultu adducto, plerumque tacitum:* id eft, gravi, ferio, & fevero. Ita Seneca *vultum adducere in triftitia* ufurpat: & Capitolinns de Ælio Vero fcribit, *fuiffe fronte in fupercilia adducta venerabilem.* Cauffa aperta huic fignificationi, à geftu. Qui enim alacres, comes, fronte etiam fere funt exporrecta, & diffufa: qui triftes, feveri, eadem contracta & adducta. Non alia mente Propertius fubductum vultum pro gravi dixit:

*Nunc volo fubducto gravior procedere vultu.*

Lipfius.

*Quia adductius, &c.*] Concordes funt Flor. & Vat. in voce *adductius*, cui in vulgatis fubftitutum fuerat, *audacius.* De ea vide, fi libet, plura apud Lipfinm. *Pichena.* *Audacter* aliquid agere eft ἀνεδείως five libere, & nullo refpectu rem exequi: inde apud Comicos: *audacter credere* & *audacter monere*, quin & Salluftio *audacia* dicitur eodem fere fignificatu. Catil. *Duabus his artibus audacia in bello, ubi pax evenerat, æquitate feque remque publicam curabant.* Liberius igitur & feverius Minucius ifte milites regebat, quam per civilia bella par effet, ubi feveritati locus non eft, quod Caffium non fugit. Plutarch. in Brut. *Unde Brutum improbabat, quod nimis aufterus atque feverus foret eo tempore, quo humanitate atque clementia opus erat.* nec Octavium lib. 1. ann. *ad arma civilia actum, quæ neque parari poffent, neque haberi per bonas artes.* neque Othonem lib. 1. hiftor. *vulgus & plures feditionibus & ambitiofo imperio læti, per turbas & raptus facilius ad civile bellum impellerentur.* Quid enim facerent militibus obnoxii & magis fervientes, quam imperantes? Arqui

iræ, ad Vespasianum missus est. Desiderata diu res, [1] interpretatione gloriæ, in majus accipitur, postquam *Galbæ imagines, discordia temporum subversas, in omnibus municipiis recoli* jussit Antonius: decorum pro caussa ratus, [2] si placere Galbæ principatus, & partes revirescere crederentur. [3] Quæsitum inde *quæ sedes bello legeretur? Verona* potior visa, *patentibus circum campis ad pugnam equestrem*, qua prævalebant: *simul coloniam copiis validam auferre Vitellio, in rem famamque videbatur*. [4] Possessa ipso transitu Vicetia: quod per se parum (etenim modicæ municipio vires) magni momenti locum obtinuit, reputantibus *illic Cæcinam genitum, & patriam hostium duci ereptam*. [5] In Veronensibus pretium fuit; exemplo opibusque partes juvere. [6] Et interjectus exercitus

qui alius ab iis Pericles, qui potentiam bonis artibus adeptus est. Thucyd. lib. 2. κατεῖχε τὸ πλῆθος ἐλευθέρως, καὶ οὐκ ἤγετο μᾶλλον ὑπ' αὐτοῦ, ἢ αὐτὸς ἦγε. Id est, *continebat audacter multitudinem & magis eam regebat, quam ab ea regeretur*. Salinerius.

1 *Interpretatione gloriæ, in majus accipitur*] Hoc placet editoribus, quum in unico MS. sit *gloriaq; majus*, ut videatur edidisse auctor *interpretatione gloriaque in majus*. Est eadem varietas, qua nunc *invidia & æmulatio*, nunc *æmulationis invidia*. Jac. Gronovius.

2 *Si Placeret Galbæ principatus*] Male diducta sententia & scripta. Puto: *si placere Galbæ principatum & partes, præsumpsissent*. Putavit, inquit, Antonius è re futurum, si homines animo præsumerent, Galbæ principatum & optimatum partes Vespasiano placere. *Lipsius*.

*Si placere Galbæ principatus*] Castig. *si placeret, &c.* Rhenanus.

3 *Quæsitum inde quæ*] Varie olim peccatum in libris: sæpe etiam in transpositu foliorum aut trajectu. Quod hic factum mihi liquet. Quomodo autem id alii Critici non advertere ante me? mirum. Nam historiam saltem lege non ignave: videbis, imo tanges. En, hic deliberatur de sede belli in Italia, & Verona eligitur. Atqui nondum in Italiam copiæ ullæ transmissæ. Pagina demum sequenti narratur, *Antonio rapienti partem equitum ad invadendam Italiam Arrius Varus comes fuisse, & Aquilejam & proxima quæque occupasse*. Veronamne igitur venire potuerunt, à tergo his relictis? Sed & tota narratio, incomposita, dissona. cui verum veteremque ordinem dare, haud nostrum: in meliorem tamen paullo aptioremque sic redigi censeam, ut dedi in Excur. A. *Lipsius*.

*Quæsitum inde, &c.*] Hic primæ paginæ statuitur finis, in voce, *partes*. & secundæ principium in verbo, *revirescere*, idque juxta Merceri opinionem verius videtur. nam Lipsius aliquantulum variat, ac verba illa, *revirescere crederentur*, penitus tollit aliaque immutat. Nos ordinem tantum restituimus, verbis omnibus integris, ad veterum librorum fidem, manentibus. nam pro, *crederet*, id vulgo, in Flor. legitur, *crederentur*. Pichena. Doctiss. vir, *si placere Galbæ principatum & partes præsumpsissent. facta*. Priora interpretor. Flaviani ejusmodi Galbæ cultu, ejus amorem, & imitationem Vespasiano vindicabant, quasi ad normam Galbæ regnaturus is esset, cujus milites adversus ejus desertorem tam acriter pugnarent, tantumque tribuerent memoriæ vita functi. Nec omnino infirma est conjectura, si ex cultu, quo quis alium prosequitur, ejus ingenium illi dicamus non displicere. En Vitellius inferias Neroni facit 2. hist. *lætum fœdissimo cuique, apud bonos invidiæ fuit, quod exstructis in campo Martio aris, inferias Neroni fecisset*. Sequitur, *& partes præsumsere, facta tribunis*. id est, Flaviani antequam prælio transigeretur, captabant defectionem Vitellianorum, promittebantque eorum centurionibus ac tribunis honores eosdem, quos apud Vitellium gessissent. *To præsumere* est præoccupare. Virg. lib. 11. Æn. *Arma parate animis, & spe præsumite bellum*. Ad quæ Servius, *mente præoccupate*. Noster lib. 2. hist. *Fortunam principatus inerti luxu ac prodigis epulis præsumebat*. Acute. ad alia quæ decent strenuos duces, nondum imperator, conviviis sumptuosis videbatur principem se gerere. *Salinerius*.

4 *Vicentia*] Vicetiam appellant Plinii meliores libri, & Strabo Οὐικετίαν. Etiam lapis:

INTER
ATESTINOS
ET
VEICETINOS
FINES. TERMINOSQ.
POSVIT.

*Lipsius*.

*Possessa ipso transitu Vincentia*] Reposui, *Vicentia*. Sic enim Plinius atque Ptolemæus vocant. Quidam & *Vicetiam* ex inscriptione, quæ in agro Veronensi reperta est. *Rhenanus*. Ex Flor. restitui *Vicetia*, quam vocem ex Plinio & Strabone firmat Lipsius. Male in vulgatis, *Vicentia*. Pichena.

5 *In Veronensibus pretium fuit*] Id est, in Vicentinis species fuit, in Veronensibus utilitas. *Ferretus*.

6 *Et interceptus*] Vatic. & Farnes. *interjectus exercitus Retiam Juliasque*. Ego ne hæc quidem integra puto aut satis composita. Legam tamen: *interjectus exercitus Ræticas Juliasque Alpes, ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat*. Lipsius.

Et

exercitus per Rætiam Juliasque Alpes, ac [1] ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat. quæ ignara Vespasiano, aut vetita: quippe *Aquilejæ sisti bellum, exspectarique Mucianum* jubebat, adjiciebatque imperio consilium, *quando Ægyptus, claustra annonæ, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur, posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad deditionem subigi.* Eadem Mucianus crebris epistolis monebat, *incruentam & sine luctu victoriam*, & alia hujuscemodi prætexendo; sed gloriæ avidus, atque omne belli decus sibi retinens. Ceterum ex distantibus
9 terrarum spatiis, [2] consilia post res afferebantur. Igitur repentino incursu Antonius stationes hostium inrumpit, tentatisque levi prœlio animis, ex æquo discessum. Mox Cæcina inter [3] Hostiliam vicum Veronensium, & paludes Tartari fluminis, castra permuniit: tutus loco, cum terga flumine, latera objectu paludis tegerentur. quod si affuisset fides, aut opprimi universis Vitellianorum viribus duæ legiones nondum conjuncto Mœsico exercitu potuere; aut retro actæ, deserta Italia turpem fugam conscivissent. Sed Cæcina per varias moras, [4] prima hostibus prodidit tempora belli, dum quos armis pellere promptum erat, epistolis increpat, donec per nuntios pacta perfidiæ firmaret. Interim Aponius Saturninus, cum legione septima Claudiana advenit. legioni tribunus [5] Vipstanus Messala præerat, claris majoribus, egregius ipse, & qui solus ad id bellum artes bonas attulisset. Has ad copias nequaquam Vitellianis pares (quippe tres adhuc legiones erant) misit epistolas Cæcina, *temeritatem*

*Et interjectus exercitus, Rhætiam, Juliasque Alpes, ne pervium*] In vulgatis legebatur, *& interceptus exercitus per Rhætiam Juliasque Alpes, ac ne pervium.* Lipsius correxit: ego juxta illius sententiam cetera restitui: quoniam fere congruunt cum Florent. qui habet: *Et intertectus exercitus pretiam Juliasque Alpes.* Sed vocem, *Rhætiam*, mutare nolui, cum recte mihi videatur dictum, *obsepserat Rhætiam, & Alpes Julias.* Pichena. Lego, *interseptus.* nam Rhæios & Germanos Antonius intersepsit. *Suis stimulis excites Mœsiæ duces, sua constantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, intersepta Germanorum Rhætorumque. Tò exercitus per Rhætiam Juliasque Alpes.* id est, Rhætorum, qui timebantur, ne per eas descenderent. *Salinerius.*

*Per Rhætiam Juliasque Alpes*] Ab ortu in occasum euntibus post Carnicas Alpes Juliæ occurrunt, quæ ab Tarvisio in Noricum & Austriam perducunt. *Lupanus.*

1 *Ne pervium illa*] *Illa* sicut *qua* pro *illac.* Sic lib. 2. Ann. *Incubueratque Sagittarius, illa rupturus.* Hac forma Livius *ea* adverbialiter usurpat lib. 6. quod ad *qua* refertur. Emenda locum. sic enim vulgo legitur: *Volsci qua modo simulato metu cesserant, eunt in veram fugam effusi.* Scribe: *Volsci qua modo simulato metu cesserant, ea in veram fugam effusi.* Rhenanus. Quantum ex hoc loco per copiam notarum amittitur? Ryckius criminatur Pichenam, quod omiserit particulam *ac.* Sed nemo inspicit Beroaldum, aut Aldum, aut Rhenanum, etiam Lipsium, qui plenissime habent *exercitus per Rhætiam, Juliasque Alpes: ac ne.* Itaque nullus curat voculam *per*, quum tamen aperte monuerit omnes Pichena indicans in MS. optimo legi *pretiam*, uno vocabulo, quod verum; ita nempe *p̄cia3.* Et hoc igitur restitui, quum casus quartus ab verbo *obsepserat* requisitus lateat in illa descriptione, *ne pervium* &c. In antecedentibus autem more suo Tacitus omisit verbum substantivum, quæ sic per se voluit absolvi, non inniti verbo *obsepserat*, ut alii voluerunt. *Jac. Gronovius.*

2 *Consilia post res afferebantur*] Hæc lectio placet. nam quod in lib. regio scriptum est, *post tres menses*, plane supposuit aliquis, ne vocabulum corruptum *tres* ex *res* solum relinqueretur. Nimis longum tempus futurum erat, si addidisset, *annos*, nimis breve, si *dies.* Rhenanus.

3 *Hostilia*] Vicus olim Veronensium, nunc Ferrariensis agri nomen servat. Tacitus annuere videtur, paludibus Tartari fuisse proximam, cum fere per XL. milliaria distet; eam Padus alluit, non longe est à Vitelliana, quam vulgares *Viadanam* vocant. *Alciatus.*

4 *Prima hostibus prodidit*] Lipsius *vendidit.* Lego, *prime hostibus prodidit tempora belli dein quos armis.* Acidalius.

5 *Vipsanius Messalla*] Est iste ipse, cui partes sermonis præcipuæ tribuuntur in libello De caussis corruptæ eloquentiæ. Amicum Tacito fuisse, ex elogiis his satis constat. *Lipsius.*

*Vipsanius Messalla*] Legendum è Lapidibus, *Vipstanus Messalla.* Quod ait oriundum *claris maioribus*, intelligit præcipue maternam Valeriorum gentem, à qua cognomen habet *Messalla*, ut pater *Poplicola.* Rupertus.

1 *Ar-*

*tatem victa* [1] *arma tractantium* incusans. simul *virtus Germanici exercitus* laudibus attollebatur; Vitellii modica, & vulgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia. nihil prorsus, quod aut corrumperet hostem, aut terreret. Flavianarum partium duces, omissa prioris fortunæ defensione, pro Vespasiano magnifice, pro caussa fidenter, [2] de exitu securi, [3] in Vitellium ut inimici, præsumpsere: facta tribunis centurionibusque *retinendi quæ Vitellius indulsisset* spe, atque ipsum Cæcinam non obscure ad transitionem hortabantur. Recitatæ pro concione epistolæ addidere fiduciam, quod submisse Cæcina velut offendere Vespasianum timens, ipsorum duces contemptim, [4] tamquam insultantes Vitellio scripsissent. Adventu deinde duarum legionum, è quibus tertiam Dillius Aponianus, octavam Numisius Lupus ducebant, ostentare vires, & [5] militari vallo Veronam circumdare placuit. Forte Galbianæ legioni, in adversa fronte valli opus cesserat, & visi procul sociorum equites, vanam formidinem ut hostes fecere. [6] Rapiuntur arma & ut proditionis ira militum in T. Ampium

1 *Arma tractantium*] Verius, *retractantium*. Acidalius.

2 *De exitu securi*] Manuscripti, *de exercitu*. Quod edidi, magis placet. *Lipsius*. Plane Florentiæ legitur *de exercitu*, cujus lectionis momentum bene perpendit Cl. Ryckius, nisi codex innuat *de ejus exitu*, quoniam victa arma testatur auctor Flavianos non tetigisse, sed tacendo removisse per omissam prioris fortunæ defensionem. Itaque causæ bonitatem urgent & hinc exitum ejus præsagiunt. Mox & ipse sequutus sui ex membranis Med. *tribunis centurionibusque*, ubi vulgo *& centurionibus*, Jac. Gronovius.

3 *In Vitellium ut inimici, præsumpsere*] Προέγραζον. *Savilius*. Secundæ paginæ finem ponimus in voce, *inimici*, tertiæ vero initium, in verbo, *præsumpsere*, ut optime censuit Mercerus. Hic autem scripsimus, *in Vitellium*, Flor. codicis auctoritate. nam præpositio, *in*, à vulgatis aberat. & transpositione demum absoluta, sequitur textus: *Facta tribunis*. At si quis desideret, illam ipsam paginarum transpositionem, quomodo se habeat, inspicere; non ab re duximus, eam hic ante oculos lectori proponere: nam restitutio verusque ordo clarius apparebit. Incipit ergo in his verbis: *Ceterum ut transmitteret in Italiam impune, & ex usui foret, scriptum Aponio, socium revirescere crederet. Quæsitum inde quæ sedes.* usque ad verba, *de exitu securi*, *Vitellium ut inimici*. Postea sequitur: *ut innocuum exercitum Mœsicum celebrare. At ne inermes provincia.* & pergit ad ea: *decorum pro causa ratus, si placeret Galbæ principatus. Et præsumpsere, facta tribunis & centurionibus*, &c. Pichena. Nil mirum si posterior hæc vocula vim passa est, tot capitibus (nam à quinto incipit corruptio) mira securitate describentium ordine motis. Restituendum est igitur: *in Vitellium, ut inimici, rescripsere*, nempe ad epistolas quas Cæcina misit. Similis fere locus infra H. 3. 81. *Obvia fuere & virgines Vestales, cum epistolis Vitellii ad Antonium scriptis*, &c. *Virgines cum honore dimissæ: Vitellio rescriptum*, &c. Ergo hic etiam statim repetitum verbum scribendi: *quod submisse Cæcina*, &c. *ipsorum duces contemptim scripsissent*. Freinshemius.

4 *Tanquam insultantes Vitellio scripsissent*] Verbum, *scripsissent*, videtur mendosum. Itaque pro eo Faernus, *corripuissent*, reponebat. *Ursinus*.

5 *Vallum militare*] Opponitur *vallo Rustico* aut *fossæ agresti*. Savilius.

6 *Et ut proditionis ira*] Videatur vox abesse. legendumque: *proditionis auctorem*, vel, *compertum*: nisi tamen compendio fuit, *& ut proditione, ira militum*: id est, ut in proditione, quasi ea esset. *Lipsius*.

*Rapiuntur arma metu proditionis: ira militum in Tampium Flavianum incubuit*] Ita legebat Faernus. Tampia vero familia ex denariis, & antiquis titulis nota. *Ursinus*. Lipsius aliquod verbum hic deesse putat, suppletque. Nec dubito, quin optimo judicio. Leviter tamen dubitavi, num legi possit: *& ut proditorem, ira militum*. Pichena. Integra qua à verbis, qua à sententia: ut manca viderentur, fuit in causa brevitas à Cornelio affectata: verum nec ista tanti sit; quam enim ad nauseam, si sic dixisset, *& ut ira proditionis, ira militum in T. Ampium Flavianum incubuit*: hoc est, milites ira (quam contra proditores concipere solent) adversus Flavianum inflammati sunt. Iis affinia videntur hæc: *ne dum Primus ac Fuscus, & specimen partium Mucianus ullam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant*. An suavius ad aures accideret: *ullam licentiam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant?* Ad Midæ forsitan. Eadem fere Sallust. Catil. *Facinorosorum circum se tanquam stipatorum catervas habebat*. Postremum non reor hoc genus interpretandi insolitum tibi visum in *ira proditionis*, id est, propter proditionem. Virgil. l. 3. Æn. *Scelerum furiis agitatus Orestes*. *Furiæ scelerum* scil. quæ illum propter scelera, nempe matricidium, agitabant. *Salinerius*. Clarum desideras vocem aliquam: sed id mihi quoque clarum, non aliunde inferendam, sed hic latentem educendam. Lego: *Rapiuntur arma metu*

Ampium Flavianum incubuit, nullo criminis argumento; sed jam pridem invisus, turbine quodam ad exitium poscebatur: *propinquum Vitellii*, [1] *proditorem Othonis*, *interceptorem donativi* clamitabant. Nec defensioni locus, quamquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, lacera veste, pectus atque ora singultu quatiens. id ipsum apud infensos incitamentum erat, tamquam nimius pavor conscientiam argueret. [2] Obturbabatur militum vocibus Aponius, cum loqui cœptaret: fremitu & clamore ceteros aspernantur: uni Antonio apertæ militum aures. namque & facundia aderat mulcendique vulgum artes, & auctoritas. Ubi crudescere seditio, & [3] à conviciis & probris, ad tela & manus transibant, *injici catenas* Flaviano jubet. [4] Sensit ludibrium miles, disjectisque qui tribunal tuebantur, extrema vis parabatur. Opposuit sinum Antonius stricto ferro, *aut militum se manibus*, *aut suis moriturum* obtestans: ut quemque notum, & [5] aliquo militari decore insignem aspexerat, ad ferendam opem nomine ciens. mox [6] conversus ad signa [7] & bellorum deos, *hostium potius exercitibus illum furorem*, *illam discordiam injicerent*, orabat: donec fatisceret seditio, &, extremo jam die, [8] sua quisque in tentoria dilaberentur. [9] Profectus

*tu proditionis. Ira militum in T. Amp.* &c. Qua correctione nihil certius. Nec audiamus Lipsium, *auctorem*, *compertam*, vel tale quid inculcantem: Muretum multo minus, verba interpolata trajicientem, *Rapiuntur arma*, *& ira militum in T. Ampium Flavianum ut proditorem incubuit*. Acidalius. Putem: *ut proditi ira militis*. Existimabat miles se à Flaviano, ut Vitellii propinquo, proditum hosti, vide sequentia. *Grotius*. Nihil hic deesse putem, sed scribendum: *Rapiuntur arma metu proditionis ira* &c. Freinshemius. *Ira ut proditionis* est ira quasi ob proditionem: ut Livio *ira quæstionis*, *ira corrupta uxoris*, & similia. *Ira militum* ut *ira deum*. Jam *militum ira proditionis* dictum, ut Ciceroni *Canum adulatio dominorum*. Ita videtur satis excusari omnium librorum scriptura. *Gronovius*.

1 *Proditorem Othonis*] Hæc particularia non describuntur, ubi, me judice, in præcedentibus narrari debuerunt; cum hic relatu digna censuerit. *Savilius*.

2 *Obturbabatur militum vocibus Aponius*] Vocabulum *Aponius* delevimus. *Rhenanus*. Vulgo, *Aponius*. At restitui, *Apomianus*, historia ipsa cogente. nam is paulo infra iterum inter tumultus sedatores nominatur. Aponius vero inter præcipuos erat, in quos ira militum incubuerat. *Pichena*. Immo Aponius ille ipse, qui cap. 9. cum legione septima Claudiana advenit, ut recte ita legatur in MS. Med. Vide Cl. Ryckium. Mox etiam edidi ex MS. *namque & facundia*, ubi vulgo *nam & fac.* Tanto licentius ita egi, quia Beroaldus illud *namque* casse exhibuerat, ut per posterorum ineptiam illud *nam* extiterit. *Jac. Gronovius*.

3 *A conviciis ac probris*] Nos, *& probris*. Rhenanus.

4 *Sensit ludibrium miles*] In MSC. codice est, *Sensit*. Rhenanus. Sic incolumem servavit *Vitellius Julium Burdonem* 1. Hist. & *Otho Celsum*. Savilius.

5 *Aliquo militari decore insignem*] Vox, *decore*, à Flor. est. Vulgo, *honore*. Pichena.

6 *Conversus ad signa*] Id est, *ad signa*, quæ Rom. militibus, deorum instar. *Savilius*.

7 *Et bellorum deos*] Citatur hic locus in Pricæi Collectaneis ad Apulejum lib. 2 pag 94 sed vitiose scriptum est *& bellorum Duces*. Jac. Gronovius.

8 *Sua quisque in tentoria dilaberentur*] Ita scripsisse Tacitum crediderim, teste Flor. vulgo, *dilaberetur*. Pichena.

9 *Profectus eadem nocte Flavianus*] Bene haberet, si Tacitus nobis satisfecisset recitato literarum istarum argumento, quæ adeo ex inopino obvenerunt, *ὥσπερ ἐκ μηχανῆς velut ex machina*; tanquam Vespasianus in Judæa duobus mensibus ante prævidisset, amicum suum Flavianum fore suspectum militibus, & male ab iis accipiendum Veronæ, ideoque hanc exarasset epistolam in ipsius gratiam. Sed ubi in illas literas tam feliciter inciderit aut saltem, quo ipse tenderet, nescire nos voluit auctor. Sane quocunque tandem modo id contigerit, militum semel indignationi subductus, extra omnis periculi (ut conjicio) metum versabatur, saltem istius, quo per Vespasiani literas liberandus fuit. *Savilius*. Frustra Tacitum hic stolidum fingit è [illegible]. Non poterat deterreri miles, quin Flavianum proditorem crederet: nec quidquam verisimilius, quam fuisse, qui hoc nomine illum ad comitatum deferrent. Antonius Primus insontem esse non dubitabat. Ab hoc igitur furentibus ereptus dimissusque, vel eodem auctore, vel ultro, suscepit iter ad Principem, ut ei se coram purgaret. Sed homo *natura ac senecta cunctator*, ut describitur c. 4. non rapientibus veredis, sed per commodum suum in viam se dedit. Citius igitur literæ, tum quibus accusabatur, tum quibus excusabatur ad Vespasianum pervenerunt. Et utrisque perpensis Princeps eum statim absolvit periculoque exe-

fectus eadem nocte Flavianus, obviis Vespasiani litteris discrimini exemptus est. Le- 11
giones veluti tabe infectæ, Aponium Saturninum Mœsici exercitus [1] legatum, eo
atrocius aggrediuntur, quod non ut prius labore & opere fessæ, sed medio diei ex-
arserant; vulgatis epistolis, quas Saturninus ad Vitellium scripsisse credebatur. Ut
olim virtutis modestiæque, tunc procacitatis & petulantiæ certamen erat, ne minus
violenter Aponium, quam Flavianum, ad supplicium deposcerent. [2] Quippe Mœ-
sicæ legiones, *adjutam à se Pannonicorum ultionem*, referentes; & Pannonici, velut
absolverentur aliorum seditione, iterare culpam gaudebant. In hortos, in quibus
devertebatur Saturninus, pergunt. nec tam [3] Primus, & Aponianus, & Messala
(quamquam omni modo nisi) eripuere Saturninum, quam obscuritas latebrarum, qui-
bus occulebatur, vacantium forte [4] balnearum fornacibus abditus. mox [5] omissis li-
ctoribus, Patavium concessit. Digressu consularium, uni Antonio vis ac potestas in
utrumque exercitum fuit, cedentibus collegis, & obversis militum studiis. nec de-
erant qui crederent, utramque seditionem fraude Antonii cœptam, ut solus bello frue-
retur. Ne in Vitellii quidem partibus quietæ mentes exitiosiore discordia, non 12
suspicionibus vulgi, sed perfidia ducum turbabantur. Lucilius [7] Bassus classis Raven-
natis

exemit, scriptis & ipse literis, quæ Flaviano adhuc profectionem continuante in via occurrerunt. *Gronovius.*

1 *Legatum, eo atrocius aggrediuntur*] Melior verborum ordo sit: *legatum aggrediuntur, eo atrocius*, &c. *Acidalius.*

2 *Quippe Mœsica legiones*] Vocabulo *legiones* expuncto scripsimus, *Quippe Mœsici adjutam à se Pannon. ultionem.* Nam sequitur, *Pannonici.* Codex Budensis continet, *Mœsico*, sed perperam meo judicio. *Rhenanus.* Ex Flor hæc, *Quippe Mœsica legiones adjutam à se Pannonicorum ultionem.* At in vulgatis: *Quippe Mœsici adjutam à se Pannoniorum* &c. *Pichena.*

3 *Primus & Aponianus, & Messalla*] Addidi copulam ante vocem, *Aponianus*, auctore Flor. *Pichena.*

4 *Balnearum fornicibus abditus*] Reposuimus, *fornacibus.* Rhenanus. Muretus *fornicibus.* Acidalius.

5 *Omissis lictoribus*] Erat hic legatus Mœsici exercitus, & tamen lictores habebat. *Ferretus.* M. Aponius Saturninus legatus consularis Mœsiæ rector, qua triumphali statua donatus est, supra lib. 1. hist. non habuit lictores quos omitteret, sed qua provinciam consularem obtineret. Legatus enim ejusmodi ensem gerere, eburneaque sella sedere, & securibus & fascibus uti potuit, quos lictores præferrent: quæ fuere insignia consularitatis cum imperio apud Cassiodorum. 6. Variar. *Vertranius.*

6 *Obversis militum studiis*] Flor. *militibus.* forte, *militaribus.* Pichena. Nisi Tacitus interdum captator ejusdem soni in trium vocabulorum terminationibus acrior, quam credas, potius supponi debeat scripsisse *obversis militis studiis*: qualia sunt 1. an. 28. *Nullis satis certis mandatis.* 16, 3. *Falsa antea somnia sua.* Ex cap 8. *Circa summa scelera.* An igitur potest dubium esse, quin nocuerint Tacito, qui ediderunt 4. hist. 17. *Virtutem proprium hominis bonum?* quum & in Budensi Rhenanus & in MS. Mediceo ipse legerim *hominum*, quod & agnovit Ryckius, sed quod scriptori huic placet, non satis perspiciens, nunc a me restitutum. *Jac. Gronovius.*

7 *Bassus præfectus*] Cur munus suum non retinuit? quibus fuit commissus, quamvis *honorata* esset *custodia* apud eos, qui Vespasiano favebant? quomodo missus ad Adriam? Cur strictius in carcere habitus, si Mennius Vespasiani causam amplectebatur? Si hostem profitebatur, cur jubente Hormo, Vespasiani amico, dimissus est? quid porro actum de illo? quando, cujus mandato, & cur Mennius Rufinus loci istius præsidium egit? hæ quidem circumstantiarum minutiæ sunt, sed quæ aut omnes, aut potior earum pars, huic loco intexenda, si penitiori cognitione imbuendus foret lector. *Savilius.* Hic quoque morosior, quam par est, vir doctissimus. Non retinuit, quia raro hactenus proditoribus creditur, ut relinquatur eis facultas pœnitentiæ, & nocendi eisdem viribus, quibus profuere. Sed & ad securitatem ejus pertinuit discedere à classe, in qua essent, quibus invitis partes mutaverat. Ob quam causam & præsidium est additum abeunti: quod quorum hominum, quibus nominibus fuerit, quid intererat sciri? Nam lectos fuisse è præsentibus, quibus & ipse & qui his eum commiserant, fiderent, nemo ambigit. Hadriam vero, vel quia eum ipse locum elegit, vel quia commodissimus erat è vicinis. Mennius, nisi eum Vespasiano faceret, qui liberto ejus Bassum solvi jubenti paruit? Vinxit interim, quia ei diffidebat, aut diffidere se fingebat privato odio. Præerat autem præsidiariis illius oppidi, ut multi aliis aliorum; neque alia de causa, quam ut illud ab hostium impetu tueretur: & tum utique; ne quæras, Quando? Mandato, cujus, nisi ducum Flavianorum, qui præsidium ibi collocandum judica-

 runt?

natis præfectus, ambiguos militum animos, quod magna pars Dalmatæ Pannoniique erant, quæ provinciæ [1] Vespasiano tenebantur, partibus ejus aggregaverat. Nox proditioni electa, ut ceteris ignaris, soli in principia defectores coirent. Bassus pudore, seu metu quisnam exitus foret, intra domum opperiebatur. Trierarchi magno tumultu Vitellii imagines invadunt, & paucis resistentium obtruncatis, ceterum vulgus rerum novarum studio, in Vespasianum inclinabat. Tum progressus Lucilius auctorem se palam præbet. classis [2] Cornelium Fuscum præfectum sibi destinat, qui [3] propere adcucurrit. Bassus honorata custodia Liburnicis navibus [4] Hadriam pervectus, [5] à præfecto alæ Mennio Rufino, præsidium illic agitante, vincitur. Sed exsoluta statim vincula, interventu Hormi Cæsaris liberti. is quoque inter duces habebatur.

13 At Cæcina defectione classis vulgata, [6] primores centurionum, & paucos militum, ceteris per militiæ munera dispersis, [7] secreta castrorum affectans, in principia vocat. Ibi *Vespasiani virtutem*, *viresque partium* extollit; [8] *transfugisse classem*

runt? Quid actum postea de illo, tacuit, quia aut nihil in eo singularis exempli statutum est, aut id Tacitus in alium locum reservavit, ac tradere in parte historiarum amissa commodius potuit. Denique quis hanc scrutariam ab historico, & tam gravi, requirat? *Gronovius*.

1 *Vespasiano tenebantur*] Mur. præpositionem addit, *à Vespasiano*, quam subintelligi Tacitus voluit, ut pœne innumeris aliis locis: quorum multis deinceps cum idem similia infercret, silentio transmittam. Hic *Vespasiano* vocem etiam dandi casu apte acceperis, & verbum *tenebantur* eleganter interpreteris, obstrictæ erant. quomodo pulcherrime Apulejus utitur lib. 3. Metam. *Nam me, quæ sola mortalium novi, vis amoris, quo tibi teneor, indicare compellit.* Acidalius.

2 *Cornelium Tuscum*] Lege, *Fuscum*. Ille est qui superiore libro nominatur. *Sed Cornelius Fuscus procurator* (Dalmatiæ) *aderat vigens ætate, claris natalibus.* Et hac in bello civili opera, nisi fallor, bene penitus in Vespasiani domum insinuavit: & à Domitiano præfectus prætorio factus. Periit in Dacis, infelici pugna. Suetonius Domit. cap. VI. Dio. Victor. Juvenalis de eodem:

*Et qui vulturibus servabat viscera Dacis.*

Lipsius.

3 *Prope accurrit*] Castig. *propere accurrit*. Rhenanus. Placuit verbum, *adcucurrit*, ex Flor. vulgo, *accurrit*. Pichena.

4 *Hadriam pervectus*] Nos, *provectus*. Rhenanus. Hic ex Flor. reposui, *pervectus*. in vulgatis, *profectus*. Sed cur Bassum præcipuum auctorem defectionis custodia pervectum ait? An sibi ipsi Liburnicarum navium custodiam Bassus circumdedit, honoris & securitatis causa, ac vinctus deinde à Mennio, fortasse defectionis ignaro, & adhuc Vitellianum credente? Contra censeo, Bassum vere custoditum. nam licet proditionis fuisset auctor, tamen quia pudorem ceu metum præ se tulit, ac tumultus tempore domi se continuit, suspicioni ceteris fuit. Ideo Corn. Fuscus, quem ipsa classis sibi præfectum assumpsit loco Bassi, ac ceteri duces, cum custodia eum tamquam suspectum miserunt ad Flavianos, ut occasionem novarum rerum tollerent. Flor. etiam habet, *Atriam*. Pichena. Muretus *Acriam*. quod miror. *Acidalius*.

5 *A præfecto alæ Mennio Rufino*] Interjecta adhuc vox in Vat. nempe; *alæ Juveniorum Rufino*. quæ examinanda est, nam *ala* profecto plerisque locis Taciti, addita habet nomen ejus, à quo primitus instituta est. heic autem tam nomen esse potest, quam adjectivum, à *Juvene* deductum. *Gruterus*. Modo non fuisse ex MS. Medicei scriptura, ut bene publicavit Ryckius, *vivennio*, credamus M' vel M' id est, *Manio Ennio Ruf.* In eo prave alii speculati sunt IVV. *Jac. Gronovius*.

6 *Primores Centurionum*] Hanc Cæcinæ rebellionem Josephus nobis eodem modo describit lib. 4. c. 41. *Savilius*.

7 *Secreta castrorum*] Eo refero, quod dimisisset plerosque militum, paucis istis retentis. Itaque secretum & solitudo in castris. Alioqui si de Principiis capias; obstat Romanus titus, quia illa pars frequentissima, & ibi ambulare & obversari assidue soliti. Facit etiam, quod illos reliquos in Principia vocavit: non loci igitur illius secretum affectans, sed castrorum. Flor. etiam, *secretorum*, habet: ex quo bene, *secretum*. Lipsius.

*Secreta castrorum affectans*] Vol. regium, *Secretorum castrorum affectans.* Lego, *secretum castrorum affectans.* Rhenanus. Flor. corrupte, *secretorum*. Puto legendum, *secretum*, seu potius, *secretiora castrorum*. Pichena.

8 *Arcem commeatuum*] Bene emendavi jam olim in Antiquis. Præter exempla ejus sermonis, quæ tunc adduxi. velim addi novitium à Livio, lib. XII. qui castellum etiam in hac metaphora ponit: *Respicerent tribunal homines, castellum omnium scelerum.* Lipsius.

*Transfugisse classem in arcto commeatuum*] Reposui, *transf. cl. inopia commeatuum.* Rhenanus. Ita hæc periodus exhibetur in MS. ut omnino jungat

qua-

*classem arcem commeatuum, adversas Gallias Hispaniasque, nihil in urbe fidum*, atque omnia de Vitellio in deterius. Mox incipientibus qui conscii aderant, ceteros re nova attonitos, in verba Vespasiani adigit. simul Vitellii imagines direptæ, & missi qui Antonio nuntiarent. Sed ubi [1] totis castris in fama proditio, recurrens in principia miles, præscriptum Vespasiani nomen, projectas Vitellii effigies aspexit: vastum primo silentium, mox [2] cuncta simul erumpunt: *Huc cecidisse [3] Germanici exercitus gloriam, ut sine prælio, sine vulnere, [4] vinctas manus, & capta traderent arma? Quas enim ex diverso legiones? nempe victas. & abesse unicum [5] Othoniani exercitus robur, [6] primanos, quartadecimanosque. [7] quos tamen iisdem illis campis fuderint straverintque, ut armatorum millia velut grex venalium [8] exsuli Antonio donum darentur. Octo nimirum legiones unius classis accessionem fore. Id Basso, id Cæcina visum, postquam domos, hortos, opes, principi abstulerint, [9] etiam militibus principem auferre, licet integros incruen-*

quatuor primarias causas, quæ stimularent deserere Vitelliana, 1. de classe, 2 de commeatu, 3 de Hispania & Gallia, 4. de urbe. Classis nequit dici arx commeatuum, quoniam utraque posita erat ad tutelam superi & inferi maris, ut licet illa esset, minime impediretur quin provinciæ frumentariæ nihil mitterent. Alia ergo dicit & proprie nunc congrua, nempe eam transfugisse, & in arcto commeatum, & duas provincias infestas, & ex urbe nihil fiduciæ stabilis. Hæc sunt clarissima, unde arcem illam Lipsio linquens, MS. Medicei indicium *in arto commeatum* polivi ex repetitione editionis Beroaldi *in arcto commeatum*, prout cogitavit & Ryckius. 4. hist. 26. *arcticommeatus*. Jac. Gronovius.

1 *In fama proditio*] Alii libri, *infamia prodita*. nec specino. Ita narrat, ut statim movisse miles se videatur. At Egesippus (quem suadeo in tota hac historia legas) lib. IV. cap. XXX. noctem interponit: & mane demum *surgentes evaginatis gladiis insiluisse super Cæcinam* facit. *Lipsius.*

*Totis castris in fama proditio*] Tamquam in ore, in sermone, in notitia hominum. *Ferrettus.* Illud *infama* unico verbo in v. c. legitur. *Ursinus.* Nolim mutari. Usurpata enim etiam alibi nostro phrasis, *in fama esse*. Supra lib. 2. *Erat tamen in ore famaque Vespasianus.* Acidalius. Corrigebam, *infamata proditio*. Verum Lampugnanus ex suo Mirandulano: *sed ubi totis castris rei fama dudita*. Venetus, *in fama proditio*. Sed Rom. *infamia prodidit*. & forte; *castris infamia prodita*, aut etiam *dudita*: ut verbum minus cognitum varietates istas invexerit. *Gruterus.*

2 *Cuncta simul erumpunt*] Lego, *cuncti*. Acidalius.

3 *Germani exercitus gloriam*] Nos *Germanici* &c. *Rhenanus.*

4 *Junctas manus & capta traderent arma*] Castigavi, *vinctas manus* &c. Rhenanus. Solebant enim victis adimi, primo arma, dein illis post terga manus vinciri. Sic Virgil. Sinonem captum describit. Tac. in fine hujus lib. de Vit. loquens, *Vincta pone tergum manus.* Herodian. lib. 1. *Tibi quam pulchrum fuerit redire in urbem triumphanti, vinctosque & captivos reges prateragenti.* Lupanus.

5 *Othoniani exercitus robur*] Liber MS. habet, *Germanici* Rhenanus.

6 *Primanos*] *Primam Adjutricem* quæ in Hispaniam, & *quartam decimam*, quæ in Britanniam missa. *Savilius.*

7 *Quos tamen iisdem illis campis*] Reposui, *quos tum iisdem campis illis.* Mox *ut tot armatorum millia*, vocula, *tot*, non est in libro MS. *Rhenanus.* Muretus. *iisdem illis campis.* Parum in eo momenti. Plus ut distinctio recte adhibeatur, quæ vulgo pessima. Lege, *quartadecimanosque, quos tamen iisdem campis illis fuderint straverintque. Ut tot armatorum* &c. *Antonio donum darentur?* Cum interrogatione inquam efferenda: nec minus etiam illa: *Id Basso, id Cæcina visum* &c. *partib. viles?* Aliter sententia partim languet, partim & obscura est. *Acidalius.* In lib. 1. dicit *iisdem illis cum militibus*. Jac. Gronovius.

8 *Exsuli Antonio*] Cur iste exsul, aut quando? Puto sub Nerone, lege Cornelia, de Testamentis, falsi damnatum, cum tabulas subdititias, fraude & præmio inductus, obsignasset. Vide lib. XIV. Annal. Actis anni DCCCXIIII. *Lipsius.*

*Exuli Antonio*] *Tempore Neronis*, inquit Tac. *falsi damnatus*, & fortasse in exsilium pulsus. *Savilius.*

9 *Etiam militibus*] Cum Ferretto omnino lego, *etiam milites auferre*. Lipsius.

*Etiam militibus Principem auferre*] Malim, *etiam milites auferre*. primum, quia princeps re ipsa non auferebatur militibus; sed milites principi: deinde, ut conveniant quæ sequuntur, *licet integros incruentosque*. Ferrettus. Hic nihil aliud monebo, nisi quod in Flor. legitur: *etiam militibus principem auferre litem. integros* &c. quod mendi suspicionem auget. *Pichena.* Non deterreor metu proscriptionis, quæ mihi à triumviris impendet. Vertranius enim, & doctiss. vir subscribunt Ferretto ista ad hanc faciem decurtanti, *etiam milites auferre*. quapropter diversis punctis hæc mihi legas. *etiam militibus principem auferre. licet integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos reposcentibus aut prospera, aut adversa?* Non usus est Oedi-

*incruentosque, Flavianis quoque partibus viles. quid dicturos reposcentibus aut prospera, aut adversa?* Hæc singuli, hæc universi, ut quemque dolor impulerat, vociferantes, initio à quinta legione orto, repositis Vitellii imaginibus, vincla Cæcinæ injiciunt: Fabium Fabullum quintæ legionis legatum, & Cassium Longum præfectum castrorum, duces deligunt: forte oblatos trium Liburnicarum milites, ignaros & insontes trucidant: [1] relictis castris, abrupto ponte, Hostiliam rursus, inde Cremonam pergunt; ut legionibus [2] primæ Italicæ & Unietvicesimæ Rapaci jungerentur, quas Cæcina ad obtinendam Cremonam, cum parte equitum præmiserat. Ubi hæc comperta Antonio, [3] discordes animis, discretos viribus hostium exercitus aggredi statuit, antequam ducibus auctoritas, militi obsequium, & junctis legionibus fiducia rediret. namque Fabium Valentem profectum ab urbe, acceleraturumque cognita Cæcinæ proditione, conjectabat. & fidus Vitellio Fabius, nec militiæ ignarus. Simul ingens Germanorum vis, per Rætiam timebatur: & Britannia, Galliaque & Hispania auxilia Vitellius acciverat, [4] immensam belli luem, ni Antonius id ipsum metuens, festinato prœlio victoriam præcepisset. Universo cum exercitu, secundis à Verona castris, Bedriacum venit. postero die, legionibus ad muniendum retentis, auxiliares cohortes in Cremonensem agrum missæ, ut specie parandarum copiarum, [5] civili præda miles imbueretur. Ipse cum quatuor millibus equitum, ad octavum à Bedriaco progressus, [6] quo licentius popularentur. exploratores (ut mos est)

po ad hanc declarationem: Incorruptæ fidei milites, nec tantillum de sua integritate dubitari volunt: indeque dicere non sustinent: *etiam milites principi auferre.* Sed potius, *etiam militibus principem auf.* quasi illud nefas cogitatu sit, istudque (licet in idem recidat) suam fidem præstringere nequeat. *licet integros*, quid dicturos se integros & incruentos, ac Flavianis quoque viles; reposcentibus prospera, aut adversa? *Salinerius.* Sequor Ferretti emendationem Lipsio memoratam. Addo interpunctionis lucem hoc modo: *etiam milites auferre licet integros incruentosque. Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos reposcentibus, aut prospera aut adversa?* Et postrema interpretor ex simili Lucani loco:

*Non potes hoc causa, miles, præstare senatus,*
*Assertor victo redeas ut Cæsare; certe,*
*Ut vincare, potes.* Grotius.

Et ego Ferretto subscribo, quicquid argutetur Salinerius. Sed superest in τῷ *licet* aliquid scabri, quod muto in *deditos*; ut sit: *etiam milites auferre, deditos integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos* &c. qui dediti sint nullo discrimine facto, nullo sanguine aut sudore; & ob id etiam aspernabiles iis, quibus accesserint; nec habentes, quod respondeant interrogantibus, vel, ubi nunc ad Bedriacum victoria? vel, τί παθόντες, & quas ad incitas redacti ad tam deforme subsidium salutis descenderint. *Gronovius.* Sed qui potest auctoritas & innocua fides vetustissimi codicis Medicei ita sordere apud conspiratos quasi viros doctos, ut illi tam spectatæ anteferant conjecturas adeo vagas & sine ulla probabilitate arcessitas, aut supplementa speciose interiecta ex interpolato libro? Equidem & illa Ferrettina imminutio meretur rideri, & turgescens augmentum libri apud Ryckium, cujus robur hic plane nullum. Non est operosa res Tacitum in vitam revocare. leges enim; *etiam militibus principem auferre. Sic & integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos rep. aut pr. aut adversa?* Nulla molestia. Jac. Gronovius.

1 *Relictis castris*] *Inter Hostiliam & paludes Tartari flum.* Savilius.

2 *Prima Italica & undevicesima Rapaci jungerentur*] Nos, *uni & vicesima Rap jung.* Rhenanus. In v. c. legitur, *Undevicesima Rapaci.* ut sup. lib. II. Sed videndus Plutarchus in Othone. *Ursinus.* Etiam Pichena edidit *unaetvicesima*, ut puto obsequutus MSto, non suo arbitrio: id enim annotavisset. *Jac Gronovius.*

3 *Discordes animis, discretos viribus*] Hæc duo vocabula *animis discretos*, non sunt in regio cod. qui sic habet, *discordes viribus hostium exercitus aggredi statuit. Discordes viribus* id est, propter vires. *Rhenanus.*

4 *Immensam belli luem*] Accusativus *luem* non est in lib. Budenti. Malim, *vim.* Paulo post est illic, *progredi pauces.* Rhenanus. Faernus legebat, *immensam belli molem* Ursinus. Lego, *belli molem.* Et sic Muretus. *Acidalius.*

5 *Civili præda imbueretur.* Id est spoliis augescentibus ex belli civilis occasione. *Savilius.*

6 *Quo licentius popularentur*] Absente scil. duce. *Pichena.* Possis & aliter distinguere, *à Bedriaco progressus. Quo licentius popularentur, explor.* &c. Sed ego vix probem. *Acidalius.*

I *Quin-*

est) longius curabant. [1] Quinta ferme hora diei erat, cum citus eques, *adventare* 16
*hostes, prægredi paucos, motum fremitumque late audiri*, nuntiavit. Dum Antonius,
*quidnam agendum*, consultat, aviditate navandæ operæ Arrius Varus cum promptis-
simis equitum prorupit, impulitque Vitellianos, modica cæde; nam plurium ac-
cursu versa fortuna, & acerrimus quisque sequentium, fugæ ultimus erat. nec spon-
te Antonii properatum, & fore quæ acciderant, rebatur. Hortatus suos, *ut magno
animo capesserent pugnam*, diductis in latera turmis, [2] vacuum medio relinquit iter,
quo Varum equitesque ejus reciperet: jussæ armari legiones: datum per agros sig-
num, ut qua cuique proximum, omissa præda, [3] prœlio occurrerent. Pavidus in-
terim Varus, turbæ suorum miscetur, intulitque formidinem. pulsi cum sauciis inte-
gri, suomet ipsi metu, & angustiis viarum conflictabantur. Nullum in illa trepida 17
tione Antonius [4] constantis ducis, aut fortissimi militis, officium omisit. [5] occursare
paventibus; retinere cedentes: [6] ubi plurimus labor; unde aliqua spes; consilio,
manu, voce insignis hosti, conspicuus suis: eo postremo ardoris provectus est, ut
vexillarium fugientem hasta transverberarit. mox raptum vexillum in hostem vertit.
quo pudore haud plures quam centum equites restitere. Juvit locus, [7] artiore illic
via, & fracto interfluentis rivi ponte, qui incerto alveo, & præcipitibus ripis, fu-
gam impediebat. ea necessitas, seu fortuna, lapsas jam partes restituit. Firmati in-
ter se, densis ordinibus, excipiunt Vitellianos temere effusos. [8] atque illi consternan-
tur. Antonius instare perculsis, sternere obvios. Simul ceteri, ut cuique ingenium,
spoliare, capere, [9] arma, equosque abripere. [10] & exciti prospero clamore, qui mo-
do per agros fuga palabantur, victoriæ se miscebant. Ad quartum à Cremona 18
lapidem fulsere legionum signa, Rapacis atque Italicæ, læto inter initia equitum suo-
rum prœlio, illuc usque provecta. Sed ubi fortuna contra fuit, non laxare ordines,
non recipere turbatos, non obviam ire, ultroque aggredi hostem, tantum per spa-
tium cursu & pugnando fessum. [11] forte victi, haud perinde rebus prosperis ducem
deside-

1 *Quinta ferme hora diei*] Id est, ut nos horas numeramus, undecima aut circiter. *Savilius.*

2 *Vacuo medio relinquit iter*] Emendavi, *Vacuum in medio relinquit iter.* Rhenanus. Præpositio tamen non est in Medic. & hinc præstat omitti. Aliter cap. 19. *Jac. Gronovius.*

3 *Prœlio occurrerent*] Sive, *accurrerent.* Acidalius. Refutaveram hoc qualecunque occasione loci ex 1. hist. 47. ubi in MS. Oxoniensi repereram *occurrunt.* Quasi nullus forem, Ryckius aggreditur. *Jac. Gronovius.*

4 *Constantis ducis, aut fortissimi militis*] Satis erat, *fortis.* Nec aliter scio, Tacitus. Cur enim non & *constantissimi* ante dixisset, si hic *fortissimi?* Nimirum syllabæ postremæ *simi*, natæ ex adhæsu sequentis vocis *militis.* Acidalius.

5 *Occursare paventibus*] Nos, *occurrere paventibus.* Rhenanus. Et cur non *occursare paventibus, retinere cedentes.* Huc enim lectio dirigitur in optimo MS. Mediceo, etiam in Oxoniensi. Certe majus in his pondus, quam in Ryckiano. nec potuit Livius hæc cum indicativo mutavisse ex libris, ut putat Vir Cl. quum ipsi deprehendamus rebus, quomodo illi exhibeant, præterquam unus iste per interpolationem solitam. *Jac. Gronovius.*

6 *Ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio*] Lego & distinguo: *Ibi plurimus labor, unde aliqua spes. consilio, manu, voce insignis, hosti conspicuus suisque.* Primo illud verissimum est, plurimum illic laboris fuisse, ubi spes major victoriæ, majusque operæ pretium. Tac. infra; *Ingrata quæ tuta, & ex temeritate spes, omnisque cædes & vulnera & sanguis, aviditate prædæ prensantur.* Cetera satis clara. *Celerus.*

7 *Arctiore illic via*] Tamen paulo ante dixit, *angustiis viarum conflictabantur.* Savilius.

8 *Atque illi consternantur*] Scripsi, *consternantur.* Sic infra, *Ceteri fœda fuga consternantur.* quamquam vulgo legitur, *consternuntur.* Rhenanus. Haud scio, an sit animadversum τὸ *Atque* hic poni exquisita illa significatione pro *Statim:* de quo Gellius 10, 29. nos ad Livii 26, 39. *Gronovius.*

9 *Arma equosque abripere*] Nos, *arma, equos abripere.* Rhenanus. *Arma equosque* ex Flor. ac Ven. *Pichena.*

10 *Et exciti prospero clamore*] Hic addidi, &, Flor. auctoritate. *Idem.*

11 *Forte victi*] Rodolphus, *victuri.* Mentem video: & tamen subvereor ut parum plena ista, & huic narrationi quædam desint. *Lipsius.*

Forte

desideraverant, atque in adversis deesse intelligebant. Nutantem aciem victor equitatus incursat. & Vipstanus Messala tribunus, cum Mœsicis auxiliaribus assequitur, [1] quos militiæ legionariis, quamquam [2] raptim ductos, æquabant. Ita mixtus pedes equesque, rupere legionum agmen. Et propinqua Cremonensium mœnia, quan-
19 to plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dabant. Nec [3] Antonius

*Forte victi*] Neminem, qui diligenter animadvertat, negaturum arbitror, quin hic desideretur aliquid: supplendum autem nihil dixi, adjutus nullo codice. *Ferretus.* Mutilus locus Lipsio videtur, nec mihi omnino integer. Tamen hujusmodi potest esse sensus: cum has duas legiones, adversa suorum fortuna consternatas, neque fessos hostes aggredi ausas, ostendisset: rationem subjicit: Forte cum se suosque victos viderent, nihil ultra profici posse sperabant, sine duce, quem tum demum sibi deesse intelligebant. Sine duce enim erant, quia Cæcinam vinctum asservabant. *Pichena.* Nec Rodolphus mihi persuaserit ut legam, *victuri.* neque cum doctiss. viro sentio, cui hæc mutila videntur. Vitelliani sine Cæcina prosperis male usi, *excipiunt Vitellianos temere effusos*, victoria excidere: iidem pejus sese per adversa gesserunt. *non laxare ordines, non recipere turbatos.* non itaque tantum Cæcinam desideraverunt ad victoriam persequendam, quantum in fuga, & in adversis, ubi cujusque virtus expetitur sine æmulatione: maxime quum minore detrimento quis victoriam è manibus amittat, quam ab hostibus vincatur. *Salinerius.* Desectum hic esse Lipsius suspicatur. Frustra. plena & integra omnia, si cum Rodolpho legas, *victuri*, sed vero & aliter distinguas, quomodo voluisse Rodolphum ego non dubito. Lipsium, cui lectio ejus nota, idem non animadvertisse miror. Jungendæ hæ voces superioribus, ut sint comprehensionis ejus postremæ. Lege: *Sed ubi fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obviam ire, ultroque aggredi hostem, tantum per spatium cursu & pugnando fessum, forte victuri. Haut perinde, &c.* Acidalius. At nihil dum hic de victoria, nec sane forte victi sunt, sed latissima ipsorum culpa, quod ducem non haberent, sed forte regerentur. idque ipsum hic indicare voluit Tacitus, legendumque censeam; *Forte acti*, hoc est, non imperio nec jussu ducum, sed forte fortuna regebantur. Notandum illud *forte* plerunque opponi consilio certo, propositoque & instituto cum ratione. quomodo supra 15, 60. *forte, an prudens.* & 15, 38. *forte, an dolo, incertum. Agendi* autem verbo etiam ducis imperium continetur, ut apud Virgil. lib. 7. *magnum Agmen agens Clausus. Commandant une grande trouppe.* Sic *agere regnum*, pro regere, administrare. vide Ind cem edit. Flori subjunctum, verbo *Agere.* Freinshemius.

1 *Quos militia gloria legionariis quamquam raptim ductos, æquabat*] Quia ablativus *gloria* non est in exemplari MS. forte *militia* dictum est adverbialiter, pro *in militia.* Legitur autem illic *æquabant.* Rhenanus. Turpe mendum irrepserat in omnib. editis, contra Mss. fidem, addita voce, *militia gloria legionariis, &c.* Nam si verba, *quamquam raptim ductos*, attentius introspicias, fateberis, nihil ad gloriam, immo ad corporis vires. Nec satis video, quid aut detrahere possit militari gloriæ jam partæ, properatum iter; aut proficere, si quantumlibet otiose ducti fuissent. Potius dicere oportuerat, *militia assuetudine*, aut *exercitatione*, aut aliud simile. Itaque cum vox, *gloria*, à Florentino absit, atque ab aliis veteribus, ut testatur Rhenanus, ego ut addititiam & adulterinam rejeci; ac restitui, *quos militibus legionariis, &c.* hoc sensu: Vipsanius viribus ac laborum tolerantia, pares illos reddiderat, æquabatque legionariis militibus. Forte in exemplarib. antiquis scriptum fuerat, *militib.* more frequenti; unde librarii error. *Pichena.* Libri priores voce auctiores: *quos militia gloria.* quæ mihi pro vera lectione est. Legionarii pro optimo militum genere habebantur, quod Romani essent, eaque armatura & disciplina exerciti. At auxilia quoque nonnunquam pari gloria agebant: si nempe diu fortiter meruissent, ut Batavi supra 2. Histor. 28. & passim his libris. Sic igitur & Mœsicas auxiliares gloria militiæ æquabat legionariis, quanquam raptim ductos. Hunc esse sensum hujus loci contendo, nec pro *raptim ductos* reponendum; *raptim dilectos:* Sed hoc eo pertinet, pares fuisse habitos legionariis, quamquam recentes illos: ipsi, ut modo dixerat, per tantum spatium cursu & pugnando fessi aggrederentur, accedente nunc etiam recenti defatigatione, quod raptim ducti essent. *Freinshemius.* Et huic & illi possunt concedi sua quædam peculiaria; sed nullus quieti ac securitati locus, nisi in sola scriptura optimi MS. Medicei; hæc una verum Tacitum servat, hanc ideo expressi: tantum memineris vocem *militia* poni in plurali, ut notet laudabiles expeditiones, in quibus obedientes præposito fuerant felices. Nihil præclarius dici potest. Nugatur Lipsius in contrectando illos *raptim ductos.* Nonne egregia laus est, etiam raptim ductos & labore ac velocitate itineris compulsos incedere aliquamdiu, tamen legionariis dici æquales? *Jac. Gronovius.*

2 *Raptim ductos*] An ideo miratur æquari, quia raptim & celeriter ducti? non eo facit, nisi si forte absque justis, ut in festinatione, armis. An verius scribi, *raptim dilectos?* & quod subitarius fuerit hic miles, sed sub bono duce mox bonus. *Lipsius.*

3 *Antonius ultro insistit*] Ita in MS. libro. *Rhenanus.*

1 *An-*

nius ultra institit, memor laboris ac vulnerum, quibus tam [1] anceps prælii fortu-
na, quamvis prospero fine, equites equosque afflictaverat. Inumbrante vespera uni-
versum Flaviani exercitus robur advenit. Utque cumulos super, & [2] recentia cæde
vestigia incessere, quasi debellatum foret, *pergere Cremonam, & victos in deditionem*
*accipere, aut expugnare* deposcunt. Hæc in medio pulchra dictu. Illa sibi quisque,
[3] *posse coloniam plano sitam impetu capi. Idem audaciæ per tenebras irrumpentibus,* [4] *&*
*majorem rapiendi licentiam. quod si lucem opperiantur, jam pacem, jam preces, & pro*
*labore ac vulneribus,* [5] *clementiam & gloriam inania laturos:* [6] *sed opes Cremonensium*
*in sinu præfectorum legatorumque fore. Expugnatæ urbis prædam ad militem;* [7] *deditæ ad*
*duces pertinere.* Spernuntur centuriones tribunique, ac ne vox cujusquam audiatur,
quatiunt arma, rapturi imperium ni ducantur. Tum Antonius inserens se manipu- 20
lis, ubi aspectu & auctoritate silentium fecerat: *Non se decus neque pretium eripere*
*tam bene meritis,* affirmabat; *sed divisa inter exercitum ducesque munia: militibus cupi-*
*dinem pugnandi convenire; duces providendo, consultando, cunctatione sæpius, quam te-*
*meritate prodesse. Ut pro virili portione, armis ac manu victoriam juverit;* [8] *ratione &*
*consilio, propriis ducis artibus, profuturum. Neque enim ambigua esse quæ occurrant, no-*
*ctem, & ignotæ situm urbis; intus hostes, & cuncta insidiis opportuna.* [9] *non si pateant por-*
*tæ, nisi explorato, nisi die, intrandum. An oppugnationem inchoaturos, ademto omni pro-*
*spectu,*

1 *Anceps prælii fortuna*] Ita Flor. & alii veteres, ut Lipsius testatur. Vulgo, *belli fortuna*. Pichena Discrimen non modicum inter bellum & prælium: illud πόλεμος, istud μάχη. Lib. 12. ann. *si non prælium, certe bellum absumsisset.* Nihilominus adducor in hanc opinionem *bellum* aliquando sumi pro *prælio* sive pugna. Virgil. 10. Æn. *Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.* Hic si principium belli (ut res exigit) putamus à profectione Pallantis, is non utique occubuit primo belli die. Virg. lib. 6. *in medio classes æratas, Actia bella, Cernere erat.* at apud Actium pugna illa navalis, qua fractæ vires Antonii. *Salinerius.*

2 *Recentia cæde vestigia*] Mallem, *cædis*: tamen vulgatam etiam lectionem fero. id est: ut incessere super recentia vestigia in cæde facta. *Pichena.*

3 *Posse coloniam plano sitam*] Ita in MS. libro. non *in plano*. Sic infra: *Turrim vicino sitam*, pro *in vicino*. quare præpositionem *in* sustulimus. *Rhenanus.* Nescio an Muretus audiendus, qui præpositionem addit, *in plano*. Credam consulto à Tacito omissam, ut alias ejus generis alibi solet. Infra quidem etiam abest in eadem phrasi, *Turrim vicino sitam.* Sed & ibi eandem inculcat. Hoc quoque lib. *Namque & Africam, eodem latere sitam, terra marique invadere parabat.* lib. 5. tamen hist. legitur. *castraque in plano sita vi fluminis differebantur.* Acidalius.

4 *Et majorem rapiendi licentiam*] Lego, *sed*. Rhenanus. Danesius ex v. c. legebat, *sed majorem, &c.* nam ex particula *sed*, facta est copula *&*, omissa litera, ob extremam præcedentis verbi, *irrumpentibus*. Ursinus.

5 *Clementiam & gloriam inania laturos*] Videtur legendum, *clementiæ gloriam inanem laturos, &c.* pro eo, quod mendose legitur in vulgatis, *clementiam & gloriam inania laturos, &c.* Ursinus. Muretus, *clementiæ gloriam inanem.* Non sequor. Eadem vulgati vis & frequens Tacito figura hæc sermonis ἓν διὰ δυοῖν, *clementiam & gloriam*, id est, clementiæ gloriam. Sic de morib. Germ. *Occidere solent, non disciplina & severitate, sed impetu & ira* lib. 4. histor. *Nec perinde periculum aut metus, quam pudor ac dedecus obstupefecerat.* id est, metus periculi & pudor dedecoris. Eod. lib. *Sapientissimum quemque reverentia fideque, juniores periculo ac metu continuit.* id est, reverentia fidei & periculi metu. Lib. 5. *Terra finesque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur.* Acidalius.

6 *Sed opes*] Malim, *& opes.* Rhenanus.

7 *Dedita ad duces pertinere*] Æmil. Scaurus Liv. 37. *captas, non deditas, diripi urbes, & in his tamen arbitrium esse imperatoris, non militum.* Ideoque *prædam urbis deditæ ad duces pertinere*, Cornelius refert ex jure militari. *Idem.*

8 *Ratione & consilio, &c.*] Nescio addendum an subintelligendum saltem, *ita ratione, &c.* Clarior sensus sit: sed omittere etiam alibi auctor solet. *Acidalius.*

9 *Non si pateant*] Rodolphi lectio valde mihi arridet, nescio an à libris: *non si pateant portæ, non die, nisi explorato intrandum.* Lipsius. Cui plurimum nunc deditus est Ryckius, & valide vult eam tueri. Sed attende sodes ad ea quæ scribit, negans hoc velle Antonium, non esse expugnandas urbes nisi die, idque absurdum emergere ex ista lectione altera &c. Id ego non video inde exoriri, quum nullus per hæc verba cogitare possit de expugnandis urbibus, ne quidem somniare. Ad expugnandas urbes pertinent antecedentia *neque enim ambi-*

*spectu, quis æquus locus, quanta altitudo mœnium? tormentisne, & telis, [1] an operibus, & vineis aggredienda urbs foret?* Mox conversus ad singulos, [2] *num secures, dolabrasque, & cetera expugnandis urbibus, secum attulissent?* rogitabat. Et cum abnuerent, *gladiisne*, inquit, *& pilis, perfringere ac subruere muros, ulla manus possunt? Si aggerem struere, si pluteis cratibusve protegi necesse fuerit, ut vulgus improvidum irriti stabimus, altitudinem turrium, & aliena munimenta mirantes? Quin potius mora noctis unius, [3] advectis tormentis machinisque, vim victoriamque nobiscum ferimus.* Simul lixas calonesque cum recentissimis equitum, Bedriacum mittit, copias, [4] ceteraque usui al-
21 laturos. Id vero ægre tolerante milite, prope seditionem ventum, cum progressi equites sub ipsa mœnia, vagos ex Cremonensibus corripiunt. quorum indicio noscitur: *sex Vitellianas legiones, omnemque exercitum qui Hostiliæ egerat, eo ipso die triginta millia passuum emensum, comperta suorum clade, in prælium accingi, ac jam adfore.* Is terror obstructas mentes, consiliis ducis aperuit. [5] Sistere tertiamdecimam legionem, in ipso viæ Postumiæ aggere jubet, cui juncta à lævo septima Galbiana, patenti campo stetit: dein septima Claudiana, agresti fossa (ita locus erat) præmunita; dextro, octava per apertum limitem; mox tertiadecima, densis arbustis intersepta. hic aquilarum signorumque ordo: milites mixti per tenebras, ut fors tulerat: prætorianum vexillum proximum tertianis; cohortes auxiliorum in cornibus: latera ac terga equite circumdata: Sido atque Italicus Suevi,
22 cum delectis popularium, primori in acie versabantur. At Vitellianus exercitus, cui acquiescere Cremonæ, & reciperatis cibo somnoque viribus, confectum algore atque inedia hostem, postera die profligare ac [6] proruere ratio fuit: indigus recto-

*gna esse quæ occurrant, noctem & ignota situm urbis: intus hostes & cuncta insidiis opportuna.* Per hæc in ancipiti est expugnatio illa futura. Quum expugnatio est peracta, & civitas compulsa ad se tradendam, tunc *non si pateant portæ*, quod fit in urbe sic dejecta ad obsequium, *nisi explorato, nisi die intrandum.* Hæc non pertinent ad expugnandas urbes, ut perperam vir doctus, sed ad expugnationis fructum capiendum, & deditione traditam intrandam. Loquitur scilicet ex acri & severa cautela, quam habere deberet militaris ratio, etsi non semper habeat. Mox repetit per minima recensens, quibus ad expugnationem opus esset. *Jac. Gronovius.*

1 *An operibus & vineis aggredienda*] Fœdum glossema in Flor. codice insertum fuit. quod ipse librarius forte agnovit, ideoque circumscripsit. Fuit autem hujusmodi: *an operibus & vineis (machinamenti genus ad expugnandos muros, in modum turrium factum) aggredienda urbs foret.* Pichena.

2 *Num secures dolabrasque, & cætera*] Nos, *Num secures, dolabras, & cætera expugn. urbib. secum attulissent.* Rhenanus. Copulam, *que*, in vulgatis vacantem ex Florent. restitui. *Pichena.*

3 *Advectis tormentis machinisque vim victoriamque*] Exemplar Budense tantum habet, *tormentisque.* Forte legendum, *advectis tormentis vimque victoriamque.* Rhenanus.

4 *Ceteraque, quæ usui forent, allaturos*] Castigavi, *ceteraque usui allaturos.* Item, *vagos ex Cremonensibus.* Idem.

5 *Sistere tertiam legionem in ipso*] In Florent. ac Ven. legitur, *tertiamdecimam legionem*, quod verius censeo. atque eandem esse, quam Tacit. supra, *Tertiamdecimam Geminam* appellat: *duæ legiones, septima Galbiana, Tertiadecima Gemina, cum Vedio Aquila legato, Patavium alacres veniunt.* Hæ fuerunt ex Pannonico exercitu. nam lib. præced. ait: *At in Pannonia Tertiadecima legio, ac septima Galbiana, dolorem iramque Bedriacensis pugnæ retinentes.* & de iisdem infra: *cur resumpsissent arma, Pannonicas legiones interrogabat?* Quod autem hic sequitur: *mox tertiadecima densis arbustis intersepta:* suspicor legendum, *tertia*, quæ inter Vespasiani legiones, id est, ex Mœsico exercitu sæpe recensetur. *Pichena.* Alterutrum ita tractandum esse collegit & Ryckius. At cur non utrobique retinere licet *tertiamdecimam*, cum sub eodem numero sæpe occurrant legiones cognomento adjecto distinctæ? Sic una Tertiadecima Gemina appellata est, altera aliud habuit, aut solummodo ab numero nosci cœpta est. Ideo vocem in MS. servatam non placuit eximere editioni, quoscunque etiam mox appellet tertianos, de quibus Colerus ad finem cap. 24. *Jac. Gronovius.*

6 *Proruere, ratio fuit*] Notavi in Antiquis lib. II. cap. XVI. videri inducta voce legend. *ac proruere fuit*, id est, licuit. Sed vereor ut ego quoque inter-

rectoris, [1] inops consilii, tertia ferme noctis hora, [2] paratis jam dispositisque Flavianis impingitur. Ordinem agminis disjecti per iram ac tenebras, asseverare non ausim: quamquam alii tradiderint, [3] *quartam Macedonicam, dextro suorum cornu; quintam, & quintamdecimam,* [4] *cum vexillis nona, secundaeque, & vicesima, Britannicarum legionum, mediam aciem;* [5] *sextadecimanos duoetvicesimanosque & primanos lævum cornu complesse.* Rapaces atque Italici omnibus se manipulis miscuerant. Eques, auxiliaque, sibi ipsi locum legere. Prælium tota nocte varium, anceps, [6] atrox; his, rursus illis, exitiabile. Nihil animus, aut manus, ne oculi quidem provisu juvabant. [7] eadem utraque acie arma; crebris interrogationibus [8] notum pugnæ signum: permixta vexilla, ut quisque globus, capta ex hostibus, huc vel illuc raptabat. Urgebatur maxime septima legio, nuper à Galba conscripta. Occisi sex primorum ordinum centuriones, abrepta quædam signa. ipsam Aquilam Atilius Verus [9] primipili centurio, multa cum hostium strage, & ad extremum moriens, servaverat. [10] Sustinuit labentem aciem Antonius, accitis prætorianis. qui ubi excepere pugnam, pellunt hostem, dein pelluntur. Namque Vitelliani, tormenta in aggerem viæ contulerant, ut tela vacuo atque aperto excuterentur, dispersa primo & arbustis sine hostium noxa illisa. [11] Magnitudine eximia quintædecimæ legionis balista, ingentibus saxis 23

interdum (cur negem aut purgem communem Criticorum hanc noxam?) inter sectores, non medicos. Nunc sane vocem eam tolero. *Lipsius.*

*Proruere ratio fuit*] Vox penultima minime hinc tollenda, ut visum viris maximis, nam in ea, meo judicio, sententiæ cardo totius, quam iterum expressit alio habitu, hoc lib. c. 36. *Cum transgredi Apennina integro exercitus sui robore, & fessos hieme atque inopia hostes aggredi in aperto foret.* Nimirum *ratio* eo loci valet, quod isto iterum lib. c. 59 *Fortuna Flavianis ducibus non minus sæpe quam ratio adfuit.* Et alioquin dixit diserte totidem syllabis, lib. 3. Ann. 21. *Et dum ea ratio barbaro fuit, &c.* Gruterus.

1 *Inops consilii*] Ita Flor. vulgo, *vacuus consilii.* infra eod. lib. de Vitellio: *Tum consilii inops in palatium redit.* Pichena.

2 *Paratis jam dispositisque Flavianis*] Distinctio ex Flor. ac Ven. Vulgo, *paratis jamque dispositis.* Idem.

3 *Quartam Macedonicam dextro suorum cornu*] Faernus legebat, *dextrum.* non *dextro cornu.* Ursinus.

4 *Cum vexillis nona secundaque*] Quos alibi sæpius *Vexillarios*, hic *Vexilla* dixit. Vide quæ ad lib. 1. Ann. uberius adnotavi. *Pichena.*

5 *Sextadecimanos duodevicesimanosque*] Nos, *Sextadecimanos duoetvicesimanosque* Sic & alibi loquitur. *Rhenanus.* In v. c. est, *Duodevicesimanosque & primanos, &c.* Ursinus.

6 *Atrox his rursusque illis*] Submovi particulam *que*; *Atrox his, rursus illis.* Muret. *his, rursusque illis exitiabile.* Ego legam, *his modo, rursus illis exitiabile.* Ea solens Tacito formula. lib. 3. *Hos modo, rursus illos clamore & plausu fovebat.* Acidalius.

7 *Eademque acie arma*] Ita est in exemplari Budensi, non *utraque.* Rhenanus. Muret. *eademque utraque acie arma.* Acidalius. Non modo hic negligens fuit Pichena & adjuvare Tacitum neglexit, in cujus vetere membrana videbat lenissime scribi *eadem utraque*, quod nunc recepi, sed etiam antea *Eques auxiliaque*, ubi maluit cum vulgo edere *equites.* Utcumque nuper publicatum, & bene agnitum. *Jac. Gronovius.*

8 *Notum pugnæ signum*] Id signum proprie Tessera vocabatur. explicat hunc morem accurate Lipsius de mil. Rom. lib. IV. dial. ult. *Pichena.* Muret. vocem *pugnæ* delet. At Lipsius ad Annal. duplicem ait fuisse tesseram: unam ad excubias, alteram ad pugnam; & ad hanc ista verba trahit. *Acidalius.*

9 *Primipili centurio*] Nam in ejus Centurionis custodia Aquila. Ego De Milit. Rom. lib. II. Dial. VIII. *Lipsius.*

*Primipili centurio*] Primipilus enim Aquilæ præerat, ut ait Veget. lib. 2, 8. & in acie signifero suo adsistebat, Aquilamque tuebatur. De primopilo vide latius Lipsium de mil. Rom. lib. 2. dial. 8. *Pichena.*

10 *Sustinuit labentem aciem Antonius*] Non improbo vocem, *labentem.* tamen magis proprium, ac Tacito familiarius puto, *labantem.* Sic lib. 2. Ann. *nec dubium habebatur, labare hostes.* hist. lib. 1. *postquam vulgatum erat, labare Germani exercitus fidem.* lib. 5. *fluitantem labantemque militem eminus fodiebant.* de morib. Germ. memoriæ proditur, *quasdam acies inclinatas jam & labantes, à feminis restitutas.* Pichena.

11 *Quartadecima legionis*] Qui potest? Nam quartadecima legio pro Othone steterat, & post Bedriacense prœlium statim à Vitellio in Britanniam remissa. Sed nec mentio ejus in hac pugna, imo bello.

saxis hostilem aciem proruebat: lateque cladem intulisset, ni duo milites præclarum facinus ausi, arreptis è strage scutis, ignorati vincla ac [1] libramenta tormentorum abscidissent. statim confossi sunt, eoque intercidere nomina: de facto haud ambigitur. [2] Neutro inclinaverat fortuna, donec adulta nocte, [3] luna surgens ostenderet acies, falleretque. Sed Flavianis æquior à tergo; hinc majores equorum virorumque umbræ, & [4] falso, ut in corpora, ictu, tela hostium citra cadebant: Vitelliani adverso lumine collucentes, velut [5] ex occulto jaculantibus, incauti offerebantur.

24 Igitur Antonius, ubi noscere suos, noscique poterat, alios pudore & probris; multos laude & hortatu; omnes spe promissisque accendens, [6] *cur rari sumpsissent arma?* Pannonicas legiones interrogabat; *illos esse campos, in quibus abolere labem prioris ignominiæ; ubi reciperare gloriam possent.* Tum ad Mœsicos conversus, *principes auctoresque*

que

bello. Reponam fidenter, *quintadecima*, quæ inter Vitellianas paulo ante cecid. *Lipsius.*

*Magnitudine eximia quintadecimæ legionis balista*] Formam balistæ explicat lib. ult. Vitruvius, Vegetius quoque quædam addit. hi omnes, saxa tantum balistis jaci auctores sunt cum Tacito; sed dein mutata quoque forma est. quapropter in commentariis Theodosii schema balistæ quadrirotis vidi cum interpretatione, qua ostenditur sagittas ex ea cœptum fuisse jaculari. *Alciatus.* Veget. l. 4. c. 22. *balista funibus nervinis chordisque tenditur, quæ quanto prolixiora brachiola, tanto spicula longius emittit, & si juxta artem mechanicam temperetur, & ab exercitatis hominibus, qui mensuram ejus ante collegerint, dirigatur, penetrat, quodcunque percusserit.* Ictus balistæ magnam valli partem in castris ad Cremonam dejecit. *Savilius.* Male vulgo, *quartadecima*, quod Lipsius ex historia animadvertit. ideo emendavimus. *Pichena.*

1 *Libramenta tormentorum*] Atqui unius tormenti, sive Balistæ, mentio est. Ergo, *tormento tum abscid.* aut ante, *Balista*, legendum, & *proruebant.* Lipsius.

2 *Neutro inclinata fortuna*] Scripsimus, *neutro inclinabat fortuna.* Rhenanus.

3 *Luna surgens*] Idem ex pari causa effectus in nocturno prœlio inter Pompejum & Mithridatem apud Plutarchum & Dionem. Sed epitome Dionis variat nonnihil Taciti descriptionem: τὴν δὲ ταραχὴν ἐπηύξησεν ἡ σελήνη τῆς νυκτὸς ἐκλείπουσα, οὐχ ὅτι καὶ ἐσκοτώθη (καίτοι τοῖς θορυβουμένοις καὶ τὰ τοιαῦτα φόβον φέρει) ἀλλ' ὅτι καὶ αἱματώδης καὶ μέλαινα, ἄλλα τε τινὰ χρώματα φοβερὰ ἐφαίνετο, ὤφθη. i. *Luna eclipsim passa augebat terrorem non tam quod obscuraretur (quamquam & hoc territis incutiat metum) sed quod sanguinea, nigra, aliisque horrendis coloribus suffusa appareret.* Savilius.

4 *Falso, ut in corpora, ictu*] Ita è libris restituimus. nec sententiam difficile capi, è similibus auctorum locis. Nam hæc fraus sive error alias quoque objectus hosti. Plutarchus in pugna Pompeji cum Mithridate: Ἐπεὶ δ' οὖν μὲν οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ νώτου τὴν σελήνην ἔχοντες. Πεπλασμένα δὲ περὶ τὰς δύσεις τοῦ φωτός, αἱ σκιαὶ πολὺ τῶν σωμάτων ἔμπροσθεν προϊοῦσαι τοῖς πολεμίοις ἐπέβαλλον, οὐ δυναμένοις τὸ διάστημα συνιδεῖν ἀκριβῶς· ἀλλ' ὡς ἐν χερσὶν ἤδη γεγονότων, τοὺς ὑσσοὺς ἀφέντες μάτην, οὐδενὸς ἐφίκοντο. Id est: *Aggressi eos Romani sunt, Lunam à tergo habentes, qua inclinante in occasum, umbra corporum anterius producta hostibus incurrebant, qui parum exacte intervallum hac caussa discernere potuerunt, sed tamquam jam in manibus & intra tela essent, hastis temere emissis, neminem attigerunt.* Florus paullo aliter narrat, nec rem cepisse visus est, de illapsa pugna: *Nocturna ea dimicatio fuit, & Luna in partibus. quippe quasi commilitans, cum à tergo hostibus, à facie Romanis se præbuisset: Pontici per errorem, longius cadentes umbras suas, quasi hostium corpora petebant.* Si tamen ea lectio recta, nec interpolata ab imperitis. Nam certe Orosius etiam & Frontinus, Romanis in hac pugna Lunam fuisse à tergo fatentur: & Dio clare, κατόπιν. Itaque emendem in Floro: *cum à tergo Romanis, à facie hostibus se præbuisset: Pontici per errorem longius cadentes umbras* (voculam illam, *suas*, expungimus) *quasi hostium corpora petebant.* Sane ratio ipsa ita vult. nec tam bardum ego Florum umquam censeam, ut hoc non ceperit. *Lipsius.*

*Falso, ut in corpora, ictu*] Melius forte, *jactu.* Acidalius.

5 *Ex occulto jaculantibus incauti offerebantur*] Vatic. editio non agnoscit vocem *incauti*; & vero cum præcesserit, *ex occulto*, satis intelligebatur. *Gruterus.*

6 *Cur rari sumsissent*] Ex historia & sententia, *cur resumsissent.* Nam Pannonici semel victi, arma tamen iterum sumserant. *Lipsius.*

*Cur rari sumpsissent*] Alias, *cur rursus.* Ferrettus. Armati & dispositi Pannonici milites tunc erant. *At Vitellianus exercitus tertia ferme noctis hora, paratis jamque dispositis Flavianis impingitur.* At non eodem numero, quo jam Bedriaci pugnaverant: quod illic à Vitellianis plerique eorum cæsi sint: *At in Pannonia XIII. legio ac VII. Galbiana dolorem iramque Bedriacensis pugnæ retinentes.* 2. hist. Antonius igitur ut eos in prœlium accenderet, refricat dolorem dictæ cladis. quanam, inquit, alia de caussa, nisi quod jam à Vitellianis victi fuistis, nunc

pau-

*que belli* ciebat; *frustra minis & verbis provocatos Vitellianos, si manus eorum oculosque non tolerent.* Hæc ut quosque accesserat. plura ad tertianos, veterum recentiumque admonens: ut [1] *sub M. Antonio Parthos, sub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepulissent.* [2] Mox infensus prætorianis: *Vos*, inquit, *nisi vincitis pagani, quis alius imperator, quæ castra alia excipient? Illic signa armaque vestra sunt, & mors victis.* [3] *nam ignominiam consumpsistis.* Undique clamor: & orientem [4] solem (ita in Syria mos est) [5] tertiani salutavere. [6] Vagus inde, an consilio ducis subditus rumor, *advenisse Mucianum; exercitus invicem salutasse.* gradum inferunt, quasi recentibus auxiliis aucti; rariore jam Vitellianorum acie, ut quos, nullo rectore, suus quemque impetus vel pavor [7] contraheret, diduceretve. [8] Postquam pulsos sensit Antonius,

[1] denso

pauciores, quam olim sub Othone, pugnam initis? agite ergo, dum datur occasio, ignominiam illam abolete, injuriasque vestras vindicate. Doctiss. vir, *cur resumsissent arma.* Sed acriorem aculeum priora relinquunt. *Salinerius.*

1 *Sub M. Antonio*] Lapsis supra centum tribus aut quatuor annis: ut cum rerum natura pugnet, hic nunc quemquam militare, qui illo tempore, tot annorum spatiis diviso, vixerit. Sed eodem modo id de legione intelligendum, ut Jureconsultus de nave dicit, quæ per partes refecta toties, ut decursu temporis nihil ex prima remanserit, eadem tamen intelligitur navis. Quanquam philosophi, narrante Plutarcho Theseo, adhuc certent & sub judice lis sit, τῶν μὲν ὡς τὸ αὐτὸ, τῶν δ᾽ ὡς οὐ τὸ αὐτὸ διαμένει, λεγόντων. i. *aliis eandem esse affirmantibus, aliis negantibus.* Savilius.

2 *Mox infensus prætorianis*] Puto *infensius.* hoc est verbis asperioribus Non enim his magis quam aliis infestus erat: sed hos compellabat inclementius. *Gronovius.*

3 *Nam ignominiam consumsistis*] Assidet acuto huic dicto illud Curtianum, lib. VI. *Scit eos qui misericordiam consumserunt, amplius sperare non posse.* Lipsius.

*Nam ignominiam* &c.] Adfert Lipsius ut simile huic Curtianum dictum lib. 6. Quod simile phrasi quidem, non tamen sententia; cui propius Terent. Hecyr. 2, 1. *nam de te satis scio, peccando detrimenti nil fieri potest.* Nec abludit Ciceronis illud ad Att. 6. ep. 18. *Hic Appius erat idem. Nihil sane jactura.* Ita enim interpretor: Idem erat Appius, (hominem sæpius illis epistolis notat,) qui semper, neque jacturam sui faciebat ullam. Forte sic & Propertius: *Sed de me minor est fama jactura pudica.* Gell. certe l. 13, 19. *Nam cum id genus sis, quod video, ut sine jactura tui pecces, nihil perdes, utrum dixeris.* Tac. hoc lib. 18. non aliter: *Nisi quod neque Antonius, neque Hormus à fama vitaque sua, quamvis pessimo flagitio, degeneravere.* Val. Max. 9, 2. *Damasippus nihil laudis habuit, quod corrumperet.* Acidalius.

4 *Solem (ita in Syria mos est*] Nam hæc legio è Syria deducta, in qua sub Corbulone militaverat. At de more ipso, Herodianus lib. 4. de Parthis, qui pugnam inituri orto jam Sole: Ἀνατέλλοντα δὲ τὸν ἥλιον, inquit, ὡς ἔθος αὐτοῖς, οἱ βάρβαροι μεγίστῃ κλαγγῇ βοήσαντες ἐπέδραμον τοῖς Ῥωμαίοις. Sed observo amplius: non solum Syros aut Orientales Soli cultum hunc detulisse, sed gentium plerasque. Plato lib. x. De legib. Ἀνατέλλοντός τε ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ πρὸς δυσμὰς ἰόντων, προκυλίσεις ἅμα καὶ προσκυνήσεις Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων πάντων. *Oriente Sole & Luna, iisdemque occidentibus, in terram inclinationes & adorationes sunt Græcorum omniumque Barbarorum.* Ipsis Romanis receptum, in precando verti ad Orientem. Hyginus, de Limitibus: *Antiqui architecti in Occidentem templa recte spectare scripserunt. Postea placuit omnem religionem eo convertere. ex qua parte cœli terra illuminabatur.* Isidorus lib xv. templa ita structa ait, *ut qui consuleret ac deprecaretur, rectum aspiceret Orientem.* Latinus Pacatus in Panegyrico ad Theodosium: *Nam ut divinis rebus operantes, in eam cœli plagam ora convertimus, à qua lucis exordium est.* Nec Christiani abhorruerunt. Tertullianus Apolog. cap. XVI. *Alii plane humanius & verisimilius, Solem credunt deum nostrum. Suspicio inde, quod innotuerit nos ad Orientis regionem precari. Sed plerique vestrum, adfectatione aliquando & cœlestia adorandi, ad Solis ortum labia vibratis.* Lipsius.

5 *Tertiani*] Milites hos ἐκ τοῦ τρίτου στρατοπέδου vocat Xiphilinus, additque eam legionem Γαλατικὸν dictam fuisse. id est, Gallicanam. & Tac. l. 4. hist. *Tertia legio, familiaris Arrio Varo miles, in Syriam remissa.* Colerus.

6 *Vagus inde, consilio*] Romanus codex, *vagus inde, an consilio.* quod valde amplector. Ambigit videlicet, fortuitu natus inter milites is rumor, an arte ducis sparsus. *Lipsius.*

*Vagus inde, an consilio*] Amplexus sum illud, *an*, ex Rom. cod. Florent. adstruente, Lipsio id probante. *Pichena.* Vix est, ut probanda quidem Rom. codicis lectio, *an consilio*: etsi Lipsi. quidem probat. Ego dubito, quia vagum rumorem nescio an fortuito natum possis dicere. *Acidalius.*

7 *Contraheret, diduceretve*] Sententia & ἀντίθεσις sic visa postulare. vulgo, *duceretve.* Lipsius. Sed id quod vulgo attribuit, tale est, ut placuerit etiam primariis, unde in Ms. Mediceo legitur id ipsum simplex *duceretve.* *Impetus* autem *ferre* & *ducere* dicitur,

[1] denso agmine obturbabat. laxati ordines abrumpuntur: nec restituti quivere, impedientibus vehiculis tormentisque. Per limitem viæ sparguntur, consectandi festinatione, victores. Eo notabilior cædes fuit, quia filius patrem interfecit. rem nominaque auctore Vipstano Messala tradam. Julius Mansuetus ex Hispania, Rapaci legioni additus, [2] impubem filium domi liquerat. is mox adultus, inter septimanos à Galba conscriptus, oblatum forte patrem & vulnere stratum, dum semianimem scrutatur, agnitus, agnoscensque, & exanguem amplexus, voce flebili precabatur [3] *piatos patris manes, neve se ut parricidam aversarentur:* [4] *publicum id facinus; & unum militem quotam civilium armorum partem?* simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga parentem officio fungi. Advertere proximi, deinde plures: hinc per omnem aciem miraculum, & questus, & sævissimi belli exsecratio, nec eo segnius propinquos, affines, [5] fratres trucidatos spoliant: factum esse scelus loquuntur, fa-
26 ciuntque. Ut Cremonam venere, novum immensumque opus occurrit. Othoniano bello Germanicus miles mœnibus Cremonensium castra sua, castris vallum circumjecerat: eaque munimenta rursus auxerat. quorum aspectu hæsere victores, incertis ducibus quid juberent. incipere oppugnationem, fesso per diem noctemque exercitu, arduum; & nullo juxta subsidio, anceps. sin Bedriacum redirent, intolerandus tam

citur, plerumque ultra quam aut ratio aut voluntas jubebat. *Jac. Gronovius.*

8 *Postquam pulsos sensit*] Nondum sane *pulsos*. Et Tacitus scil. sic loqueretur, *sensit pulsos*; potius *vidit*. Lege, *perculsos*: quod res ipsa, & verba antecedentia hæc clare probant. *Ut quos nullo rectore* &c. *Acidalius.*

1 *Denso agmine obturbabat*] Hoc imperfectum notavi in MS. Med. quod mutare in præsens *obturbat* non est nostri roboris, præsertim quum optime conveniat. Præsenti usus fuit in proxime præmissis, quasi rem ipsam videns; nunc interposita rerum mutatione, *ubi sensit* (nota in perfecto etiam) *Antonius, denso agmine obturbabat.* Id ipsum videbis etiam circa initium cap. 31. & finem præcedentis. *Jac. Gronovius.*

2 *Impuberem filium*] Monueram olim in MS. Oxoniensi me legisse *impubem*, idque non posse averti ab Tacito docueram exemplo 4. hist. 14. *Senes aut invalidos conquirendo, rursus impubes, sed forma conspicui, ad stuprum trahebantur.* ubi sic restituit Pichena ex MS. Mediceo: sed hic ipse nunc quoque sic proferebat, quod mira ratione ille transiluit. Eadem mox notavit Ryckius. Scias lector in antiquis Livii codicibus legi & lib. 2. c. 13. *Productis omnibus elegisse impubes dicitur*, & 9, 14 *Servos, liberos, puberes, impubes, homines jumentaque.* Jac. Gronovius.

3 *Ut placatos patris manes, neve se* &c. *adversarentur*] Faernus legebat, *ne piatos patris manes, neve se ut parricidam aversarentur.* Ursinus. Aliquid huic loco aut deesse aut superesse suspicor. nam quod ait, *neve se*, aut illud, *ve*, abundat, aut illud, *ne*, præcedens requiritur. Flor. corrupte, *precabatur piatos*, supra additis literis, *ca*, ut fieret *placatos.* In altero MS. *precabatur ne piatos.* Ego aliis integrum judicium relinquo. Restitui tantum ex Flor. verbum, *aversarentur*, nam in vulgatis erat, *adversarentur.* Sic Ann. 1. *Sua facinora aversari deos lamentantur.* Fortasse Tacitus Livium imitatus est lib. 3. posteaquam Virginius filiam occiderat: *orabat, ne quod scelus Appii Claudii esset, sibi attribuerent; neu se ut parricidam aversarentur.* Sed hic Taciti locus forte defendi poterit, ut verbum, *precabatur*, sit absolute positum, precabatur scil pro facinore à se perpetrato: deinde adjiciat; & precabatur etiam, ne se ut parricidam aversarentur. *Pichena.* Quod vulgo est, *placatos*, magis mihi placet. Muretus audacter nimis, utroque spreto scribebat, *precabatur patris manes, ne se ut parricidam aversarentur.* Ubi & male verbum *adversantur* iterum murat, de quo init. lib. 1. diximus. *Precabatur placatos*, id est, precabatur ut sibi placati essent. *Acidalius*

4 *Publicum id facinus*] Ut hæc verbo suo loco sint? nunquam credam. Non convenit stomachatio ista lamentanti & lacrumanti filio: magis militibus, qui cum factum advertissent, arma civilia exsecrabantur. Atque illud, volente Tacito, retraham: scribamque omnia isto ordine: *neve se ut parricidam adversarentur. Simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga parentem officio fungi. Advertere proximi, deinde plures. hinc per omnem exercitum miraculum, & questus, & sævissimi belli execratio. Publicum id facinus: & unum militem quotam civilium armorum partem? Nec eo segnius* (vel *socius*) *propinquos* &c. *Idem.*

5 *Fratres trucidatos spoliant*] Jam ab principio sic conati sunt emollire Tacitum, sive ipse Beroaldus, sive illi quos in consilium edendi adhibuit, quum cernerent in libro antiquo legi *trucidati* Sed neque Pichena idem animadvertens vel mussare sustinuit:

tam longi itineris labor, & victoria ad irritum revolvebatur. munire castra; id quoque propinquis hostibus formidolosum, ne dispersos & opus molientes subita eruptione turbarent. [1] quæ super cuncta, terrebat ipsorum miles, periculi quam moræ patientior. quippe ingrata quæ tuta, [2] ex temeritate spes; omnisque cædes, & vulnera, & sanguis, aviditate prædæ pensabantur. Huc inclinavit Antonius, *cingique* 27
*vallum corona* jussit. primo sagittis saxisque eminus certabant, majore Flavianorum pernicie, in quos tela desuper librabantur. mox vallum portasque legionibus attribuit, ut discretus labor fortes ignavosque distingueret, atque ipsa contentione decoris accenderentur. Proxima Bedriacensi viæ, tertiani septimanique sumpsere; dexteriora valli, octava ac septima Claudiana; tertiadecimanos ad Brixianam portam impetus tulit. Paulum inde moræ, dum è proximis agris [3] ligones, dolabras, & alii falces, scalasque convectant. tum, elatis super capita scutis, [4] densa testudine succedunt. Romanæ utrimque artes: pondera saxorum [5] Vitelliani provolvunt; disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur; donec soluta compage scutorum, exangues aut laceros prosternerent [6] multa cum strage. Incesserat cuncta 28
tio, ni duces fesso militi, & velut irritas exhortationes abnuenti, Cremonam monstrassent. Hormine id ingenium, ut Messala tradit; an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim: nisi quod neque Antonius, neque Hor-

tinuit: etiam Ryckius hanc partem prætermisit. Sed non est dubitandum, quin auctor dederit *eru cidant, spoliant*, ut solet usurpare asyndeton mirabilis hic scriptor circa extrema narrationis, quæ continet vehementer acria & impetuosa. *Jac. Gronovius.*

1 *Qua super cuncta*] Codex Bud. habet, *que*. Lego, *Quin super cuncta*. nam sæpe *que* pro *quin* posuit Librarius. *Rhenanus.*

2 *Et ex temeritate spes*] Prima voeula non apparet in membranis Mediceis, nec ambigo, quin recte, quum efficacia & varietas cogitationum procurrat cum oratione velut certante per festinationem. Et insedisse his vitium patet ex Romana edit. quæ habet *Et temeritate spes*. Certe tantum tria vocabula agnoscuntur, unde induxi copulativam. *Jac. Gronovius.*

3 *Ligones, dolabras*] Dolabris olim utebantur milites ad portas effringendas. Liv. 38, 3. *Aliis partibus securibus dolabrisque cadebantur, & refringebantur porta.* Paulus JC. in tractatu Pandect. de off. Præf. Vig. *Præfectum vigilum debere vigilare totam noctem, & oberrare calceatum cum hamis, & dolabris.* Legitur tamen apud Fenestellam *cum armis & dol.* Sed ab audaculo emendatore emendatum puto. Nam *hama* vel *hamus* instrumentum est ad incendia compescenda. Plin. in epist. *Et alioqui nullus usquam in publico sipho, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda.* Cato de re Rust. *hama* usus est pro ferramento rustico. Itaque causam adhuc requiro, cur Paulus *calceatum* voluerit esse Præfectum vigilum, aliud si caligatum dixisset. nam Ulpianus *caligatum militem* appellat, in capite, Quod ait Prætor, in Pandect. tractatu, de his qui notantur infamia, & Venulejus in cap. de militib. in Dig. tractatu de cust. & exhib. reorum. Nisi forsan dixeris calceatum debere esse Præfectum vigilum, quod calceis uteretur: nam ignis & carbones pedibus illi erant atterendi. Ligones hoc loco Taciti ad terram fodiendam sunt maxime accommodi. *Lupanus.*

4 *Facta testudine*] Modum & cui usui describit Livius lib. 44. 9 Plutarch. Anton. Quoties autem testudo armatos in æquum cum propugnatoribus muri fastigium non attollebat, ut opinor, altera alteri superstructa. Tac. verbis seq. *super iteratam testudinem scandentes*, licet alium quoque sensum admittentibus. Robur testudinis sic compactæ ostendit Arrianus ἀναβάσ. 1. Cum Alexander adscensum moliretur in montis Hæmi jugum, hostibus insessum, qui in succedentem fastigio exercitum plaustra devolvebant, jussit, ut si laxatis ordinibus viam impulsis dare non possent, ξυνιόντας καὶ πεσόντας ἐς ἀκριβὲς τὰς ἀσπίδας. τὰς, κατ' αὐτῶν φερομένας τὰς ἁμάξας, καὶ τῇ ῥύμῃ κατὰ τὸ εἰκὸς ὑπερπηδώσας ἀβλαβῶς ἐπελθεῖν. καὶ οὕτω ξυνέβη, ὅπως παρῄνεσέ τε Ἀλέξανδρος καὶ εἴκασε i. *ut in terram prolapsi & corpora scutis tecta habentes devecta plaustra exciperent, impetu cum fracto innexia casura. Neque fefellit Alexandrum sua conjectura.* Savilius.

5 *Vitelliani provolvunt*] In cod. Bud. est, *pravolvunt*. Rhenanus.

6 *Multa cum strage. incesserat*] Id est, quia multa strages, timidior & cunctantior jam miles. *Lipsius.*

*Multa cum strage incesserat ceutatio*] Rectum est, post multam stragem in alacriores eduam jam cæteri contantius oppugnabant, quum monstrata ad excidium Cremona novis viribus novo impetu ferri cœpere. *Mercerus.* Hanc distinctionem, *prosternerent*

Hormus, à fama vitaque sua, [1] quamvis pessimo flagitio, degeneravere. Non jam
sanguis, neque vulnera morabantur, quin subruerent vallum, quaterentque portas,
innixi humeris, & super iteratam testudinem scandentes, prehensarent hostium tela
brachiaque. integri cum sauciis, semineces cum exspirantibus volvuntur, varia per-
29 euntium forma, & omni imagine mortium. Acerrimum septimæ, tertiæque legio-
num certamen. & dux Antonius cum delectis auxiliaribus eodem incubuerat. Ob-
stinatos inter se cum sustinere Vitelliani nequirent, & superjecta tela testudine labe-
rentur; ipsam postremo [2] balistam in subeuntes propulere: quæ ut ad præsens disjecit
obruitque quos inciderat: ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit. simul juncta
turris, ictibus saxorum cessit. qua septimani dum nituntur cuneis, tertianus securi-
bus gladiisque portam perfregit. Primum irrupisse C. Volusium tertiæ legionis mi-
litem, inter omnes auctores constat. is in vallum egressus, [3] deturbatis qui restite-
rant, conspicuus manu ac voce, *capta castra* conclamavit. ceteri, trepidis jam Vi-
tellianis, seque e vallo præcipitantibus, perrupere. [4] completur cæde, quantum in-
30 ter castra murosque vacui fuit. Ac rursus [5] nova laborum facies; ardua urbis mœ-
nia; saxeæ turres, ferrati portarum obices, vibrans tela miles; frequens obstrictus-
que Vitellianis partibus Cremonensis populus; magna pars Italiæ stato in eosdem
dies mercatu congregata: quod defensoribus auxilium ob multitudinem, oppugnan-
tibus incitamentum ob prædam erat. *Rapi ignes* Antonius, *inferrique amœnissimis ex-
tra urbem ædificiis* jubet; si damno rerum suarum, Cremonenses ad mutandam fidem
traherentur. propinqua muris tecta, & altitudinem mœnium egressa, fortissimo quo-
que militum complet: illi trabibus, tegulisque, & facibus propugnatores deturbant.
31 Jam legiones [6] in testudinem glomerabantur, & alii tela saxaque incutiebant, [7] cum
languescere paulatim Vitellianorum animi; [8] ut quis ordine anteibat, cedere fortu-
næ:

*nerent multa cum strage. Incesserat cunctatio*; ex Flor. restitui. Male antea: *prosternerent. Multa cum strage* &c. *Pichena.* Flaviani primum ardentes vallo instabant, sed soluta compage scutorum, lanceisque transfixi, nonnihil de alacritate remiserunt. quamobrem hinc ablegandum est *tentatio.* nam (ut apposite scripsit Pichena) signa cunctationis hæc sunt: *in duces fesso jam militi, & velut irritas exhortationes abnuenti.* Et *non jam sanguis, neque vulnera morabantur.* Salinerius. Lipsius scribit *tentatio.* Ego *contatio* retineam, non tamen vulgari significatu, ut si scribas *cunctatio*, sed pro scrutatione, à *conto* vel *contari*, pro scrutari. Respicit enim ad ea verba Tacitus, quæ jam jam præmiserat: *Disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur.* Proprie ergo hic usus ea voce: & magis proprie, quam ad finem lib. 4. *Qua contatione bellum adversus patrem cogitaverit, an opes viresque adversus fratrem, in incerto fuit.* Sic enim Lipsio ibi placitum emendare pro *cogitatione*, & à *conto* derivare, tanquam propriam ejus vim auctor expresserit. quod secus est tamen. Respexit ibi saltem metaphoræ consuetudine: hic vere expressit. *Acidalius.*

1 *Quamvis pessimo flagitio*] Quid si legas, *quovis pess. fl.* Rhenanus

2 *Balistam in subeuntes propulere*] Pro voce *balistam* substituit Muret. *molem.* opinor è libro: sed nos non recipimus tanquam glossam ejus, quæ vulgo obtinuit. *Acidalius.*

3 *Deturbatis qui restiterant*] Scripsi, *qui restiterunt.* Rhenanus. Venetus, *restiterant*, & fere consentit Flor. qui habet, *resisterant.* Vulgo, *resisterent.* Pichena. Muret. *restiterant.* Ego & alterum fero. *Acidalius.*

4 *Completur cæde*] Quis vero numerus cæsorum in his prœliis? Tacuit noster, expressit Egesippus. *Exstincta triginta millia & ducenti viri de exercitu Vitellii. Primusque (id enim Antonio cognomentum erat) quattuor millia quingentos de Mysiacis militibus amisit.* Lipsius.

5 *Nova laborum facies*] An non Virgilianum allusit? *non ulla laborum, O virgo, nova mi facies, inopinave surgit.* Acidalius.

6 *In testudinem glomerabantur*] Ita rectius in Flor. nam statim sequitur, *incutiebant.* at in vulgatis, *glomerantur* Pichena.

7 *Cum languescere paulatim*] Hoc ex Flor. Vulgo, *languere.* Pichena.

8 *Ut quis ordine anteibat, cedere fortunæ*] Opinor me sic pulcherrima eloquutione sententiam, quæ in Taciti mente erat, polivisse producendo, quod ipse scripsit, quum Ryckius uti noluerit, nisi hactenus,

næ: ne Cremona quoque excisa, nulla ultra venia, omnisque ira victoris non [1] in vulgus inops, sed in tribunos centurionesque, ubi pretium cædis erat, [2] reverteretur. Gregarius miles futuri socors, & ignobilitate tutior, perstabat. vagi per vias, in domibus abditi, pacem ne tum quidem orabant, cum bellum posuissent. Primores castrorum [3] nomen atque imagines Vitellii amoliuntur. catenas Cæcinæ (nam etiam tum vinctus erat) exsolvunt, orantque *ut caussæ suæ deprecator adsistat.* aspernantem [4] tumentemque, lacrymis fatigant, extremum malorum, [5] tot fortissimi viri, [6] proditoris opem invocantes. mox velamenta & infulas pro muris ostentant. [7] Cum Antonius *inhiberi tela* jussisset, signa aquilasque extulere: mœstum inermium agmen, dejectis in terram oculis, sequebatur. Circumstiterant victores, & primo ingerebant probra, intentabant ictus: mox ut præberi ora contumeliis, & [8] posita omni ferocia cuncta victi patiebantur, [9] subit recordatio, illos esse, qui nuper Bedriaci victo-

tenus, ut publicaret. Habebat enim centones assutos *& ut quisque ordine ant.* Lectio ipsa prodit dulcedinem. *Jac. Gronovius.*

1 *Non in vulgus inops, sed in tribunos*] In cod. Bud. *non in vulgus inopsque in tribunos.* Forte, *quin in tribunos.* Rhenanus. Eadem fere Sallust. Catil. *nam semper in civitate quibus opes nulla sunt, invident bonis, malos extollunt. vetera odere, nova exoptant, odio rerum suarum mutari omnia student.* Salinerius.

2 *Reverteretur*] Videtur legendum, *verteretur.* Ursinus. Scribo cum Mureto, *verteretur.* Acidalius.

3 *Nomen atque imagines*] Nomen ejus in Signis. Mos enim ille, ut Imperatoris sui nomen tum Vexillis inscriberent, tum Scutis. Quod etiam in libera rep. video factitatum. Dio de Crasso in Parthos movente, l. XL. Σημεῖον δέ τι τῶν μεγάλων τοῖς ἱστίοις ἐοικότων, καὶ φοινικᾶ γράμματα ἐπ' αὐτῷ πρὸς δήλωσιν τῆς τε στρατιᾶς καὶ τοῦ στρατηγοῦ σφῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἐχόντων. *Signum unum, ex iis quæ magna sunt & velorum similia, & Puniceas literas inscriptas habent ad indicium exercitus & Imperatoris sui faciendum.* Thebaidis scriptor etiam Græcis attribuit, sed mentem habens in militia Romana:

—— *aurea clarum nota*
*Nomen ducum vexilla præscriptum ferunt.*

facitque literas aureas, quas Dio Puniceas. Huc Suetonii illud pertinet, Vespas. cap. VI. *Nomen ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt.* Item Prudentii, de Constantino:

*CHRISTUS purpureum, gemmato textus in auro*
*Signabat LABARUM, CLYPEORUM insignia CHRISTUS*
*Scripserat.*

Qui bene addit de Clypeis, sive Scutis. nam & illic, ut dixi, inscribebant. Quinctilianus, pro Milite: *Inscriptum in scuto C. Marii nomen.* Dio XLIII. Marcellum ait *nomen Pompeji, cum id scutis suis milites inscriberent, delesse.* uti scilicet fautorem se Cæsari ostenderet. Idem lib. I. notat, Romanos milites *Cleopatra nomen scutis inscripsisse*, quasi Imperatoris. D. Ambrosius (sive quis alius ille scriptor) ad hunc ritum respexit Oratione funebri de Valentiniano: *Valentinianus habens in se imaginem Christi. Nec injuriam putaveris, charactere Domini inscribuntur & servuli, & nomine Imperatoris signantur milites.* nisi tamen ad puncturas & stigmata militum hoc refers: quod non sperno *Lipsius.*

4 *Tumentemque lachrymis fatigant. Extremum malorum, tot fortiss. viri*] Sic Flor. auxilio distinximus. Male in vulgatis, *lachrymis fatigant, extremum malorum. tot fortissimi viri* &c. Videbatur enim extremum malorum, lachrymas appellare, sensu & constructione reclamante. Vere Tacitus *extremum malorum* intelligit, fortes viros eo redactos, ut proditoris opem invocare cogerentur. *Pichena.* Vatican. *tot:* melius. Sed & aliter distinguenda hæc: *lacrymis fatigant. Extremum malorum, tot fortiss.* &c. Velut exclamatio est. Etiam pro superius *assistat,* rectius forte legatur *exsistat.* Acidalius.

5 *Tot fortissimi viri*] Nos, *Ac fort. viri.* Rhenanus.

6 *Proditoris opem invocantes*] Xiphilinus videtur velle, eum prætentis velamentis & infulis veniam non impetrarent, liberasse Cæcinam, & Consulari habitu amictum misisse ὑφ' ἱκετηρίας· καὶ ἔτυχον τῶν σπονδῶν i. *ut ipsorum nomine supplex iret; & sic veniam consecuti sunt.* Josephus autem 4. ἁλώσ. c. 14. ab Antonio urbem ingresso liberatum Cæcinam scribit. Apud Tacitum videtur non ad Antonium profectus, nisi facta prius militum deditione. *Savilius.*

7 *Cum Antonius inhiberi tela jussisset*] Non damno hanc lectionem, sed si Tacitum novi, vera hæc erat: *infulas pro muris ostentant. cum* (pro nunc) *Antonius inhibere tela jussit, & signa aquilasque extulere.* Plura in hoc auctore loca fœdata sunt, temeritate vim illius particulæ *cum* ignorantium, ut suis locis notamus. *Freinshemius.*

8 *Posita omni fiducia*] Castigavimus, *posita omni ferocia.* Rhenanus.

9 *Subit recordatio illos esse*] Exemplar Matthiæ regis habet, *subit ratio.* Legerim, *subit miseratio illos esse, qui nuper Bedriaci victoria temperassent.* Rhenanus.

victoriæ temperassent. Sed ubi Cæcina, [1] prætexta lictoribusque insignis, dimo-
ta turba, consul incessit; exarsere victores: *superbiam*, *sævitiamque* (adeo invisa scele-
ra sunt) etiam *perfidiam*, objectabant. Obstitit Antonius, datisque defensoribus ad
32 Vespasianum dimisit. Plebs interim Cremonensium, inter armatos conflictabatur.
nec procul cæde aberant, cum precibus ducum mitigatus est miles. Et vocatos ad
concionem Antonius alloquitur, magnifice victores: victos clementer: [2] de Cremo-
na in neutrum. Exercitus præter insitam prædandi cupidinem, vetere odio ad exci-
dium Cremonensium incubuit. juvisse partes Vitellianas Othonis quoque bello crede-
bantur: mox tertiadecimanos ad extruendum amphitheatrum relictos, ut sunt proca-
cia urbanæ plebis ingenia, petulantibus jurgiis illuserant. Auxit invidiam [3] editum
illic à Cæcina gladiatorum spectaculum: [4] eademque rursus belli sedes: & præbiti in
acie Vitellianis cibi: [5] cæsæ quædam fœminæ, studio partium ad prœlium progres-
sæ. tempus quoque mercatus, ditem alioquin coloniam, [6] majorum opum specie
complebat. Ceteri duces in obscuro, Antonium fortuna famaque omnium oculis
exposuerat. [7] is balineas, abluendo cruori, propere petit. excepta vox est: [8] cum
teporem incusaret, *statim futurum ut incalescerent*. Vernile dictum omnem invidiam
33 in eum vertit, tanquam *signum incendendæ Cremonæ dedisset*, quæ jam flagrabat. Qua-
draginta armatorum millia irrupere, calonum lixarumque amplior numerus, & in li-
bidinem ac sævitiam corruptior. Non dignitas, non ætas protegebat, quo minus
stupra cædibus, cædes stupris miscerentur. Grandævos senes, exacta ætate femi-
nas, [9] viles ad prædam, in ludibrium trahebant. Ubi adulta virgo, [10] aut quis
forma conspicuus incidisset, vi manibusque rapientium divulsus, [11] ipsos postre-
mo direptores in mutuam perniciem agebat. dum pecuniam, vel gravia auro tem-
plorum dona, sibi quisque trahunt, majore aliorum vi truncabantur. Quidam ob-
via aspernati, verberibus tormentisque [12] dominorum, abdita scrutari, defossa erue-
re. Faces in manibus: quas, ubi prædam egesserant, in vacuas domos, & ina-
nia templa, per lasciviam jaculabantur. [13] Utque exercitu vario linguis, moribus,
[1] cui

1 *Prætexta lictoribusque insignis*] Prætexta erat nobilium puerorum, & magistratuum, teste Livio. Sueton. in Jul. *Dimissis lictorib. abjectaque prætexta, domum clam refugit.* Atque tum Julius Prætor erat. *Lupanus.*

2 *De Cremona in neutrum*] Id est, mentem suam non aperuit, an Cremona salva futura esset, necne. *Pichena.*

3 *Editum illic à Cæcina gladiatorum spectaculum*] Præpositionem à delevimus. nam subauditur. *Rhenanus.*

4 *Eademque rursus belli sedes*] Ex Florent. & Ven. addidi copulam, *que*. A vulgatis abest. *Pichena.*

5 *Cæsæ quædam fœminæ*] Ostendit Cremonensium animos adeo pro Vitellio obstinatos, ut etiam feminæ ad prœlium egrederentur, quæ à Flavianis cæsæ. *Pichena.*

6 *Majore opum specie*] Emendavi, *Majorum opum sp.* Rhenanus. Muret. *majore opum spec.* utrumque probum *Acidalius.*

7 *Is balneas abluendo cruore propere petit*] Nos, *abluendo cruori.* In exemplari Matthiæ regis est *balnea*, nec refert. *Rhenanus.* Ex Flor. *Is balineas, abluendo cruori, propere petit.* Vulgo, *balneas.* Pichena.

8 *Cum teporem incusaret*] Cum non tepere quereretur. *Ferrettus.*

9 *Viles ad prædam*] Turnebo ne accedamus rescribenti, *miles ad prædam.* Taciti enimvero mens, eos ipsos qui aut ætate aut imbecillitate non erant ullius æris, raptos tamen per sævitiam & ad illusum. Curtius non absimiliter in direptione Persepolis: *Neque avaritia solum, sed etiam crudelitas in capta urbe grassata est. auro argentoque onusti, vilia captivorum corpora trucidabant.* Lipsius.

10 *Aut quis forma conspicuus*] An *aut puer forma conspicuus.* Gronovius.

11 *Ipsos postremo direptores*] Talis illa in capta urbe descriptio Quinctiliani lib. VIII. *Et conata retinere infantem suum mater, & sicubi majus lucrum pugna inter victores.* Lipsius.

12 *Dominorum abdita scrutari*] Videtur legendum, *domorum abdita.* Ursinus. Muret. præter rem, *domorum abdita scrutari.* Acidalius.

13 *Utque exercitui, vario*] Castigavi, *utque exercitu,*

[1] cui cives, socii, externi interessent, diversæ cupidines, & aliud cuique fas, nec quidquam illicitum. Per quatriduum Cremona suffecit. Cum omnia sacra profana- 34
que in igne considerent, solum [2] Mephitis templum stetit ante mœnia, loco, seu numine defensum. [3] Hic exitus Cremonam habuit, anno [4] ducentesimo sexto & octogesimo a primordio sui. Condita erat [5] Ti. Sempronio & P. Cornelio consulibus, ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculum adversus Gallos trans Padum agentes, & si qua alia vis [6] per Alpes rueret. Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, [7] ubere agri, annexu connubiisque gentium adolevit floruitque, bellis externis intacta, [8] civilibus infelix. [9] Antonius pudore flagitii, crebrescente invidia, edixit, *ne quis Cremonenses captivos detineret.* irritamque prædam militibus effecerat con-

*citu, vario linguis*, &c. *Rhenanus.* Danesius legebat. *Utique exercitui vario linguis*, non, *utique exercitu* &c. *Ursinus.*

1 *Cui cives, socii, externi interessent*] Qui constaret ex civibus & sociis & externis. *Ferretius.*

2 *Mephitis*] Dea tetri odoris. *Savilius.*

3 *Hic exitus Cremonam habuit*] In exemplari Matthiæ regis tantum est, *hic exitus Cremonam.* tum subaudiendum *habuit.* aut legendum *Cremona.* Rhenanus. In hoc prœlio scribit Josephus ἁλώσ. 4. c. 41. ex Vitellianis xxx. millia armatorum ducentosque cecidisse: Antonium quatuor millium & quingentorum clade pugnasse. Xiphil. narrat Cremonæ cum iis, qui in acie cæsi, quinquaginta hominum millia periisse. Volvebatur Octobris finis, quo circiter tempore, ut ex Tacito colligimus, nuncius de rebellante Cæcina advenerat. *Savilius.* Haud aspernandum, quod custodit Rom. codex. *Hic exitus Cremona, anno* ostendit hæc discrepantia, quid sibi permiserint exscriptores. *Gruterus.* Indicavit jam Ryckius etiam in Medic. legi, *Hic exitus Cremonam.* Quod quidni retinemus? Si supplere placet, verbum *manere* offertur ab ipso Tacito 5. hist. 21. *Ac si nocentem innocentemque idem exitus maneat.* Alii id mutavere in genitivum, quia legentes procedebant ad verba cap. 75. *Hic exitus viri haud sane spernendi.* Jac. Gronovius.

4 *Anno* CCLXXXVI. *a primordio sui*] Finis libri annalium tertii decimi, ubi edunt *quæ octingentos & quadraginta ante annos*, perinde vocibus exsignata numeratione, impellit me, ut non tolerem hoc loco istam dissonantiam & vel visus vel typorum discordiam, qua proferunt nunc numerorum congregationem in annis urbis, qui non nisi per triplicem scansionem exprimi possunt. Sit ubique eadem facies, vel si diversum quid indulserint scribæ. *Jac. Gronovius.*

5 *Ti. Sempronio*] Id est, Tiberio. Male enim vulgo, *Tito:* ex Livio, & Fastis. *Lipsius.*

*Ti. Sempronio, & P. Cornelio Coss.*] A. V. C. 536. & primo anno belli Punici secundi. *Savilius.* Idem sibi videri significat Vellejus in priore, qui deductas colonias sub adventum Annibalis Cremonam atque Placentiam scribit, & circa Padum, in agrum Gallicum iis ipsis Ti. Sempronio, & P. Cornelio coss. anno v. c. DLVI. deductas, Livius auctor est lib. 21. *Vertranius.* Istud *P.* nec est in MS. Mediceo, nec in editione Beroaldi, ut sit donum Rhenani aut æquævi alterius. Unde nihil vetat, quin referas ad modum indicatum 14. ann. 1. *Jac. Gronov.*

6 *Per Alpes rueret*] A Beato hoc est. antea, *irrueret.* Legam *ingrueret.* Lipsius.

*Per Alpes irrueret*] Reposui, *rueret.* nam *ruere* pro *irruere* sæpe usurpat. *Rhenanus.* Non à Rhenano solum est verbum: *rueret*, ut ait Lipsius, sed & Florent. agnoscit. Antea, *irrueret.* Pichena.

7 *Ubere agri annexu*] Cogitandum an legi possit, *adhæsu*, ab adhærendo. *Rhenanus.* Ex Flor. distinxi, *ubere agri, annexu connubiisque gentium.* Falso in vulgatis, *ubere agri annexu, connubiisque gent.* Virgil. 1. Æn. *Terra antiqua, potens armis, atque ubere gleba.* Pichena. Distingue: *ubere agri, annexu* (vel *innexu*, quod forte melius) *connubiisque gent.* Notum è Poëta. *Uber agri.* Acidalius.

8 *Civilibusque infelix*] In exemplari Matthiæ regis est, *intacta.* Rhenanus. Cremonam bellis civilibus fuisse infelicem dicit Tacitus, quod Cassii, Bruti & Antonii copias Cremonenses suscepissent. eaque causa à Virgil. *misera Cremona* vocatur eclog. 9. *Lupanus.*

9 *Pudore flagitii*] Ita mei libri. Budensis, *pistore.* vulgati pessime, *post rem flagitii.* Lipsius.

*Antonius post rem, flagitii crebrescente invidia*] Volumen Corvini regis habet, *Antonius pistore flagitii.* Lego, *Antonius pudore flagitii, crebresc. invidia.* Rhenanus. Variata distinctione castigationes omnes pessundamus. *Antonius post rem (flagitii increbrescente invidia) edixit.* τὸ *post rem* non aliter accipio, atque *post factum*, exemplum non longe petam: *Consilia post res afferebantur.* Salinerius. Cum nonnulli codices habeant, *post rem flagitii*, Salinerius eam lectionem, distinctione tantum, subtiliter defendit. Sed ea est apud me Flor. nostri auctoritas, ut vocem, *pudore*, quæ in eo legitur, prorsus anteferam, Lipsio quoque probante. *Pichena.* Vera omnino ista lectio, *Antonius pudore flagitii crebrescente invidia* &c. E vulgato tamen *post rem*, non pessime possit scribi: *Antonius, postremi flagitii crebr.* &c. *Postremum flagitium*, ut extremum, ultimum, pessimum. *Acidalius.*

consensus Italiæ, emptionem talium mancipiorum aspernantis. [1] Occidi cœpere. quod ubi enotuit, a propinquis affinibusque [2] occulte redemptabantur. mox rediit Cremonam reliquus populus. reposita fora, templaque, [3] magnificentia municipum: & Vespasianus hortabatur. Ceterum assidere sepultæ urbis ruinis, noxia tabo humus,

35 haud diu permisit. ad tertium lapidem progressi, vagos paventesque Vitellianos, sua quemque apud signa componunt. Et victæ legiones, ne manente adhuc civili bello ambigue agerent, per Illyricum dispersæ. In Britanniam inde, & Hispanias, nuntios famamque, in Galliam, Julium Calenum tribunum; in Germaniam, [4] Alpinum Montanum præfectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus Æduus, uterque Vitelliani fuerant, ostentui misere. Simul transitus Alpium, præsidiis occupati; suspecta

36 Germania, tamquam in auxilium Vitellii accingeretur. At Vitellius, profecto Cæcina, cum Fabium Valentem paucis post diebus ad bellum impulisset, curis luxum obtendebat: non parare arma, [5] non alloquio exercitioque militem firmare, [6] non in ore vulgi agere: sed umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, jacent torpentque, præterita, instantia, futura, pari oblivione dimiserat. Atque illum, in nemore Aricino desidem & marcentem, proditio Lucilii Bassi, ac defectio classis Ravennatis perculit. Nec multo post de Cæcina affertur mixtus gaudio dolor, & descivisse, & ab exercitu vinctum. plus apud socordem animum lætitia, quam cura valuit. multa cum exsultatione in urbem revectus, frequenti concione, *pietatem militum* laudibus cumulat. [7] *P. Sabinum prætorii præfectum,*

37 *ob amicitiam Cæcinæ vinciri* jubet, substituto in locum ejus Alpheno Varo. Mox senatum, composita in magnificentiam oratione, allocutus, exquisitis patrum adulationibus attollitur. Initium atrocis in Cæcinam sententiæ, a L. Vitellio factum. dein ceteri, composita indignatione, *quod consul rempublicam; dux imperatorem; tantis opibus, tot honoribus cumulatus amicum prodidisset,* [8] velut pro Vitellio conquerentes, [9] suum dolorem proferebant. Nulla in oratione cujusquam erga Flavianos duces

1 *Cædi cœpere*] Illic, *secidi.* Reposuimus, *Occidi cœpere.* Rhenanus.

2 *Occulte redemptabantur*] Sic malui ex Flor. quam ut vulgo, *redimebantur.* Pichena.

3 *Magnificentia municipum*] Placet magis quod in Rom. codice est, *munificentia.* Lipsius.

4 *Alpinum Montanum*] Medic. *Alpinium*, ut valde cognatum nomen sit *Apinio* c. 57. *Jac. Gronov.*

5 *Non alloquio exercitioque*] In volumine Corvini regis est, *non exercitioque.* Lego, *non alloquio, non exercitio militem firmare.* Rhenanus.

6 *Non in ore vulgi*] Vera nostra conjectura. Nam in libris omnibus *more vulgi* quod sane haud convenit. At *in ore agere*, est Latinis coram & in conspectu esse, sese offerre. Sallustianum est, & ab eo penu Tacito promptum. In oratione Cottæ ad Quirites: *A prima adolescentia, in ore vestro privatus & in magistratibus egi.* Fragmento alio: *In ore agens gentibus, populo, civitati.* Tacitus iterum hoc libro: *Julianus ad L. Vitellium perductus, verberibus fœdatus, in ore ejus jugulatur.* Dicendi hoc genus restituendum Plinio censeo in Panegyrico: *Sunt in honore hominum & in honore fama magna nomina, ex tenebris oblivionis, indulgentia Cæsaris.* Et lego: *Sunt in ore hominum, & in ore fama.* Lipsius.

*Non more vulgi agere*] Faernus legebat: *Non lege vulgi agere* &c. *Ursinus.* Antea, *more vulgi agere.* Lipsius ex conjectura emendavit, idque Flor. confirmat. immo ipse Tac. lib. præced. *nec quicquam magis in ore vulgi.* Pichena. Vulgus inter ancipitia semper trepidat, *vulgus formidolosum* lib. 1. ann. At Vitellius quasi bellum cum Vitellianis nil sua referret, luxui sic se dederat, ut abjectis imperii curis, nec trepidare (qui mos vulgi per ardua) meminisset. Graphice ignavia Vitellii repræsentatur, dispeream si eam pictor melius expresserit. Doct. vir, *in ore vulgi.* Salinerius.

7 *P. Sabinum prætorii præfectum*] Dubitat Lipsius de hoc Sabini prænomine, quod nunquam fuisse ait in Flavia gente. At Mercerus in Notis tradidit, recte monuisse Savilium Anglum, non esse hunc Sabinum, qui præfectus urbi, & Vespasiani frater, sed alium ex alia gente. Idem adnotavi etiam præc. lib. c. 92. *Pichena.*

8 *Velut pro Vitellio*] Amplificando Vitellii benignitatem erga hominem, æque ac Cæcina indignum, ægre sibi esse testantur tantum viri propudium præferri, & tamen Vitellii vicem deplorare videntur. *Savilius.*

9 *Suum dolorem proferebant*] Unde nam hic dolor?

ces obtrectatio. *errorem imprudentiamque exercituum* culpantes, Vespasiani nomen suspensi & vitabundi circumibant. Nec defuit, qui unum consulatus diem (is enim in locum Cæcinæ supererat) magno [1] cum irrisu accipientis, tribuentisque, [2] eblandiretur. pridie Kalendas Novembris, [3] Rossius Regulus iniit, ejuravitque. Annotabant periti, [4] *nunquam antea non abrogato magistratu, neque lege lata, alium suffectum.* nam consul uno die & ante fuerat Caninius Rebilus, C. Cæsare dictatore, cum belli civilis [5] præmia festinarentur. Nota per eos dies Junii Blæsi mors, & famosa 38
fuit; de qua sic accepimus. Gravi corporis morbo æger Vitellius, Servilianis hortis, turrim vicino sitam collucere per noctem crebris luminibus [6] animadvertit. Sciscitanti caussam, *apud Cæcinam Tuscum epulari multos, præcipuum honore Junium Blæsum* nuntiatur. cetera in majus, de *apparatu, & solutis in lasciviam animis.* nec defuere, qui ipsum Tuscum & alios, sed criminosius Blæsum incusarent, *quod ægro principe lætos dies ageret.* [7] Ubi asperatum Vitellium, & posse Blæsum perverti, satis patuit iis qui principum offensas acriter speculantur, datæ L. Vitellio delationis partes. [8] Ille infensus Blæso, æmulatione prava, quod eum omni dedecore maculosum, egregia fama anteibat, cubiculum imperatoris reserat: filium ejus sinu complexus, & genibus accidens, [9] caussam confusionis quærenti, *non se proprio metu, nec sui anxium, sed*

lor? an propter Cæcinæ proditionem, inclinatasque Vitellii partes? imo potius, quia proditio non successerat. nam Senatum, odio Vitellii, minime alienum Vespasiano fuisse, jam tum apparebat. Sed verior sensus videtur, eos dolore affectos, propter miserrimum reip. statum, in talium potestatem delapsæ. Sic infra, *& plerique haud perinde Vitellium, quam casum locumque principatus miserabantur.* Pichena.

1 *Cum irrisu accipientis tribuentisque*] Aliter Flor. *tradentisque accipientisque.* Idem.

2 *Blandiretur*] Castigavimus, *eblandiretur.* Rhenanus.

3 *Rossius Regulus iniit ejuravitque*] In vol. Corvini regis est tantum, *Rosius Reg. iniit, ejuravit.* Rhenanus. Muretus, *Rosius.* Acidalius.

4 *Nunquam antea non abrogato*] Lego, *nonnunquam.* Nam Q. Fabio extrema die magistratus sui defuncto, in residuas horas C. Caninium Rebilum Jul. Cæsar substituit. Qua in re tum labefactata majorum instituta Dion Cassius ait lib. 43. extremo, quod Caninius simul ac consul factus, gessit, deposuitque consulatum: quod Cicero cavillatus, tanta sollicitudine ac cura Consulem eum in suo magistratu usum dixit, ut ne brevissimum quidem in eo somnum admiserit. Hinc aperias Sueton. Jul. 76. *Pridie Cal. Jan. repentina consulis morte cessantem honorem, in paucas horas petenti dedit.* De eodem Plutarch. *Mortuo Cos. majore, quanquam unica magistratui dies superesset, Can. Rebilium consulem fecit.* Verum in eo Plutarchi locus suspectus est, quod majori consuli suffectum refert Caninium. *Præcipuus consul* Velleii posteriore, *insignis* Virgilii vis. *prior*, Ciceronis Pisoniana: & *major* Plin. 7, 43. L. Crasso dicitur, vel is, penes quem fasces sunt, vel is, qui prior creatus sit. Si Fabium, cum moreretur, fasces habuisse Plutarchus novit, ideoque *majorem* dixit, bene est: sin minus, primo loco Fabius creatus non potest videri, qui neque creatus est. C. enim Julius contentus Dictaturæ potestate, quartum consulatum titulo tenus gessit, atque binos consules substituit sibi, ait Tranquillus, qui sunt apud Dionem lib. 43 Q. Fabius & C. Trebonius. Tum in illo Cæsar prævaricatus est, quod integro anno consulatum non gessit, sed ipse vivus nullo exemplo, nullis patriæ legibus nulloque edicto jussus, magistratu se abdicavit, aliosque subrogavit. Exinde receptum scribit Cassius, ut perpauci toto anno consulatum gererent. Quare in Rossio Regulo falso annotasse periti videantur, nunquam ante id tempus, non abrogato magistratu, neque lege lata, consulem alii suffectum, si receptam in Cornelio scriptionem probes: ego ex superioribus ostendisse videor, *nonnunquam* legi debere: qualiter apud Papinian. 43. D. de Religiosis: *strictam rationem insuper habemus, quæ nunquam in ambiguis religionum quæstionibus omitti solet.* Scribendum esse *nonnunquam*, alii quoque annotaverunt. *Vertranius.*

5 *Præmia festinarentur*] Codex Bud. habet, *dictarentur.* Legerim, *ista darentur.* Rhenanus.

6 *Animadvertit*] In cod. Bud. est, *advertit.* Rhenanus. Muret. *advertit.* Acidalius.

7 *Ubi aspernatum Vitellium*] Fœdus lapsus est. restituimus, *ubi asperatum V.* Rhenanus.

8 *Illic infensus Blæso*] Nos, *ille infensus Blæso.* Idem.

9 *Causam confusionis quærenti*] Volumen regium habet aperte, *causam effusionis quærenti.* Id fortassis accipi potest de subita provolutione, qua se L. Vitellius calumniator in terram ante pedes Vitellii Cæsaris effudit. At *confusionis* vocabulum etiam usurpat lib. seq. de Domitiano: *Crebra oris confusio*

*sed pro fratre, pro libertis fratris, preces lacrymasque attulisse. Frustra Vespasianum timeri, quem* [1] *tot Germanicæ legiones, tot provinciæ virtute ac fide, tantum denique terrarum ac maris immensis spatiis arceat. In urbe ac sinu cavendum hostem,* [2] *Junios Antoniosque avos jactantem, qui se stirpe imperatoria, comem ac magnificum militibus ostentet. Versas illuc omnium mentes, dum Vitellius* [3] *amicorum inimicorumque negligens, fovet æmulum,* [4] *principis labores è convivio prospectantem. Reddendam pro intempestiva lætitia mœstam & funebrem noctem, qua sciat & sentiat vivere Vitellium, & imperare, &*

39 *si quid fato accidat, filium habere.* Trepidanti inter scelus metumque, ne dilata Blæsi mors [5] maturam perniciem, palam jussa atrocem invidiam ferret: placuit [6] veneno grassari. Addidit facinori fidem, [7] nobili gaudio, Blæsum visendo. quin & audita est sævissima Vitellii vox, [8] qua (ipsa enim verba referam) *se pavisse oculos, spectata inimici morte*, jactavit. Blæso super claritatem natalium & elegantiam morum, fidei obstinatio fuit. Integris quoque rebus, a Cæcina & primoribus partium jam Vitellium aspernantibus, ambitus, abnuere perseveravit, sanctus, inturbidus, nullius repentini honoris, adeo non principatus appetens, [9] ut parum effugeret, ne dignus crederetur.

40 Fabius interim Valens, multo ac molli concubinarum spadonumque agmine, segnius quam ad bellum incedens, *proditam à Lucilio Basso Ravennatem classem*, [10] pernicibus nuntiis accepit. Et si cœptum iter properasset, nutantem Cæcinam prævenire; aut ante discrimen pugnæ, assequi legiones potuisset. Nec deerant qui monerent, *ut cum fidissimis per occultos tramites, vitata Ravenna, Hostiliam Cremonamve pergeret.* Aliis placebat, *accitis ex urbe prætoriis cohortibus, valida manu perrumpere.* Ipse inutili cunctatione, agendi tempora consultando consumpsit. mox utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media se-

*pro modestia accipiebatur.* Livius lib. 1. dec. 5. *Paulo post rediit confuso vultu.* Idem.

1 *Tot Germanicæ legiones*] Hæc clausula non est in libro MS. *Idem.*

2 *Junios Antoniosque avos*] Ex utroque hoc nomine causam habuerunt stirpis suæ originem ab Octavia repetendi, Augusti sorore, ut perspecta Genealogiæ series probat. *Savilius.*

3 *Amicorum inimicorumque negligens*] Hoc est amicos & inimicos non discernens. *Pichena.*

4 *Principis labores è convivio prospectantem*] Labores morbum vocat. *Rhenanus.*

5 *Maturam pœnitentiam*] Reposui, *maturam perniciem* subaudi, *ipsi Vitellio afferret.* Idem.

6 *Veneno grassari*] Ergo huc referam, in silentio interpretum, Suetonii hæc de Vitellio, capite 14. *Nobiles viros, condiscipulos suos, tantum non ad societatem Imperii omnibus blanditiis allicefactos, vario genere fraudis occidit. etiam unum veneno, manu sua porrecto in aqua frigida potione.* Priora Dolabellam notant; hæc de veneno, Junium Blæsum. *Lipsius.*

7 *Nobili gaudio*] Nescio, an, *notabili gaudio.* Idem.

*Nobili gaudio Blæsum visendo*] Fecit ut crederetur facilius, quod Blæsum visit gaudio nobili, id est, eminente, illustri, manifesto. *Ferrettus.* Placeret, *notabili gaudio*, & ita legebat Faërnus. *Ursinus.*

8 *Qua (ipsa enim verba referam) se pavisse oculos*] Modica transpositio est in Flor. *Quæ se (ipsa enim verba referam) pavisse* &c. *Pichena.* Hoc de Blæso interfecto dixisse Vitellium Sueton. ait, sed quendam in ipsa salutatione supplicio traditum, statimque revocatum cunctis clementiam laudantibus coram interfici jussisse, velle se (dicentem) oculos pascere. *Colerus.*

9 *Ut parum abfuerit*] Nos, *ut parum effugeret, ne* &c. *Rhenanus.* Melius tamen, immo egregie videtur exhibere MS. Mediceus: *principatus appetens. Parum effugerat, ne dignus cred.* Publicatum quidem id Ryckio, sed ut vix in extremo daret locum, nedum ut intelligeret. *Jac. Gronovius.*

10 *Pernicibus nunciis accepit*] Notandum Imperatores habuisse quosdam dispositos equos, ut citius, quam fieri posset, omnia ipsis nunciarentur, quæ fierent, vulgus *postas* appellat, quorum Cyrum primum ferunt inventorem. Augustus quo celerius cognosceret, quæ fierent in Provinciis, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit. Nam fuit olim cursus publicus vehicularis, ut ex Justiniani Cod. patet in tractatu de cursu publico, atque Plutarch. in Galb. Capitol. in Maximinis duobus: *Jam primum ii nuntius* &c. *tanto impetu mutatis animalibus cucurrit, ut quarto die Romam venerit.* Hanc equorum cursitationem Persæ *Angareiam* vocant. Cursoribus quoque usi Imperatores Rom. ut Galli Reges; per quos illis quam

ſequitur, nec auſus eſt ſatis, nec providit. [1] Miſſis ad Vitellium litteris, *auxilium* 41 poſtulat. Venere [2] tres cohortes, cum ala Britannica, neque ad fallendum aptus numerus, neque ad penetrandum. Sed Valens [3] ne in tanto diſcrimine quidem infamia caruit, quo minus illicitas rapere voluptates, adulteriiſque ac ſtupris polluere hoſpitum domus crederetur. aderant vis, & pecunia, & [4] ruentis fortunæ noviſſima libido. Adventu demum peditum equitumque pravitas conſilii patuit, quia nec vadere per hoſtes tam parva manu poterat, etiam ſi fidiſſima foret; nec integram fidem attulerant. Pudor tamen, & præſentis ducis reverentia morabatur, haud diuturna vincula [5] apud avidos periculorum, & [6] dedecoris ſecuros. [7] Eo metu, & paucis, quos adverſa non mutaverant, comitantibus, cohortes Ariminum præmittit: alam *tueri terga* jubet: [8] ipſe flexit in Umbriam, atque inde Etruriam: ubi cognito pugnæ Cremonenſis eventu, non ignavum, & ſi proveniſſet, atrox conſilium iniit, ut arreptis navibus, in quamcumque partem Narbonenſis provinciæ egreſſus, [9] Gallias, & exercitus, & Germaniæ gentes, novumque bellum cieret. Digreſſo Valente, trepidos, qui Ariminum tenebant, Cornelius Fuſcus admoto exer- 42 citu, & miſſis per proxima litorum Liburnicis, terra marique circumvenit. Occu-

pan-

quam celerrime omnia nuntiabantur, atque ipſi nuntiabant. Capitol. in Ælio Vero. *Lupanus.*

1 *Miſſis ad Vitellium literis*] Fieri poteſt, ut Valens primam amplexus fuerit opinionem, quæ erat *accitis ex urbe cohortibus valida manu perrumpere*, ſed Vitellius in culpa, qui plures non ſubmiſit. *Savilius.*

2 *Tres cohortes*] Fortaſſis Prætorianorum: & præter illas tamen quatuordecim prætorianas cohortes comperimus, quæ ſexdecim tantum fuerunt univerſæ. 2. hiſt. *Idem.*

3 *Ne in tanto quidem diſcrimine*] In lib. MS. *ne in tanto diſcrimine quidem.* Item *quo minus illicitas rapere voluptates.* Alii, *quo minus rapere illicitas* &c. *Rhenanus.* Muret. *ne in tanto quidem diſcr.* Quaſi multum interſit. *Acidalius.*

4 *Ruentis fortunæ noviſſima libido*] An inter cætera deficientia, libido noviſſima exuitur, ac diutius adhæret hominibus, quam cætera vitia? Potius videtur ſenſus: Qui diu frui non ſperat, avidius fruitur. Sic lib. præced. Otho moriturus ait: *Difficilius eſt temperare felicitati, qua te non putes diu uſurum.* Pichena.

5 *Apud avidos periculorum*] Sic noſtra legunt exemplaria, mentem loci non penetro. quæ annectitur narratio, aliquantum imperfecta mihi videtur. Cur enim Valens miſſas Ariminum copias potius hoſtibus objecit, quam Vitellio remiſit, ſi non decreverat ſubſequi? Quo animo Umbriam & Etruriam adierit? quid egiſſet ſi Cremonenſis prœlii factus non fuiſſet certior? niſi forte quod antea abnuerat, ſecreta via progredi voluerit Hoſtiliam & Cremonam verſus. Iſtas circumſtantias exigebat tractatus accuratior. *Savilius.* Faernus emedabat, *apud pavidos peris.* Urſinus. Non abſurde Faërnus litera amplius, ſed contra mentem ſcriptoris. His enim ſimiles deprehenduntur nobis lib. 1. Ann. 14. Nec alieni quorum meminit lib. 3. Hiſt. 26. *Terrebat ipſorum miles periculi quam mora patientior.* Gruterus.

6 *Decoris ſecuros*] Bono ſenſu: in Florentino tamen: *dedecoris*, fortaſſe & meliore. *Lipſius.*

*Dedecoris ſecuros*] Caſtig. *decoris ſec.* Sunt autem *decoris ſecuri*, qui nullam honeſti curam habent. *Rhenanus.* Id eſt, omnia agentes ſine cura decori, & honeſti. *Ferretus.* Miror cur in mentem venerit Rhenano, hanc lectionem conſenſu veterum exemplarium, ac præſertim Florentini confirmatam, mutare. Aliquid ſimile ſupra, Antonius ignaviam militibus ſuis exprobrans ait: *ignominiam conſumpſiſſis.* Apulejus Metam. lib. 1. *Rubore digeſto.* & lib. 2. & 9. *devorato pudore.* Pichena. Imo *dedecoris.* quod viſum & Mureto. *Acidalius.* Malim heic cum Pichenæ MS. & editionum prima, *dedecoris ſecuros.* Gruterus.

7 *Eo metu, paucis quos adverſa non mutaverant*] Addidimus particulam *&*, *Eo metu, & paucis* &c. Rhenanus. Muretus *&* tollit; ſed non ſimul omne loci vitium. Supereſt enim etiamnum fœda trajectio unius verſus, quem ſuum in locum, à ſententia ducti, ſic reducimus: *Eo metu cohortes Ariminum præmittit, alam tueri terga jubet: ipſe paucis, quos adverſa non mutaverant, comitantibus, flexit in Umbriam* &c. *Acidalius.*

8 *Ipſe flexit in Umbriam, atque inde Etruriam*] Addidimus præpoſitionem, *in*; *atque inde in Etruriam.* Rhenanus. Sed cui bono & qua fide? certe non probat particulam iſtam membrana Medic. unde merito remitti ad auctorem incepit ab Ryckio, quem ſequor. *Jac. Gronovius.*

9 *Gallias & Germania gentes*] Vocem apte inſerit Vatic. codex: *Gallias & exercitus & Germ. gentes.* Nam in Gallia exercitus, VIII. legiones. *Lipſius.*

*Gallias, & exercitus*] Duas dictiones, *& exercitus*, delevi. *Rhenanus.* Verba, *& exercitus*, quæ aberant, ex Flor. & Vat. repoſui. *Pichena.*

1 Ha-

pantur plana Umbriæ, & qua Picenus ager [1] Hadria alluitur. omnisque Italia, inter Vespasianum ac Vitellium, Apennini jugis dividebatur. Fabius Valens, è sinu Pisano, [2] segnitia maris, aut adversante vento, [3] Portum Herculis Monœci depellitur. haud procul inde agebat Marius [4] Maturus, Alpium maritimarum procurator, fidus Vitellio, cujus sacramentum, cunctis circa hostilibus, [5] nondum exuerat. Is Valentem comiter exceptum, *ne Galliam Narbonensem temere ingrederetur* monendo terruit: simul [6] ceterorum fides metu infracta. [7] namque circumjectas civitates, [8] pro-

1 *Hadria alluitur*] Id est, mari Hadriatico, quod nunc *Venetiarum mare* vocant. Qua loquendi forma usus est Lucanus, *Senat Jonio vagus Hadria Ponto.* Horat. in Odis, *Quo non arbiter Hadriæ major.* Tac. lib. 15. *maris Hadriæ trajectum* quoque appellat. Supra idem pro urbe usurpavit, *Bassus honorata custodia, Liburnicis navibus Hadriam provectus* &c. Duæ fuerunt urbes nomine Hadriæ in Italia. *Lupanus.*

2 *Sævitia maris*] Romana editio, *segnitia maris*: quod auribus meis blanditur: significatque, nullo, vel adverso vento, usum. *Lipsius.*

*Segnitia maris aut adversante vento*] Scribo, *haud adversante vento.* Rhenanus. Vulgo *sævitia maris.* Lipsius adnotavit in Rom. edit. legi, *segnitia maris*, sed sententiæ non convenire. Mihi contra, ea vox aptissima videtur, & à Flor. confirmatur, optimo sensu. Valentem scil. cujus naves, non remis, sed velis utebantur, aut nullo vento, aut adverso usum fuisse. *Pichena.* Æque auribus blanditur atque animo scriptura edit. Rom. *segnitia maris.* nam non video quomodo alteri verbo heic locus sit. nulla fere est sævitia maris vento secundo; oritur ea potius adverso. itaque dicit auctor interruptum iter Valentis, aut ob malaciam maris, aut ob tempestatem adversam. *Gruterus.*

3 *Portum Herculis Monœci*] Cato, *In montanis Liguribus sunt portus Herculis Ægyptii. Nam Liburnum in his est, à nomine simul & cognomine illius. Est & alius qui nomen vetus adhuc retinet, Portus Herculis.* Sed & ab eodem cum portu exstructa videri potest arx, cui Monigo vel (ut alii) Monacho nomen vulgus nostratium dat, à priore litteris pauculis distans. Hoc suadet Ammianus l. 15. ubi de Thebano Hercule ad Geryonem extinguendum, & Tauriscum lenius gradiente, inquit, *Monœci arcem & portum ad perennem sui memoriam consecravit.* Ex quibus *arx Monœci* & *portus Herculis Monœci* diversa duo significantur. Hæc ego tentare solum, Volaterranus affirmare ausus est lib. 4. *Monœci portus, quod solus ibi Hercules coleretur, hodie Monachus.* Vertranius.

4 *Maturus Alpium maritimarum procurator*] Idem lib. sup. in Liguria Othonianis restitit, quos arcebat ne finibus provinciæ nostræ appropinquarent: tum enim in verba Vitellii provincia adacta erat, quam deinde procurator Valerius Paulinus Forojuliensis in Vespasiani verba adegit, uti mox scribit. Licet autem maritimarum Alpium nationes (si Romam attendas) Cisalpinæ complures essent, Veneti, Statielli, Vacienni, Magelli, Euburiates, Intemelii, Ingauni &c. Cisalpinæ, Salii, Deceates, Oxybii, non ideo maritimarum procuratori eidem suberant omnes, ut ex hoc loco observari potest. Quicquid enim inter Macram & Varum, addito municipio Antipoli, Romani juris fuit, procuratori maritimarum: quicquid inter Alpium summa juga & Massilitanam ditionem, procuratori provinciæ Narbonensis parebat. Sed etsi imperii singularis sub initio Lucilius Capito Tiberii Cæsaris in Asia procurator, eo quod manu militum usus, in exilium damnatus fuerit, sensim imperio constituto ab illo summo jure recessum est. Tum enim in provincias, quæ prætorem aut proconsulem haberent, procurator plerumque missus est, qui rationes principis tributorum, vectigalium, redituumque curaret, ut ad Ann. 12. diximus. Deinde cum res in provinciis consedissent, solus procurator in eas missus, & præsidiorum & rei principalis curam habuit: qualis apud Plin. ep. 7. Terentius Junior, & Valerius Paulinus ex Corneliano scripto videtur. Neque enim si proconsul provinciam rexisset, cum de imperio Vespasianus & Vitellius contenderent, nulla ejus esset à Tacito facta mentio. *Vertranius.*

5 *Nondum exuerat*] Rectius sic Flor. quam vulgati, *non exuerat.* Ait enim, *nondum*, innuens, eum ipsum quoque postea exuisse. *Pichena.*

6 *Metu intacta*] Pichena censet, *infracta*: at mihi pro sententia nunc videbatur, *intentata.* Destitit Valens ab aliis tentandis, metu ne temere se crederet & interciperetur. Quod si eamdem sententiam è voce, *intacta*, elicis: haud immutem. *Lipsius.*

*Cæterorum fides metu intacta*] Et à cæterorum mutanda fide metu abstinuit. *Ferrettus.* Vulgo, *intacta.* Ac si libri vet. consentirent, nihil mutassem. Sed cum Flor. habeat, *intacta*, reposui, *infracta*: familiari Tacito voce, pro labefacta, seu valde fracta. Ann. lib. 13. *infracta paulatim potentia matris.* hist. lib. 2. *Infracta partium fama.* & lib. 4. *Galbam & infracta tributa, hostiles spiritus induisse.* Quod autem Salinerius eandem vim inesse velit voci, *intracta*, aliorum sit judicium. Nulla ergo huic loco obscuritas remanet. cujus sensus & ordo est: Valentem, ne Galliam ingrederetur, deterritum fuisse, & monitionibus Marii, & nunciis illuc allatis de infracta fide cæterorum, qui Vitellianas

[1] procurator Valerius Paulinus, strenuus militiæ, & Vespasiano ante fortunam amicus, in verba ejus adegerat. Concitisque omnibus, qui [2] exauctorati a Vitellio bel- 43
lum sponte sumebant, [3] Forojuliensem coloniam, claustra maris præsidio tuebatur: [4] eo gravior auctor, quod Paulino patria Forum Julii, & honos apud prætorianos, quorum quondam tribunus fuerat. Ipsique pagani, favore municipali, & futuræ potentiæ spe juvare partes annitebantur. [5] quæ ubi paratu firma, & aucta rumore, apud varios Vitellianorum animos increbuere; Fabius Valens cum quatuor speculatoribus, & tribus amicis, [6] totidem centurionibus [7] ad naves regreditur: Maturo, cete-

nas partes secuti fuerant. *Pichena.* *Ἀναλόγως intacta* ut *infracta.* idque verbi & pro valde frangere, & pro non frangere usurpatur Serv. ad 12. Æneid. Duo deterruere Valentem ab ingressu Galliæ Narbonensis, Maturi monitus & comitum fides metu circumjacentium populorum tacta titubansque. *nam circumjectas civitates procurator Valerius Paulus strenuus militia, & Vespasiano ante fortunam amicus, in verba ejus adegerat.* nec diu Valentis comites destinata dissimulaverunt. *Fab. Valens cum IV. speculatoribus ad naves regreditur mature.* Potuit ergo Pichena, & si qui alii ab emendationibus destitisse. *Salinerius.* Spernit Lipsius Palmerii conjecturam, *metu intuta*, & nescio quid majoris corruptionis hic timet. Mihi integra omnia videntur, si pro *intacta*, rescribatur *infracta*, bona & clara sententia. Valens monitione Maturi territus: ceterorum fides metu infracta est. Is metus unde, statim subjicitur. mox deinde trepidi Valentis ad naves reditus, ceterorum nutantium mutantium in partes transitus memoratur. Non multo alia sententia, legere etiam possis negante particula immissa: *ceterorum fides metu non intacta.* quomodo & alias loquitur lib. 2. *Nec erat intactus tali superstitione* &c. Atque hoc prope verius arbitrer. *Acidalius.*

7 *Namque ceteras*] Nec enim ulla causa est, cur Tacito tres literas *que* invideamus, ut huc usque factum fuit. *Jac. Gronovius.*

1 *Procurator*] Fortassis Galliæ Narbonensis. *Savilius.*

2 *Exauctorati*] Sed ut solum intelligas (quantum mihi ista dijudicanti constat) veteranos Othonis Prætorianos. Alios à Vitellio sacramento solutos non invenio: moxque diserte Prætorianorum meminit. *Idem.*

3 *Forojuliensem coloniam claustraque*] In libro MS. *Forojuliensem coloniam, claustra* &c. Appositive. *Rhenanus.* Ejusdem coloniæ meminit etiam lib. præced. Plures quidem erant Forojulienses coloniæ. de quibus vide Plinium 3, 14. & 19. Sed Tacitus loquitur de ea, quæ in litore Gallici maris circa Massiliam, Octavianorum, seu Pacensis, vel Classica appellata, teste eodem Plinio 3, 4. & Pomp. Mela de situ orbis 2. 5. *Pichena.* Fateor potuisse continuari vulgatum adjecta vocula *que*; neque enim alioquin tot docti editores eam toleravissent; sed quum in Mediceo nuperrimus eam calamus superscripserit, facessat hinc ut aliena. *Jac. Gronovius.*

4 *Eo gravior auctor*] Sic supra: *Tum progressus Lucilius auctorem se palam prabet.* Rhenanus.

5 *Quæ ubi paratu firma*] Codex Corvini *parta* habet. Lego: *quæ ubi pacta firma, & auctarum. apud v. Vit. a. increbuere.* Idem. Sed quod prave tacetur aperiamus: nam in MS. Mediceo exstat *quæ vi paratu*, sine dubio, pro *quæ ut paratu* id est, postquam, ex quo. *Jac. Gronovius.*

6 *Totidemque centurionibus*] In cod. Corvini, *totidem centurionibus.* & nos sic scripsimus. *Rhenanus.*

7 *Regreditur mature: ceterisque*] Priora lego: *regreditur. Maturo ceterisque.* Intellegit enim Marium Maturum procuratorem Alpium, qui discessu Valentis velut exsolutus, transiit in Flavianas partes. Posteriora recte olim Rhenanus emendavit, cum vulgo esset, *volentibus liberum fuit*, insiticia voce: aut, ut in quibusdam, *auctor fuit.* Qui scilicet glossographi ignorarunt genus dicendi à fonte Græco: quod peritum illum sagacemque Germanum non fugit. Ingenii enim & industriæ laudem Rhenano libens do: & scio inter primores eum suæ gentis. At carpsi olim liberius. Non ego, sed ætas. (etsi revera multa in Rhenani judiciis, quæ probet nemo judex è Selectis.) Nunc abiit ille fervor: & obtendere manum ad magnorum virorum culpas possim, quam diducere & explicare. Revera autem quantula hæc sunt, de quibus litigamus? litteræ, syllabæ, voculæ. Ridere mihi lubet, cum virorum gravium & grandium velitationes, imo pugnas video in his nugis. & metuo ut excitent me ad alteram Satyram. Nunc cum Aristophane satis mihi inclamasse:

——— *Λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει*
*Ἄνδρας ποιητὰς, ὥσπερ ἀρτοπώλιδας.* *Lipsius.*

*Ad naves regreditur: Maturo ceterisque*] Lipsii correctionem ac distinctionem sequor. nam procul dubio de Mario Maturo intelligit, quem paulo supra nominavit corrupte vulgo, *regreditur mature: ceterisque.* Pichena. Valens à plerisque suorum desertus cito cum paucis ad naves regreditur: cæteri (inter quos Maturus) Vespasiani partes induerunt. Doctiss. vir legit, *regreditur. Maturo ceterisque.* Putem adductum conjunctione *ceterisque.* Sed aliquando magnificentiæ gratia non decederet uti *παγκλαμπρομεγαλοπρεπέσι συνδέσμοις.* *Salinerius.*

ceterisque remanere, & [1] in verba Vespasiani adigi volentibus fuit. Ceterum ut
mare tutius Valenti, quam litora, aut urbes; ita futuri ambiguus, & magis quid vitaret, quam cui fideret certus, adversa tempestate Stœchadas Massiliensium insulas
44 affertur. ibi eum missæ à Paulino Liburnicæ oppressere. Capto Valente, cuncta ad
victoris opes conversa, initio per Hispaniam à prima Adjutrice legione orto, quæ
memoria Othonis infensa Vitellio, decimam quoque ac sextam traxit. Nec Galliæ
cunctabantur. Et Britanniam, [2] inclytus erga Vespasianum favor, quod illic secundæ legioni à Claudio præpositus, & bello clarus egerat, [3] non sine motu adjunxit
ceterarum, in quibus plerique centuriones ac milites à Vitellio provecti, expertum
45 jam principem anxii mutabant. Ea discordia, & crebris belli civilis rumoribus, Britanni sustulere animos, auctore [4] Venusio: qui super insitam ferociam, & Romani
nominis odium, propriis in Cartismanduam reginam stimulis accendebatur. Cartismandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate: & [5] auxerat potentiam, postquam capto per dolum rege [6] Caractaco, instruxisse triumphum Claudii Cæsaris videbatur. Inde opes, & rerum secundarum luxus. spreto Venusio (is fuit maritus)
armigerum ejus Vellocatum in matrimonium regnumque accepit. Concussa statim
flagitio domus: pro marito studia civitatis, pro adultero libido reginæ, & sævitia.
Igitur Venusius accitis auxiliis, simul ipsorum [7] Brigantum defectione, in extremum discrimen Cartismanduam adduxit. Tum petita à Romanis præsidia. & cohortes alæque nostræ, variis prœliis, exemere tamen periculo reginam: regnum Ve-
46 nusio, bellum nobis relictum. Turbata per eosdem dies Germania, & socordia ducum, & seditione legionum. Externa vi, & perfidia sociali, prope afflicta Romana res. Id bellum cum caussis & eventibus (etenim longius provectum est) [8] mox
memorabimus. Mota & Dacorum gens, numquam fida, tunc sine metu, abducto
e Mœsia exercitu. Sed prima rerum, quieti speculabantur: ubi flagrare Italiam
bello,

1 *In verba Vespasiani adigi volentibus liberum fuit* ] Erasimus vocem, *liberum*. nam imitatione Græca dixit Tacitus, *Ceteris remanere & in verba Vespasiani adigi volentibus fuit*. Ut lib. 15. *Hæc atque talia plebi volenti fuere*. Sic enim castigandum monuimus, ubi vulgo, *valentia fuere*. In vita Agric. soceri: *ut quibus bellum volentibus erat*. l. 1. *ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat*. Nec est locutio valde dissimilis, infra: *Muciano volenti scripsere*. Adduximus superiori loco quædam exempla ex auctoribus Græcis, quæ non visum est hic repetere. *Rhenanus*.

2 *Inclitus erga Vespasianum favor*] Germanius est, quod erui è Rom. ed. *inclitus erga* &c. portento simile est vitium tam conspicuum, tam diu locum suum obtinuisse præter jus. Sic noster alibi de Claudio: *cui non odium, non amor, nisi indita*. Gruterus.

3 *Non sine motu adjunxit ceterarum* ] Scil. legionum. *Ferrettus*. Faernus legebat, *non sine motu cohortium junxit ceterarum*, ex v. c. cum in vulgatis sit, *junxit*, & desit verbum, *cohortium*. Ursinus.

4 *Venusio* ] *Jugantum civitate*. 12. Ann. *Savilius*.

5 *Auxerat potentiam* ] Fallor, aut Tacitus scripsit, *potentia*. Quis enim alias. iste qui auxit? At genus illud dicendi perelegans, *Auxit potentia*, id est, Aucta est, significatione occulta quadam patiendi. Cato in hoc ipso verbo: *Eodem nomine complures ex agris accessitavere. eo res eorum auxit*. Vellejus *Sedandi* verbum sic usurpat: *Postquam tempestas sedavit, Adherbal taurum immolat*. Plautus *Leniendi*:

*Dum hæ consilescunt turbæ atque iræ leniunt.*

Et plures ejusmodi Latinæ linguæ delicias gustare tibi fas apud Agellium lib. 18. c. 12. Non dissimile, quod in Thucydidæo charactere observat Dionysius: sæpe τὰ παθητικὰ ῥήματα, δραστήρια· τὰ δ' δραστήρια, παθητικὰ esse. *Lipsius*.

*Auxerat potentiam*] Mallet Lipsius, *potentia*, passiva significatione verbi, *auxerat*. Sed vulgatam lectionem non improbo; cum non male etiam active intelligi possit, atque ad Cartismanduam referatur, quæ scil. sibi ipsi potentiam auxerit. Sic Ann. XI. *nos virtutem auximus, Barbari ferociam infregere*. Ubi pariter Lipsius mallet, *virtute*. Pichena.

6 *Caractaco*] Ita sæpius nominatur à Tac. lib. 12. Vulgo, *Carataco*. Pichena.

7 *Brigantum defectione* ] Liber regius, *Brigantum defectio*. Statque sententia. *Rhenanus*.

8 *Mox memorabimus*] Lib. 4. *Savilius*.

1 *Pro-*

bello, cuncta invicem hostilia, accepere; expugnatis cohortium alarumque hibernis, utraque Danubii ripa potiebantur. Jamque castra legionum exscindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriæ gnarus, ac ne externa moles utrimque ingrueret, si Dacus Germanusque diversi irrupissent. Affuit, ut sæpe alias, fortuna populi Romani quæ Mucianum viresque Orientis illuc tulit: & quod Cremonæ interim transegimus. Fontejus Agrippa ex Asia [1] (proconsule eam provinciam annuo imperio tenuerat) Mœsiæ præpositus est; additis copiis e Vitelliano exercitu, quem spargi per provincias, & externo bello illigari, pars consilii, pacisque erat. Nec ceteræ nationes silebant. Subita per Pontum arma barbarum man- 47
cipium, regiæ quondam classis præfectus, moverat. is fuit Anicetus [2] Polemonis libertus, præpotens olim, & postquam [3] regnum in formam provinciæ verterat, mutationis impatiens. Igitur Vitellii nomine, adscitis gentibus quæ Pontum accolunt, corrupto in spem rapinarum egentissimo quoque, [4] haud temnendæ manus ductor, Trapezuntem [5] vetustam Asiæ civitatem, à Græcis in extremo Ponticæ oræ conditam subitus irrupit. Cæsa ibi cohors; regium auxilium olim: mox donati civitate Romana, signa armaque in nostrum modum; desidiam licentiamque Græcorum retinebant. [6] Classi quoque faces intulit, [7] vacuo mari eludens, quia lectissimas Liburnicarum, omnemque militem Mucianus Byzantium adegerat. Quin & [8] barbari [9] contemptius vagabantur, fabricatis repente navibus, [10] quas *cameras* vocant, artis lateribus,

1 *Proconsul eam prov.*] Nescio an gesserit rem decenter Pichena, dum notans ad lib. 2. ann. 52. & istic & alibi ubi vulgo *Proconsul* aut *Proprætor* editur, MSStos habere *Proconsule* aut *Proprætore*, id que semel monuisse sufficere, tamen in Taciti contextu identidem non correxit; ut sequuturis hæc saltem pars firma foret. Quippe cui ex posteris id liceret aut placeret facere, nisi ipsas membranas inspexisset? Fecit id modo Ryckius, sed præfatus in nota, quæ nimium supervacua & sera. *Jac. Gronovius.*

2 *Polemonis libertus, præpotens olim*] Ingeminat Flor. *præpotens libertus olim*, sed nihil mutavi. At Polemonis Regis Ponti meminit etiam lib. 2. Ann. *Pichena.*

3 *Regnum in formam Provinciæ*] Tempore Neronis. *Savilius.*

4 *Haud temnendæ manus auctor*] Nos, *haud temnendæ manus ductor.* In MS. volumine legitur, *tependæ manus ductor.* Possit legi; *haud pœnitendæ manus.* Rhenanus.

5 *Vetustam admodum civit.*] In Florentino: *vetusta mama civitatem.* Omnino leg. *vetusta fama.* Lipsius.

*Vetustam admodum civitatem*] In MS. volumine est, *vetusta manum civitatem.* Forte scribendum, *vetustissimam civitatem.* Rhenanus. Vulgo, *vetustam admodum civitatem.* Quod & ineptum & à Cornelianis phrasib. alienum. Flor. *vetusta mama civitatem.* Corrupte quidem, sed veram, ni fallor, emendationem ostendit, quam reposui, *vetustam Asiæ civit.* Pichena. Correxit ex MS. Flor. Pichena, in quo erat *vetustam mama civit.* Unde ego potius fecissem; *vetusta fama civitatem.* Inf. H. 4. 83. *Templum vetere fama.* Freinshemius.

6 *Classi quoque faces intulit*] Nos, *classi.* Rhenanus. Prave omnino: quia huc usque egit de terrestri irruptione; & transiens ad maritimos impetus, dicit: *Classis quoque* (nempe illius Aniceti, navigiis quibusdam hinc inde collectis) *faces intulit* urbi huic aut aliis Romanis partibus. Equidem quum in MS. Mediceo extet *classis*, non est juris nostri id mutare, ut laudanda sit Beroaldi cura in retinendo antiquo. *Jac. Gronovius.*

7 *Vacuo mari eludens*] Omnino *illudens* legendum. quod Lipsius ad marginem non male posse legi ait. *Acidalius.*

8 *Barbari*] Alii præter eos, ut arbitror, qui se Aniceto sociaverant, Achæi nempe, Heniochi, & Cercæi, alteram Ponti Euxini oram incolentes, atque ut refert Strabo lib. 11. rapto viventes, quales hic describuntur. *Savilius.*

9 *Contemptim vagabantur*] Scripsi, *contemptius vag.* Rhenanus. Utrumque sine proba fide, quum in MS. Mediceo tantum sit *contempti*, sed adverbium nonnullis oggessit caput 58. Sane quod tales barbari, qui antehac semper pro contemptis haberi meruerunt, ausi nunc fuerint vagari, & procul ab sedibus suis tanquam piratæ omnia facere infesta vel in ipso Ponto vel per oras, satis plena, justa & egregia narratio est, quam præbet ipse MS. *Jac. Gronovius.*

10 *Cameras vocant*] Nostrasne hæc vox? certe etiam hodie Cubilia tecta & clausa Cameras vocamus. & ab ea similitudine prisci, opinor, has naves. Strabo in describenda Bosporana ora: Ἀκάτια ἔχουσι λεπτὰ, στενὰ, καὶ κοῦφα, ὅσον ἀνθρώπους πέντε καὶ εἴκοσι δεχόμενα. Καλοῦσι δ' αὐτὰ οἱ Ἕλληνες καμάρας.

bus, lata alvo, fine vinculo æris aut ferri connexa; & tumido mari, prout fluctus attollitur, summa navium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur. Sic inter undas volvuntur, [1] pari utrimque prora, & mutabili remigio, quando hinc
48 vel illinc appellere indiscretum & innoxium est. Advertit ea res [2] Vespasiani animum, ut vexillarios e legionibus, ducemque Virdium Geminum spectatæ militiæ deligeret. Ille incompositum & prædæ cupidine vagum hostem adortus, [3] coegit in naves: effectisque raptim Liburnicis, assequitur Anicetum [4] in ostio fluminis Cohibi, tutum sub Sedochezorum regis auxilio, quem pecunia donisque ad societatem perpulerat. Ac primo rex minis armisque supplicem tueri: postquam merces proditionis, aut bellum ostendebatur; fluxa, ut est Barbaris, fide, pactus *Aniceti exitium*, perfugas tradidit, belloque servili finis impositus. Lætum ea victoria Vespasianum, cunctis super vota fluentibus, Cremonensis prœlii nuntius in Ægypto assequitur. Eo properantius Alexandriam pergit, ut fracto Vitellii exercitu, urbem quoque externæ opis indigam fame urgeret. Namque & Africam, eodem latere sitam, terra marique invadere parabat, clausis annonæ subsidiis, inopiam ac discordiam hosti facturus.
49 Dum hæc totius orbis mutatione fortuna imperii transit, Primus Antonius nequaquam pari innocentia post Cremonam agebat: satisfactum bello ratus, & cetera ex facili; [5] seu felicitas in tali ingenio avaritiam, superbiam, ceteraque occulta mala patefecit. ut captam Italiam persultare; ut suas legiones colere; omnibus dictis factisque [6] vim sibi ad potentiam struere: utque licentia militem imbueret, [7] interfectorum centurionum ordines, legionibus offerebat. eo suffragio turbidissimus quisque delecti. nec miles in arbitrio ducum, sed duces militari violentia trahebantur. Quæ seditiosa, & corrumpendæ disciplinæ, mox in prædam vertebat, nihil adventantem Mucia-
50 num veritus, quod exitiosius erat quam Vespasianum sprevisse. Ceterum [8] propinqua hieme, & humentibus Pado campis, expeditum agmen incedere. Signa aquilæ-

Ubi à glossula fortasse illæ voces, οἱ Ἕλληνες. *Lipsius.*

*Quas cameras vocant*] Strabo l. 11. ἀκάτια πλοῖα λεπτὰ στενὰ καὶ κοῦφα, ὅσον ἀνθρώπους πέντε καὶ εἴκοσι δεχόμενα. σπάνιον δὲ τριάκοντα δέξασθαι τοὺς πάντας δυνάμενα. Καλοῦσι δ' αὐτὰ οἱ Ἕλληνες καμάρας i. *navigia oblonga angusta & levia, quorum alia viginti circiter homines caperent, raro aut ad summum* 30. *Græci vocant καμάρας. Savilius.* A Tacito longe dissentit Ethicus Hister, qui ob hoc ipsum navigii genus ita nuncupatum, ait, quod more Camelorum in medio curvo colcherio, quasi Cameli gibbum, fenestras oblicas, & modicas, ad ventorum receptaculum haberet, camera sursum consuta, unde nomen habet, coriis magnis conjunctis. De hoc navigii genere vide ipsum Ethicum. *Lupanus.*

1 *Pari utrinque prora*] Eandem navium formam in usu fuisse apud Germanos Suiones auctor est Tac. de morib. Germ. *forma navium in eo differt, quod utrinque prora, paratam semper appulsui frontem agit.* Pichena.

2 *Vespasiani animum*] Scribas, *ea res Vespasianum*, voce sequenti inducta, brevius & verius. Ita loquitur Ann. 11. *Octo aquilæ petere silvas & intrare visæ, advertere Imperatorem.* Lipsius.

3 *Cogit in naves*] Florent. *coegit.* Pichena.

4 *Sedochezorum regis*] Vatic. *Sedochezorum.* Rom. *Sedotosorum.* Nullum hunc populum ego natum scio. *Lipsius.*

*In ostio fl. Cohibi, tutum sub Sedochezorum*] Flumen Cohibus & Sedocheci populi illi in alta nocte & silentio apud scriptores. Notius equidem flumen reddi posse existimo sic legendo: *In ostio fl. Chobi.* Sic appellat Arrianus in descript. Ponti Euxini: Ἀπὸ τοῦ χαρίεντος, ἐς Χῶβον ποταμὸν ἐπεπλεύσαμεν. Populorum nomen si tam feliciter, quam audacter correxi, bene habet. Sic autem emendabam: *Sub Sedochi Lazorum regis auxilio.* Lazi populi Pontici, & ni fallor, Sarmatæ fuere, apud Ptolemæum, Plinium, Agathiam, Procopium, Stephanum. Trajani ævo Rex eorum Malassas fuit. Jul. Capitolinus de Anton. Pio: *Pacorum Regem Ladis dedit.* Ubi crediderim plenissime legendum esse: *Pacorum Regem Lazis dedit.* Colerus.

5 *Ceu felicitas*] Castigo *seu felicitas.* Rhenanus.

6 *Viam sibi ad potentiam*] Legendum esse *vim sibi*, è MSS. docuimus 1. Observ. 14. *Gronovius.*

7 *Interfectorum centurionum ordines, legionibus offerebat*] Hoc est, ut ipsæ legiones sibi, quos vellent, centuriones eligerent. *Pichena.*

8 *Propinqua hieme*] Muret. *propinquante.* Acidal.

1 Un-

læque victricium legionum, milites vulneribus aut ætate graves, plerique etiam integri, Veronæ relicti: sufficere cohortes alæque, & è legionibus lecti, profligato jam bello videbantur. [1] Undecima legio sese adjunxerat, initio cunctata; sed prosperis rebus, anxia quod defuisset. Sex millia Dalmatarum, recens delectus, comitabantur. Ducebat Poppæus Silvanus consularis: vis consiliorum penes Annium Bassum, legionis legatum. is Silvanum socordem bello, & dies rerum verbis terentem, specie obsequii regebat, ad omniaque quæ agenda forent, quieta cum industria aderat. Ad has copias, e classicis Ravennatibus legionariam militiam poscentibus, optimus quisque adsciti: Classem Dalmatæ supplevere. Exercitus ducesque [2] ad Fanum Fortunæ iter sistunt, de summa rerum cunctantes, quod *motas ex urbe prætorias cohortes* audierant: & teneri præsidiis Apenninum rebantur; & ipsos [3] in regione bello attrita, inopia & seditiosæ militum voces terrebant, [4] *Clavarium* (donativi nomen est) flagitantium. nec pecuniam aut frumentum providerant: & festinatio atque aviditas præpediebant, dum quæ accipi poterant, rapiuntur. Celeberrimos au- 51.
ctores habeo, tantam victoribus adversus fas nefasque irreverentiam fuisse, ut gregarius eques, occisum à se proxima acie fratrem professus, præmium a ducibus peteret. Nec illis aut honorare eam cædem, [5] jus hominum; aut ulcisci, ratio belli permittebat. [6] Distulerant tamquam majora meritum, quam [7] quæ statim exsolverentur. nec quidquam ultra traditur. Ceterum & prioribus civium bellis, par scelus inciderat. nam prœlio, quo [8] apud Janiculum adversum Cinnam pugnatum est, Pom-

1 *Undecima legio*] Nusquam de hac legione mentio supra. tamen credendum est, eam in Dalmatia remansisse. nam sup. lib. dixit, Silvanum Dalmatiæ præfuisse. *Pichena.*

2 *Ad Fanum Fortunæ iter sistunt*] Urbs ad Hadriaticum mare, quæ. *Fano* nunc dicitur. Mosque fuit veterum *Fanum* appellare oppida, in quibus dii vel deæ colebantur. Quare urbes, quibus à Sanctis nomen est, nos Latine *Fanum* vocabimus, ut in Picardia Sancti Quintini, Sancti Riheri oppida, *Fanum Quintini*, *Fanum Richerii* Latine appellabis. *Lupanus.*

3 *In regione*] Male enim omnibus libris, *in legione*. Lipsius.

*In legione bello attrita*] Faernus legebat, *in regione bello attrita*. Ursinus.

4 *Clavarium*] Quod prætextum & originem habuit, quasi ad militares clavos, de quibus res jam nota. Simili forma Unguentarium Plinius dixit, lib. II. Epist. XI. *Præterea acceperat sestertium decem millia, fœdissimo quidem titulo, nomine Unguentarii*: donationem scilicet à provincialibus factam in Legatum, ad unguenta. Sic in Suetonii Vespasiano, cap. VIII. *Classiarii petunt, constitui aliquid sibi calcearii nomine.* Lipsius.

*Clavarium*] Donativi nomen esse Tacitus auctor est. ipse *clavem* in Constitutionibus Cæsarum legi, nomen cujusdam indictionis extraordinariique tributi esse. Quapropter l. 12. Cod. Just. tit. est, *de prætoribus & collatione & gleba, & clavi, & pholle, & VII. Solidorum functione.* Alciatus. Donativum ad emendos sibi *caligares clavos*: ut *calcearium* in Sueton. Vesp. 8. ad emendos calceos. *Savilius.* Huc etiam repit iste Jos. Laurentius in parte de re vestiaria, quam insulciendam putaverunt Thesauro Antiq. Græc. Tom. IX. Col. 952. & seq. *Jac. Gronovius.*

5 *Jus hominum*] Jus quod gentium dicitur: quod apud omnes homines natura duce peræque custoditur: quod Cicero *jus naturæ*, vocat. *Ferrettus.*

6 *Distulerant tanquam majora meritum*] Ita Faernus legebat; non, *distulerunt*. ut habent vulgati. *Ursinus.* Lege, *distulerunt*. Acidalius.

7 *Quæ statim exsolverentur*] Ita Flor. Vulgo, *exsolverent*. Pichena.

8 *Apud Janiculum*] Cum Tacito aut Sisenna potius consentit Livius epitoma LXXIX. & alterum militem in Pompeji exercitu statuit, alterum Cinnæ. At Valerius l. v. pro Cinna Sertorium substituit, cum quo & Orosius sentit lib. VI. Bello Actiaco etiam idem evenisse, commemorat Epigramma vetus: quod vulgatum magno Scaligero debemus:

*Mavius à castris miles melioribus ausus*
*Hostilem saltu præcipitare ratem,*
*In damnum felix, & victor ut impius esset,*
*Nescius occiso fratre superbus erat.*
*Dum legit exuvias, hostiliaque arma revellit,*
*Fraternos vultus oraque nota videt.*
*Ille ferox. quid lenta manus nunc denique cessas?*
*Justius hoste tibi qui moriatur adest.*
*Fraternam res nulla potest defendere cædem,*
*Mors tua sola potest, morte levanda tua est.*
*Viximus adversis, jaceamus partibus isdem.*

 Dixit?

Pompejanus miles fratrem ſuum, dein cognito facinore, ſe ipſum interfecit, ut Siſenna memorat, [1] tanto acrior apud majores, ſicut virtutibus gloria, ita flagitiis pœnitentia fuit. Sed hæc aliaque [2] ex veteri memoria petita, quotiens res
52 locuſque exempla recti, aut ſolatia mali poſcet, haud abſurde memorabimus. Antonio ducibuſque partium, *præmitti equites, omnemque Umbriam explorari* placuit, *ſi qua Apennini juga clementius adirentur: acciri aquilas ſignaque, & quidquid Veronæ militum foret: Paduinque & mare, commeatibus compleri.* Erant inter duces, qui nectèrent moras. quippe nimius jam Antonius, [3] & certiora ex Muciano ſperabantur. Namque Mucianus tam celeri victoria anxius, & ni præſens urbe potiretur, expertem ſe belli gloriæque ratus, ad Primum & Varum media ſcriptitabat, *inſtandum cœptis*, aut rurſus *cunctandi utilitates* ediſſerens; atque ita compoſitus, ut ex eventu rerum adverſa abnueret, vel proſpera agnoſceret. Plotium Griphum, nuper ab Veſpaſiano [4] in ſenatorium ordinem additum, ac legioni præpoſitum, ceteroſque ſibi fidos, apertius monuit. Iique omnes, de feſtinatione Primi ac Vari ſiniſtre, & [5] Muciano volentia reſcripſere. Quibus epiſtolis Veſpaſiano miſſis, effe-
53 cerat, ut non pro ſpe Antonii, conſilia [6] factaque ejus æſtimarentur. Ægre id pati Antonius, & culpam in Mucianum conferre, cujus criminationibus [7] eviluiſſent pericula

*Dixit: & in dubio eſt utrius enſe cadat.*
*Enſe meo moriar maculate cæde nefanda?*
*Cui morerit, ferrum quo moriare, dabit.*
*Dixit, & in fratrem fraterno concidit enſe.*
*Victorem & victum condidit una manus.*

Lipſius.

1 *Tanto acrior apud majores, quod ſicut*] Nos particula *quod* expuncta, ſic ſcripſimus: *Tanto acrior apud majores ſicut virtutibus gloria, ita flagitii pœnitentia fuit.* Nam exemplar regium manifeſte habet *flagitii*, ut de flagitio occiſi fratris intelligas. *Rhenanus.*

2 *Ex veteri memoria petita*] Caſtig. *repetita.* Mox eſt in exemplari regio, *poſcet.* Rhenanus. Sed quum ipſe Tacitus videatur adhibuiſſe ſimplex, id nobis debet ſufficere, ut nunc certe etiam legitur in MS. Mediceo, idque poſui in contextu, prout ex eodem retinui *poſcet*, plurale vulgo reliqui. *Jac. Gronovius.*

3 *Et certiora de Muciano*] Magis placet Florentina ſcriptio, *ex Muciano.* Ambigebant duces, quid facturi aut non facturi, ex ſequentibus: Mucianus adventabat, alter pæne Flavius; ergo ab illo certiores omnium futuri. *Lipſius.*

*Certiora ex Muciano ſperabantur*] Præpoſitionem *ex* ſuſtulimus. *Rhenanus.* Flor. *ex Muciano* &c. non *de.* Pichena. Videbatur Antonius appetens novarum rerum, nec amplius Veſpaſiano fidus; quæ ſuſpicio inde orta, quod milites imperio regeret ambitioſo, *ut ſuas legiones colere, omnibus dictis, factiſque viam ſibi ad potentiam ſtruere*, qua etiam de cauſſa Piſo reus majeſtatis factus eſt 2. Ann. 55. Nectebant igitur mores nonnulli ex ducibus metuentes. ut ſequi Antonium eſſet perfidiæ conſcientiam ſubire. At Mucianum expectabant, de cujus fide non ſuſpicabantur. Scriptum eſt *certiora*, quod qui præſentia ſpe futurorum faſtidio habent, incerta præ certis ſequi videntur. Salluſt. Cat. *incerta pro certis bellum quam pacem malebant.* Vel duces ob Antonii faſtum & impotentiam ægre eum ſequebantur, *quippe nimius jam Antonius.* præſertim quod nec magni jam facerent ea, quæ ſibi Antonius indulgebat, nam certiora & firmiora ſperabant à Muciano, quippe qui dux primarius erat, & credebatur acta Primi pro irritis habiturus. At propius vero accedemus, ſi dicamus duces expectaſſe Mucianum, ut ejus juſſa ſine hæſitatione exequerentur. Nam is abſens ita ſe gerebat. *ut ex eventu rerum adverſa abnueret, vel proſpera agnoſceret.* Verum vir Doctiſſ. mavult *rectiora* quaſi dicta ſint de virtutibus Muciani in comparationem vitiorum Primi. verum de Licinio jam legi *palam laudares, ſecreta male audiebant.* Salinerius.

4 *In Senatorium ordinem*] Sic Florentin. Antea, *in Senatorum.* Pichena.

5 *Muciano volentia*] Ita libri. Salluſtianum videtur: *Pompejus multis ſuſpicionibus volentia plebi facturus habebatur.* Beatus tamen *volenti* maluit. *Lipſius.*

*Muciano volentia reſcripſere*] Caſtigavimus, *Muciano volenti ſcripſere*, hoc eſt gratia reſcripſere. Redolet Helleniſmum hæc locutio. Non prorſum abſimilis illis, *Hæc atque talia plebi volenti fuere.* Item *remanere & in verba Veſpaſiani adigi volentibus.* In vita Agric. *Ut quibus bellum volentibus erat.* Sane quantum ad dativum *volenti* attinet quod Græcis eſt βουλομένῳ meminimus ſupra. *Rhenanus.* Ex Flor. *volentia reſcripſere.* Vulgo, *ſcripſere.* Pichena. Si ſtandum fide edit. Rom. reſtituendum *ſcribere*, quod hoc altero aliquantum ſuavius. *Gruterus.*

6 *Factaque ejus*] In exemplari regio eſt, *aut facta ejus.* Rhenanus.

7 *Coaluiſſent pericula ſua*] Vix eſt ut ipſa res hanc ſcriptionem toleret. nec enim opinor timuiſſe Antonium

ricula sua. nec sermonibus temperabat, [1] immodicus lingua, & obsequii insolens. litteras ad Vespasianum composuit, jactantius quam ad principem, nec sine occulta in Mucianum insectatione; *Se Pannonicas legiones in arma egisse: suis stimulis excitos Mœsiæ duces: sua constantia perruptas Alpes: occupatam Italiam: interfepta Germanorum Rætorumque auxilia. Quod discordes dispersasque Vitellii legiones equestri procella; mox peditum vi, per diem noctemque fudisset, id pulcherrimum, & sui operis. Casum Cremonæ bello imputandum: majore damno, plurium urbium excidiis, veteres civium discordias reipublicæ stetisse. Non se nuntiis neque epistolis, sed manu & armis imperatori suo militare. neque officere gloriæ eorum, qui Asiam interim composuerint:* [2] *illis Mœsiæ pacem, sibi salutem securitatemque Italiæ, cordi fuisse. Suis exhortationibus Gallias Hispaniasque validissimam terrarum partem, ad Vespasianum conversas. Sed cecidisse in irritum labores, si præmia periculorum soli assequantur, qui periculis non affuerint.* Nec fefellere ea Mucianum. inde graves simultates: quas Antonius simplicius; Mucianus callide, eoque implacabilius nutriebat. At Vitellius, fractis apud Cremonam rebus, nuntios 54
cladis occultans, stulta dissimulatione, remedia potius malorum quam mala differebat. Quippe confitenti consultantique supererant spes viresque: cum e contrario læta omnia fingeret, falsis ingravescebat. Mirum apud ipsum de bello silentium: prohibiti per civitatem sermones, eoque plures: ac si liceret, [3] vera narraturi; quia vetabantur, atrociora vulgaverant. Nec duces hostium augendæ famæ deerant, captos Vitellii exploratores, circumductosque, ut robora victoris exercitus noscerent, remittendo: quos omnes Vitellius secreto percunctatus, interfici jussit. [4] Notabili constantia centurio Julius Agrestis, post multos sermones quibus Vitellium ad virtutem frustra accendebat, perpulit, [5] ut ad vires hostium spectandas, quæque apud Cremonam acta forent, ipse mitteretur. Nec exploratione occulta fallere Antonium tentavit, sed *mandata imperatoris suumque animum* professus, *ut cuncta viseret*, postulat. Missi, qui locum prœlii, Cremonæ vestigia, captas legiones ostenderent. Agrestis ad Vitellium remeavit, abnuentique *vera esse* [6] *quæ adferret*, atque ultro *corruptum* arguenti; *quandoquidem*, inquit, [7] *magno documento opus est, nec alius jam tibi aut vitæ, aut mortis meæ usus, dabo cui credas.* atque ita digressus, voluntaria morte dicta

tonium à Muciani criminationibus, neque etiam hoc in litteris ad Vespasianum queritur, sed tantum præmia, quæ meruerat, intercipi. huc etiam modo dixit: *consilia ejus factaque non perinde æstimari.* quapropter legendum censeam, *eviluissent pericula sua.* Pericula pro rebus fortiter gestis, ut mox, *præmia periculorum.* & supra 2, 40. *fidem atque pericula polliceantur.* Ea autem nunc non ut debebant æstimari, sed evilescere queritur. *Freinshemius.* Ambigas profecto, quid magis mireris, utrum sagacem præstantiá ingenii in eximio viro, ut sponte penetrarit in ipsam veram veteremque lectionem, an taciturnitatem Pichenæ aliorumque, qui eam in paginis Mediceis oppressam retinuerunt, prorsus non laudabiliter; unde favi Ryckio totam rem ex schedis meis denudanti, & pro supposito *coaluissent* edidi *eviluissent*. Jac. Gronovius.

1 *Immodicus lingua & obsequii insolens*] Vulgo, *linguæ.* & utrumque à Tacito usurpatur. prætuli tamen Flor. lectionem, quam & Venetus agnoscit. *Pichena.*

2 *Illis Mœsiæ pacem*] Refertur ad id quod supra dixit. Dacorum gentem in Mœsiam irrupisse, & à Mutiano compressam. *Pichena.*

3 *Vera narraturi*] Ut c. 56. *vera dicturis.* Sed aliena sententia. In hoc autem loco non videtur de nihilo esse, quod MS. Medic. exhibeat *vere*; nempe legendum *vera enarraturi.* Jac. Gronov.

4 *Notabili constantia*] Sueton. Oth. 10. & post eum Zonaras, Othoni id tribuit in priori bello, circumstantiis modice discrepantibus. *Savilius.*

5 *Ut ad vires hostium spectandas*] Particulam *ut* expunximus. *Rhenanus.* Illud, *ut*, additum ex Flor. *Pichena.* Muretus, *ut ad vires* &c. Nihil opus. *Acidalius.*

6 *Quæ afferret*] Nos, *referret.* Rhenanus. Muret. *adferret.* Neque hoc opus. *Acidalius.* Id tamen Taciti esse probat vetermmus codicum MSS. *Jac. Gronovius.*

7 *Magno documento opus*] Addidimus verbum *est.* Rhenanus.

8 Se-

dicta firmavit. Quidam *jussu Vitellii interfectum*, de *fide constantiaque* eadem tradide-
55 re. Vitellius ut e somno excitus, *Julium Priscum, & Alphenum Varum, cum quatuordecim prætoriis cohortibus, & omnibus equitum alis obsidere Apenninum* jubet. [1] Secuta e classicis legio. Tot millia armatorum, lecta equis virisque, si dux alius foret, inferendo quoque bello satis pollebant. Ceteræ cohortes, ad tuendam urbem L. Vitellio fratri datæ. Ipse nihil e solito luxu remittens, & diffidentia properus, festinare comitia, quibus consules [2] in multos annos destinabat: fœdera sociis; Latium externis dilargiri: his [3] tributa dimittere; alios immunitatibus juvare: denique nulla in posterum cura, lacerare imperium. Sed [4] vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat: stultissimus quisque pecuniis mercabatur: apud sapientes cassa habebantur, quæ neque dari, neque accipi, salva republica poterant. Tandem flagitante exercitu [5] qui Mevaniam insederat, magno senatorum agmine, quorum multos ambitione, plures formidine trahebat; in castra venit, incertus animi, & infidis con-
56 siliis obnoxius. Concionanti (prodigiosum dictu) tantum fœdarum volucrum supervolitavit, ut nube atra [6] diem obtenderent. Accessit [7] dirum omen, profugus altaribus, taurus, disjecto sacrificii apparatu, [8] longe, nec ubi feriri hostias mos est,
con-

1 *Secuta è classicis legio*] Supra dixit c. 50. *è classicis Ravennatibus legionariam militiam poscentibus optimus quisque adsciti.* Hic è classicis legionem scribit, utrobique an de militibus classis, an de navalibus ministris seu remigibus sit intelligendum, indagandum. Hos *classiarios* vocavit Sueton. in Galb. 12. in Tib. 62. in Oth. 8. & Vespas. 8. Hircius lib. 3. bell. civ. *Aqua prohibere classiarios instituit.* His sic se habentibus, si demus, *classicos* Tacito eosdem esse, quos *classiarios* Suetonius & Hircius appellavere, constat nautas, remiges, & navium ministros quoscumque in legionem militarem redactos. Si vero à largiori significatione *classicos* acceperimus pro his omnibus, qui classi inserviunt, dubio procul & milites classi assignati sub eadem voce continebuntur. Nam & apud JC. *in l. unica C. de classic. lib. 2. & C. Theod. eodem l. unica. classici milites* sunt deputati navibus. Quinimo & *classiarios* quandoque nuncupatos observamus apud Lamprid. in Comm. 15. *Mart. Donatus.* Muret. *secuta classica legiones.* Nescio, an è libris & historiæ fide. *Acidalius.* Neniæ meræ, prout illorum pectora talibus fuerunt repleta. Alii è classicis alii è classiariis. Nuper distinctius de illis egit Raph. Fabrettus ad Columnam Trajani pag. 84. *Jac. Gronovius.*

2 *In multos annos*] Sueton. Vit. 11. *Comitia in decem annos ordinavit, seque perpetuum Consulem.* Savilius.

3 *Tributa dimittere*] Viri eximii repositum eunt: *remittere*, & hoc quidem vult auctor; sed idem manet retento altero, ut pluribus ostendi in Suspicionibus. *Gruterus.*

4 *Vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat*] Nescio quid sibi Flor. velit, in quo corrupte legitur, *haberat.* Pichena. Videtur significare *hiabat.* nam hoc verbum alibi quoque sic corruptum nos invenisse meminimus. *Gronovius.*

5 *Qui Mevaneam insederat*] Vocula addita è libris. *Lipsius.*

*Qui Mevaniam insederat*] Pronomen relativum *qui* submovimus. nam hæc clausula, *Mevaniam insederat*, per parenthesim interjecta est: & subintelligitur *Mevaniam insederat* s. is exercitus. *Rhenanus.*

6 *Diem obtenderent*] Bene ita libri, non, *obtunderent*, ut visum Beato. Quibusdam scriptum, *nube radium obtunderent.* vitiose. *Lipsius.*

*Diem obtenderent*] Scripsimus, *obtunderent.* Obtunditur lux & fulgor per obumbrationem. *Rhenanus.* Verbum *obtenderent* è MS. placitum Lipsio, non *obtunderet.* quod ego Rhenano potius assentiar retinendum. Valet, hebetarent, obscurarent. Ac si *obtenderent*, malis, mutandæ & reliquæ voces, legendumque: *ut nubem atram diei obtenderent.* quod mihi non adeo probetur. *Acidalius.* Vide Paterna ad Livium 1. 57. *Jac. Gronovius.*

7 *Dirum omen*] Si in sacrificiis victima fugisset, malum id Romanis omen erat. Titus paullo ante mortem *Sabinos petit*, ait Sueton. 10. *aliquanto tristior, quod sacrificanti hostia aufugerat.* Idem Jul. 59. Et Galb. 18. Festus: *piacularia vocabant, quod sacrificantibus tristia portendebant: cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis quam oporteret decidisset.* Plin. 8, 45. *Notatum est vitulos ad aras humeris hominum allatos non litare, sicut nec claudicante, nec aliena hostia deos placari, nec trahente se ab aris.* Savilius.

8 *Longe, nec ubi feriri*] Præivit ad emendationem hanc Vatic. qui refert, *longe necui feriri.* Nam alii libri hic mutili. Ominosum vero antiquitus, si hostia fugisset, nec suo loco, id est ante aram cæsa fuisset, Festus: *Piacularia appellabant, quæ sacrificantibus tristia portendebant, cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis quam oporteret, cecidisset.* Plinius: *Notatum*

confoſſus. Sed præcipuum ipſe Vitellius oſtentum erat, ignarus militiæ, improvi-
dus conſilii. *quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendove bello*
*modus*, alios rogitans; & ad omnes nuntios, vultu quoque & inceſſu trepidus; dein
temulentus. Poſtremo tædio caſtrorum, & audita defectione Miſenenſis claſſis, Ro-
mam revertit, recentiſſimum quodque vulnus pavens, ſummi diſcriminis incurioſus.
Nam cum tranſgredi Apenninum integro exercitus ſui robore, & feſſos hieme atque
inopia hoſtes aggredi, in aperto foret; [1] dum diſpergit vires, acerrimum militem,
& uſque in extrema obſtinatum, trucidandum, capiendumque tradidit, peritiſſimis
centurionum diſſentientibus, & ſi conſulerentur, vera dicturis. [2] Arcuere eos inti-
mi amicorum Vitellii, ita formatis principis auribus, ut aſpera quæ utilia, nec quid-
quam niſi jocundum & [3] læſurum acciperet. Sed claſſem Miſenenſem (tantum ci- 57
vilibus diſcordiis etiam ſingulorum audacia valet) Claudius Faventinus centurio, per
ignominiam à Galba dimiſſus, ad defectionem traxit, fictis Veſpaſiani epiſtolis pre-
tium proditionis oſtentans. Præerat claſſi Claudius Apollinaris, neque fidei con-
ſtans, neque ſtrenuus in perfidia. & [4] Apinius Tiro prætura functus, ac tum forte
Minturnis agens, ducem ſe defectoribus obtulit. à quibus municipia coloniæque im-
pulſæ, præcipuo Puteolanorum in Veſpaſianum ſtudio; contra Capua Vitellio fida,
municipalem æmulationem bellis civilibus miſcebant. Vitellius Claudium Julianum
(is nuper claſſem Miſenenſem molli imperio rexerat) permulcendis militum animis
delegit. data in auxilium urbana cohors, & gladiatores, quibus [5] Julianus præerat.
[6] Ut collata utrimque caſtra, haud magna cunctatione Juliano in partes Veſpaſiani
tranſgreſſo, Tarracinam occupavere, mœnibus ſituque magis, quam ipſorum inge-
nio tutam. [7] Quæ ubi Vitellio cognita, parte copiarum Narniæ cum præfectis præ- 58
torii relicta, L. Vitellium fratrem, cum ſex cohortibus & quingentis equitibus, in-
gruenti per Campaniam bello oppoſuit. Ipſe æger animi, ſtudiis militum & clamo-
ribus populi arma poſcentis refovebatur: dum vulgus ignavum, & nihil ultra verba
auſurum, falſa ſpecie, [8] *exercitum* & *legiones* appellat. Hortantibus libertis (nam
amicorum ejus quanto quis clarior, minus fidus) *vocari tribus* jubet, [9] dantes nomina
ſacramento adigit. Superfluente multitudine, curam delectus in conſules partitur.
Servorum numerum, & [10] pondus argenti ſenatoribus indicit. equites Romani obtu-
lere

*tatum eſt vitulos, ad aras humeris hominis vallatos, non fere litare: ſicut nec claudicante, nec aliena hoſtia deos placari, nec trahente ſe ab aris.* Lipſius.

*Longe quam ubi feriri hoſtias mos eſt*] Delevi particulam *quam*. *Longe*, id eſt procul ab eo loco, ubi feriri hoſtias mos eſt. *Rhenanus.* Lipſius è Vat recte. Nec male Muretus, *longe quam ubi feriri*. Acidalius.

1 *Dum diſpergit vires*] Quibuſdam ſecum Romam aſſumptis; ſed inprimis, quod ab exercitu cum fratre dimitteret, ut paulo poſt apparet, ſex cohortes, & quingentos equites in Campaniam. *Savilius*

2 *Arcuere eos*] Vere, non *arguere*. Lipſius.

3 *Læſurum acciperet*] Faernus legebat, *acciperent*, ad aures referens. *Urſinus.* Sive *acciperent*, aures nempe. *Acidalius.*

4 *Apinius Tiro*] Aliter nomen illud concepit edit. Rom. in ea enim *Aponius*, & vero nomen iſtud notius Romanis altero; quod neſcio an alibi adhuc inveniatur. *Apenii* omnes libros, omnia marmora occupat: & vel quinquaginta ſuffecerit inſcriptionum noſtrarum vere theſaurus. *Gruterus.*

5 *Julianus præerat*] Mirum, ni ille ipſe Julianus, qui Plinio *curaſſe* dicitur *munus gladiatorium Neronis*, lib. XXXVII. cap. III. *Lipſius.*

6 *Et collata utrinque caſtra*] Caſtig. *ut collata* &c. *Rhenanus.*

7 *Qua ubi Vitellio cognita*] MS. exemplar non habet, *ubi*. Poſſunt ſic diſtingui verba: *Qua Vitellio cognita*. Subaudi, *ſunt*. Parte cop. *Rhenanus.*

8 *Exercitum & legiones appellat*] Rectius Flor. *exercitum*, quam vulgati, *exercitus*. Pichena.

9 *Dantes nomina ſacramento adigit*] In MS. exemplari eſt, *dat nomina*. Forte ſcribendum & diſtinguendum, *dant nomina*, *ſacramento adigit*. Rhenanus.

10 *Pondus argenti Senatoribus inducit*] Nos, *indicit*. Idem.

lere *operam pecuniasque*, etiam libertinis idem munus ultro flagitantibus. [1] Ea simu-
latio, officia metu profecta, verterat in favorem. Et plerique haud perinde Vitel-
lium, quam casum locumque principatus miserabantur. nec deerat ipse vultu, voce,
lacrymis, misericordiam elicere, largus promissis, &, quæ natura trepidantium est,
immodicus. Quin & [2] *Cæsarem* se dici voluit, aspernatus antea. sed tunc, supersti-
tione nominis, & quia in metu consilia prudentium, & vulgi rumor juxta audiun-
tur. Ceterum ut omnia inconsulti impetus cœpta, initiis valida, spatio languescunt,
dilabi paulatim senatores, equitesque, primo cunctanter & ubi ipse non aderat; [3] mox
contemptim & sine discrimine, donec Vitellius pudore irriti conatus, [4] quæ non da-
59 bantur remisit. Ut terrorem Italiæ [5] possessa Mevania, ac velut renatum ex inte-
gro bellum intulerat; ita haud dubium erga Flavianas partes studium, tam pavidus
Vitellii discessus addidit. [6] erectus Samnis, Pelignusque, & Marsi, æmulatione, quod
Campania prævenisset, ut in novo obsequio ad cuncta belli munia acres erant. Sed
fœda hieme per transitum Apennini conflictatus exercitus: & vix quieto agmine
[7] nives eluctantibus, patuit quantum discriminis adeundum foret, ni Vitellium re-
tro fortuna vertisset. quæ Flavianis ducibus non minus sæpe quam ratio affuit. Ob-
vium

1 *Ea simulatio, officia metu profecta verterat in favorem*] Egregie hæc versa sunt Italice, pessime Gallice: neque enim Vitellii heic ulla interpretatio; sed Senatores antea obsequiosi metu, sponte animum talem induunt: hoc est, cum viderent equites Romanos & libertinos nihil non ultro offerre Vitellio, & ipsi quoque servos pondusque argenti indictum, libentes produxere in medium. *Gruterus.*

2 *Cæsarem se dici noluit*] Sueton. Vit. 8. *Cognomen Germanici delatum ab universis cupide recepit, Augusti distulit, Cæsaris in perpetuum recusavit.* Savilius. Recusaverat ante 2. hist. *præmisit in urbem edictum, quo vocabulum Augusti differret, Cæsaris non reciperet.* Adversatur Suetonius Vit. 8. non iterabo jam mihi dicta ad lib. 1. ann. c. 5. *Salinerius.*

3 *Conterriti, mœstive*] E Florentino, in quo est, *contempti mestimo*, Pichena emendat: *contemptim & sine discr.* Belle, belle, *Lipsius.*

*Mox contemptim & sine discrimine*] Vulgati omnes corrupte, *mox conterriti mœstive discrimine.* Flor. mihi veram lectionem ostendit, in quo legitur; *mox contempti mœstive discrimine.* Pichena. Miraculum est nemini scripturam hanc ineptissimam, vel quasi dicis causa, raptam in jus, ante Pichenam. Sane boni succi nulla in eis guttula. Vatic. edit. proxime accedit ad autographum Florentinum, habetque, *contenti mœstive discrimine.* è quibus nihil elicio melius quam quod venit in mentem Pichenæ. *Gruterus.*

4 *Quæ non dabantur, remisit*] Codex Matthiæ Corvini, *Quæ non dabantur, omisit.* Adhuc nullus commodus sensus elici potest. Pro *non dabantur*, lego, *nunciabantur*, & bene habebit locus. *Quæ nunciabantur, omisit*; hoc est, omisit punire senatores equitesque, de quibus nunciatum foret, quod è castris se subduxissent. *Rhenanus.* Flor. *quæ non dabantur, remisit.* Vulgo, *omisit.* Pichena. Apage istud *omisit*, natum è cod. Budensi, restituatur MS. omnium editionumque, *remisit.* alia enim longe vis in hac voce, quam altera. Sed ignoscendum Rhenano, qui ne per somnium adsecutus loci hujus sententiam; utique cum & *dabantur* mutet in *nuntiabantur*: quod nullo modo tolerari potest circa Vitellium, imperantem plus precario. *Gruterus.*

5 *Possessa Mevania*] Muret. *obsessa.* male. *Possessa* est nostro occupata. Sic c. 8. hujus lib. *Possessa ipso transitu Vinconia.* Et Mevaniam jam exercitus insederat: quod paulo superius narravit. *Acidalius.*

6 *Ereptus Samnis*] In Florentino, *erectus*: sed illud placet, ereptum nempe Vitellio, qui possidebat. Aut si *erectus*, capi licet animis erectos ob Vitellii discessum, & sic defecisse. *Lipsius.*

*Erectus Samnis, Pelignusque, Marsi, æmulatione*] Reposui, *erectus*, ex Flor. procul dubio rectius quam *ereptus*, ut in vulgatis. Non enim vi, sed sponte hi populi ad Vespasianum defecere, Campanorum æmulatione. *Pichena.* Lego, *Erectus Samnis Pelignusque: & Marsi, æmulatione* &c. Ait Samnitas Pelignosque erecto erga Vespasianum studio fuisse. .Quæ interpretatio pendet e præcedentibus verbis: *ita haud dubium erga Flavianas partes studium tam pavidus Vitellii discessus addidit.* Acidalius.

7 *Nive se eluctantibus*] Castigavi, quemadmodum est in volumine Budensi, *nives eluctantibus.* Sic in vita Agric. *Super virtutem hostium, locorumque difficultates eluctatus.* Eodem modo lib. 1. Hist. *Immensa viarum spatia, ægre sub armis eniterentur.* Et hoc loco post: *Custodias Vitellii elapsus.* lib. 4. Ann. *Ejusque statuam vim ignium bis elapsam.* Rhenanus.

1 *Ne-*

vium illic Petilium Cerialem habuere, agresti cultu, & [1] notitia locorum custodias Vitellii elapsum. Propinqua affinitas Ceriali cum Vespasiano, nec ipse inglorius militiæ, eoque inter duces assumptus est. *Flavio quoque Sabino, ac Domitiano patuisse effugium*, multi tradidere. Et missi ab Antonio nuntii, per varias fallendi artes penetrabant, *locum ac præsidium* monstrantes. Sabinus *inhabilem labori & audaciæ valetudinem* caussabatur: Domitiano aderat animus: sed custodes à Vitellio additi, quamquam *se socios fugæ* promitterent, tamquam insidiantes timebantur. Atque ipse Vitellius, respectu suarum necessitudinum, nihil in Domitianum atrox parabat. Du- 60
ces partium ut Carsulas venere, paucos ad requiem dies sumunt, donec aquilæ [2] signaque legionum assequerentur: & locus ipse castrorum placebat, late prospectans, tuto copiarum aggestu; florentissimis prope tergum municipiis. simul colloquia cum Vitellianis decem millium spatio distantibus, & proditio sperabatur. Ægre id pati miles, & victoriam malle quam pacem. ne suas quidem legiones opperiebantur, ut prædæ, quam periculorum socias. Vocatos ad concionem Antonius docuit, *esse adhuc Vitellio vires*, [3] *ambiguas si deliberarent*; *acres si desperassent. Initia bellorum civilium fortunæ permittenda*; *victoriam consiliis &* [4] *ratione perfici. Jam Misenensem classem & pulcherrimam Campaniæ oram descivisse: nec plus è toto terrarum orbe reliquum Vitellio, quam quod inter Tarracinam Narniamque jaceat. Satis gloriæ prælio Cremonensi partum; & exitio Cremonæ, nimium invidiæ: ne concupiscerent Romam capere potius, quam servare. majora illis præmia, & multo maximum decus, si incolumitatem senatui populoque Romano sine sanguine quæsissent.* His & talibus mitigati animi. Nec multo 61
post legiones venere. Et terrore famaque aucti exercitus, Vitellianæ cohortes nutabant, nullo in bellum adhortante, multis ad transitionem, qui suas centurias turmasque [5] tradere, donum victori, & sibi in posterum gratiam, certabant. Per eos cognitum est, *Interamnam proximis campis præsidio quadringentorum equitum teneri.* [6] Missus extemplo Varus, cum expedita manu, paucos repugnantium interfecit: plures abjectis armis, veniam petivere: quidam in castra refugi, cuncta formidine implebant, augendo rumoribus virtutem copiasque hostium, quo amissi præsidii dedecus lenirent. Nec ulla apud Vitellianos flagitii pœna: & [7] præmiis defectorum, versa fides,

1 *Notitia locorum*] In volumine Bud. legitur, *noctu locorum*. Forte, *notu*, pro notione seu notitia. *Rhenanus.*

2 *Signaque legionum assequerentur*] Absolute usurpat *assequi*. Idem.

3 *Ambiguas, si deliberarent; acres, si desperassent*] Desperatio enim temeritatem parit, & ex ea vires augentur. Livius lib. 10. *quod vix Romanus totiens victor auderet, ausi Samnites sunt (tantum desperatio ultima temeritatis facit) castra Romana oppugnare.* lib. 47. *coactus ergo periculo militum Prætor, receptui cani jussit, ne objiceret incautos furentibus desperatione ac rabie.* Tac. infra lib. 4. *Vicit ratio parcendi, ne sublata spe veniæ, pertinacia accenderentur.* Pichena. Malim. *deliberaret.* itemque, *desperasset.* Acidalius.

4 *Ratione perfici*] Vulgati, *proficisci*; scripti, *profici.* ex quo nobis *perfici* visum facere. *Lipsius.*

5 *Tradere donum victori, & sibi in posterum gratiam certabant*] Suspecta mihi vox extrema, tanquam à glossographo. Comparet quidem in editionum prima, sed & eadem præfert, *tradidere*, quod verissimum puto; dummodo sic porro distinguatur; *tradidere; donum victori, & sibi in posterum gratiam. Per eos* &c. Constructio quidem non videtur procedere: sed eadem ei difficultas, manente illo, *certabant*. simillima autem periodus nostro lib. 1. Hist. 44. *Omnesque conquiri & interfici jussit; non honore Galbæ, sed tradito principibus more, munimentum ad præsens; in posterum ultionem.* lib. 4. Hist. 18. *Matrem suam sororesque simul omnium conjuges parvosque liberos, consistere à tergo jubet; hortamenta victoriæ, vel pulsis pudorem.* Eadem ratione locutus, lib. 2. Hist. 78. *Nec simulacrum Deo aut templum, sic tradidere majores, aram tantum & reverentiam.* quæ mutatum eunt nostri Critici, sed in pejus. Sæpius hoc modo Tacito scriptum, quæ facile inveniet quivis attentior lector. *Gruterus.*

6 *Missus exemplo Varus*] Nos, *missus extemplo Varus.* Rhenanus.

7 *Præmiis defectorum, vera fides*] De mendo suspicionem facit Florent. apud quem corrupte legitur, *uba fides.* tamen sensus videtur: Vitelliani flagitia

fides, [1] ac reliquum perfidiæ certamen, crebra transfugia tribunorum centurionumque.
que. nam gregarius miles induruerat pro Vitellio: donec Priscus & Alphenus deser-
62 tis castris ad Vitellium regressi, pudore proditionis cunctos exsolverent. Iisdem die-
bus Fabius Valens Urbini in custodia interficitur. Caput ejus Vitellianis cohortibus
ostentatum, ne quam ultra spem foverent. nam *pervasisse in Germanias Valentem*, *&*
*veteres illic novosque exercitus ciere* credebant. Visa cæde in desperationem versi. &
Flavianus exercitus, [2] immane quantum animo exitium Valentis, ut finem belli ac-
cepit. Natus erat Valens Anagniæ, equestri familia, procax moribus, neque absur-
dus ingenio famam urbanitatis per lasciviam petere. [3] Ludicro Juvenalium sub Ne-
rone, velut ex necessitate, mox sponte mimos actitavit, scite magis quam probe.
Legatus legionis & fovit Verginium, & infamavit. [4] Fontejum Capitonem corru-
ptum, seu quia corrumpere nequiverat, interfecit. Galbæ proditor, Vitellio fidus,
63 & aliorum perfidia illustratus. Abrupta undique spe Vitellianus miles transiturus in
partes, [5] id quoque non sine dedecore, sed sub signis vexillisque in subjectos Narniæ
campos descendere. Flavianus exercitus, [6] ut ad prœlium intentus ornatusque, den-
sis circa viam ordinibus, adstiterat. Accepti in medium Vitelliani. & circumdatos
Primus Antonius clementer alloquitur. *pars Narniæ*; *pars Interamnæ subsistere* jussi.
relictæ simul è victricibus legiones, neque quiescentibus graves, & adversus contu-
maciam validæ. Non omisere per eos dies Primus ac Varus crebris nuntiis *salutem*,
*& pecuniam*, *&* [7] *secreta Campaniæ*, offerre Vitellio, *si positis armis*, *seque ac liberos*
*suos Vespasiano permisisset*. In eundem modum & Mucianus composuit epistolas: qui-
bus plerumque fidere Vitellius; ac *de numero servorum*, [8] *electione litorum* loqui. Tan-
ta

gitia non puniunt: contra, ad Flavianos deficientibus præmia cum fide exsolvuntur. *Pichena.* Legendum esse, *præmiis defectorum versa fides*, satis ostendunt sequentia, *& reliquum perfidiæ certamen.* Alii non recte: *vera fides*, quam lectionem & Flor. suspectam reddit, qui præfert; *ũba fides.* nempe ea nota, qua syllabam *ver* exprimere consueverant illius ætatis librarii. *Freinshemius.* Vide, quæ scripsimus Observ. 3, 10. *Gronovius.*

1 *Ac reliquum perfidiæ certamen, verba transf.*] Delibero an mutem, *Acre igitur perfidiæ certamen: crebra transf.* Acidalius.

2 *Immane quantum animo exitium Valentis*] Nisi me Tacitus fallit, vocula hic excidit. Repono; *im. q. an. auctus*, *exitium Valentis.* Vitellianis animus periit, Flavianis crevit. Initio lib. 2. *Titus aucto animo ad patrem pervectus.* Idem.

3 *Ludicro Juvenalium*] Hoc malui, quam quod vulgo est *Juvenum.* Lipsius.

4 *Fontejum Capitonem in proditionem corruptum*] Hæc clausula, *in proditionem*, non est in libro regio. *Rhenanus.* Auctiores vulgati, *in proditionem corruptum.* Sed cum ea verba absint à Florentino, à Veneto, & à Rhenani etiam codicibus, atque aliena videantur; glossema fuisse censeo, sustulique. *Pichena.*

5 *Id quoque non sine dedecore*] Muretus, *decore.* Male, nec sensum cepit, qui iste. Vitelliani quod transituri in partes essent, non sine dedecore erat: sed erat cum majore, quod sub signis vexillisque ad deditionem procederent. Aliqua tamen etiam in Mureti lectione sententia fit, si porro mutes, *idque non sine decore*; verum illa ut acutior: sic verior. *Acidalius.* Quod dedecus explicant in exemplo Argyraspidum verba Trogi apud Justinum 14, 4. *Sequitur exercitus, prodito imperatore suo & ipse captivus, triumphumque de se ipse ad victoris sui castra ducit, omnia auspicia regis Alexandri & tot bellorum palmas laureasque una secum victori tradentes* &c. *Jac. Gronovius.*

6 *Intentus armatusque*] Codex regius, *ornatusque.* quod germanum est. Loquebantur enim ita etiam in armis. unde & gladiatorum ornamenta Tacitus lib. v. *Pauci ornati militariter.* Livius lib. IX. *Diemque iis qua equis armisque instructi ornatique adessent, edicit.* Lipsius.

*Ad prœlium intentus armatusque*] In libro regio legitur, *ornatusque.* Livius lib. 9. I. dec. *Diemque iis, qua equis armisque instructi atque ornati adessent, edixit.* Item lib. I. *Armati ornatique.* Ubi vulgo legitur, *ordinati armatique.* Rhenanus. Lipsius ex regio codice emendavit, *ornatusque.* & nos Florentini fidem adjicimus. Sic Cæsar de bell. Gall. l. 3. *Naves eorum paratissimæ, atque omni genere armorum ornatissimæ.* Sueton. Jul. 24. *Disciplina cultuque Romano institutam & ornatam.* Pichena.

7 *Secreta Campaniæ offerre*] Bud. cod. habet, *secretam.* Lego; *secretum Campaniæ.* Rhenanus.

8 *Electione lictorum*] Quorsum lictores? Si enim privatum serio indueret, nihil iis opus. Scribendum

ta torpedo invaserat animum, ut si Principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse
oblivisceretur. At primores civitatis, Flavium Sabinum præfectum urbis, secretis ser- 64
monibus incitabant, *victoriæ famaeque partem capesseret. esse illi proprium militem cohortium urbanarum: nec defuturas* [1] *vigilum cohortes, servitia ipsorum, fortunam partium, & omnia prona victoribus. ne Antonio Varoque de gloria concederet. Paucas Vitellio cohortes, & mœstis undique nuntiis trepidas: populi mobilem animum; & si se ducem præbuisset, easdem illas adulationes pro Vespasiano fore. Ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem; adeo ruentibus debilitatum. Gratiam patrati belli penes eum, qui urbem occupasset. Id Sabino convenire, ut imperium fratri reservaret; id Vespasiano, ut ceteri post Sabinum haberentur.* Haud quaquam erecto animo eas voces accipiebat, [2] invalidus 65
senecta. Erant qui occultis suspicionibus incesserent, tamquam [3] *invidia & æmulatione fortunam fratris moraretur.* Namque Flavius Sabinus ætate prior, privatis utriusque rebus, auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat. Et credebatur [4] affectam ejus fidem præjuvisse, domo agrisque pignori acceptis. Unde quamquam manente in speciem concordia, [5] offensarum operta metuebantur. Melior interpretatio, *mitem virum abhorrere à sanguine & cædibus: eoque crebris cum Vitellio sermonibus de pace, ponendisque per conditionem armis agitare.* Sæpe domi congressi; postremo in æde Apollinis, ut fama fuit, pepigere. [6] Verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum & Silium Italicum. Vultus procul visentibus notabantur, Vitellii projectus

dum omnino *litorum.* Secessum videlicet aliquem amœnum & maritimum adtribui sibi Vitellius volebat, velut ad otium. Itaque in oratione adversaria mox amicorum, respondetur huic parti: *Nunc pecuniam & familiam, & beatos Campaniæ sinus promitti.* Suetonium ego in hac voce paullo gravius & obscurius corruptum restituo. Tiber. cap. LXXII. *Nec abstinuit consuetudine, quin tunc quoque instans in medio triclinio, adstante lictore, singulos valere dicentes appellaret.* Cui enim rei lictor hic in triclinio? aut ex quo ritu? Beroaldus & priscæ editiones, *ut stans in medio.* Legam & rescribam totum locum: *aut stans in medio triclinio, aut stans in litore, singulos,* &c. sive relegata altera voce brevius, *aut stans in medio triclinio, aut è litore.* Temere enim repetita videtur à librario. Sententia autem liquida & pura, Tiberium Capreis dissimulando morbo stantem valedixisse comiter singulis, sive in triclinio, sive in ipso litore. Nam modica ea insula, & amici plerique diversabantur, ut opinor, in opposita Italiæ terra. *Lipsius.*

*Electione litorum*] Corrupte in vulgatis, *electione lictorum.* Lipsius ex ingenio, *litorum,* correxit. vere, nam id ipsum habet Florent. *Pichena.* Vere & eleganter Lips. *litorum.* nec Muretus tamen prorsus inepte *locorum.* Acidalius.

1 *Vigilum cohortes*] Quas Principe Augusto institutas, Dio scribit lib. LV. idque refert in annum Urbis DCCLIX. Idem Paulus tradidit libro proprio De officio præfecti vigilum, ut vides in Pandectis. Appiano tamen quid fiet, qui in Triumviratu Vigiles repperit, & institutos vult, Pompejo in Sicilia victo? id esset, triginta pæne ante Dionis traditionem annis. Scribit lib. V. Civil. *Sabinum præfectum à Cæsare ad turbas & latrocinia in urbe atque Italia comprimenda:* Καὶ ἐξ ἐκείνου (addit) φασὶ πεπαυμένοις τὸ στρατιᾶς τῶν νυκτοφυλάκων ἔθος τε καὶ εἶδος. *Atque ex eo tempore ajunt mansisse nocturnorum Vigilum morem & formam.* Bene, *ajunt:* nam si tu Appiane, nimis erras. Sparteolos hos milites vocare interpres Juvenalis videtur. Sat. XIV. in illud: *Dispositis prædives hamis. Per translationem,* inquit, *disciplinæ militaris Sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam urbis, cum hamis & cum aqua vigilias curare consueverunt vicinis.* Corrigendum in fine hujus Scholii, *curare consueverunt vicibus:* & quod ad *Sparteolos,* ipsa vox in Tertulliani Apologetico, eodem sensu. *Lipsius.*

2 *Invalidus senecta*] Vocem Rodolphus addit. *senecta sensuque.* valde apposite, modo è libris. *Idem.*

3 *Invidia & æmulatione fortunam fratris moraretur*] In Bud. cod. legitur, *fortuna fr.* &c. Distingue, *invidia & æmulatione fortuna fratris, moraretur.* Ubi *moraretur* accipit absolute, pro cunctari. *Rhenanus.*

4 *Affectam ejus fidem præjuvisse*] Sic hic dixit *affectam fidem* pro læsa, quemadmodum Livius dixit *res affectas* lib. 6. *Quorum legati opem rebus affectis orantes, quum Senatum adissent.* lib. 5. *Modo quæ res post prodigium Albani lacus, nisi instauratio sacrorum, auspiciorumque renovatio, affecta Vejenti bello reip. remedio fuit.* lib. 9. *In corpore tamen affecto vigebat vis animi consiliique.* Emendandus est depravatus Livii locus lib. 5. ubi in vulgatis edit. legitur, *Vires corporis effata:* tu scribe, *affecta.* Rhenanus.

5 *Offensarum operta*] Ita Farnesianus, proba & solenni Tacito dictione. Alii, *opera.* Lipsius.

6 *Verba vocesque duos testes habebant*] Suet. Vit. 15.

66 jectus & degener, [1] Sabinus non insultans, & miseranti propior. Quod si tam facile suorum mentes flexisset Vitellius, quam ipse cesserat; incruentam urbem Vespasiani exercitus intrasset. Ceterum ut quisque Vitellio fidus, ita pacem & conditiones abnuebant, *discrimen ac dedecus* ostentantes, *& fidem in libidine victoris. Nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur.* [2] *ne victos quidem laturos. Ita periculum ex misericordia. Ipsum sane senem, & prosperis adversisque satiatum. Sed quod nomen, quem statum filio ejus Germanico fore? Nunc pecuniam, & familiam, &* [3] *beatos Campaniæ sinus promitti. Sed ubi imperium Vespasianus invaserit, non ipsi, non amicis ejus, non denique exercitibus securitatem,* [4] *nisi exstincto æmulatu redituram. Fabium illis Valentem, captivum & casibus dubiis reservatum, prægravem fuisse:* [5] *nedum Primus, ac Fuscus, & specimen partium Mucianus, ullam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant. Non à Cæsare Pompejum, non ab Augusto Antonium incolumes relictos. nisi forte Vespasianus altiores spiritus gerat,* [6] *Vitellii cliens, cum Vitellius collega Claudio foret.*

15. *Salutem sibi & millies HS. à Flavio Sabino Vespasiani fratre pepigit.* id est 781250. lib. *Savilius.*

1 *Sabinus non insultans* ] Forte, *Sabini*, scil. vultus. Etsi & illud non malum. *Acidalius.*

2 *Ne victos quidem* ] Varia emendatio vel crux potius adhibita huic loco. Vertranius legit, *Ne victor quidem laturus.* Beatus: *Ne victum quidem laturus.* Mihi sana lectio est, sana sententia. Si Vespasianus, inquiebant, tam alto animo est ut rectis oculis æmulum quondam imperii possit adspicere: tamen id istæ ipsæ victæ partes ferent numquam. qui miseratione olim Principis, ad ultionem & res novas accingentur. Atque huic sententiæ apte subnexum, *Ita periculum ex misericordia.* Lipsius.

*Ne victos quidem laturos*] Codex Matthiæ Corvini, *Ne victo quidem laturos.* Lego, *ne victum quidem laturus.* Rhenanus. Ego malim, *ne victos quidem laturus.* & procul dubio ita legendum est. *Vertranius.* Danesius ex v. c. legebat, *ne victum quidem laturus.* Cum vulgo legatur, *ne victos* &c. *Ursinus.* Sensus à Lipsio traditus mihi maxime probatur. Tamen suspicor, num alia Tacito mens: ut scil. timendum esset, ne vitæ periculum Vitellio à suismet etiam militibus immineret, quasi non laturis, ipsum vivere privatum, ac misericordia occiderent, ideo sequitur, *periculum ex misericordia* Firmari hæc sententia inferius, ubi unus è Germanicis militibus Vitellium occidere voluit, *per iram, vel quo maturius ludibriis eximeret.* Pichena. De integritate loci non est, quod tria verba commutem cum doctiss. viro. At ejus sententiam non omnino amplector. nam qui, *non tantam Vespasiano superbiam*, ad magnanimitatem referri possunt? de qua paulo post, *nisi forte Vespasianus altiores spiritus gerat.* Ρυτοφμῶ Vitellius oppugnatur, & à pactis deterretur. Sit igitur superbus ille, qui principem imperio exutum patitur vitam degere privatam, quasi quotidie eum triumphare desideret. Non est (inquiunt) adeo superbus Vespasianus, ut ad ostentationem luce te frui patiatur, sed miseratione (perire enim & occidere. *æquo apud bonos miserum est* 1. hist.) tibi adimet vitam. Dices nec superbus nec misericors est: esto, sed tui tanto culmine dejecti miserescent, tui victi milites, bellumque reparabunt: quæ res necessario Vespasianum in tui perniciem sollicitabit. Migrent igitur castigationes, & attendat lector quam apte sequatur *ita periculum ex misericordia.* Et *moriendum victis, moriendum deditis.* Salinerius.

3 *Beatos Campaniæ sinus*] Campania nunc Terra Laboris dicitur: constat totus ejus tractus tribus sinibus, ad Sinuessam, ad Misenum, ad Neapolim. Ejus campos ob fertilitatem *beatos* vocat Tacitus, ut amœna ipsius littora Mela appellat, & Lucanæ opima loca. Cic. de lege Agr. contra Rullum, *Campani semper superbi bonitate agrorum, & magnitudine fructuum, salubritate aëris, & pulchritudine regionis. Ex hac copia nata illa arrogantia, qua à majoribus nostris alterum Consulem postulavit.* Lupanus.

4 *Æmulatu redituram*] Censeo nos apte restituisse: etsi in libris, *æmulatore redituram.* Budensis aliquid juvit, qui *æmulatore daturam* præferebat. Tacitus alibi: *& ne æmulatus in urbe ageret, provinciæ Lusitaniæ præficitur.* Lipsius.

*Nisi exstincto æmulatore redituram* ] In cod. Matthiæ Corvini legitur, *æmulatore daturam.* Forte scrib. *æmulo redituram.* Rhenanus. Male in vulgatis, *æmulatore redituram.* Emendavit Lipsius conjectura. & Flor. pene consentit, qui habet, *æmulatore dituram.* Pichena. Videtur potius legendum: *nisi exstincto æmulatore futuram.* Gronovius.

5 *Nedum Primus & Fuscus*] Nos, *nedum Primus ac Fuscus.* Mox est in cod. Matth. Corvini, *ulla in Vitellium.* Rhenanus.

6 *Vitellii cliens, cum Vitellius*] Postrema ea verba, *cum Vit. col. Cl. foret*, glossulam sapere videantur, ad subsequentia verba, *Quin ut censuram patris.* Fero tamen. *Lipsius.*

*Vitellii cliens* ] Cliens Vitellii dixit, quasi Vitelliorum, seu Vitellii domus. nam de L. Vitellio patre intelligit, bis collega Claudii in Consulatu, juxta Glareani chronologiam. *Pichena*, Etiam ipse hercle

*foret. Quin* [1] *ut censuram patris, ut tres consulatus, ut tot egregia domus honores deceret, desperatione saltem in audaciam accingeretur. perstare militem, superesse studia populi. Denique nihil atrocius eventurum, quam in quod sponte ruant. moriendum victis,* [2] *moriendum deditis: id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium & contumelias effundant, an per virtutem.* Surdæ ad fortia consilia Vitellio aures. Obruebatur ani- 67
mus miseratione curaque, ne pertinacibus armis, minus placabilem victorem relinqueret conjugi ac liberis. Erat illi & [3] fessa ætate parens, quæ tamen paucis ante diebus opportuna morte excidium domus prævenit; nihil principatu filii assecuta, nisi luctum & bonam famam. [4] Quintodecimo Kalendas Januarias audita defectione legionis cohortiumque, quæ se Narniæ dediderant, [5] pullo amictu palatio degreditur, mœsta circum familia. Simul ferebatur lecticula [6] parvulus filius, velut in funebrem pompam. Voces populi blandæ & intempestivæ: miles minaci silentio. Nec 68
quisquam adeo rerum humanarum immemor, quem non commoveret illa facies, [7] Romanum principem, & generis humani paulo ante dominum, relicta fortunæ suæ sede, per populum, per urbem, exire de imperio. Nihil tale viderant, nihil audierant. repentina vis dictatorem Cæsarem oppresserat; occultæ Cajum insidiæ: nox & igno-

cle glossulam hæc suspicarer una cum Lipsio, nisi orationis structura me teneret, quæ sine illis non plena. Nec sane Vespasianus Vitellii nunc aut semper cliens: sed olim esse potuit, cum Vitellius pater Claudio collega. Itaque etiam ad sententiam necessaria hæc additio. *Acidalius.*

1 *Honores deceret*] Recte: & capio. In Romana tamen editione *honores degeret.* ex qua (si quid mutandum est) fecerim, *tegeret.* Rodolphus enim longius abire à scripto videtur, qui reponit, *negligeret.* Lipsius.

*Ut censuram patris, ut tres consulatus, ut tot egregia domus honores deceret*] Turbat sententiam immissa vox *deceret.* Servat editio Romana, *degeret.* Amplector Tacito dignissimam vocem. Capienda autem ea hic ἀρχαϊκῶς pro diminuere vel extenuare. *Pontanus.* Malim, *ut censuram patris, & tres* &c. Deinde pro *deceret* quod sententia nulla patitur, omnino cum Rodolpho scribam, *negligeret.* Nec id longius, ut Lipsio visum, à scripto abit. *Degeret* enim, quod est in Rom. edit. truncatum ex *neglegeret:* cujus primam syllabam abscripsit postrema vocis præced. *honores.* Sententia omnino ista: Si non tot honoribus domus suæ, saltem desperatione instingueretur in audaciam. Sed pro *accingeretur*, possis forte legere *accenderetur.* Acidalius. Immo quacunque sub forma ostentetur illud *negligeret*, patet nihil aliud nisi recentis codicis & hinc similis ingenii esse inventum, tanto minus tolerandum, quanto constantius & Medicea membrana & Budensis (ut colligo ex silentio Rhenani & consensu, quo eandem lectionem promit) in unum illud *deceret* conspirant. Inde autem si mens non læva fuisset, quam facile potuit fieri *deleret?* nempe ex memoria & animo, quod novissimum. Hæc est vera lectio. *Jac. Gronovius.*

2 *Moriendum deditis*] Hæc clausula non est in libro manuscr. *Rhenanus.*

3 *Fessa ætate parens*] Suet. Vit. 14. *Suspectus & in morte matris fuit, quasi ægra præberi cibum prohibuisset, vaticinante Catta muliere, cui velut oraculo acquiescebat, ita demum firmiter ac diutissime imperaturum, si superstes parenti exstitisset,* &c. *Savilius.*

4 *Quintodecimo Kalendas Januarias*] Sic exhibui plenissime educta scriptura pro tenore semel sumpto, quem in MS. varia loca per reliquos libroa imperabant, quum Ryckius exhiberet *quintodecimo Kal. Janu.* non secus ac pullis micas objiciens mensura arctata. Et certe non intelligo, cur aut postremæ vocis utique quatuor literas posuerit, aut mediæ tres, quum præcedentia ad integrum duceret. Sustinuit totum etiam explanare Eminentissimus Norisius in Syromacedonicis pag. 49. *decimoquinto Kalendas Januarias*, quod plane non probaret Tacitus, unde nec ego. *Jac. Gronovius.*

5 *Pullo amictu palatio digreditur*] Scripsimus, *degreditur.* Nam quoties ex alto descensus innuitur, apte locum habet hoc verbum Livius lib. 29. 32. *Cum quingentis haud amplius peditibus, ducentisque equitibus degressum jugis Massanissam persecutus.* lib. 5. dec. 1. *Cum equitibus ad pedes degressis.* Sic enim ibi legendum pro *digressis.* Rhenanus. Intelligit Vitellium sordida & squallenti veste indutum fuisse. Xiphil. Χιτωνίσκον φαιὸν καὶ ῥυπαρὸν ἐνδύς. Toga pulla, sive atra Romani utebantur in funeribus, ut ostendit Cic. in Vatin. quod ex sequentibus verbis Taciti intelligitur, *Simul lectica ferebatur parvulus filius in funebrem pompam.* Lamprid. in Comm. *Quod funeribus solebat, ipse in pullis vestimentis sedebat.* Lupanus.

6 *Parvulus filius*] In libro manuscripto est, *parvus filius.* Rhenanus.

7 *Rom. principem*] Sueton. Vit. 15. paullo aliter. *Savilius.*

1 In

ignotum rus, fugam Neronis abſconderant: Piſo & Galba, tamquam [1] in acie ceci-
dere: in ſua concione Vitellius, inter ſuos milites, proſpectantibus etiam feminis,
pauca & præſenti mœſtitiæ congruentia locutus; *Cedere ſe pacis & reipublicæ cauſſa:
retinerent tantum memoriam ſui; fratremque, & conjugem, & innoxiam liberorum ætatem
miſerarentur.* Simul filium protendens, modo ſingulis, modo univerſis commen-
dans, poſtremo fletu præpediente, aſſiſtenti conſuli (Cæcilius Simplex erat) exſolu-
tum à latere pugionem, velut jus necis vitæque civium, reddebat. Aſpernante con-
ſule, reclamantibus qui in concione adſtiterant, ut in æde Concordiæ poſiturus in-
ſignia imperii, domumque fratris petiturus, diſceſſit. Major hic clamor obſiſten-
tium penatibus privatis, *in palatium* vocantium. [2] interclusum aliud iter, idque ſolum
quod in Sacram viam pergeret, patebat. tum conſilii inops, in palatium rediit. Præ-
venerat rumor, *ejurari ab eo imperium.* ſcripſeratque Flavius Sabinus, cohortium tri-
69 bunis, *ut militem cohiberent.* Igitur tamquam omnis reſpublica in Veſpaſiani ſinum
ceſſiſſet, primores ſenatus, & plerique equeſtris ordinis, omniſque miles urbanus, &
vigiles, domum Flavii Sabini complevere. illuc de ſtudiis vulgi, & minis Germani-
carum cohortium affertur. Longius jam progreſſus erat, quam ut regredi poſſet: &
ſuo quiſque metu, ne disjectos, eoque minus validos, Vitelliani conſectarentur, cun-
ctantem in arma impellebant. Sed quod in ejuſmodi rebus accidit, conſilium ab
omnibus datum eſt, periculum pauci ſumpſere. [3] Circa lacum Fundani, deſcendenti-
bus qui Sabinum comitabantur armatis, occurrunt promptiſſimi Vitellianorum. Mo-
dicum ibi prœlium, improviſo tumultu, ſed proſperum Vitellianis fuit. Sabinus re
trepida, [4] quod tutiſſimum è præſentibus, [5] arcem Capitolii inſedit, [6] mixto mili-
te, & quibuſdam ſenatorum equitumque: [7] quorum nomina tradere haud promptum
eſt, quoniam victore Veſpaſiano, multi id meritum erga partes ſimulavere. Subie-
runt obſidium etiam feminæ: inter quas maxime inſignis, [8] Verulana Gracilia, ne-
que

1 *In acie cecidere. In ſua concione*] Exemplar Bud. *in acie cecidebant ſua concione Vitellius.* Legerim, *acie ceciderant, ſua concione Vitellius* ſcil. cecidit. *Sua concione* pro in ſua concione. *Rhenanus.*

2 *Interclusum aliud iter*] Exemplar. Bud. *interclusum alterum iter.* Et ſic nos ſcripſimus. Mox, *in palatium rediit.* Rhenanus. Vulgo, *alterum.* Rectius *aliud* ex Flor. nam plura itinera quam duo fuiſſe credendum eſt, ut etiam verba ſequentia indicant. *Pichena.*

3 *Circa lacum Fundani*] Lacus Fundani fit mentio in antiqua apud me inſcriptione, in Quirinali reperta eo loco, quo Dei Fidii, ſive Sanci Sabinorum lingua, templum erat. ejus exemplum ſubjeci: *L. CORNELIO. SVLLÆ. FELICI. DICTATORI. VICVS. LACI. FVND.* Urſinus.

4 *Quod tutiſſimum è præſentibus*] Sic Ann. lib. 2. *omiſſis tutiſſima e præſentibus.* hiſt. 4. *optimum è præſentibus ratus.* Livius lib. 24. *deſerti à militibus, quia id tutiſſimum ex præſentibus videbatur.* Pichena.

5 *Arcem Capitolii inſedit*] Joſeph. ἁλωσ. lib. 4. c. 42. *Sa: ilius.*

6 *Mixto milite & quibuſdam Senatorum*] Participium *mixto* non eſt in codice regio. Verum pro *& quibuſdam*, eſt, *ex quibuſdam.* ut ſtet ſententia, arcem Capitolii inſedit, milite: hoc eſt cum milite, ex quibuſdam Senatorum equitumque. Mutavimus itaque particulam, *&* in *ex*, & ablativum *mixto* ſuſtulimus. *Rhenanus.* Plerique veteres libri & inter eos Florent. habent eam vocem *mixto*, quam & Rhenanus & Lipſius exturbandam cenſuerunt, neque in editis recepta eſt. Mihi religio fuit illam parvi pendere, à tam vetuſto cod. firmatam. Appellat enim Tacitus militem mixtum, id eſt confuſum urbana plebe Sabinum ſequente, ſervitiiſque ipſius & cæterorum, qui cum eo erant. Cave intelligas militem mixtum ſenatoribus equitibuſque. *Pichena.*

7 *Quorum nomina tradere haud pr.*] Sic edunt omnes, neque ullus arbitratur operæ pretium eſſe, ſi lectorem vetuſtæ lectionis conſcium faciant, nempe quia deſperant inde extricare quod latet. In quemcunque tamen exitum putavi faciendum, ut ſcirent omnes præſentes poſteri in MS. Mediceo legi *quorum nomina aut tradere haud pr.* Habes, in quo exerceearis, ſive *avita* lateat, ſeu quid aliud. *Jac. Gronovius.*

8 *Verulana Gracilia*] Perinde opinor eſſe, neque id obſtat ullius deliciis, ſive ita appelletur, ſive *Gratilia*, prout eſt in Mediceo, niſi quod hoc poſterius maxime appropinquans ad vicinam huic ætati, quæ Martiali memoratur *Gratilla*, ut elegit
Scri-

que liberos, neque propinquos, sed bellum secuta. Vitellianus miles, custodia socordi clausos circumdedit, eoque, concubia nocte, suos liberos Sabinus, & Domitianum fratris filium, [1] in Capitolium accivit. At Sabinus, misso per neglecta ad Flavianos duces nuntio, qui *circumsideri ipsos*, [2] *& ni subveniretur*, *artas res* nuntiaret, noctem adeo quietam egit, ut digredi sine noxa potuerit. Quippe miles Vitellii adversus pericula ferox, laboribus & vigiliis parum intentus erat. & hibernus imber repente fusus, oculos auresque impediebat. Luce prima Sabinus, antequam invicem hostilia cœptarent, Cornelium Martialem e primipilaribus, ad Vitellium misit, cum *mandatis & questu, quod pacta turbarentur. Simulationem prorsus & imaginem deponendi imperii fuisse, ad decipiendos tot illustres viros. Cur enim è rostris fratris domum imminentem foro, & irritandis hominum oculis, quam Aventinum & penates uxoris petisset? Ita privato, & omnem principatus speciem vitanti, convenisse. contra Vitellium in palatium, in ipsam imperii arcem regressum. Inde armatum agmen emissum; stratam innocentium cædibus celeberrimam urbis partem: ne Capitolio quidem abstineri. Togatum nempe se, & unum è senatoribus, dum inter Vespasianum ac Vitellium prœliis legionum, captivitatibus urbium;* [3] *deditionibus cohortium judicatur. Jam Hispaniis Germanisque & Britannia desciscentibus, fratrem Vespasiani mansisse in fide, donec ultro ad conditiones vocaretur. Pacem & concordiam* [4] *victis utilia; victoribus tantum pulchra esse. Si conventionis pœniteat; non se, quem perfidia deceperit, ferro peteret; non filium Vespasiani vix puberem: quantum occisis, uno sene, & uno juvene, profici?* [5] *iret obviam legionibus, & de summa rerum illic certaret; cetera secundum eventum prœlii cessura.* Trepidus ad hæc Vitellius pauca purgandi sui caussa respondit, culpam *in militem* conferens, *cujus nimio ardori imparem esse modestiam suam.* Et monuit Martialem, *ut per secretam ædium partem occulte abiret*, [6] *ne a militibus internuntius*

Scriverius 7, 87. quod nomen in Gruteri corpore etiam correxit Raph. Fabrettus Græce Γρατιανὴ pro Γρατίμα. *Jac. Gronovius.*

1 *In Capitolium*] Hæ duæ voces à glossographo fortasse. certe in Capitolium eos accitos, sine monitore ullo nimis clarum. *Lipsius.*

*In Capitolium accivit. At Sabinus misso*] Desunt in Flor. codice ea verba, *At Sabinus.* & certe supervacua videntur, cum de eodem Sabino sit sermo. *Pichena.* Recte vidit Lipsius glossema esse, *in Capitolium.* Sed qui minus vidit esse & statim in sequentibus. *At Sabinus, misso.* Certe enim & hæc vox *Sabinus* à glossographo, quam Tacitus nunquam addidit, cum non de alio quam de ipso Sabino sermo præcesserit. Nec particula quidem *At* convenit: pro qua scribo *Ac*: ut totus locus ita concinnetur: *fratris filium accivit: ac misso per neglecta* &c. *Acidalius.* Potuit Pichena ex vero id affirmare, quoniam plane non illic leguntur. Sed debuit paulo clarius indicare simul vetustam conturbationem universi hujus contextus, quam mireris jam tunc illis sæculis præstantissimo huic scriptori contigisse. Nam post verba cap. 65. *Invalidus senecta* sequitur *seu ferebatur lecticula parvulus* ex fine cap. 67. quæ continuantur ad voces cap. 69. *in capitolium exciit*, & sequuntur ex cap. 65. *Erant qui occultis*, eaque procedunt usque ad ista cap. 67. *mœsta circum familia....... misso per neglecta.* Hinc apparet ista quoquo modo consuta & integrata esse ab Beroaldo, & particulatim ab eodem τὰ *At Sabinus* immissa fuisse, quæ poterant commode satis omitti, tantum dicendo *accivit*, *& misso*, donec felicitas major rempublicam literariam beare voluerit. *Jac. Gronovius.*

2 *Et ni subveniretur*] Ita emendavi, Flor. lucem præferente qui corrupte habet, *ipso sed ni subveniretur.* Vulgo, *nisi subveniretur.* &c. Deerat necessario copula, quam reposui. nam duo nuntianda erant: ipsos scil. circumsideri; atque artas res, nisi subveniretur. *Pichena.*

3 *Deditionibus cohortium judicatur*] Nihil hic muta. *Judicare, dijudicare* dicunt Latini cum de bello & prœliis loquuntur. Sicut & κρίνειν Græci. Cic. lib. 10. ep. 7 ad Att. *Hoc vide, non esse judicium de tota contentione in Hispaniis.* Curio apud Cæsarem lib. 2. de bell. civ. *vos autem incerta victoria Cæsarem secuti, dijudicata jam belli fortuna, victum sequamini?* Paterculus lib. 2. *Discordia civium ante conditionibus sanari solita, ferro dijudicata.* Boxhornius.

4 *Victis utilia, victoribus tantum pulchra esse*] Cur non potius: *Pacem & concordiam victis utilem, victoribus tantum pulchram esse.* Gronovius. Mallem non scriptum. Vide ad 11, 16. *Jac. Gronovius.*

5 *iret obviam legionibus, & de summa rerum*] Copula ex Florentino. *Pichena.*

6 *Ne à militibus internuntius*] Particulam *à* delevi. nam subauditur. nisi quis putet vocabulum *internuncius* cum dativo *militibus* construendum, per

*nuntius invisæ pacis interficeretur.* Ipse neque jubendi, neque vetandi potens, non jam
71 imperator, sed tantum belli caussa erat. Vix dum regresso in Capitolium Martiale, furens miles aderat, nullo duce, sibi quisque auctor: cito agmine, forum & imminentia foro templa prætervecti, erigunt aciem per adversum collem, usque ad primas Capitolinæ arcis fores. Erant antiquitus [1] porticus in latere clivi, [2] dextræ subeuntibus: in quarum tectum egressi, [3] saxis tegulisque Vitellianos obruebant: neque illis manus nisi gladiis armatæ, & arcessere tormenta, aut missilia tela, longum videbatur. Faces in prominentem [4] porticum jecere, & sequebantur ignem, ambustasque Capitolii fores penetrassent, ni Sabinus [5] revulsas undique statuas, decora majorum, in ipso aditu vice muri objecisset. Tum diversos Capitolii aditus invadunt, juxta lucum asyli, & qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur. Improvisa utraque vis; propior atque acrior per asylum ingruebat. nec sisti poterant, scandentes per conjuncta ædificia: quæ ut in multa pace, in altum edita, solum Capitolii æquabant. Hic ambigitur, [6] *ignem tectis oppugnatores injecerint, an obsessi*, quæ [7] crebrior fama est, *quo nitentes ac* [8] *progressos depellerent.* Inde lapsus ignis in porticus, appositas ædibus. mox [9] sustinentes fastigium Aquilæ, vetere ligno, [10] traxerunt flammam, aluc-

participium *existent.* tum multo minus opus erit à præpositione. *Rhenanus.*

1 *Porticus in latere*] Dionysius lib. IV. *Frons ejus meridiem spectans, porticum habet, cum triplici columnarum ordine: in lateribus ordo duplex est.* Lipsius.

2 *Dextra subeuntibus*] An, *dextra subeuntibus?* atque ita, ut disco, Florentinus. *Idem.*

*Dextra subeuntibus*] Quod Lipsius innuit, legendum sibi videri, *dextra*, pro, *dextra*, ut in vulgatis; testor ego, id ipsum habere Flor. ac Ven. *Pichena.* Lips. *dextra*, videtur malle. Ego scio etiam *dextre* scribi posse, ut hoc referas ad *latere.* Sicut illud ad *porticus.* Sed neutrum malo: quia vulgatum æque bonum. *Acidalius.*

3 *Saxis tegulisque Vitellianos deturbabant*] Hoc verbum miror à librario omissum fuisse. *Rhenanus.* Scripsi, *obruebant*, Flor. auctore. Vulgo, *deturbabant.* Pichena.

4 *Porticum jecere*] In cod. regio est *jacere* pro jacebant. *Rhenanus.*

5 *Revulsas undique statuas*] Romani deorum multas statuas marmoreas, argenteas, aureas in Capitolio ponebant. Florus scribit Jovis statuam in Capitolio fulmine dejectam. Plinius vero, victis Samnitibus ejusdem Dei statuam à Sp. Carvilio factam, ibique erectam dicit. Cic. Act. 7. in Verrem, *Jovem Imperatorem quanto honori in suo templo fuisse arbitramini? Hinc colligere potestis, si recordari volueritis, quanta religione fuerit eadem specie atque forma signum illud, quod ex Macedonia captum in Capitolio posuerat Flamininus.* Adhæc clarorum Imperatorum imaginibus Capitolium exornabant. Plutarch. meminit, Fabium Maximum suam statuam ex ære conflatam juxta Herculem collocasse, priscosque Romanos, ipsius Bruti, qui Tarquinios expulit, statuam posuisse mediam inter Regum statuas. Cic. pro Rabir. refert Scipioni, qui Antiochum devicit, statuam erectam non solum cum chlamyde, sed etiam cum crepidis. Obiter quoque monitum studiosum volui, Athenis in gymnasiis poni solere imagines Philosophorum, ut Apollinaris ad Faustum scribit, Zeuxippus curva cervice, Aratus panda, Zeno fronte contracta, Epicurus cute distenta, Aristoteles brachio exerto pingebantur. *Lupanus.*

6 *Ignem oppugnatores*] Hoc quidem ambigi potest: at non quod Philostratus incuriose scribit lib. V. *Domitianum obsedisse Vitellianos in Capitolio, atque illos clanculum fugientes templum incendisse.* Ille dixit, qui perperam multa alia: classicus nemo scripsit. *Lipsius.*

7 *Crebrior fama*] Scilicet quia obsessi aut trucidati sunt, aut sparserunt de hoc negotio grata Vitellio invidiam rei tam atrocis non ferenti, ut iste Atticus cap. 75. fine, & non minus Vitellio blandientes monetæ præfecti statim cuso nummo, quem producit Ezech. Spanhemius in Dissertat. pag. 854. *Jac. Gronovius.*

8 *Progressos depellerent*] Nos, *depulerint.* Item *populo Ro.* Rhenanus.

9 *Sustinentes fastigium Aquilæ*] Græci etiam ea mente ἀετὸν dicunt. Hesychius: Ἀετὸς, καὶ ὄροφος, καὶ τὸ ἐπὶ τῷ γείσῳ κυμάτιον. Pausanias aliquoties usurpat; *ut* lib. X. Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς ἐστιν Ἄρτεμις, καὶ Λητὼ, καὶ Ἀπόλλων. Lib. V. Ὕψος μὲν δὴ αὐτὸ τοῦτο ἐς τὸν ἀετὸν ἀνήκοντα ἐστιν οἱ ὀκτὼ πόδες καὶ ἑξήκοντα. Nisi fallor, istæ ipsæ aquilæ, γεισίποδες Polluci dicuntur. *Lipsius.*

*Sustinentes fastigium Aquilæ*] Fortassis sic vocatæ, quod in aquilæ similitudinem effigiarentur. *Savilius.* Pausanias Corinthiacis: Καὶ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίθημα ποιοῦσι κατὰ τοὺς ἀετοὺς μάλιστα τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς. Eodem libro: Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς, Ἡρακλῆς καὶ Νίκαι πρὸς τοῖς πέρασιν εἰσί. Nisi scripsit ταῖς στέγαις. Vide P. Scriverium ad Martialis 10, 19. *Gronovius.*

10 *Traxere flammam*] Flor. *traxerunt.* Pichena.

1 *Fæ-*

alueruntque. Sic Capitolium, clausis foribus, indefensum & indireptum, conflagravit. Id facinus post conditam urbem luctuosissimum [1] fœdissimumque reipublicæ populi Romani accidit: nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, deis, [2] sedem Jovis optimi maximi, auspicato à majoribus [3] pignus imperii conditam, quam non [4] Porsena dedita urbe, neque Galli [5] capta, temerare potuissent; furore principum exscindi! Arserat & ante Capitolium [6] civili bello, sed fraude privata: nunc palam obsessum, palam incensum, quibus armorum caussis, [7] quo tantæ cladis pretio stetit? pro patria bellavimus? Voverat Tarquinius 72

1 *Fœdissimumque pop. Rom. accidit*] Non fui compos doloris & lætitiæ me obsidentis, quum in fœdissima Pichenæ taciturnitate viderem servatam pulcherrimam & Tacito dignam lectionem, prout eam cernis nunc restitutam, nec Patri meo id narrare posse, ut sciret memorabile pignus loquutionis Romanæ quod aliunde deprehenderat, produxeratque 4. Observ. 14. etiam in hoc angulo suppressum occultari ab impolitis manibus. Dedi itaque Cl. Ryckio quantocius indicandam & reparandam; qui id ita præstare voluit, ut quamvis instinctus ab codice Oxoniensi sponte ad hanc scripturam processerim, idque satis clare significaverim, nullam tamen ejus voluerit habere rationem, agitque plane quasi fuissem nullus. Nunc etiam id firmatur per inscriptiones Fabretti, ubi videbis pag. 689. *Auguri publico. p. r. Quiritium.* Jac. Gronovius.

2 *Sedem Jovis Opt. Max.*] Fundatio ejus si audimus Dionysium lib. 3. & 4. erat τοῦ Διὸς, καὶ τῆς Ἥρας, καὶ τῆς Ἀθηνᾶς ναός. *Savilius.*

3 *Pignus imperii*] Liv. l. 1. de capite humano, *quæ visa species haud per ambages arcem eam imperii caputque rerum fore portendebat.* Dionys. responsi cujusdam verba refert, dati nuntiis hoc nomine in Hetruriam Roma missis, ἄνδρες Ῥωμαῖοι λέγετε πρὸς τοὺς ἑαυτῶν πολίτας, ὅτι κεφαλὴν εἵμαρται γενέσθαι συμπάσης Ἰταλίας τὸν τόπον τοῦτον, ἐν ᾧ τὴν κεφαλὴν εὕρετε. Varro l. 4. de L. L. atque hoc caput sic inventum intelligo fuisse *imperii pignus* apud Tacitum hoc loco. *Savilius.*

4 *Porsenna dedita urbe*] Forte in hac narratione Tacitus alia aliunde accepta tradit, quam quæ ab aliis memoriæ prodita extant, ut sane ab istis dissidentia Livius habet; nisi auctor noster errasse dicendus sit, cum hanc descriptionem sic prosequitur. Obsides Porsennæ traditos memorat Dionys. lib. 5. & Livius lib. 2. de urbe dedita nihil prorsus reperio in illis, qui in hanc usque ætatem transmissi supersunt, Tacito excepto, si non fallit memoria. *Savilius.* Non abit tamen longe ab hac indignitate, quod est apud Plinium lib. 34. c. 14. *In fœdere, quod expulsis regibus po. Ro. dedit Porsenna, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro nisi in agri cultu uterentur. Etiam stilo scribere vetitum vetustissimi auctores prodiderunt.* Sic enim eum locum è MS. restituimus. *Gronovius.*

5 *Temerare potuissent*] Ita Farnesianus, melius certe, quam, *tenere*, quod obtinuit. Pollutio enim ista ad locum sacrum refertur. *Lipsius.*

*Capta temerare potuissent*] Scripsimus, *tenere potuissent. Tenere* hoc est obtinere, tamquam sui juris factam. Sic enim habet Codex Bud. alioqui verbum *temerare* non displicet, quo sæpe Tacitus utitur. Sensus est, saltem tenere non potuerunt, adeo non cremare exscindereque. De hoc tamen loco cogitet lector. *Rhenanus.*

6 *Civili bello*] Sullano A. V. C. 671. Scipione & Narbone Coss. Appian. Ιμφ. *Savilius.*

7 *Quo tanta cladis*] Æger mihi locus olim visus, nunc in sanitate esse. Sententia: ne pro patria quidem olim tanta clade pugnatum; nedum pro ambitione privata, aut contra patriam. *Lipsius.*

*Quo tanta cladis pretio stetit*] Verbum *stetit* erasimus, & distinximus, *quo tanta cladis pretio, pro patria bellavimus.* Rhenanus. In omnibus veteribus adjicitur verbum, *stetit*, à Rhenano sublatum; ego levissima mutatione retinerem ac legerem, *quibus annorum caussis? quo tanta clades pretio stetit? pro patria bellavimus?* Pichena. Emendent alii, nos interpretationi vulgatorum inserviamus. Tacitus insurgit adversus Capitolii temeratores, *quibus armorum caussis?* injustis scil. Capitolium conflagravit. *quo tanta cladis pretio stetit?* propugnatio & conservatio Capitolii adversus Gallos & Porsenam nihil est, si cum hujusmodi clade comparetur. *pro patria bellavimus.* ut illud, *Fuimus Troes, fuit Ilium* &c. Virgil. l. 2. Æn. Non amplius pro patria pugnamus; sed ejus perniciem tantum in votis habemus. *Salinerius.* Deponit hunc locum Lipsius, & alii. mihi vix ullus restitui facilius posse videtur, mutatis saltem interpunctis: *quibus armorum caussis, quo tanta cladis pretio? Pro patria bellavimus.* Quærit, quæ armorum caussa, quæ tantæ cladis merces? respondet, Patria. invidiose & acerbe tanquam ut patria servaretur, arcem patriæ & imperii sic perire necesse fuerit. Ex voce quam libri inserunt, *stetit*, apposite *scilicet* facias, si videatur. *Acidalius.* Melius forte Pichena, quam qui cum nostra editione voluerunt: *quo tanta cladis pretio pro patria bellavimus?* non quin sensus hic sit elegantissimus: sed quod præcedentia; *quibus armorum caussis?* non satis consentiunt. Optimam autem esse lectionem Rhenani arbitror, qui vocem *stetit* expunxit. si modo ita distinxit: *quibus armorum caussis? quo tanta cladis pretio? pro patria bellavimus.*

quinius Priſcus rex, bello Sabino, [1] jeceratque fundamenta, ſpe magis futuræ magnitudinis, quam quo modicæ adhuc populi Romani res ſufficerent. mox Servius Tullius ſociorum ſtudio; deinde Tarquinius Superbus, capta Sueſſa Pometia hoſtium ſpoliis extruxere. Sed gloria operis, libertati reſervata: [2] pulſis regibus Horatius Pulvillus iterum conſul dedicavit, ea magnificentia, quam immenſæ poſtea populi Romani [3] opes ornarent potius, quam augerent. Iiſdem rurſus veſtigiis ſitum eſt, poſtquam interjecto [4] CCCCXV. annorum ſpatio, L. [5] Scipione, C. Norbano conſulibus flagraverat. Curam victor Sulla ſuſcepit, neque tamen dedicavit: hoc ſolum [6] felicitati ejus negatum. [7] Lutatii Catuli nomen, [8] inter tanta Cæſarum ope-

Nam hic ſenſus acutior eſt quam ut facile, præſertim in his notis, quas quantum fieri poteſt, breves eſſe cupimus, deſcribatur aut explicetur. *Freinshemius.* Vide Obſerv. 3, 17. *Gronovius.* Et probat Ryckius, qui unde habuerit illud *ſteterat*, neſcio. *Jac. Gronovius.*

1 *Jeceratque fundamenta*] Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 3. ſolam Tarquinii Priſci operam commemorat in area excitanda. Tarquinius Superbus jecit fundamenta, maximamque partem ſuperſtruxit, ſed ultimam fabricæ manum non impoſuit. Adi Dionyſ. lib. 4. & 5. Sed Tacitus videtur Livii verba ſecutus lib. 1. *Tarquinius Priſcus aream ad ædem in Capitolio Jovis occupat fundamentis.* quæ tamen alium ſenſum non admittunt quam de fundo complanato, & ſecuturæ ſubſtructioni præparato. Superbus enim, ut ex Livio perſpicere eſt, fundamenta jecit. Nuſquam quantum recordor, in hac fabrica occurrit Hiſtorias pervolutanti Servius Tullius. *Savilius.*

2 *Pulſis regibus*] Tertio poſt anno Dionyſ. lib. 5. Liv. lib. 2. dedicationem ad primum Horatii conſulatum refert, primis reip. liberæ annis, ſecutus opinionem Dionyſio, & huc Tacito adverſariam. *Savilius.* Capitolium à Toli Vulcentani capite invento mihi dictum Arnobio, ut opera Tarquiniorum ſacratum fuerit Jovi, refert pluribus Dionyſius antiquitatis lib. 4. Sed quid M. Horatius Pulvillus anno tertio ab exactis regibus cum P. Valerio Publicola iterum Conſul addiderit Capitolio, non eſt apud illum: minus apud Livium, qui nec Pulvilli meminit. Conflagravit autem ſive conſulto ſive fortuito incendio, ut idem ait, exacta Olympiade CLXXIII circiter T. Manlii Torquati, & Cn. Octavii conſulatum: Idque opinor incendium primum Plin. 35. 3. Alterum ſecutum eſt Sullanis temporibus, cujus meminit idem Plin. 13, 13. & operis curatore Sulla, eodem quo antea fuerat loco, refectum eſt Capitolium, anno poſtquam Pulvillus dedicarat CDXXV. L. Scipione Aſiatico, & C. Norbano Balbo Coſſ. tot enim uno plus minus anni inter Horatii & horum conſulatum interceſſere. Emendo igitur Cornel. ſcriptum, à quo denarii nota elapſa eſt, ut pro *interjecto CCCCXV. annorum ſpatio*, ſcribendum aſſeverem, CCCCXXV. *Vertranius.* Se ipſum heic intricat Vertranius, dum putat dicere auctorem plurimum Capitolio additum ab Horatio: quin indicat potius gloriam operis ceſſiſſe illi Horatio. ea nempe conſiſtebat in dedicatione quam ipſam cum prolixiſſime perſequatur Liv. 2, 8. miror, ubi eidem fuerit memoria, neganti Livium meminiſſe Pulvilli anni illius geſtis. *Gruterus.*

3 *Opes ornarent*] Eſt qui *onerarent* ſcribi velit. me nolente. *Acidalius.*

4 *CCCCXV. annorum*] Ratio temporum evincit ſcribendum CCCCXXV. Adi Faſtos. *Lipſius.*

5 *Scipione & Norbano Coſſ.*] Anno urbis conditæ 671. *Savilius.*

6 *Felicitati ejus negatum*] Sullæ ipſius dictum hoc eſt, quo Tacitus alluſit. Plinius lib. VII. cap. XLIII. *Hoc tamen nempe felicitati ſuæ defuiſſe confeſſus eſt, quod Capitolium non dedicaviſſet.* Lipſius.

*Felicitati ejus*] Occiſo demum C. Mario Felicis nomen aſſumpſit Sulla. Vellejus l. 2. Appian. 1. ἐμφ. Εὐτυχῆ αὐτὸν οἱ κόλακες διευτυχοῦντα ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς ὠνόμαζον, καὶ προῆλθεν ἐς βέβαιον ὄνομα ἡ κολακεία. i. *Felicem vocabant adulatores ex rebus feliciter adverſus hoſtes geſtis. Atque hoc cognomen invenit aſſentatio, ſed publicus poſtmodum conſenſus confirmavit.* Plutarch. Sylla. Καὶ πέρας ἐκέλευσεν ἑαυτὸν ἐπὶ τούτοις εὐτυχῆ προσαγορεύεσθαι. τοῦτο γὰρ ὁ Φῆλιξ βούλεται μάλιστα δηλοῦν. i. *poſthac voluit felix cognominari*, &c. *Savilius.*

7 *Lutatii Catuli nomen*] Fallit nos ergo, aut falſus ipſe Dio, qui adſeverat inter alios honores datum Cæſari, ut nomen ejus Capitolio inſcriberetur, deleto Catuli, idque eum recepiſſe. Quod ex hoc loco omnino non poteſt. *Lipſius.* Sufficit hoc teſtimonium Taciti ad hanc Capitolinam hiſtoriam ſine ambiguitate noſcendam. Licet enim teſtetur Dio eum προσδέξασθαι quoque hanc partem, apparet tamen hinc non fuiſſe decreti ſententiam exſequutioni datam, quæcunque acceſſerint obſtacula, nobis ignota. Itaque in hac nihilominus parte ſibi placens Gutherius ſcribit (in hac tamen autorum varietate nihil habeo certi, quod adferam: hoc unum ſcio Catuli nominis memoriam Cæſare quantumvis reluctante, pulcherrimo monumento, ſimul cum templo illo conſecratam) lib. 3. Jur. Pontif. cap. 12. *Jac. Gronovius.*

8 *Inter tot Cæſarum opera*] Sic Flor. Vulgo, *inter tanta.* Pichena. Triſtiſſimus omnino id comperior. An Pichena non didicit membranas illas magis ſcienter tractare? Si vis ſcire, quid ſit in codi-

ce

opera, usque ad Vitellium mansit. Ea tunc ædes cremabatur. Sed plus pavoris 73
obsessis, quam obsessoribus intulit. Quippe Vitellianus miles, neque astu, neque
constantia, inter dubia indigebat. [1] Ex diverso trepidi milites, dux segnis, & vel-
uti captus animi, [2] non lingua, non auribus competere: neque alienis consiliis regi,
neque sua expedire: huc illuc clamoribus hostium circumagi. quæ jusserat vetare,
quæ vetuerat jubere. Mox quod in perditis rebus accidit, omnes præcipere, nemo
exsequi. postremo abjectis armis, fugam & fallendi artes circumspectabant. Irrum-
punt Vitelliani, & cuncta sanguine, ferro, flammisque miscent. Pauci militarium
virorum, inter quos maxime insignes, Cornelius Martialis, Æmilius Pacensis, Ca-
sperius Niger, Didius Scæva, pugnam ausi obtruncantur. Flavium Sabinum iner-
mem, neque [3] fugam cœptantem, circumsistunt, & [4] Quintium Atticum consu-
lem, umbra honoris & suamet vanitate monstratum, [5] quod edicta in populum pro
Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium jecerat. Ceteri [6] per varios ca-
sus elapsi, quidam servili habitu, alii fide clientium contecti, & inter sarcinas abdi-
ti. Fuere qui excepto Vitellianorum signo, quo inter se noscebantur, ultro rogi-
tantes respondentesve, audaciam pro latebra haberent. Domitianus, prima irruptio- 74
ne apud æditunm occultatus sollertia liberti, [7] lineo amictu turbæ sacricolarum [8] im-
mixtus ignoratusque, apud Cornelium Primum paternum clientem, juxta Velabrum,
delituit. Ac potiente rerum patre, disjecto æditui contubernio, modicum sacellum
JOVI CONSERVATORI, aramque posuit, [9] casus suos in marmore expressam.
Mox

ce illo, en tibi. Mabillonius in opere de re diplomatica edidit principium lib. 12. ære exceptum, ut ad amussim exprimat formam literarum quibus ille scriptus est. Ibi occurrit vox *certamine*. Iidem ductus quos illic cernis in secunda syllaba, prorsus etiam nunc hoc loco exstant. Quod dicere debui propter Ryckium nihil monentem de molestia scripturæ nobis insuetæ, & ex schedis meis ambigua ponentem, quod omnino non erat necesse, ut quæ mihi annotaveram, ea utique omnia publicarentur. Cæterum ideo & ipse revocavi *tanta*. Jac. Gronovius.

1 *Ex diverso trepidus miles*] Flor. *trepidi milites*. Pichena.

2 *Non lingua non auribus competere*] Manifeste Sallustii est: *Formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere*. Acidalius.

3 *Fugam cœptantem*] Suspicor legendum, *fugam temptantem*, vel potius *captantem*. Pichena.

4 *Quintium Atticum cons*] Malim, *Quintium*. Sunt enim apud Xiphilinum in Vitell. C. Quintius Atticus, & Cn. Cæcilius Simplex consules, intellige, suffecti: & Cæcilii supra facta est mentio. *Vertranius*.

5 *Quod edicta in populum jecerat*] Insolens mihi phrasis, *edicta in pop. jacere*. Fortasse scribi debuit, *fecerat*. nisi potius: *quod edicto* &c. *jecerat*. Acidalius.

6 *Per varios casus elapsi*] Sollicitat hoc quidam, & *astus* corrigere vult. Frustra. *Casus* etiam hic pro occasionibus, ut alibi monstravimus. *Acidalius*.

7 *Lineo amictu*] Ex hoc loco colliges lineis vestibus uti solitos Rom. Sacerdotes. Cic. Act. 7. in Verr. *lineam vestem* appellat. *Lupanus*. Isiacus fuit ille, teste Suetonio, non Romanus sacerdos. *Gronovius*. Itaque & hunc locum trahere ad centones augendos in notis nuperis ad Tibullum 1, 3, 30. potuit ille chartaceus machinator. *Jac. Gronovius*.

8 *Immixtus ignarusque*] Ita Vatic. quod germanum judicavi, non, *ignoratusque*. Novitas quædam in ea voce est, quam Sallustio debet: *More humana cupidinis ignara visundi*. id valet, *ignota*. Lipsius.

*Ignoratusque, apud Cornelium Primum*] Nos, *ignoratus apud Cornelium Primum paternum clientem* &c. *Rhenanus*. Lipsius ex Vat. reposuit, *ignarusque*, probum verbum atque usitatum. Sed Florentin. sequi malui qui habet *ignoratusque*, nec minus Tacito familiare. Supra eod. lib. *ni duo milites præclarum facinus ausi, arreptis è strage scutis, ignorati vincla ac libramenta tormentorum abscidissent*. & libro seq. *eadem in Voculam parabantur, nisi servili habitu per tenebras ignoratus evasisset*. Sallust. Jug. *nocturnis & aviis itineribus ignoratus, Rom. palantes repente aggreditur*. Pichena. Lips. è Vat. *ignarus* scripsit, magis germanum ratus vulgato, *ignoratus*: Falso. Multo hic aptius hoc. Etenim *ignarus* quid sonat nisi *ignotus*? At *ignoratus* multo aliud. & semper, ubi fallendi res, hoc Tacit. utitur. Supra hoc lib. *Ni duo milites* &c. *ignorati vincla ac libramenta tormentorum abscidissent* & lib. 4. *Acidalius*.

9 *Casusque suos in marmore expressit*] Solebant Rom. in marmore, vel tabulis suos prosperos vel adversos casus exprimere. nam quandoque in tabulis

Mox imperium adeptus, JOVI CUSTODI templum ingens, seque in sinu dei sacravit. Sabinus & Atticus onerati catenis, & ad Vitellium ducti, nequaquam infesto sermone vultuque excipiuntur, frementibus qui jus cædis, & [1] præmia navatæ operæ, petebant. Clamore à proximis orto, sordida pars plebis supplicium Sabini exposcit, minas adulationesque miscet. Stantem pro gradibus palatii Vitellium, & preces parantem, pervicere ut absisteret. Tum confossum conlaceratumque, & [2] ab-
75 scisso capite truncum corpus Sabini, in Gemonias trahunt. Hic exitus viri haud sane spernendi. Quinque & triginta stipendia in republica fecerat, domi militiæque clarus. Innocentiam justitiamque ejus non argueres: sermonis nimius erat. id unum septem annis, quibus Mœsiam; duodecim, quibus præfecturam urbis obtinuit, calumniatus est rumor. In fine vitæ, alii segnem; multi moderatum, & civium sanguinis parcum credidere. Quod inter omnes constiterit, ante principatum Vespasiani, decus domus penes Sabinum erat. Cædem ejus lætam fuisse Muciano accepimus. Ferebant plerique *etiam paci consultum*, [3] *dirempta æmulatione inter duos, quorum alter se fratrem imperatoris, alter consortem imperii cogitaret.* Sed Vitellius consulis supplicium poscenti populo restitit, placatus ac velut vicem reddens, quod interrogantibus *quis Capitolium incendisset*, se reum Atticus obtulerat. Eaque confessione, sive aptum tempori mendacium fuit, invidiam crimenque agnovisse, & a partibus Vitellii amolitus
76 videbatur. Iisdem diebus L. Vitellius, [4] positis apud Feroniam castris, excidio Tarracinæ imminebat; clausis illic gladiatoribus remigibusque, qui non egredi mœnia, neque periculum in aperto audebant. Præerat, ut supra memoravimus, Julianus gladiatoribus, Apollinaris remigibus, lascivia socordiaque gladiatorum magis, quam ducum similes. Non vigilias agere, non intuta mœnium firmare, noctu dieque fluxi, & amœna litorum personantes, in ministerium luxus dispersis militibus, de bello tantum inter convivia loquebantur. Paucos ante dies discesserat Apinius Tiro: donisque ac pecuniis acerbe per municipia conquirendis, plus invidiæ quam virium

partibus

lis pugnas depictas habebant, quod apud nos etiam hodie servatur. Vidi aliquando Bononiæ Iconice depictam pugnam illam ad Tarrum commissam inter Regem. Carolum Octavum & Italiæ Principes. Virgil. 1. Æn. *videt Iliacas ex ordine pugnas, Bellaque jam fama totum vulgata per orbem* Herodian. l. 4. scribit Severum victis Parthis literas ad Senatum misisse, depictasque in tabulis pugnas, victoriasque exposuisse. Atque lib 7. ait Maximinum suam de Germanis victoriam in tabulis depictam ante curiam publicasse. Antoninus Pius res à se gestas in cochlidis columna, quæ etiam nunc Romæ stat, incidendas curavit. Aliquando etiam res quæ male cesserant, tabulis mandabantur, veluti naufragio reduces templis tabulas affigunt, in quibus exprimitur omnis naufragii casus. Tales tabulas apud D. Virginem Lauretanam, & Florentiæ in æde Annuntiationis videri possunt Inde Horatius de Pyrrha meretrice eloquens in Carm. se tabulam suspendisse maris deo dicit, significans se ipsius meretricis Pyrrhæ amore liberatum, tabulam suspendisse maris deo, ut illi qui naufragium evaserunt Juval. *& picta se tempestate tuetur*. Virgil. Æneid. 12. *Laurenti divo, & votas suspendere vestes*. Lupanus. De lectione autem hac, quam ex MS. Mediceo notavi, & nunc exhibeo *casus suos in marmore expressam* videndus est Cl. Ryckius; sed quam summopere illustrandam sumpserat Nob. Heinsius in notis ad Valerium Flaccum 1, 491. ubi editur *expressum*, nescio an lapsu typorum. *Jac. Gronovius.*

1 *Præmia navato opere petebant*]. Vol. Bud. *præmia enavato* &c. Est autem elegans vocabulum *enavatus*, ab *enavando*. ubi è consummationem significat, ut in verbo *evinco*. lib. Ann. 3. *Tanto magis imbelles Heduos evincite.* Item in *emunio*, cujus participio utitur in vita Agric. *Sylvis & paludibus emuniendis.* Rhenanus. Dancsius legebat, *enavata.* Ursinus.

2 *Abscisso capite*] Vide ad 26. 58. *Jac. Gronovius.*

3 *Direpta æmulatione*] Nos, *dirempta.* Rhenanus.

4 *Positis apud Feroniam castris, exidio Tarracinæ imm.*] Hæc illustrat Virgilius, unde forsan junctim ita præbet, *Queis Jupiter Anxurus arvis Præsidet & viridi gaudens Feronia luco.* Et utraque variis modis expolire conatur Phil. Cluverius lib. 3. Italiæ antiq. cap. 7. circa pagg. 1003. & 1013. *Jac. Gronovius.*

1 In.

partibus addebat. [1] Interim ad L. Vitellium servus Verginii Capitonis perfugit, 77
pollicitusque *si præsidium acciperet, vacuam arcem furtim traditurum*, multa nocte co-
hortes expeditas summis montium jugis, super caput hostium sistit. inde miles ad cæ-
dem magis, quam ad pugnam decurrit. [2] sternunt inermes, aut arma capientes, &
quosdam somno excitos; cum tenebris, pavore, sonitu tubarum, clamore hostili
turbarentur. Pauci gladiatorum resistentes, [3] neque multi cecidere. ceteri ad naves
ruebant, ubi cuncta pari formidine implicabantur, permixtis paganis, quos nullo
discrimine Vitelliani trucidabant. Sex Liburnicæ inter primum tumultum evasere,
in quis præfectus classis Apollinaris: [4] reliquæ in litore captæ, aut nimio ruentium
onere pressas mare hausit. Julianus ad L. Vitellium perductus, & verberibus fœda-
tus, [5] in ore ejus jugulatur. Fuere, qui uxorem L. Vitellii Triariam incesserint,
tamquam *gladio militari cincta, inter luctum cladesque expugnatæ Tarracinæ, superbe sæ-
veque egisset.* Ipse [6] lauream prospere gestæ rei, ad fratrem misit; percunctatus *sta-
tim regredi se, an perdomandæ Campaniæ insistere juberet.* Quod salutare non modo par-
tibus Vespasiani, sed reipublicæ fuit. nam si recens victoria miles, & super insitam
pervicaciam secundis ferox, Romam contendisset; haud parva mole certatum, nec
sine exitio urbis foret. quippe L. Vitellio, quamvis infami, inerat industria: nec
virtutibus, ut boni; sed quo modo pessimus quisque, vitiis valebat. Dum hæc in 78
partibus Vitellii geruntur, digressus Narnia Vespasiani exercitus, [7] festos Saturni
dies, [8] Ocriculi per otium agitabat. Caussa tam pravæ moræ, ut Mucianum op-
perirentur. Nec defuere qui Antonium suspicionibus arguerent, tamquam *dolo cun-
ctantem, post secretas Vitellii epistolas, quibus consulatum & nubilem filiam, & dotales opes,
pretium proditionis, offerebat.* Alii *ficta hæc, & in gratiam Muciani composita.* Quidam
*omnium id ducum consilium fuisse, ostentare potius urbi bellum, quam inferre: quando va-
lidissimæ cohortes à Vitellio descivissent, & abscisis omnibus præsidiis, cessurus imperio vide-
batur. Sed cuncta festinatione, deinde ignavia Sabini corrupta: qui sumptis temere armis,*
*mu-*

1 *Interim ad L. Vitellium*] Ita restitueram ex codice Oxoniensi, quum offenderer confusione, quam sedulo vitavit Tacitus, imperatorem ipsum semper Vitellium vocans, sed fratrem addito prænomine Lucii, unde lætabar concordia membranæ Mediceæ. Hæc omnia ignorabat Ryckius, & sibi attribuit rem tantillam. *Idem.*

2 *Sternunt inermes*] Iteremus quod publicavit Ryckius, *inermos* legi in solo Mediceo, in quo est instar omnium. *Idem.*

3 *Neque multi cecidere*] Castigavi, *neque inulti ce cid.* Rhenanus.

4 *Reliquas in litore captas*] Covarruviæ codex, *reliqua in litore capta.* quod verum. *Lipsius.*

*Reliqua in litore capta*] Male in vulgatis, *reliquas in litore captas.* Lectionem, quam reposuit, probat Lipsius ex vet. cod. & ex meis Venetus firmat Florentinusque innuit, qui habet, *capta.* Pichena.

5 *In ore ejus jugulatur*] Sen. de benef. 7, 19. *Si in ore parentum filios jugulat.* Pichena.

6 *Lauream gestæ prosperæ rei*] Emendavi, *lauream prospere gestæ rei.* Rhenanus. *Laureæ* vel *literæ laureatæ*, vel Lampridio *tabellæ laureatæ*, erant publicæ & repentinæ lætitiæ atque victoriæ indices, quas ante occupatam à Cæsaribus Remp. duces exercituum ad Senatum mittebant. Propterea Plin. lib. 55. *addi laurum literis, militum lanceis pilisque* dixit. Plin. Secundus in Paneg. *Allata erat ex Pannonia Laurea, id agentibus diis, ut invicti imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret.* Amm. Marcell. lib. 16. *literas laureatas* vocat Cæsar lib. 3. bell. civ. *sed neque in literis, quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia laureæ.* Sueton. Dom. 6. *De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit.* Persius, *missa est à Cæsare laurus Insignem ob cladem Germanæ pubis.* Lupanus.

7 *Festos Saturni dies*] Saturnalia quibus initium 10. Decemb. finis 24. ejusdem mensis. *Savilius.* Romani ut aurei seculi memoriam refricarent, quo Saturnus regnavit. quotannis XIIII. Cal. Jan. Saturnalia celebrabant, quibus erat servis rerum omnium data licentia & par cum domino potestas. *Lupanus.*

8 *Ocriculi*] Contigisse id Livio & Tacito notavit Ortelius, ut in illis ederetur *Otriculum*, quum deberet dici *Ocriculum*; at ex posterioris temporis appellatione *Otricoli* in plerisque etiam veterum auctorum exemplaribus nomen ejus antiquum exscriptorum imperitia legi *Otriculum* & *Otriculi* observavit

*munitissimam Capitolii arcem*, *& ne magnis quidem exercitibus expugnabilem*, *adversus tris cohortes* [1] *tueri nequivisset*. Haud facile quis uni assignaverit culpam, quæ omnium fuit. nam & Mucianus ambiguis epistolis, victores morabatur; & Antonius præpostero obsequio, [2] vel dum regerit invidiam, crimen meruit. ceterique duces, [3] dum peractum bellum putant, finem ejus insignivere. Ne Petilius quidem Cerialis, cum mille equitibus præmissus, ut transversis itineribus per agrum Sabinum, Salaria via urbem introiret, satis maturaverat: donec obsessi Capitolii fama cunctos simul exciret.
79 Antonius per Flaminiam [4] ad Saxa rubra, multo jam noctis, serum auxilium venit. Illic *interfectum Sabinum*, *conflagrasse Capitolium*, *tremere urbem*, mœsta omnia accepit: *plebem quoque &* [5] *servitia pro Vitellio armari*, nuntiabatur. Et Petilio Ceriali equestre prœlium adversum fuerat. namque incautum, & tamquam ad victos ruentem Vitelliani, interjectus equiti pedes, excepere. pugnatum haud [6] procul urbe, inter ædificia hortosque, & anfractus viarum. quæ gnara Vitellianis, incomperta hostibus, metum fecerant. neque omnis eques concors, adjunctis quibusdam, qui nuper apud Narniam dediti, fortunam partium speculabantur. capitur præfectus alæ Tullius Flavianus: ceteri [7] fœda fuga consternantur, non ultra Fidenas secutis
80 victoribus. Eo successu studia populi aucta. vulgus urbanum arma cepit. Paucis scuta militaria, plures raptis quod cuique obvium telis, *signum pugnæ* exposcunt. Agit grates Vitellius, & [8] *ad tuendam urbem prorumpere* jubet. Mox vocato senatu, deliguntur legati ad exercitus, ut [9] prætexto reipublicæ concordiam pacemque suaderent. Varia legatorum sors fuit: qui Petilio Ceriali occurrerunt, extremum discrimen adiere, aspernante milite conditiones pacis. [10] vulneratur prætor Arulenus Rusticus.

servavit Phil. Cluverius lib. 2. Ital. Antiq. cap. 7. pag. 639. etiam hunc locum adducens. Hinc etiam Emin. Norisio ita citante in loco, quem infra designabo, nequivi aliter edere *Jac. Gronovius*.

1 *Tueri nequisset*] Id videtur probasse Beroaldus, quia in Mediceo MS. reperiebat *ne„visset*, lineam quæ trajicit inferiorem partem literæ *q* non satis advertens aut aspiciens. Sed non est superstitiosus hic auctor in illis syllabæ ademptionibus, nisi in *implesset*. Unde quod in MS. extat, merito recepi. *Idem*.

2 *Dum tegeret invidiam*] Ne unus ipse omnia velle & facere videretur, eoque cunctatus. Sed placet magis Pichenæ lectio ex scriptura Florent. *dum regerit*. Nimirum invidiam ipse in Mucianum retorquet: invidiam, inquam, ejus culpa & consilio Capitolium exustum. Cur enim moratus est, aut inhibuit? At in crimine tamen Antonius, nec parere in tanta necessitate debebat. *Lipsius*.

*Vel dum regerit invidiam*] Vulgo, *tegeret*, neque id corruptum suspicatus fuissem, nisi Flor. indicio, qui habet, *regeret*. Emendavi ergo, *regerit*. Conabatur Antonius invidiam rerum a se male gestarum in Mucianum transferre, qui suis epistolis victoriam semper moratus esset. *Pichena*.

3 *Dum peractum*]. Romanus, *patratum bellum*. probe. *Lipsius*.

4 *Ad Saxa rubra*] Plene monstratus per bene multos antiquos auctores ab Ortelio locus circa viam Flaminiam, mox congregatis eorundem verbis ab Phil. Cluverio lib. 2. Ital. antiq. cap. 3. pag. 526. & post illum obiter prospectus ab Card. Norisio in Annis Syromacedonum. pag 40. ubi minutissime per articulos temporis, & Othonis & Vitellii neces persequitur; & quidem ita, ut ab nullo obscuretur hæc Taciti mentio. *Jac. Gronovius*.

5 *Servitia pro Vitellio armari*] Ante servorum numerum & argenti pondus Senatoribus indictum retulit Tacitus. Nam solebant Romæ, in penuria maxima militum, servi ad arma capienda pro defensione patriæ vocari, ut post cladem Cannensem contigit. *Lupanus*.

6 *Procul urbe*]. Hispanus, *urbem*, vere. *Lipsius*.

7 *Fœda fuga consternuntur*] Scripsi, *consternantur*. ut supra, *atque illi consternantur*. Rhenanus.

8 *Ad tuendam urbem prorumpere*] Non ut intra mœnia quasi obsessi urbem tuerentur, sed ut foras erumperent ad propulsandos hostes, ne ad urbem accederent. *Pichena*.

9 *Prætextu reip.*] Nos, *prætexto reip.* nam sic & auctores alii loquuntur. *Rhenanus.* Non aliter Medic. MS. in quo etiam legitur *occurrerant*, non *occurrerunt*. Jac. Gronovius.

10 *Vulneratur prætor*] Haud aliunde lucem Plinio, sive Regulo potius dederis apud Plinium, lib. 1. epist. v. *Rustici Aruleni periculum foverat, exsultaverat morte, adeo ut librum recitaret ederetque, in quo Rusticum insectatur, atque etiam Stoicorum Simiam appellat. Adjicit*, Vitelliana cicatrice stigmosum. *Agnoscis Reguli eloquentiam*, Hoc cicatricis Vitellianæ

ſticus. auxit invidiam, ſuper violatum legati prætoriſque nomen, propria dignatio viri. palantur comites: occiditur [1] proximus lictor, dimovere turbam auſus: [2] & ni dato à duce præſidio defenſi forent, ſacrum etiam in exteras gentes legatorum jus, ante ipſa patriæ mœnia, civilis rabies uſque in exitium temeraſſet. Æquioribus animis accepti ſunt, qui ad Antonium venerant, non quia modeſtior miles, ſed duci plus auctoritatis. Miſcuerat ſe legatis Muſonius Rufus equeſtris ordinis, ſtudium 81
philoſophiæ, & [3] placita Stoicorum æmulatus: cœptabatque permixtus manipulis, *bona pacis ac belli diſcrimina* [4] diſſerens, armatos monere. Id pleriſque ludibrio, pluribus tædio; nec deerant qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modeſtiſſimi cujuſque, & aliis minitantibus, omiſiſſet intempeſtivam ſapientiam. Obviæ fuere & virgines Veſtales, cum epiſtolis Vitellii ad Antonium ſcriptis: [5] *eximi ſupremo certamini unam diem* poſtulabat; *ſi moram interjeciſſent, facilius omnia conventura.* Virgines cum honore dimiſſæ: Vitellio reſcriptum *Sabini cæde, & incendio Ca-* 82
*pitolii* [6] *dirempta belli commercia.* Tentavit tamen Antonius vocatas ad concionem legiones mitigare, *ut caſtris juxta pontem Milvium poſitis, poſtera die urbem ingrederentur.* Ratio cunctandi, ne aſperatus prœlio miles, non populo, non ſenatui, ne templis quidem ac delubris deorum conſuleret. Sed [7] omnem prolationem, ut inimicam victoriæ, ſuſpectabant. Simul fulgentia per colles vexilla, quamquam imbellis

næ convicium, eſt à vulnere, quod nunc accepit. *Lipſius.*

1 *Proximus lictor*] Quem ſufficienter monſtrant Lipſii Electa 1, 23. poſt quæ quid dici poteſt? *Jac. Gronovius.*

2 *Et ni dato à duce præſidio*] *Et* particula non eſt in libro MS. qui mox habet, *ſacrum etiam in exteras gentes legatorum jus.* *In* pro erga. hoc eſt, cum exteræ gentes mittunt legatos. *Rhenanus.* Similiter quum legatur in MS. Mediceo, debui ſic quoque edere, non *inter exteras.* Alia ratio eſt loci 13, 10. *Jac. Gronovius.*

3 *Placita Stoicorum æmulatus*] Tac. vocat *placita Stoicorum* ea loquendi forma, qua Plin. lib. 14. *Medicorum placita*, & 29. *Maiorum placita.* Nam *placere* ſignificat ſtatuere, conſtituere. Cicer. lib. 9. Epiſt. Fam. *Placet Stoicis ſuo quamque rem nomine appellare.* Unde apud Juſtinianum dicitur, *quod Principi placuit, legis habere vigorem*, id eſt, quod ratione & adhibitis in conſilium viris doctis & prudentibus placuit Principi. Quod non debet intelligi, ut quod Principi abſque conſilio & ratione per fas & nefas placuit, legis vim habeat. Eadem loquendi formula, *Arreſta*, id eſt ſententias Supremarum Gallicarum curiarum, nos *placita* vocabimus Latine, quo nomine Joannes Lucius noſter librum a ſe nuper editum inſcripſit. *Aρέσκοντα* vero legitur in Actis Apoſtolorum c. 6. & 12. *Lupanus.*

4 *Diſſerens armatos monere*] Hæ voces haberi poſſent pro ſpuriis, plane, non motos armatos, auctor ipſemet ſtatim fatetur intempeſtivam hujus ſapientiam falſiſſime deridens. *Gruterus.*

5 *Eximi.... poſtulabant*] Quis fuit tam rudis, ut Tacitum ſic vitiare potuerit, quum in MS. Mediceo exſtet manifeſte *poſtulabat?* An hic ſingularis poſtulabat explicationem? addidit Ryckius. addat ergo & illis 1. hiſt. 74. *Crebra interim & muliebribus blandimentis infecta ab Othone ad Vitellium epiſtola; offerebat pecuniam* &c. Hic enim locus incertus hæret, editoribus auſis *offerebantur*, aliis *offerebant*, donec Pichena amorem ſingularis oſtendit; ſed pagina iſta non aderat in optimo MS. hinc illa coſpilatio, haud dubie ex hoc loco juvanda. *Jac. Gronovius.*

6 *Direpta belli commercia*] Quid clarius? Corrigitur tamen adventat, *diremta bellico commercia.* Lipſius.

*Dirempta belli commercia*] Lego, *dirempta bellico commercia*, hoc eſt, velut dato belli ſigno, dirempta commercia. Notum eſt quid *bellicum canere.* Rhenanus. Haud immerito vir doctiſſ. Rhenanum carpit. noſter enim præ oculis habuit, quæ Magus, & quæ Æneas contra reddidit lib. 10. Æneid. Magus. *Non hic victoria Teucrum Vertitur, haud anima una dabit diſcrimina tanta.* Æneas *belli commercia Turnus Suſtulit iſta prior jam tum Pallante peremto.* Confer cum his. *eximi ſupremo certamini unum diem poſtulabant*, &c. *reſcriptum Sabini cæde & incendio Capitolii diremta belli commercia.* Salinerius.

7 *Omnem prolatationem*] Induſtrie ac ſedulo hæc vox propagata per editionum ſucceſſiones ad hoc ævi uſque. Et tamen ſic ille Melchior Freinshemius in indice ſuſtinuit *prolationem* ponere decurtata ſyllaba. Quid quævis? tacet Ryckius, & tamen in ſchedis meis notavi ex Mediceo id ipſum quinqueſyllabicum *prolationem*, ut claro indicio ſcias alteram *prolatationem* eſſe Beroaldi, non Taciti, cui reddidi ſuum, quantum ſcio. *Jac. Gronovius.*

bellis populus sequeretur, speciem hostilis exercitus fecerant. Tripartito agmine; pars ut astiterat, Flaminia via: pars juxta ripam Tiberis incessit: tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquabat. [1] Plebs invectis equitibus fusa. Miles Vitellianus [2] trinis & ipse præsidiis occurrit. Prœlia ante urbem multa & varia: sed Flavianis consilio ducum præstantibus, sæpius prospera. Ii tantum conflictati sunt, qui in partem sinistram urbis ad Sallustianos hortos, per angusta & lubrica viarum flexerant. Superstantes maceriis hortorum Vitelliani, [3] ad serum usque diem, saxis pilisque subeuntes arcebant. donec ab equitibus, qui porta Collina irruperant, circumvenirentur. Concurrere & in campo Martio infestæ acies. Pro Flavianis fortuna, & parta totiens victoria: Vitelliani desperatione sola ruebant. & quamquam pulsi,

83 rursus in urbe congregabantur. Aderat pugnantibus spectator populus, utque in ludrico certamine, [4] hos, rursus illos clamore & plausu fovebat: quotiens pars altera inclinasset, [5] abditos in tabernis, aut si quam in domum perfugerant, *erui* [6] *jugularique* expostulantes, parte majore prædæ potiebantur. nam milite ad sanguinem & cædes obverso spolia in vulgus cedebant. Sæva ac deformis urbe tota facies. alibi prœlia & vulnera; alibi balineæ popinæque. simul cruor & strues corporum: juxta scorta, & [7] scortis similes: quantum in luxurioso otio libidinum; quicquid in acerbissima captivitate scelerum: prorsus ut eandem civitatem, & furere crederes, & lascivire. Conflixerant ante armati exercitus in urbe, bis L. Sulla, semel Cinna victoribus; nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana securitas, & ne minimo quidem temporis voluptates intermissæ, velut festis diebus id quoque gaudium accederet,

1 *Plebes invectis* &c.] Tanquam de concione tribunicia ageretur aut comitiis, quo conveniret legitime tranquillior pars. Sed MS. optimus id non agnoscit, & habet tantum *plebs*, quod reposui. *Idem.*

2 *Trinis & ipse præsidiis*] Καὶ τριχῆ κατὰ τὴν πόλιν συμβαλόντες ἀπώλοντο πάντες, i. *& tribus in urbe locis pugnantes cadebantur*, numeratque Josephus, si à vero non exorbitat, 50 hominum millia 4 ἁλώσ. c. 42. *Savilius.*

3 *Ad serum usque diem*] Ita Flor. vulgo, *ad ferum usque diei.* Pichena.

4 *Hos modo, rursus illos clamore &c. p. f.*] Admodum sentiebam cernens ab MS. Mediceo abesse vocem *modo*, & tantum nuperrime in margine adscriptam. Sic enim memineram auctorem scripsisse cap. 22. hujus libri: *Prælium atrox, his, rursus illis exitiabile*, quem locum citaveram, quum 1. hist. 81. deprehenderem in verbis vulgatis *modo constantiam simulare, modo*, a MS. Oxoniensi omissum prius *modo*. Hæc ignorabat Ryckius, & vide Lector, quid scribat, ut editionibus veteribus addat pondus, inane prorsus, quum interim Tacitum non adjuvet, unde istud *modo* nunc erasi; nam verbis cap. 22. sunt hæc simillima. *Jac. Gronovius.*

5 *Abditi in tabernis*] Sensus est, quoties pars altera inclinasset, & propterea abderetur in tabernas, & in domos: postulabat populus eos erui domibus & tabernis, ac jugulari. Quamobrem militibus in sanguinem & cædem versis potiebatur populus majore parte prædæ. Dictum est autem, *pars altera abditi* eadem forma, qua alibi, *major pars ruebant in prælium.* Ferrettus. Optima, quod ea nonnunquam Tacitus scribat, quæ solœcismum sapere videntur. *Et si velles imperium, premtas ostentavere*, sermo de veteranis est, & maluit *promptas*; respiciens ad legiones, quam *promptos* quod jam à libris exulabat. Nec Terentius abstinuit à simili imparilitate, Andr. *Ubi illic scelus est, qui me perdidit?* Vide Dionys. ad Amm. Thucydides: τοῦ δὲ Συρακοσίων ὁ δῆμος ἐν πολλῇ πρὸς ἀλλήλους ἔριδι ἦσαν. i. *populus autem Syracusanorum multum inter se contendebant.* Ad hanc faciem quoque jam dicto *populus* annectit *abditi.* par erat enim, ut plebs formidolosa fugientibus ad se militibus tabernas peteret, aut iisdem adversarios in domos compellentibus sequeretur, & clausos erui jugularique postularet, quo præda ipsa potiretur, quod sequentia satis probant. *parte majore præda potiebantur.* sed sic distinguenda sunt: *Aderat pugnantibus spectator populus, utque in ludicro certamine hos modo, rursus illos clamore & plausu fovebat: quoties pars altera inclinasset abditi in tabernis; aut si quem* &c. *Salinerius.* Lipsius *abditos* reposuit. Nos Flor. & Veneti consensum adjicimus. Male vulgo *abditi.* Pichena.

6 *Jugularique expostulantes*] Scripsimus, *postulantes.* Rhenanus. Verbum, *expostulantes*, ex Florent. ac Ven. restitui. Vulgo, *postulantes.* Pichena.

7 *Scortis miles*] Castigavimus, *scortis similes.* Rhenanus.

1. Exul

deret, [1] exsultabant, fruebantur, nulla partium cura, malis publicis læti. Pluri- 84
mum molis [2] in oppugnatione castrorum fuit, quæ acerrimus quisque [3] ut novissimam spem retinebant. Eo intentius victores, præcipuo veterum cohortium studio, cuncta validissimarum urbium excidiis reperta, simul admovent, testudinem, tormenta, aggeres, facesque: *quidquid tot prœliis laboris ac periculi hausissent, opere illo consummari* clamitantes. *Urbem senatui ac populo Romano, templa diis reddita; proprium esse militis decus, in castris. illam patriam, illos penates. ni statim recipiantur, noctem in armis agendam.* Contra Vitelliani, quamquam numero fatoque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos [4] arasque cruore fœdare, suprema victis solatia [5] amplectebantur. Multi semianimes super turres & propugnacula mœnium exspiravere. Convulsis portis, reliquus globus obtulit se victoribus: & cecidere omnes contrariis vulneribus, versi in hostem. ea cura etiam morientibus decori exitus fuit.
Vitellius capta urbe, [6] per aversam palatii partem, [7] Aventinum in domum uxoris 85
[8] sellula defertur: ut si diem latebra vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque persugeret. Dein mobilitate ingenii, & quæ natura pavoris est, cum omnia metuenti, præsentia maxime displicerent, in palatium regreditur, vastum desertumque; dilapsis etiam infimis servitiorum, aut occursum ejus declinantibus. [9] Terret solitudo, & tacentes loci: tentat clausa: inhorrescit vacuis: fessusque misero errore, & [10] pudenda latebra semet occultans, ab Julio Placido tribuno cohortis protrahitur. Vinctæ

1 *Exultabant, fruebantur, nulla partium cura*] Abest quidem à vulgatis verbum, *fruebantur*. Sed cum in Flor. atque in aliis veteribus quos viderim, constanter inveniatur, minime spernendum duxi. Refertur enim ad id, quod supra dicitur, ne minimo quidem temporis voluptates intermissas. ideo ait, exultabant, ac fruebantur, scil. voluptatibus, gaudebantque. Lips. id verbum immutare mallet, *exultabant, furebantque*. Aptiori sensu, si esset à libris. *Pichena*. Intricatus & ineptus verborum sensus. Emendo distinguoque: *voluptates intermissæ. velut festis diebus, id quoque gaudium excederet, exsultabant, nulla partium cura* &c. Verba, *id quoque gaudium excederet*, sic quasi παρενθετικῶς interjiciuntur: ut in illo sup loco: *Vitellianus miles transiturus in partes, id quoque non sine dedecore, sed* &c. Innuit, si festis diebus ita exsultassent, nimium id gaudium fuisse, quo tum miserrimo reip. tempore efferebantur. Verbi *fruebantur*, quod alii libri inferunt, nullam habui rationem, nec censeo habendam. Nec quod Lipsius *furebantque* inde facit, placet. Quamquam possim non incommode traducere, *nulla partium cura, malis publicis læti fruebantur*. Sed omitti, melius. *Acidalius*.

2 *In oppugnatione castrorum*] Tiberius auctore Sueton. c. 37. *castra constituit, quibus prætoria cohortes vaga ante id tempus & per hospitia dispersa continerentur*. Castra vero ipsa Prætoria ad extrema urbis ædificia fuisse sita colligitur ex Plinii lib. 3. *Lupanus*.

3 *Ut novissimam speciem retinebant*] Emendavimus, *spem*. Rhenanus.

4 *Arasque cruore fœdare*] Faernus legebat *fœdatas*. vel si magis placet *fœdas*. Ursinus. Muret. *arasque cruore fœdas*. bona quidem sententia: sed vereor ut huic loco apta. *Acidalius*.

5 *Complectebantur*] Hoc ab Beroaldo ad nos usque processit, quum tamen in MS. Mediceo legatur *amplectebantur*, quod retuli. *Jac. Gronovius*.

6 *Per aversam palatii partem*] Roman. *portam*. quod præfero: aut potius utraque voce spreta, *per aversa palatii*. Sæpe ita noster loquitur. itemque Vellejus: *Antonius per aversa castrorum, proruto vallo, receptus est*. Lipsius.

7 *Aventinum in domum*] Exemplar regium habet, *Aventini*. *Per aversam palatii partem Aventini, in domum*, &c. *Rhenanus*. Corviniano inest, *Aventini*, & rectius. *Vertranius*. Liptius ex Rom. codice præfert, *portam*. at vulgatam Tacitus ipse confirmat, qui supra eod. lib. dixit: *monuit Martialem, ut per secretam ædium partem occulte abiret*. Pichena. Lipsius resecta voce, *per aversa palatii*, eo impulsus, quod in Rom. cod. invenisset *portam*. Quæ tamen lectio minus placet; nam more suo Sallustium expressit Tacitus, apud quem in Catilina legas: *in abditam partem ædium secessit*. Ger. Vossius G. F.

8 *Sellula*] Sueton. Vit. 16. *gestatoria sella*. Savilius.

9 *Terret solitudo, & tacentes loci*] Virgilius arcanum hunc naturæ nostræ motum pariter effert:

*Horror ubique animos, atque ipsa silentia terrent.*

Lipsius.

10 *Pudenda latebra*] Sueton. Vit. 16. *In cellulam Janitoris, religato pro foribus cane, lectoque & culcitra objectis*. Savilius.

Vinctæ pone tergum manus: laniata veste, fœdum spectaculum, ducebatur, multis
increpantibus, nullo illacrymante. deformitas exitus misericordiam abstulerat. Ob-
vius è Germanicis militibus Vitellium infesto ictu, per iram, vel quo maturius [1] lu-
dibriis eximeret; an tribunum appetierit, in incerto fuit: aurem tribuni amputavit,
ac statim confossus est. Vitellium infestis mucronibus coactum [2] modo erigere os
& offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque [3] Rostra, aut Galbæ
occisi locum contueri; postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini jacuerat,
propulere. Vox una non degeneris animi excepta, cum tribuno insultanti, *se tamen
imperatorem ejus fuisse* respondit. Ac deinde ingestis vulneribus, concidit. Et vul-
86 gus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua foverat viventem. [4] Pater illi
L. Vitellius. septimum & quinquagesimum ætatis annum explebat. consulatum, sa-
cerdotia, nomen locumque inter primores, nulla sua industria, sed cuncta patris cla-
ritudine adeptus. Principatum ei detulere, qui ipsum non noverant. Studia exer-
citus, raro cuiquam bonis artibus quæsita perinde affuere, quam huic per ignaviam.
Inerat tamen simplicitas ac liberalitas: quæ, ni adsit modus, in exitium vertuntur.
Amicitias dum magnitudine munerum, [5] non constantia morum continere putat,

[1] meruit

1 *Ludibrio eximeret*] In exemplari regio legitur, *ludibus*. Suspicor scribendum, *ludibriis*. Mox nos, *vox una*. Rhenanus.

2 *Modo erigere os*] Illustratur hîc locus à Suet. in Vit. 17. *Per totum via Sacra spatium, reducto coma capite, ceu noxii solent, atque etiam mento mucrone gladii subrecto, ut visendam praberet faciem, neve submitteret.* Plin. Paneg *nihil saculo dignius, quam quod contigit desuper intueri delatorum supina ora, retortasque tervites.* Pichena.

3 *Rostra aut Galba occ. locum*] Ita MS. Mediceus hæc exhibet, & olim ex eo Beroaldus, quod citeriores mutarunt in *Rostra & Gal.* indocte prorsus. *Jac. Gronovius.*

4 *Pater illi L. Vitellius (nam septimum & quinquagesimum*] Codex Bud. *Patrem illi Luceriam septimum & quinquagesimum atatis annum explebat.* Conjicio legendum: *Pater illi L. Nucerian. septimum & quinquagesimum atatis annum explebat.* Sive, *Pater illi L. Nucerin.* (aut *L. Nuceria*, pro à Nuceria) *jam septimum* &c. De avo Vitellii Cæsaris, Sueton. in hæc verba scribit: *P. Vitellius domo Nuceria.* Cæterum quia manuscriptum volumen habet, *Patrem illi Luceriam*, simplicius sit legere, *Patrem illi Luceria* (subaudi dedit) *septimum* &c. *Rhenanus.* Vitellius ait Sueton. c. 3. natus est *Druso Casare & Norbano Flacco Coss.* anno V. C. 768. vigesimo quarto Septembris, aut ut volunt alii, septimo ejusdem mensis. Dies, quo egressus est palatio abdicaturus se imperio, erat, ex Taciti sententia, decimus octavus Decembris anno 822. proximo die, decimo nono scil. Decemb. conflagravit Capitolium, vigesimo Antonius urbem intravit, moxque secuta est Vitellii mors; quæ omnia ex Taciti narratione dilucescunt. Adeo ut ab ejus natali in mortem, subducto rite calculo, tantum colligantur anni quatuor & quinquaginta, & quantum à septimo aut vigesimo quarto Septembr. in Decembris vigesimum fluxit intermedii temporis. *Savilius.* De patre & ætate Vitellii cum Tacito Tranquillus sentit: in ætate diversus ab illis Dio, qui vixisse illum annis quinquaginta quatuor tantum, & non septem, refert: Sed quod inter auctores discrepat, sit in medio. *Vertranius.* Additur in Veneto, aliisque veteribus: *nam septimum.* Forte, *jam septimum.* Pichena. Cum compareat in MS. regis Corvini, *Patrem illi Luceria*; monstro simile est ingeniosæ industriæ Rhenanum tam variis ambagibus circumire; neque accessisse ad fontem veri. Haud enim aliquis facile neget, restituendum. *Patria illi Nuceria.* *Septimum*, nam quid opus iterare de patre, cujus centies ante facta mentio? Sueton. clare c. 2. *P. Vitellius domo Nuceria.* Gruterus. Eadem quæ proferuntur ex Budensi codice, notavi ego ex Mediceo, sed quæ admodum coacte & perverse spectavit Rhenanus; tantundem vidit Gruterus; aliquid rite tangere incepit Pichena. Sed quando veram Taciti manum aut unde? Videtur id omne quod inconcinnum hoc loco est, oriri ex lib. 1. cap. 9. ubi jam descriptus est, *Vitellius adorat censoris Vitellii ac ter consulis filius.* Opinor id unicuique satis esse, & prætertim Tacito, non solito actum agere. Quid enim amplius vis discere? nihil, nisi forte qualem se ille pater in tantis honoribus gesserit. Id ergo nunc addidit auctor ample & liquide. Sed hæc in ingressu posita per sunt molesta, neque nunc illa adjuvero. *Jac. Gronovius.*

5 *Non constantia morum*] Egregium dogma: etsi quis hæc notet? millena sunt. Sed in *constantia* aliquis hæreat; & an non melius, *convenientia*, aut tale? Res ita habet, consensum & similitudinem morum ac virtutum, veram amicitiam parere: sed nec virtus sine *constantia* est: ergo nec mutemus. *Lipsius.*

*Constantia morum continere putat*] Forte, *contineri.* Acidalius.

1 *Mo-*

[1] meruit magis quam habuit. [2] reipublicæ haud dubie intererat, Vitellium vinci: sed [3] imputare perfidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere, cum à Galba desciviſſent. [4] Præcipiti in occaſum die, ob pavorem magiſtratuum ſenatorumque, qui dilapſi ex urbe, aut per domos clientium ſemet occultabant, vocari ſenatus non potuit. Domitianum, poſtquam nihil hoſtile metuebatur, ad duces partium progreſſum, & *Cæſarem* conſalutatum, miles frequens, utque erat in armis, in paternos penates deduxit.

1 *Meruit magis quam habuit*] Meruit quidem: ſed eo modo, quo dixit Comicus, ab aſſentatoribus amicos per obſequia parari. Eos enim qui non virtute, ſed commodis aut voluptatibus amicitias metiuntur, proprie amicos non eſſe, eoque minime diuturnos definivit Ariſtot. Ethic. lib. 8. c. 3. & 4. Propterea Tacitus ait, Vitellium quidem ſua prodigalitate ac luxu, amicitias utcumque meruiſſe, non autem habuiſſe: quoniam fortunæ amici, cum fortuna ſimul evaneſcunt. *Pichena.*

2 *Reip. haud dubie intererat*] Vocabulum *Reip.* in regio libro omiſſum, doctus quiſpiam hic infulſit, cum eo non ſit opus. nam Latine dicitur. *Haud dubie intererat Vitellium vinci*, hoc eſt ad rem pertinebat, utile erat. Itaque genitivum *Reip.* diſpunximus. Livius lib. 7. dec. 4. *Quod plurimum intererat ad animos civitatum.* Rhenanus. Vox *Reip.* quam Lipſius ex Vat. repoſuit, eſt etiam in Florentino & Veneto. *Pichena.*

3 *Imputare perfidiam*] Quaſi Veſpaſiani cauſſa fidem Vitellio fregiſſent. Non, inquam, poſſunt adſcribere hoc Veſpaſiano: & proprio verbo, *imputare.* neque aliud ea vi reperies. *Lipſius.*

*Imputare perfidiam non poſſunt*] Id eſt prætendere non poſſunt, quod perfide egerunt, ſe communis commodi cogitatione perfeciſſe. *Ferrettus.* Illi præſertim, qui poſtea in Veſpaſianum ut proditores ſe geſſerunt, inprimis Cæcina. Sueton. Tit. 6. & Xiphilin. &c. *Savilius.* Prætendere non poſſunt, ſe Reip. cauſa Vitellium prodidiſſe: nam iidem à Galba prius deſciverant. Signat præcipue Sabinum, ac Baſſum, de quibus vide in fine lib. præced. De verbo, *imputare*, plura dixi ad lib. 6. Ann. *Pichena.*

4 *Præcipiti in occaſum die*] E Vatic. nam alii, *præcipitanti.* Lipſius.

*Præcipiti in occaſum die*] Scripſimus, *præcipitanti in occaſum die.* nam *præcipitare* etiam abſolute uſurpant auctores. Livius lib. 27. *Creditum vulgo eſt, in puteum aperte ex equo præcipitaſſe.* Sic enim ſcriptum reperi in vetuſto cod. cum eum librum conferrem. Quanquam in vulgatis edit. legitur *præcipitatum eſſe.* Rurſus lib. 39. *Et pars maxima inermes per invia & rupes deruptas præcipitantes fugerunt.* Rhenanus. Tanquam ruente in occaſum. Notiſſimum enim eſt *præcipitem* de omni fere re dici poſſe. *Ferrettus.* Florent. & Venetus habent, *præcipiti in occaſum die*, quod Rhenanus mutaverat in *præcipitante.* Pichena.

# C. CORNELII TACITI

## AB

# EXCESSU NERONIS

# HISTORIARUM.

## LIBER QUARTUS.

### Breviarium Libri.

*Facies & miseria Romanæ urbis. L. Vitellius se cum cohortibus dedidit: sed nihilo secius ipse interfectus. Imperium Vespasiano à Senatu firmatur. De Helvidio Prisco accuratius, insigni viro. de dissidiis ejus cum Eprio Marcello. Mucianus inter hæc urbem ingreditur. is Calpurnium Pisonem interfici jubet. Initia & motus Germanici belli: quod, duce Civili, Batavi primi sumpsere. Postque eos, Caninefates. Præsidia & castella Romana ejiciunt aut exscindunt. Aquilium primipilarem, & post Mumium Lupercum legatum prœliis vincunt. Batavorum veteranæ cohortes ad Civilem abeunt. quas transitu arcere Herennius Gallus conatus, item funditur. Castra vetera à Civili obsidentur. Seditio militum Rom. contra Hordeonium. & summa belli Voculæ permissa. Is contra Civilem duxit: & primo victus, præter spem fortuito vicit. Iterum seditio in Hordeonium: quem & interficiunt. Quædam Romæ & apud patres gesta. jurgia: accusationes. Vitelliani milites compositi. alii in prætorium lecti. L. Pisonis in Africa cædes. Capitolium Romæ restitutum. Treveri & Lingones à Romanis deficiunt, & reliquæ Galliæ nutant. Ipsæ legiones cohortesque Romanæ parum fidæ, & a Gallis corrumpebantur. Vocula interficitur. Sacramentum Romani pro imperio Galliarum dicunt. Idem legiones fecere, quæ in Veteribus diu obsessæ. Nec Agrippinenses ultra contati, quin se victoribus adjungerent. Lingones interea à Sequanis fusi. At Romæ, imperium periclitari visum: & Domitianus ipse ad hoc bellum accingitur, cum Muciano. Legiones quattuor statim præmissæ. Galli interea deliberant: & pluribus sanioribusque cum servitute pax placuit. Petilius Cerialis Treveros magna pugna vicit. defectores plerique ad Romana signa redire. Paullo post acre iterum certamen cum Civili & Classico: cujus initio ambiguo, lætus*

*tus Romanis finis fuit. Vespasiani in Ægypto facta, & edita ab eo miracula. itemque de oraculis & sortibus ad ejus imperium. Gesta illo ipso anno, cujus parte postrema Consules*

IMP. VESPASIANVS ITERVM, TITVS FILIVS.

Interfecto Vitellio, bellum magis desierat, quam pax cœperat. Armati per urbem victores, implacabili odio victos consectabantur. plenæ cædibus viæ, cruenta fora templaque, passim trucidatis, ut quemque fors obtulerat. Ac mox augescente licentia, scrutari, ac protrahere abditos: 1 si quem procerum habitu & juventa conspexerant, obtruncare, nullo militum, aut populi discrimine. Quæ sævitia recentibus odiis sanguine explebatur, dein verterat in avaritiam. nihil usquam secretum aut clausum sinebant, *Vitellianos occultari* simulantes. Initium id perfringendarum domuum; vel si resisteretur, caussa cædis. nec deerat egentissimus quisque ex plebe. & pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos: alii ab amicis monstrabantur. Ubique lamenta, conclamationes, & 2 fortuna captæ urbis, adeo ut Othoniani Vitellianique militis invidiosa antea petulantia desideraretur. Duces partium accendendo civili bello acres, temperandæ victoriæ impares. quippe in turbas & discordias pessimo cuique plurima vis: pax & quies bonis artibus indigent. 3 Nomen sedemque Cæsaris Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus, 4 sed stupris & adulteriis filium principis agebat. Præfectura prætorii, penes Arrium Varum: summa potentiæ, in Primo Antonio. is pecuniam familiamque e principis domo, quasi Cremonensem prædam rapere. ceteri modestia vel ignobilitate, ut in bello obscuri, ita præmiorum expertes. Civitas pavida & 5 servitio parata, *occupari redeuntem Tarracina L. Vitellium cum cohortibus, exstingui-*

*que*

COMMENTARIUS.

1 *Procerum habitu, & juventa*] Duas notas Germani militis habebant, proceritatem corporis, itemque juventam. Nam Germani plerumque proceri; & milites, à flore & robore ævi colligebantur. *Lipsius.*

*Si quem procerum habitu*] Male vulgo, *procerum*, absque accentu. Sic infra, *& est plerisque procera pueritia.* Pichena.

*Si quem procerum h. & j. prospexerant*] Non est id aptum huic rei verbum, & unde prospectum in cæde Galbæ Tacitus longe aliter usurpavit 1. hist. 40. Unde quum neque ex MS. vetere id verbum exortum fuisse docerent meæ scedæ, miratus fui, cur vera Taciti scriptura nuper non ulterius placuerit, quam ut daretur cognoscenda. Hinc revocavi ipsam auctoris manum utique longe commodiorem. *Jac. Gronovius.*

2 *Fortuna capta urbis*] Non displicet Vertranii divinatio, *forma capta urbis.* Lipsius.

*Fortuna capta urbis*] Malim, *forma.* Vertranius. Roma à Flavianis expugnatur, non ut omnia agerent & ferrent, sed ut urbs tantum servitio Vitellianorum eximeretur. lib. 3. hist. *urbem senatui ac populo Rom. templa Diis reddita.* Verum victoriæ temperare dum nequeunt, adeo per urbem grassati sunt, ut ea videretur ab hostibus capta, non à civibus recepta ejusmodique clades & fortunas pertulisse. *Fortuna capta urbis*, non *forma capta urbis*, ut Vertranius doctiss. viro applaudente. Valer. lib. 1. *ex victore speciosissimo insidiis Hasdrubalis & Xantippi Lacedæmonii ducis ad miserabilem captivi fortunam deductum.* Salinerius. Nulla ratione admittenda emendatio Vertranii, *forma*: nam *forma* & *species*, vel inimica esse possunt: *fortuna* non item. *Gruterus.*

3 *Nomen sedemque Cæsaris*] Forsan digressus è paternis penatibus, è quibus milites eum in Palatium deduxerant. *Savilius.*

4 *Sed stupris & adulteriis*] Tac. in vita Agric. *Admodum juvene Domitiano, & ex paterna fortuna tantam licentiam usurpante.* Savilius.

5 *Servitio parata occupari, redeuntem &c.*] Nos, *servitio parata, occupare redeuntem &c.* Rhenanus.

1 *Ari-*

*que reliqua belli*, poſtulabat. Præmiſſi [1] Ariciam equites: agmen legionum intra Bovillas ſtetit. Nec cunctatus eſt Vitellius, ſeque & cohortes arbitrio victoris permittere. Et miles infelicia arma, haud minus ira, quam metu abjecit. Longus deditorum ordo, ſeptus armatis, per urbem inceſſit. nemo ſupplici vultu, ſed triſtes & truces, & adverſum plauſus ac laſciviam inſultantis vulgi immobiles. paucos erumpere auſos, [2] circumjecti preſſere. ceteri in cuſtodiam conditi. Nihil quiſquam locutus indignum, & quamquam inter adverſa, ſalva virtutis fama. Dein L. Vitellius interficitur, [3] par vitiis fratris, in principatu ejus vigilantior; [4] nec perinde pro-
3 ſperis ſocius, quam adverſis abſtractus. Iiſdem diebus Lucilius Baſſus cum expedito equite, ad componendam Campaniam mittitur: diſcordibus municipiorum animis, magis inter ſemet, quam contumacia adverſus Principem. Viſo milite quies, & minoribus coloniis impunitas: [5] Capuæ legio tertia hiemandi cauſſa locatur. & [6] domus illuſtres afflictæ; cum contra Tarracinenſes nulla ope juvarentur. Tanto proclivius eſt injuriæ, quam beneficio vicem exſolvere: quia [7] gratia oneri, ultio in quæſtu habetur. Solatio fuit ſervus Verginii Capitonis, quem proditorem Tarracinenſium diximus, patibulo affixus, in iiſdem annulis, quos [8] acceptos à Vitellio geſtabat. At Romæ [9] ſenatus cuncta principibus ſolita, Veſpaſiano decernit, lætus & ſpei certus. quippe [10] ſumpta per Gallias Hiſpaniaſque civilia arma, motis ad bellum Germanis,

1 *Ariciam equites*] Liber unus, *Arriani equites.* quid? an Arrii Varii turmas intellegit? Non opinor. & magis eſt ut vera ſit vulgata. *Lipſius.*

2 *Circumjecti preſſere*] Faernus legebat, *oppreſſere* Urſinus.

3 *Par vitiis fratri*] Ita Faernus legebat. Nam *fratris* quod eſt in vulgatis, non ita placet ut *fratri.* Idem.

4 *Nec perinde proſperis ſocius, quam adverſis in Gemonias tractus*] Sic Faernus legebat. nam illud *abſtractus* penitus ineptum. *Urſinus.* Caveant tirones, ne interpretentur, *abſtractus*, id eſt, ſejunctus, vel ſegregatus; ſed quaſi in exitium tractus. ut Ann. l. 4. *claritudine infauſti generis, & paternis adverſis foret abſtractus.* Pichena. Mire hic hallucinatur Urſinus minus intellecta mente auctoris; quam tamen erat cognoſcere ex locis aliis, geminæ propemodum ſimilitudinis. Accidit Vitellio, quod ait Titus infra cap. 52. *Suum cuique ſanguinem indiſcretum; ſed maxime principibus, quorum proſperis & alii fruantur, adverſa ad junctiſſimos pertineant.* Addatur lucis cauſa cap. 37. lib. 11. Ann. item cap. 36. ſub finem de moribus Germ. vim vocis *abſtractus*; egregie cepit, Taciti vindex ſingularis, Curtius Pichena. *Gruterus.* Non id concoquo. *Abſtractus* ſive disjunctus à fratre Vitellius adverſis? Conjunctus imo, ut res loquitur. Vereor, ut vox *abſtractus* ſincera: quæ ineleganter etiam opponitur alteri *ſocius.* Sententia quidem ſic abſque ea plena: *Nec proinde proſperis ſocius, quam adverſis.* Ita enim eſt: magis adverſa eadem experiebatur, quam proſperis erat fruitus. Sed quid reliquo igitur vocabulo fiet? neſcio: niſi quia Muretum video, neſcio unde, lectionem auctiorem notaſſe, *in Gemonias tractus.* Quam ego ad ſenſum aptiſſimam, nec credo præter hiſtoriam, vehementer amplectar. *In Gemonias abſtractus*, item ut frater, adverſis ejus magis erat ſocius, quam proſperis fuerat. *Acidalius.*

5 *Capua*] 2. hiſt. *Capua Vitellio fida.* Savilius.

6 *Domus illuſtres afflicta*] Afflictio ſane hæc brevis admodum fuit. neque enim niſi à fine Decembris in principium Jan. extenditur. *Tertia legio, familiaris Arrio Varo miles, in Syriam remiſſa*, Tacitus alibi, niſi alterutro loco notandus ſit erroris. *Savilius.*

7 *Gratia oneri, ultio in quæſtu habetur*] Recte. *habetur*, apud vulgum ſcil. Nam ut ait Senec. de Ira lib. 2. 32. *Non, ut beneficiis honeſtum eſt merita meritis repenſare, ita injurias injuriis. illic vinci turpe eſt, hic vincere. Inhumanum verbum eſt, & quidem pro juſto receptum. ultio.* Idem de benef. 1, 1. *ita natura comparatum eſt; ut altius injuria quam merita deſcendant, & illa cito defluant, has tenax memoria cuſtodiat.* Pichena.

8 *Acceptos à Vitellio geſtabat*] Præpoſitionem à ſubmovimus, ſubintellectam in ablativo *Vitellio.* Rhenanus.

9 *Senatus cuncta Principibus ſolita Veſpaſiano decernit*] Hujus SC. fragmentum exſtat ad verbum inter antiquitatum Rom. rudera. *Savilius.* Scil. ex lege, quæ appellabatur Regia. De ea Ulpian. in l. 1. Dig. de Conſt. Principum: *Quod principi placuit, legis habet vigorem: utpote cum lege Regia, quæ de ejus imperio lata eſt, populus ei, & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat.* Meminit etiam Juſtinian. l. 1. §. 7. Cod. de veteri jure enucl. Et adhuc exſtat ænea tabula Romæ in Capitolio, partem quandam continens illius legis, quæ de Veſpaſiani imperio lata fuit. *Pichena.*

10 *Sumpta per Gallias Hiſpaniaſque*] In bello à Gal-

manis, [1] mox Illyrico; postquam Ægyptum, Judæam, Syriamque, & omnis provincias exercitusque lustraverant, velut expiato terrarum orbe, cepisse finem videbantur. Addidere alacritatem Vespasiani litteræ, tamquam manente bello scriptæ. [2] ea prima specie forma: ceterum ut princeps loquebatur, [3] civilia de se, de republica egregia. nec senatus obsequium deerat. Ipsi *consulatus cum Tito filio*, *pratura Domitiano &* [4] *consulare imperium* decernuntur. Miserat & Mucianus epistolas ad se- 4
natum, quæ materiam sermonibus præbuere: *si privatus esset*, *cur* [5] *publice loqueretur? potuisse eadem, paucos post dies, loco sententia dici.* [6] ipsa quoque insectatio in Vitellium, [7] sera & sine libertate. id vero erga rempublicam superbum, erga principem contumeliosum, quod *in manu sua fuisse imperium*, *donatumque Vespasiano* jactabat. Ceterum invidia in occulto, adulatio in aperto erant; multo cum honore verborum, *Muciano* [8] *triumphalia* de bello civili data: sed [9] *in Sarmatas expeditio* fingebatur. Adduntur

Galba & Vindice adversus Neronem gesto. *Savilius.*

1 *Mox Illyrico*] Castigavimus, *mox Illyrico.* Rhenanus.

2 *Ea prima specie forma*] Ut immensam interpolationem codicis sui commendaret Ryckius, negat in vulgata lectione sensum ullum. Quis credat sic aliquem aberrare posse? quum tot viri docti hunc locum legerint, & certe cum sensu bono, alii per alias linguas interpretati sint, & in nostro sermone ediderint *geschreeven als staander oorloghe. Die gedaante hadden zy in 't eerste aanzien.* Nempe quia pro clarissimis præteriit paraphrasis paterna, imaginatur sibi nequivisse ab patre sensum illis dari, aut certe fatetur ipsum non vidisse sensum. Cæterum intolerandi sunt, qui mox scribere sustinent *civilia de se. de rep. egregia*, inter quos eminet Pichena in totum delirans, quum cerneret in MS. exstare *de se & R. P. egregia*, quod communiter per typos expressum *& rep. egregia* nefando ausu attribuit vulgo. Nulla parte melior vel Muretus vel Acidalius, quum Salinerius in cap. seq. citaverit *civilia de se & Rep.* nescio quo relegans vocem *egregia*. Ryckius in principio notarum quoque sic exhibens *de Repub. egregia* noluit fatendo procedere, si qua alia interpolatio in illo libro exstiterit. Sic continente tractu possunt se invicem decipere viri insignes. Nam MS. Mediceus præclare indicat manum Taciti esse, *ceterum ut princeps loquebatur civilia de se, & reipublica egregia.* Jac. Gronovius.

3 *Civilia de se, de rep. egregia*] ita correxi. Vulgo, *& rep. egregia.* Pichena. Mur. *civilia de se, de rep. egregia.* Acidalius.

4 *Consulare imperium*] Intellegit *potestatem Consularem*, ut Suetonius loquitur, Domitiani cap. 1. *Cæsar consalutatus, honorem Pratura urbana, cum potestate Consulari, suscepit.* Lipsius.

*Consulare imperium*] Dio lib. 54. duo ejus capita exprimit τὸ δώδεκα ῥάβδους ἀεὶ καὶ πανταχοῦ χρῆσθαι καὶ ἐν μέσῳ τῶν ἀεὶ ὑπατευόντων ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου καθίζεσθαι. i. *quod duodecim ipsis fasces semper & quovis loco praferrentur, & in medio eorum, qui consulatu fungebantur, sella curuli veherentur.* Savilius.

5 *Publice loqueretur*] Id est publicas ad Senatum literas mitteret, quod Principis fuit. *Lupanus.*

6 *Ipsa quoque insectatio in Vitellium*] Flor secutus reposui, *in Vitellium.* Vulgo, *in Vitellianos.* Verisimile enim est, Mucianum imperii fere socium, in ipsum tantummodo Vitellium invectum fuisse; at illius duces quasi indignos sua insectatione judicasse. *Pichena.*

7 *Sera, & sine libertate*] Sera, quia jam afflicti aut nulli erant: non libera, quia sine periculo mortuis vel invalidis insultabatur. *Lipsius.*

*Sera & sine libertate*] *Sera*, quia jam de bello transactum: ideoque vanum ac frustratorium, insectari victos. *Sine libertate*, quoniam Mucianus sua insectatione, non præ se ferebat amorem curamque reip. à Vitellio laceratæ, (ita enim hoc sensu capienda videtur vox *libertatis*) sed potius se ipsum magnificabat extollebatque. Vel *libertatem* interpretemur, quando quis citra odium & amorem, quicquid sentit loquitur, eo præsertim tempore, quo aliquod periculum ex libertate sermonis ipsi provenire potest. At cum Mucianus malediceret victo, & à quo nihil jam timere poterat., recte, *sine libertate* eum insectari., dicebatur. *Pichena.*

8 *Triumphalia de bello civili data*] Flor. *de bello civilium.* quod corruptum videtur. *Idem.* Et quomodo? an ut putens præ graveolentia deseri mereatur nec debeat attingi? Sic certe ipsum videmus consulere., ut ignoret felicitatem, quam ei præbuit conspectus & quotidiana familiaritas cum tam venerabili membrana. Immo sit corruptum; sed quod ita appellare licet, conemur vertere in melius. Et quam facile id fuisset ipsi? Vel sola cogitatio cap. 72. cum expedivisset in verbis *posito civili bello*, ut habent editi, quum in MSS. sit *civium*, idque Ryckius perinde ac Pichena indicat. Nonne hæc similia? Certe, sed suum cuique adhibendum remedium: neque enim frustra nunc post vocem *civili* additum vides *um*; unde scribebam *de bello civili non data, sed in Sarm.* Nam quod

Adduntur *Primo Antonio consularia*, *Cornelio Fusco*, *& Arrio Varo*, *pratoria insignia*. [1] Mox deos respexere. *restitui* placuit *Capitolium*. Eaque omnia Valerius Asiaticus, [2] consul designatus, censuit. [3] Ceteri vultu manuque; pauci quibus conspicua dignitas, aut ingenium adulatione exercitum, compositis orationibus assentiebantur. Ubi ad Helvidium Priscum prætorem designatum ventum, [4] prompsit sententiam, [5] ut

Ryckius notat de Sarmatis, est mera paraphrasis paterna, cum ipsis locis ex hoc & præcedente libro. *Jac. Gronovius.*

9 *In Sarmatas expeditio*] Quæ fuerit, non dixit: neque debuit. nam apparet exiguum aliquid fuisse. Atque hoc factum opinari licet ipso civili isto bello, cum Mucianus lento itinere in Thraciam & Mœsiam venit. *Lipsius.*

*In Sarmatas expeditio fingebatur*] Triumphi, iisdem suffecta Triumphalia ornamenta, decerni iis solent, quorum insignia erant in remp. merita, & post partas ex hostibus externis victorias illustriores. Saltem nemo in Rom. imperio triumphos de civibus victis affectavit. Valer. lib. 3. *L. Sulla, qui plurima bella civilia confecit, cum consummata ac constructa potentia sua triumphum duceret, ut Græciæ & Asiæ multas urbes, ita civium Rom. nullum oppidum vexit.* Cæsar confecto bello civili, quanquam in speciem abstineret triumpho de civibus victis, prætenderetque nomen Jubæ titulis Africani triumphi, potius quam Scipionis, Catonis, aut Afranii, qui duces adversus eum militaverant, ulterius tamen quam Sulla processit, & circumductis in triumpho imaginibus eorum, excitavit in populi Rom. animis mœrorem. Augustus post superatum Actiaca pugna Antonium & Cleopatram, maluit fœmina quam viro insigniri triumphum, ἰσφημίας ἕνεκα. Res certa est, quoties ab externo hoste victo leves suppeterent causæ, nec quæ ducendo sufficerent triumpho, neque verecundia cives nominari pateretur, quæsitos fuisse, ut hic, colores. *Savilius.* Quæ sit expeditio ista adhuc quæro. Si transactam intelligit, nullum antehac in Sarmatas bellum gessit Mucianus, qui Syriæ tantum præfuit. nec supra de alio Sarmatico bello fit mentio, nisi quod sub Othone, confecit M. Aponius Mœsiæ rector, ob hoc triumphali statua donatus, ut l. 1. hist. Si de futuro atque imminente intelligendum, quomodo ante susceptam expeditionem triumphalia tribuuntur? Potius suspicor, vere de civili bello Muciano data, neque id Senatores simulare voluisse: finxisse autem, non propter anteacta illius merita tantum dari, sed quia Resp. tanti viri opera indigeret adversus Sarmatas hostes, quorum motus fingebantur, ideo necesse fuisse, tali honore licet insolito, illum decorare. nihil tamen firmo. Suspectus enim mihi locus. *Pichena.* Hæc non mediocriter sollicitavere Pichenam virum doctrinæ minime vulgaris, quasi nunquam expeditio Muciano in Sarmatas fuerit: quodque non facile credat triumphalia insignia permitti in spem futuræ victoriæ. Quod si respectum sit ad repulsionem Dacorum. lib. 3. hist. *Mota & Dacorum gens, nunquam fida, tunc sine metu, abducto è Mœsia exercitu* &c. *jamque castra legionum exscindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset* &c. *affuit ut sæpe alias fortuna populi Rom. quæ Mucianum viresque Orientis illuc tulit.* De qua etiam Primus lib. 3. hist. *neque officere gloriæ eorum, qui Asiam interim composuerint, illis Mœsiæ pacem*, &c. At Daci alii à Sarmatis. non inficior, verum Cistoboci Ptolemæo sunt inter Dacos, quos Capitolinus & Marcellinus Sarmatis adscribunt. *Salinerius.* Mirum hoc de Sarmatis. An quia invidiosum erat & contra fas, triumphalia de civili bello cuiquam à senatu decerni? Ideo autem in ea sententiam senatus addiderat, in spem futuræ victoriæ Sarmaticæ istos honores Muciano cumulatos? An quia Mucianus Dacos, Romanam ripam jam insidentes & castra legionum rescindere ausos repulerat? Illud quidem nemini mirum videri debet Dacos, Getas, Sarmatas eodem nomine aliquando appellari. hinc certe honorum istorum origo Muciano. Egregium ejus facinus non tacet Tacit. lib. 3. *Mota & Dacorum gens*, &c. lib. 4. Hist. *Vulgato rumore à Sarmatis Dacisque Mœsica ac Pannonica hiberna circumsideri.* Colerus.

1 *Mox Deos respicere restituique Capitolium*] Reposui, *Mox deos respexere. restitui Capitolium.* Rhenan.

2 *Consul designatus*] Super re ad Senatum à Consule relata primus erat, cujus audiebatur sententia. *Savilius.*

3 *Ceteri, vultu manuque*] Ratio assentiendi in Senatu, Voce aut Signo. Signo dupliciter, Pedibus aut Manu. Pedum in discessione usus. Manus etiam in sessione aut statione, cum ea exporrecta significarent talem sententiam se approbare. Vopiscus in Aureliano. *Deinde aliis MANUS PORRIGENTIBUS, aliis pedibus in sententiam euntibus, plerisque verbo consentientibus conditum est Senatusconsultum.* Seneca epistola VXII. *Non videor tibi plus prodesse, quam si in Senatu candidato vocem & manum commodarem?* Isidorus hanc notam ad exercitum quoque transfert, lib. 1. *Mos est militaris, ut quoties consentiat exercitus, quia voce non potest, MANU promittat.* Lipsius.

4 *Prompsit sententiam*] Aut mihi mens, aut huic loco aliquid desit. Quid enim hic, sin quo Helvidius offenderit? Sed nec ista *ipsa* sententiola integra: scripseritque Tacitus, *ut honorificam in bonum principem, ita adulationis expertem*. Certe membrum tale aliquod requiro. Rodolphus enim non explet, qui legit: *ut honorif. in bon. Principem, ita falsa aberant.* qui sententiam sequentem debilitat & enervat. *Idem.*

[1] ut honorificam in bonum principem. Falsa aberant, & [2] studiis senatus attollebatur. [3] Isque præcipuus illi dies, magnæ offensæ initium, & magnæ gloriæ fuit. Res poscere videtur, quia [4] iterum in mentionem incidimus viri sæpius memorandi, ut vitam studiaque ejus, & quali fortuna sit usus, paucis repetam. Helvidius Priscus, [5] regione Italiæ, Tarracinæ municipio, Cluvio patre, qui ordinem primipili duxisset,

1 *Ut honorificam in bonum principem*] Tò *ut* (ut emendationes declinemus) veritatis nota est in Agric. *Monam insulam ut vires rebellibus ministrantem aggressus.* de qua lib. 14. ann. *igitur Monam insulam incolis validam & receptaculum perfugarum.* Et idem est ac si scripsisset *honorificam in bonum principem.* Sententia vero, Helvidii fuere laudes adulationis expertes, quæ bonum principem Senatus decerent, & quæ à Prisco effundi par erat, qui *è moribus soceri nihil æque ac libertatem hausit.* At à Vespasiano ægre acceptæ sunt, qui licet *civilia de se & rep.* tamen *ut principi loquebatur.* Sensit aliter Suetonius Vesp. 15. de Prisco, sed Cornelius ejusmodi virorum præcipuus est fautor. Verum Pichena causas offensionis ejus eas fuisse putat, quæ post à Cornelio recensentur: nempe ejus sententiam super legatione, super prætorum postulatione superque Capitolii restitutione. Dissentio. qui enim verum esset? *falsa aberant & studiis senatus attollebantur.* De legatione enim scribitur, *vicit pars quæ sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum annitentibus retinere morem.* De postulatione *Vulcatius Tertullinus tribunus plebis intercessit, ne quid super tanta re principe absente statueretur.* Itaque incertum, placitura senatui fuisset nec ne, Crispi sententia. De restitutione, *eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit.* Salinerius. Nebulæ satis densæ huic loco. Dispellam, transposita minima vocula: *promsit sententiam honorificam, ut in bonum principem.* Quasi innuat, non more suo fecisse Helvidium, qui alias sententiam in senatu satis libere severeque dicere solitus esset, quondam soceri sui exemplo. Vespasiano sane non nimis amicum vixisse Priscum illum doceat Xiphilin. & vide Sueton. & Plinium quadam epistola de hoc Helvidio. *Colerus.* Placet mihi, quod Rodolpho placuisse notat Lipsius: sed vocem *attollebantur* & cum ea sensum leviter muto, ut fiat: *promsit sententiam, ut honorificam in bonum principem, ita falsa aberant. Et studiis senatus attollebatur.* Id initium offensæ Prisco fuit, quod sententiam dixisset severam & adulationis expertem: deinde quod ob id ipsum magnis senatus laudibus ac favore celebraretur. *Grotius.* Tantum locum ita formem, *ut honorificam in bonum principem, ita falsa aberant. & studiis* &c. quomodo video & olim placuisse Rodolpho Agricolæ: quanquam dissentiat vir doctiss. qui non putat expleri hoc modo sententiam. Ego autem nihil deesse arbitrer: hoc enim vult honorificam fuisse orationem Marcelli, ut in bonum principem, cum esset laudis materia: nec tamen adulatoriam, sed absuisse falsa. Nec est ut quem moveat ista loquendi ratio: *ut honorificam in bonum principem, ita falsa aberant.* Nam & alia hujusmodi supra ad 11. 7. notavimus. *Freinshemius.*

2 *Studiis senatus attollebatur*] Sic rectius visum ex Flor. quam ut vulgo, *attollebantur*, ut ad Helvidium ipsum referatur. *Pichena.*

3 *Isque præcipuus illi dies magna offensa*] Superiora verba integra esse non asseveraverim. Quod autem Lipsius quærit, quid sit, in quo Helvidius offenderit: mihi videtur in iis, quæ inferius perscribuntur. Primo, cum eligi, non sortiri, legatos censuisset præter mores. Secundo, cum ærarii impensarumque curam Senatui delegaret, non Principi reservaret. Tertio, de Capitolio restituendo. Ex quibus sententiis nulla comprobata, atque in iis Principem, ac nonnullos etiam Senatorum, qui adversi fuerunt, offendit, quamvis apud Senatum gloriam adeptus incorrupta libertate. Sed Tacitus, postquam dixit, diem illum præcipuum Helvidio fuisse magnæ offensæ, ac magnæ gloriæ, antequam Senatus acta subjiceret, aliquid de ipsius Helvidii genere ac vita præfari voluit: cum in superioribus verbis de honoribus tantum Imperatori ducibusque tribuendis actum fuerit, nihil de seriis. *Pichena.*

4 *Iterum in mentionem ejus incidimus*] 2. hist. nam in Annalib. sæpe occurrit. *Savilius.*

5 *Italiæ septima, Tarracinæ municipio*] Locus nec bonus nec firmus, de firmissimo viro. Nam libris abest vox, *septima:* quam nos tamen inseruimus, sententiæ utcumque fulciendæ, admonitionibus Vertranii & Ferretti. Scimus enim Italiam totam In XI. regiones divisam ab Augusto. itaque cum regionis hic mentio; εὔλογον, ajunt, numerum ejus à Cornelio expressum. Sed jure ambigo. primum quia non Tacito, non aliis historicis usurpatum, ut in opidi mentione regionem Italiæ adjungant. Et ut id in loco ignotiore fiat; quid opus in Tarracina, municipio tam vicino urbi, tam noto? Denique libri etiam in illo ipso verbo vacillant. Nam Vaticano est, *Tarentium municipio:* Farnes. *Tarentina:* priscis editionibus, *Tarentine.* Mirum vero, si libri omnes in opido toties jam ante sine errore ullo nominato, hic demum offendant. At pro, *regione Italia*, subit opinari, *origine Italica.* Non exterum scilicet fuisse, ut tunc in Senatu plurimi, non solum multi. *Lipsius.*

*Regione Italia, Tarracina municipio*] Veteres libri legunt *Regione Italia*, nullo prorsus numero, qui discriminet, addito, & *Tarracina municipio* dubia scriptura, nonnunquam *Tarentinum municipum*, interdum *Tarentina municip.* quandoque & *Tarentino.*

 Sane

duxisset, [1] ingenium illustre altioribus studiis juvenis admodum dedit: [2] non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita, rem-

Sane mirum videatur adeo illos operose versari in designanda *Tarracina*, celebri, quodque fama ignorari non patiebatur, oppido, & in ista Romæ vicinia. Sed quicquid tandem fuerit, majori admiratione dignum, à quibusdam *Tarracinam* hic legentibus inseri explendo sensui *septima*, ab aliis *secunda*, cum tamen luce clarius sit *prima* contineri *Italia regione*. Nam Italiæ ex Augusti divisione undecim fuerunt regiones. Plin. 3, 15. *Regio prima* à Tiberi fl. Surrentum usque patet, aut potius ad flumen Silarum ultra triginta milliaria (istius enim partis fines dubie Plinius agnoscit) complectiturque Latium, Campaniam, & Picentinos. *Regio secunda* à Metaponto in sinu Tarentino porrecta ad amnem Tifernum in mari Adriatico includit Salentinos, Calabriam, Apuliam &c. *Regio tertia* Silarum inter & Metapontum sita circumscribit Lucanos, Brutios & Magnam Græciam. *Regio quarta* à Tiferno ad fl. Alternum, itidem in Adriatico, procurrens habet Ferentinos, Pelignos, Samnium &c. *Regio quinta* ab Aterno ad Anconam extenditur, in qua & Picenum est. *Regioni sexta* assignatur Umbria, & quæ Anconam inter & Ariminum ora. *Regionem septimam* constituit Hetruria inter fl. Macram & Tibrim. *Regio octava* est tota illa regio, quæ ab occidente limitibus sextæ regionis adsidet, inter Apenninum & Padum, continetque Ariminum, Ravennam, Bononiam, Brixellum, Mutinam, Parmam, Placentiam &c. *Regio nona*, fluviis Macra & Varo terminata, comprehendit Liguriam. *Regionem decimam* occupat Venetia, & *Regionem undecimam* Gallia Transpadana. *Savilius.* Deest *secunda*; in XI. enim regiones divisit Augustus Italiam. *Ferretus.* Cornelius regionis Italiæ non adjecto numero, mentionem habuit. Quare vitium exscriptorum accuso, qui notam septenarii numeri prætermiserunt. Est enim apud Plinium 3, 5. *Supra flumen Ousens oppidum Tarracina lingua Volscorum Auxur, intra regionem Italia septimam ex descriptione Augusti.* Itaque sic repono, *regione Italia septima Tarracina* &c. Dicitur autem Tarracina municipium pro oppido, non ex veteri nominis significatione. Sic infra eodem, *pacis opera haud procul castris in modum municipii exstructa.* & ita forte supra Hist. 2. Antipolis *municipium* dicitur. *Vertranius.* *Septima* non est à libris, neque Tarracina in septima regione Italiæ, & insuetum Tacito regionem adjicere, nec necessarium noto municipio Tarracinæ. Quin & libri variant, & aliud quærendum. *Mercerus.* Venia mihi à Vertranio opus. Nam cum ille simplici tantum conjectura ductus suppleverit; ego vocem, præter fidem omnium librorum additam sustuli, contentus stellula potius locum notasse, quam arbitrario jure auctum perferre. De oppido quidem *Tarracina*, Florentinus consentit. Sed verba, *regione Italia* corrupta esse, nemo est, qui ambigat, vel Lipsii argumentis. Neque ego sum tanti, qui ea corrigam, quid tamen mihi in mentem venerit, licet ineptias, proferam, præsertim cum communium literarum vestigiis non longe mea divinatio aberret. *Helvidius Priscus igitur, natus Tarracina municipio.* Certe aliquid simile sententia poscit, ac fortasse alii meliorem lectionem excogitabunt. *Pichena.* *Regio* πολύσημον est & inter cætera idem cum Provincia. Curt. lib. 5. *hinc in regionem Media transiit, ubi supplementum novorum militum, è Cilicia occurrit.* Quid ergo addemus) *septima?* Quid (velut Pichena) reformamus, *Helvidius Priscus igitur natus Tarracina municipio.* Salmerius. Recte judicaverat Vertranius, deesse numerum regionis: illud autem minus recte, legendum, *regione Italia septima:* nam nec vocem tam longam, cujus nulla in libris vestigia reperiuntur, temere inseri receptum est: & Plin 3.5. Tarracinam non in septima quidem Italiæ regione, sed in prima videtur constituere; quapropter ita potius scriptum fuisse suspicer: *regione I. Italia:* hoc est, regione prima Italiæ. Sequentia quoque melius ita constitui credam. *Tarracinas municipio:* sicut dicitur *Patria Lesbius: natione Syrus:* & similia. *Freinshemius.*

1 *Ingenium illustre*] Cicero Cælium appellat *adolescentem illustri ingenio, industria, gratia.* Valerius Maximus lib. 9. cap. 12. de C. Licinio Calvo: *illustris ingenii orator.* Noster 5. ann. *Pomponius multa morum elegantia & ingenio illustri.* Nihil aliud de hoc quam lib. 6. de Vibio Marso dicit: *illustris studiis erat.* *Illustre* igitur *ingenium* est eloquentiæ speciminibus celebratum. Lib. hoc quarto hist. *ignotum adhuc ingenium & nullis defensionibus expertum.* Lib. 16. annal. *neque famosi carminis, quia protulerit ingenium.* i. specimen doctrinæ atque eloquentiæ ediderit. Appulejus in Apolog. de accusationibus nobilium reorum: *qui mos incipientibus adolescentulis ad illustrandum ingenii florem apud antiquos concessus.* Nimirum postquam eloquentia docteque dicendi ac scribendi arte inclaruisset, ad Philosophiam eum se vult contulisse. *Gronovius.*

2 *Non ut plerique*] Disce juventus, & vide verum finem quem Sapientiæ studiis proponas. *Lipsius.* Sic licet ostentet (atque utinam multi attendant?) non tamen magnopere eum oblectavit, quin lib. I. Politicæ Doctr. c. 10. rursus hinc excerpens daret *nec ut nomine magn.* Certe præter hanc monstrationem requirebatur ab eo, ut in hoc primario monito non tolerarit remanere fœdum aliquid & deterrens ab sectando illa eximia. Quid enim? si verus finis hic est, eum disco ex lectione ambigua, ingrata, nec perpolita? Sed forsan nescivit, quod Ryckius ex scedis meis publicat, nempe posterius *ut* nullum esse in MS. Mediceo, tam ferus, ut existimans solere subintelligi, etiam ex con-

rempublicam capesseret. [1] doctores sapientiæ secutus est, qui sola bona quæ honesta,
mala tantum quæ turpia: potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum, neque
bonis neque malis annumerant. [2] Quæstorius adhuc, à Pæto Thrasea gener delectus,
è moribus soceri nihil æque ac libertatem hausit: [3] civis, senator, maritus, gener,
amicus, cunctis vitæ officiis æquabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans
adversus metus. Erant quibus appetentior famæ videretur, [4] quando etiam sapienti- 6
bus cupido gloriæ novissima exuitur. Ruina soceri [5] in exsilium pulsus, ut [6] Gal-
bæ principatu rediit, Marcellum Eprium delatorem Thraseæ accusare aggreditur.
Ea ultio, incertum major an justior, senatum in studia diduxerat. Nam si caderet
Marcellus, [7] agmen reorum sternebatur. Primo minax certamen, [8] & egregiis utrius-
que

contextu expulerit, quum nequeat in tali genere subintelligi; sed ulterius, ut nunc est, progredi nequeo, quum procul dubio lateat aliud. *Jac. Gronovius.*

1 *Doctores sapientiæ secutus*] Stoicos scil. ut, quorum schola istas procudit opiniones. Laert. Zenone lib. 7. Cicero Paradoxis, & alii. *Savilius.*

2 *Quæstorius adhuc*] Quæstor autem fuit sub Nerone, & Achajam administravit: quod Scholiastes in Sat. v. Juvenalis prodidit. At Prætor demum sub Vespasiano, diserte ita scribente Suetonio, cap. xv. Nominatur tamen Tacito *Helvidius Priscus legatus legionis*, anno urbis DCCCV. lib. XII. quem, ex more ejus ævi, prætorium legatum fuisse probabile est: quis ergo iste? non noster, quia tunc sub Claudio nec Quæstor. An pater ejus? non, quia Tacitus hic *Cluvium* illi patrem dat dumtaxat *Primipilarem*. Suspicor avunculum fuisse, & ab eo in nomen & familiam adoptatum. Nam unde alioqui *Helvidius* è *Cluvio* patre? Notandum hoc sane est ad viri magni notitiam. Item illud, quod aliam etiam uxorem ante habuerit, & ex ea *Helvidium juniorem*, quem Domitianus interfecit: Plinio & Tacito laudatum item, & patre dignum virum. Vide quæ noto in fine Agricolæ. *Lipsius.*

3 *Civis, senator*] Magnæ laudes: & quæ jure nos rapiant in admirationem viri. Cui Tacitum ipsum perfamiliarem fuisse, mihi liquet. Non minora de eo elogia sparsim reperias in Dissertationibus Epicteti apud Arrianum: & Plinius etiam in Epistolis celebrat, plus uno loco. At tam illustre sidus (heu, quid speremus?) in tenebris pœne jacebat, absque una hac Taciti face. *Idem.*

4 *Quando etiam sapientibus*] Verissime: nec mutandum. Omnes adfectus facilius à Sapiente exuuntur, quam hæc cupido: & in magnis viris

——— *tu sola animum mentemque peruris*
*Gloria.*

Plato ad hanc mentem aptissime: Τὴν κενοδοξίαν, ὡς τελευταῖον χιτῶνα, ἡ ψυχὴ πέφυκεν ἀποτίθεσθαι. *Cupidinem gloriæ, velut ultimam tunicam, anima solet deponere.* Et noster in Agricola: *Fama, cui sæpe etiam boni indulgent.* Idem.

*Quando etiam sapientibus cupido gloriæ novissima exuitur*] Totidem pene verba, eadem sententia, leguntur apud Simplicium in Comm. ad Epicteti cap. 48. διὸ καὶ ἔσχατος λέγεται τῶν παθῶν χιτὼν ἡ φιλοδοξία, διότι τῶν ἄλλων πολλάκις δι' αὐτὴν ἀποδυομένων αὐτὴ προσίσχεται τῇ ψυχῇ i. *Quare etiam extrema tunica reliquorum affectuum dicitur gloriæ cupiditas, propterea quod alios sæpe exuens, ipsa magis diutiusque animo adhærescat.* Ergo cupido gloriæ, velut proverbio Stoicis ἔσχατος τῶν παθῶν χιτὼν, sive *extrema affectuum tunica* dicebatur. Atque eo alludens *exuendi* vocabulo hic usus est Tacitus. *Boxhornius.*

5 *In exilium pulsus*] Tacit. 16. Ann. *Savilius.*

6 *Galbæ principatu rediit*] Unde? Apollonia. Illic enim in exsilio egit: quod nos docet Scholiastes in Sat. Juvenalis v. *Elvidius Priscus, post damnationem soceri Pæti Thraseæ, interdicta sibi Italia, Apolloniam concessit.* Lipsius.

7 *Agmen reorum sternebatur*] *Reum* appellasse Latinos Scriptores illum, de quo quæreretur, qui causam diceret, qui lege aliqua teneretur, qui aliqua culpa argueretur, passim observamus. Unde *reum facere* pro accusare dixit Cic. in Verr. in Orat. pro Plancio, pro Sextio, de Arusp. resp. & ad Att. quod pariter Jurisperitis receptum, l. 3 D. de accusat. ita etiam & *agi reus*, eodem sensu dictum quo accusari Valer. Max. 6, 8. *incesti reus agebatur.* & 8, 1. Plinius junior, *Dum ille peragitur reus, sedimus.* His sic se habentibus obscurum & improprium videtur, quod Tacitus delatores *reos* appellaverit, quum potius *actores* essent dicendi. Delatorem autem fuisse Marcellum Eprium, præsertim sub Nerone, constat ex Tacito supra & infra: cujus potentia si cecidisset, sternebatur actio delatorum aliorum minus potentium. Hunc scrupum sic tolli posse censemus. *Rem* pro *lite* antiqui dixere, unde illud Cic. contra JCtos in Orat. Muræniana: *Tot homines, tam ingeniosos statuere non potuisse, utrum rem an litem dicere oporteat.* Et Varro lib. 6. de L. L. *Quam rem seu litem dicere oportet.* Hinc *rem amittere* est litem amittere, l. 7. de restit. in integ l. 22. §. penult. D. rem ratam haberi. A *re* autem, id est, lite, *reus* dictus antiquis & *reus* non modo accusatus & conventus, sed & accusator & actor appellati. Cic. 2. de Orat. *Reos appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur*, sic enim olim loquebantur. Apud Festum:

que orationibus testatum. Mox dubia voluntate Galbæ, multis senatorum deprecantibus, omisit Priscus: variis, ut sunt hominum ingenia, sermonibus, moderationem laudantium, aut constantiam requirentium. Ceterum eo senatus die, quo *de imperio Vespasiani* censebant, placuerat *mitti ad principem legatos.* Hinc inter Helvidium, & Eprium, acre jurgium. Priscus *eligi nominatim à magistratibus juratis;*
7 Marcellus *urnam* postulabat, quæ consulis designati sententia fuerat. Sed Marcelli
studium proprius rubor excitabat, ne aliis electis posthabitus crederetur. Paulatimque, per altercationem, ad continuas & infestas orationes provecti sunt, quærente Helvidio, *quid ita Marcellus judicium magistratuum pavesceret? esse illi pecuniam, & eloquentiam,* [1] *quis multos anteiret,* [2] *ni memoria flagitiorum urgeretur. Sorte & urna mores non discerni: suffragia & existimationem senatus reperta;* [3] *ut in cujusque vitam famamque penetrarent. pertinere ad utilitatem reipublicæ, pertinere ad Vespasiani honorem, occurrere illi quos innocentissimos senatus habeat, qui honestis sermonibus aures Imperatoris imbuant. Fuisse Vespasiano amicitiam* [4] *cum Thrasea, Sorano, Sentio: quorum accusatores,* [5] *etiamsi puniri non oporteat, ostentari non debere. hoc senatus judicio, velut admoneri principem, quos probet, quos reformidet. nullum majus boni imperii instrumentum,* [6] *quam bonos amicos. Esse satis Marcello, quod Neronem in exitium tot innocentium impulerit. Frueretur præmiis & impunitate, Vespasianum melioribus relinque-*
8 *ret.* Marcellus, *non suam sententiam impugnari,* [7] *sed consulem designatum censuisse* di-
cebat, [8] *secundum vetera exempla, quæ sortem legationibus posuissent, ne ambitioni aut inimicitiis*

*Reus est, qui cum alio litem contestatam habet, sive is agit, sive cum eo actum est.* Ex quibus manifestum est, *reos* olim fuisse, qui nunc litigatores seu litigantes, & per consequens, nomine *rei* non solum *accusatum* sed & *delatorem* intelligi posse, sicque jure optimo Tacitum, Marcellum Eprium, licet delatorem, *Rei* nomine vocare potuisse, sicuti & uterque ex contrahentibus *reus* appellatur à JCtis, l. 5. §. conventionales, D. de verb. oblig. Addamus tamen, Eprium & alios, qui sub Nerone delatores fuere, assurgente Vespasiani imperio, recte à Tacito *reos* appellatos, & proprie, quia in judicium vocabantur, ut de illis supplicium sumeretur. *Marcellus Donatus.* Multi enim inter Senatores ipsos inveniebantur, qui ea ratione accusaverant, ac, si Marcellus caderet, eadem ruina prosterni timebant. *Pichena.*

8 *Testatum*] Nostri libri. Visum Rhenano, *certatum.* Lipsius.

*Et egregiis utriusque orationibus testatum*] Scripsimus, *& egregiis orationibus utriusque certatum.* Rhenanus. Muretus corrigit, *utrimque*; idque Tacitus ipse firmare videtur, qui paulo infra: *hæc magnis utrimque contentionibus jactata.* Pichena.

1 *Quis multos anteiret*] Ablativus *quis* non est in libro manuscripto. *Rhenanus.*

2 *Ni memoria flagitiorum urgeretur*] Non male etiam vulgati, *urgeret.* tamen Flor. ac Ven. lectio mihi potior. *Pichena.*

3 *Ut uniuscujusque vitam famam penetrarent*] Nos, *famamque.* Rhenanus. Flor. *ut in cujusque vitam famamque.* Vulgo, *ut uniuscujusque vitam.* Pichena.

4 *Senecione*] Male. fateor fuisse Herennium Senecionem insignem virum, sed quem Domitianus occiderit, non Nero. Sequor igitur libros scriptos, qui hic, *Sentio:* etsi virum ignoro. *Lipsius.*

*Cum Thrasea, Sorano, Sentio*] Congruit etiam Flor. cum aliis, qui habent, *Sentio.* idque Lipsio magis probatur, quam, *Senecione*, ut in vulgatis. *Pichena.*

5 *Etiamsi puniri oporteat*] Addidimus negativam particulam, *non*, qua hic opus est, *etiamsi puniri non oporteat.* Vide Helvidii modestiam. *Rhenanus.*

6 *Quam bonos amicos. Esse satis Marcello*] Aliter distinguunt Florent. ac Venet. *Quam bonos amicos esse. Satis Marcello.* Pichena.

7 *Sed consulem designatum censuisse dicebat. Sed secundum*] Alterum *sed* expunximus ut legas, *Sed consulem designatum censuisse dicebat secundum* &c. *Rhenanus.* Rom. edit. *sed secundum vetera* &c. Veneta, *sed vetera*, quod ferri posset, ut tueretur se Marcellus, & auctoritate Consulis designati, & exemplis veterum. Res quidem eodem redit altera lectione manente, verum vis aliqua subest repetito illi *sed.* Gruterus.

8 *Secundum vetera exempla*] Hoc virum doctum valde anxium habuit: qui negabat de more eo se legisse. Ego ita accipio. non quasi semper legati sorte olim missi, sed sæpe. & in eam rem exempla hæc reperio. Cicero ad Atticum lib. 1. epist. XVII. *Senatus decrevit, ut legati cum auctoritate mitterentur.* Addit post pauca: *Hoc non queo præterire, cum de consularibus mea prima sors exisset, una voce Senatus*

*inimicitiis locus foret. Nihil evenisse cur antiquitus instituta exolescerent. aut* [1] *principis honor in cujusquam contumeliam verteretur. sufficere omnes obsequio.* [2] *id magis vitandum,* [3] *ne pervicacia quorundam irritaretur animus novo principatu suspensus, & vultus quoque ac sermones omnium circumspectans.* [4] *Se meminisse temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint:* [5] *ulteriora mirari, præsentia sequi: bonos imperatores voto expetere, qualescumque tolerare. Non magis sua oratione Thraseam, quam judicio senatus afflictum. Sævitiam Neronis* [6] *per hujusmodi imagines illusisse. nec minus sibi anxiam talem amicitiam, quam aliis exsilium. Denique constantia, fortitudine, Catonibus & Brutis æquaretur Helvidius: se unum esse ex illo senatu, qui simul servierit.* [7] *Suadere etiam Prisco, ne supra principem scanderet, ne Vespasianum* [8] *senem triumphalem, juvenum liberorum patrem præceptis coërceret. Quo modo pessimis imperatoribus sine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere.* Hæc magnis utrimque contentionibus jactata, diversis studiis accipiebantur. Vicit pars quæ sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum annitentibus retinere morem. Et splendidissimus quisque eodem inclinabat, metu invidiæ si ipsi eligerentur. Secutum aliud cer- 9
tamen. Prætores ærarii (nam tum [9] à prætoribus tractabatur ærarium) *publicam paupertatem* questi, *modum impensis* postulaverant. Eam curam consul designatus, ob magni-

*Senatus frequens retinendum me in urbe censuit.* E quibus sortitionem illic fuisse, clare vides. Dio lib. 59. Πρέσβεις τε ἐπ' αὐτοῖς ἄλλους κλήρῳ, καὶ τὸν Κλαύδιον αἱρετὸν ἔπεμψαν. *Legatos his de rebus, alios quidem sorte, Claudium vero suffragiis electum miserunt.* Plura exempla avide quæsivi: sed, ut verum fatear, clamavi Hylam. *Lipsius.*

1 *Principis honor in cujusquam contumeliam verteretur*] Passive honorem accipio, qui scil. principi habebatur, legatos ad eum mittendo. *Pichena.*

2 *Id magis vitandum*] *Vitandum* non est in cod. Bud. Posset etiam addi vel subaudiri. *Id magis* scil. curandum. *Rhenanus.*

3 *Ne pervicacia cujusquam*] Nos, *pervicacia quorundam.* Idem.

4 *Se meminisse*] Malim legere pronomine *se* expuncto, *meminisset temporum, quibus natus sit. q. c. f. p. a. i. ulteriora mirari.* subaudi, *meminisset.* Idem.

5 *Ulteriora mirari*] Tempus nimirum liberæ reip. *Savilius.*

6 *Per hujusmodi imagines illusisse*] Bene ita libri. Hoc enim dicit Eprius: Non se magis auctorem interficiendi claros viros Neroni fuisse, quam senatum universum qui eos damnaverit. Sed Neronem videlicet hoc quasi velum prætendisse sceleribus, ut quæ sponte jussurus erat, ea per accusatores & Senatum exerceret. atque ita imagine quadam Justitiæ hominibus vere illuderet. Vulgo est, *illuxisse.* Lipsius.

7 *Suadere etiam Prisco*] Et Helvidius, quod Eprio Marcello meliora monenti detrectasset obsequi, interemptus est sub Vespasiano, bono & moderato Principe. Sueton. Vesp. *Helvidio Prisco, qui reversum ex Syria solus privato nomine Vespasianum salutaverat, & in prætura omnibus edictis sine honore ac mentione ulla transmiserat, non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis pene in ordinem redactus. Hunc relegatum primo, deinde interfici jussum, missis qui percussores revocarent servasset; nisi jam periisse falso nuntiatum esset.* Probus. *Helvidius Priscus post damnationem soceri Pæti Thraseæ, interdicta sibi Italia, Apolloniam concessit, sed post interfectum Neronem restitutus à Galba, non aliter quam libero civitatis statu egit.* Adeundus quoque Arrianus lib. 1. c. 2. dissert. Epicteti. *Savilius.*

8 *Senem triumphalem*] Nam rebus in Britannia, tempore Claudii, bene gestis Vespasianus obtinuerat *triumphalia ornamenta*, testante Suet. Vesp. 4. *Idem.*

9 *A prætoribus tractabatur ærarium*] Hac de re multis egi ad Annal. 13. ubi sæpe immutatam ærarii servandi formam Tacitus ait, quousque Nero viros prætorios, experientia probatos, ærario præposuit. Quod bellis civilibus non irritum, Vespasiano & filiis probatum, ad Trajanum duravit. Hic vero quos judicio probaret suo, Præfectos ærarii creavit, ut Publicium Certum, Pliniumque Cæcilianum: & ita translatum à prætoribus ad præfectos, ab his gestum munus est subsecutis principibus Hadriano, Antonino Pio & Marco Philosopho. Senatus enim consultum Hadriani temporibus factum, delatoris à præfecto ærario adesse jussi, meminit l. 15. D. de jure fisci. Sub Pio Aburnius Valens JCtus refert Arrianum Severum præfectum ærarii pronunciasse, l. 42. D. de jure fisci. Marcus item Philosophus causam ad præfectos ærarii misit, teste Papiniano l. 12. D. de his quæ ut indignis auferuntur. Sub quibus Gellius eruditissimus scriptor inquit: *Quod per Quæstores dixi, intelligi nunc oportet præfectum ærario significari. Nam cura ærarii à quæstoribus ad præfectum translata est.* Noctium 13, 23. *Vertranius.*

1 Cin-

magnitudinem oneris, & remedii difficultatem, principi reservabat. Helvidius *arbitrio senatus agendum* censuit. Cum perrogarent sententias consules, Vulcatius Tertullinus tribunus plebis intercessit, *ne quid super tanta re, principe absente, statueretur.* [1] censuerat Helvidius, *ut Capitolium publice restitueretur, adjuvaret Vespasianus.* Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit. [2] Fuere, qui & meminissent. Tum invectus est Musonius Rufus in [3] *Publium Celerem, à quo Baream Soranum* [4] *falso testimonio circumventum* arguebat. Ea cognitione renovari odia accusationum videbantur. sed vilis & nocens reus, protegi non poterat. Quippe Sorani sancta memoria: Celer professus sapientiam, dein testis in Baream, [5] proditor corruptorque amici, & [6] cujus se magistrum ferebat. [7] Proximus dies caussæ destinatur.

1 *Censuerat Helvidius, ut Capitolium publice restitueretur; adjuvaret Vespasianus*] Non satis assequuntur vim sententiæ viri alioquin doctissimi. nempe censuit Helvidius; restitueretur Capitolium auspiciis reip. subveniente quidem in subsidium Vespasiano, sed quasi privato; hoc est, non tam ut capite ejusdem reip. quam parte. Haud aliter hæc accipienda; auctor est mihi Tranquillus in Vesp. 15. *Helvidio Prisco*, &c. Alioquin vis orationis, nullam aliam admittat explicationem, si attendamus circumstantiis. *Gruterus.*

2 *Fuere, qui & meminissent*] Qui & apud Vespasianum nempe deferrent. quare? quia hæc sententia dignitatem Principis minuebat, Senatus populique augebat. à quo restitui Capitolium, dumtaxat adjuvante Vespasiano, volebat. *Lipsius.*

*Fuere qui & meminissent*] Prisci mens fuit, impensæ partem in principem, contra morem, rejicere, ut exhausto ærario parceretur. *Pichena.* Censere Capitolium publice restituendum, Vespasianumque adjuvare, quid aliud est, quæso, quam principem in ordinem redigere? quæ Helvidii sententia delatoribus non excidit, sed eam arrepta occasione Vespasiano retulerunt, unde postea nonnullis additis cædes Prisci. Quid autem Pichena sibi velit, ego nondum assequor, nisi subfrigidum aliquid tali viro affingere sustineamus. *Salinerius.* Frigidiuscula hic aliorum explicatio. vult Tacitus fuisse è Senatoribus aliquot delationibus ac calumniis exercitos, qui liberiorem istam sententiam, & conjunctam satis cum Vespasiani contumelia, reconderent in præsens ac suo tempore in deterius auribus ejusdem instillarent, eo ipso creaturi Helvidio periculum. nam Senator iste, nimium Philosophus, pessime periit sub Vespasiano, ut cognoscere est ex Arriano, Cassio, Suetonio, aliis. *Gruterus.*

3 *P. Celer.*] Publius Egnatius Celer ex testibus in Baream Soranum productis præcipuus. 16. Ann. 32. Juvenal. *Stoicus occidit Baream, delator amicum Discipulumque senex.* Scholiastes Juvenal. aliud speciatim notat. *Egnatius Philosophus filiam Bareæ Sorani, cum ipsius ad Magicam descendisset hortatu, Neroni detulit.* Savilius.

4 *Falso testimonio circumventum*] *Circumveniri judicio* usus est Martianus in cap. 1. Pandectarum tractatus ad leg. Corn. de sicariis, pro eo, quod nostrates dicunt condemnari per factiones & invidiam. Sic *circumveniri falso testimonio* dixit Tacit. pro eo, quod vulgo dicitur, condemnari per falsos testes. Cic. in Verr. *Quid te à Centuripina civitate, cæterisque civitatibus Siciliæ circumveniri, atque opprimi dicis? tua te Messana circumvenit.* Lupanus.

5 *Proditor corruptorque amicitiæ*] Non damno. re vera enim philosophus magister amicitiæ, uti & aliarum virtutum est. Nec tamen vetus conjectura mea mihi eviluit, *corruptorque amici, & cujus se magistrum ferebat.* Vix enim est ut Tacitus omiserit, quod valde ad rem & ad culpam facit, fuisse hunc Celerem Bareæ præceptorem. Juvenalis docet:

*Stoicus occidit Baream delator amicum*
*Discipulumque senex.*

Interpres Juvenalis hanc quoque rem affirmat, in versum

——— *magni delator amici.*

*Alii dicunt Philosophum Egnatium Celerem, Bareæ Sorani magistrum, qui ipsum apud Neronem detulit, & damnavit: & ipse postea sub Vespasiano, hoc ipsum Musonio Rufo accusante, damnatus est.* Lipsius.

6 *Cujus se magistrum ferebat*] Emendavimus; *Ejus se magistrum ferebat.* Rhenanus. Lipsii conjectura adeo mihi certa, ut eam recipere, ne minimum quidem dubitaverim. Nam cum ex historia clarum sit, Celerem fuisse Bareæ magistrum, res ipsa per se locum corrigit, nec est, quod Tacitum philosophari credamus, magistrum amicitiæ philosophum appellando. *Pichena.* γνωνῶς ut philosophus. Integra sunt, nec de via decedere debent conjecturis doctissimi viri. Non damno tamen: *corruptor amici, & cujus se magistrum ferebat:* nam revera Celer magister erat & amicus Sorani. Juvenal. Sat. 3. Sed nec alibi Tacitus eum fuisse magistrum Sorani dicit. 16. Ann. 32. *tantum ira P. Egnatius concivit, cliens hic Sorani, & tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat.* Cujus integrum nomen P. Egnatius Celer. Possunt hæc etiam missis castigationibus adaptari ad sensum doctissimi viri. *Amicitia* pro amico; τὸ [illegible]

destinatur. Nec tam Musonius aut Publius, quam Priscus & Marcellus, ceterique [1] motis ad ultionem animis, exspectabantur. Tali rerum statu, cum [2] discordia in- 11
ter patres, ira apud victos, nulla in victoribus auctoritas, [3] non leges, non princeps in civitate essent; Mucianus urbem ingressus cuncta simul in se traxit. fracta Primi Antonii [4] Varique Arrii potentia, male dissimulata in eos Muciani iracundia, quamvis vultu tegeretur. Sed civitas rimandis offensis sagax, verterat se transtuleratque. Ille [5] unus ambiri, coli. nec deerat ipse, stipatus armatis, domos hortosque permutans, apparatu, incessu, excubiis, [6] vim principis complecti, nomen remittere. Plurimum terroris intulit cædes Calpurnii Galeriani. Is fuit filius C. Pisonis, nihil ausus: sed nomen insigne, & decora ipsi juventa, rumore vulgi celebrabantur: erantque in civitate adhuc turbida, & novis sermonibus læta, qui principatus inanem ei famam

*πρωτότυπον ἀντὶ τοῦ παραγωγοῦ.* i. primitivum pro derivativo. ut lib. 3. ann. *contumaciam ejus insectari; vetus Augusta odium, recentem Livia conscientiam exagitare, ut superbiam fecunditate subnixam, popularibus studiis inhiare dominationi apud Cæsarem argueret.* Et ut, *sibi concessam dictitans nobilitatem, pulchritudinem.* Non diversa sunt quæ sequuntur. *Alcans, ἄγαγε καὶ Ξέρξης Περσῶν στρατηγόν*, i. *Duxit & Xerxes Persam exercitum.* Virgil. 8. Æn. *Divum su maxime rector Jupiter, Arcadii quæso miserescite regis.* Propert.

*Vos eritis testes, si quos habet arbor amores*
*Fagus & Arcadio pinus amata Deo.*

Salinerius. Nihil hic moror emendationem & explicationem doctiss. Lipsii. Magistrum se ferebat amicitiæ Celer, quia Philosophus & quidem Stoicus. Sic locutus Lactantius lib. 5. *Quorum alter antistitem se Philosophia profitebatur, verum ita vitiosus, ut continentia magister, non minus avaritia, quam libidinibus arderet.* Colerus.

7 *Proximus dies*] Quo res ejusmodi disceptarentur. neque enim aut proxime secutus dies erat, neque simpliciter proximus Patrum conventus. *Savilius.*

1 *Motis ad ultionem animis*] Corruptissimus antea locus, quem restituimus ab ingenio: cum libris esset, *motis adulationibus animis:* aut, ut Vatic. *notis adulationi.* Sententia est: Non tam minuti illi & plebeii delatores expectabantur, aut expetebantur; quam, erectis semel cupidine ulciscendi animis; illi Senatorii & illustres Priscus & Marcellus. *Lipsius.*

*Motis ad ultionem delationibus expectabantur*] Ita Faërnus jampridem emendavit, pro, *motis adulationibus animis expectabantur.* Ursinus. Musonius Patres in Celerem accendebat, laudans eos (ut reor) quod semper à delationibus abstinuissent & semper accusatores aversati essent. Idque ei processit, nam licet eo cadente Priscus & Marcellus expectarentur, indeque agmen reorum; nam *si caderet Marcellus agmen reorum sternebatur, eaque de caussa patres in studia diduxerat:* & nunc aliquantum retardarentur, *ea cogitatione renovari odia accusationum videbantur*, tamen *motis adulationibus animis*, & quia *vilis & nocens reus protegi non poterat*, Celer postero die damnatus est: *damnatusque Publius, & Sorani manibus satisfactum.* Eandem viam affectavit Helvidius cum iterum in Marcellum inveheretur, qui certe senatum in suam sententiam traxisset, ni Mucianus pro delatoribus censuisset. *igitur à laude Cluvii Rufi orsus, qui perinde dives, & eloquentia clarus, nulli unquam sub Nerone periculum facessisset, crimine simul exemploque Eprium urgebat.* Doctissimus tamen vir maluit, *motus ad ultionem animis.* Salinerius.

2 *Inter patres*] Ita Mercerus, & recte; non *partes.* Senatum nempe intellegit discordem, ut ante ostendit. *Lipsius.*

*Discordia inter partes*] Scribo, *patres.* Nam de Senatorum dissensionibus sentit. *Mercerus.* Vulgo, *inter partes.* nam ubi partes, ibi consequenter discordia. quid ergo opus dicere, discordiam fuisse inter partes? Sed nullæ fere partes jam erant, cum omnia in victorem Vespasianum cessissent. itaque correxi, *inter patres.* hoc est, Senatores, quod ex antecedentibus satis liquet. id Mercerus etiam animadvertit. *Pichena.*

3 *Non leges, non princeps in civitate essent*] Ita Flor. Vulgo, *non principes.* falsum. Unus enim Princeps, Imperator. filii vero: Cæsares appellati. Immo Domitianus ipse in urbe erat. *Idem.*

4 *Variique Arrii potentia*] Tantum habet liber regius, *Ariique potentia.* Rhenanus. Fuit cum scriptum esset *Varique Arrii potentia*, ut adjectione nominis *Arrius* hic ab Alfeno Varo discerneretur, de quo secuturus est sermo. Corvinianus liber habet, *Ariique potentia:* & melius. *Vertranius.* Exciderat in vulgatis cognomen, *Arrii*, quod ex Flor. ac Ven. restitui. *Pichena.*

5 *Unus ambiri, coli*] De hac flagranti ambitione Muciani, locus incerti scriptoris apud Suidam, in voce Ἀγήλειν, ait: *Ὅτι Μουκιανὸς ὁ Ῥωμαῖος τιμᾶσθαι ὑφ' ἁπάντων ὑπὲρ πάντας ἤθελε, καὶ ἤχθετο εἴ καί τισιν οὐχ ὅτι ὕβρισεν αὐτὸν, ἀλλ' ὅτι μὴ ὑπερμεγάλως ἀγήλειεν.* *Mucianus Romanus honore ab omnibus affici, & super omnes volebat: & ægrescebat, si quisquam non dicam contumelia eum affecisset, sed nisi summo cultu prosecutus esset.* Lipsius.

6 *Vim Principis complecti*] Flor. *amplecti.* Pichena.

Oc 1 Se

famam circumdarent. Jussu Muciani custodia militari cinctus, ne in ipsa urbe conspectior mors foret, ad quadragesimum ab urbe lapidem, via Appia, suso per venas sanguine exstinguitur. Julius Priscus prætoriarum sub Vitellio cohortium præfectus, [1] se ipse interfecit, pudore magis quam necessitate. Alphenus Varus ignaviæ infamiæque suæ superfuit. [2] Asiaticus (enim is libertus) [3] malam potentiam servili supplicio expiavit.
12 Iisdem diebus crebrescentem cladis Germanicæ famam, nequaquam mæsta civitas excipiebat. *cæsos exercitus*, [4] *capta legionum hiberna*, *descivisse Gallias*, non ut mala loquebantur. [5] Id bellum quibus caussis ortum, quanto externarum sociarumque gentium motu flagraverit, altius expediam. Batavi donec trans Rhenum agebant pars Cattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, [6] simulque insulam inter vada sitam occupavere, quam mare oceanum

1 *Se ipsum interfecit*] Notaveram in paucis illis ad 14, 53. ubi locutio eadem, Oxonicusem MS. clare nunc habere *se ipse*. Gratum fuit deinde, quod per negligentiam aliorum perditum erat, videre in membrana Medic. sic quoque scribi. Advertit utraque sinceritatis antiquæ nota quoque Ryckium; sed an non miraris illic ita agi, ut codex MEUS habeat partes nullas? Nempe ab eo absunt genuina, & interpolatis splendet. Id nunc patet, & patuit ex libri 14 simili loco. Interim sedet adhuc cap. 70. *Legiones se ipsas in verba Vespasiani adigunt.* Jac. Gronovius.

2 *Asiaticus enim is libertus*] Libertus hic fuit gratissimus Vitellio, Tranquillo & Cornelio auctoribus. *Ferretius.* Neque Taciti neque ejus ævi mos est *enim* præponere. deinde sensus in his verbis nullus. Lego: *Asiaticus neminis libertus*, acute admodum. Fuerat libertus Vitellii: eo mortuo manebat libertinæ conditionis sed sine patrono. itaque pro ingenuo agebat. *Grotius.* Locus integer, si sic distinguas: *Asiaticus enim (is libertus) malam*, &c. Sic enim τῷ *enim* uti solent elegantiss. auctores: ubi, nempe plurium mentio est, & de postremo singulare quid exponitur. Neque tum ea particula ejus quod præcessit, caussam indicat, sed quod sequitur diversitatem. Posset tamen defendi lectio vulgata illis Livii lib. 7. *M. Valerius (ei qu que enim in annum prorogatum imperium est) classem, qua ad Siciliam erat, navium LXX. obtineret.* At quod sciam, numquam ita Tacitus. *Boxhornius.*

3 *Malam potentiam servili supplicio expiavit*] Lib. 2. Hist. *Sumptum de eo supplicium servilem in modum.* lib. 4. Hist. *falatio fuit servus Virginii Capitonis*, &c. *patibulo affixus.* *Servile supplicium* crux vel patibulum. Vulcatius in Avidio Cassio cap. 4. Capitolinus in Macrino cap. 12. Hirtius de bell. Hisp. cap. 2. In eundem sensum Livius lib. 30. *De captivis, ut quisque liber aut servus, sua fortuna à quoque sumptum supplicium est*, id est, servi cruce, securi liberi multati. Idem lib. 33. cap. 36. lib. 29. cap. 18. & lib. 24. 14. & 22. 32. Et quis non? Non negandum tamen, præter servos & aliquando liberos, summosque viros cruce peremptos; uti Polycrates Samiorum tyrannus teste Cic. lib. de Finibus, Herod. in Thalia, & Eusebio lib. 8. de præpar. Euang. 54. & Hamilcar Pœnorum dux tradente Justino. & Annibal eorundem dux, si epit. Livianæ credimus lib. 57. & Gavius civis Rom. de quo Cic. in Verr. act. 5. Mago Suffetes Magistratum Insulæ Cimbis cruci affigi jussit ex Livio lib. 28. præter alios plurimos, quos enumerare nimis longum esset. Erat namque crucis mors cæteris acerbior, scribente D. Augustino in Joan. tract. 36. *Supplicium crucis ideo durius, quod diutius cruciabat, & omnes crucifixi longa morte necabantur.* Erat & ignominiosissimum, tradente eodem Augustino in Matth. Serm. 18. Verum post Salvatoris nostri Christi Jesu mortem, adeo venerandum, tantæque majestatis fuit crucis nomen, ut Constantinus Magnus lege lata sanxerit, ne quis amplius crucis supplicio, quod tum frequentissimum erat, puniretur, tradente Cassiodoro lib. 5. hist. Trip. cap. 50. & Sozomeno lib. 1. hist. Eccles. cap. 8. & Nicephoro lib. 7. 46. Nec illud prætermittendum, crucem ab antiquis etiam *Gabalum* vocatum. Varro: *Nos barbari, quod innocentes in gabalum suffigimus homines.* Marcellus Donatus.

4 *Capta legionum hiberna*] Nos, *capta legionum castra hiberna* Rhenanus. Inseruit Rhenanus vocem *castra*, quæ cum neque in Flor. neque in aliis meliorib. libris inveniatur, jure à nobis exturbata est. *Pichena.*

5 *Id bellum*] Quod breviter describit Josephus ἁλώσ. 7. 11. attigit Frontinus Strateg. lib. 4. c. 3. & Sarisburiensis in Polycratico. *Savilius.*

6 *Insulam inter vada*] Valde turbant libri. Quidam, *insulam vocatam sitam*: alii, *insulam Vacasitam*: Budensis, *insulam juvata sitam.* Et certe inter vada aut vadosa loca, proprie sita non est hæc nobilis insula. quippe inter Rhenum Mosamque, alta & profunda plane flumina. sed Vadorum scilicet voce paullo laxius & latius Tacitus usus, pro aquis. Quomodo Catullus pro mari,

*Vada salsa cita decurrere puppi:*

Virgilius, Ovidius, aliique. Etsi revera vada & brevia multa olim (ut opinor) in illis fluminibus: cum aggeres nondum & certæ ripæ coercerent. ideo-

rum à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit: [1] nec opibus Romanis, societate validiorum attriti, viros tantum armaque imperio ministrant, diu Germanicis bellis exerciti: [2] mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. [3] Erat & domi delectus eques, præcipuo nandi studio, [4] arma equosque retinens, integris turmis, [5] Rhenum perrumpere.

ideoque late diffundebantur. An alicui placeat, *Insulam Vahali affusam?* Lipsius.

*Simulque insulam inter vada sitam*] Exemplar Matthiæ Corvini habet, *Simulque insulam juvata sitam*. Quid si legas, *sub vada sitam*. Sic lib. seq. dixit, *Judæi sub ipsos muros struxere aciem*. Rhenanus. Magna hic librorum varietas. Dio ipsam insulam Batavam vocat. Ego quoque crediderim illa verba, *inter vada sitam* esse glossarium additamentum, aut certe excidisse vocem Batavam: ac proinde legendum esse: *simulque insulam Batavam occupavere*. Porro *Batavam* significasse, locum inter vada situm, arguat veriverbium Germanicum. Hodieque pars hujus insulæ veterem nomenclaturam retinet *Betaw*. Colerus. Libri veteres *insulam Vocasitam occupavere*. unde fecerim *insulam Vacantem occupavere*, id est, ἀδέσποτον, ut bona vacantia dicimus. *Grotius*. Quam imbecilla hæc tentationum varietas? quibus primariam nascendi causam præbuit Lipsius, dum vocat turbantes libros, quos nemo potest adsequi aut distinguere. *Vocatam sitam* & *Vacasitam*, paulo minus quam falsa & nuperrime interpolata haberi oportet; unde vitiose Grotius oculum illi *Vocasitam* adjecit. Ex Budensi *juvata sitam* verum mediæ antiquitatis specimen judicari est æquum. Et quare? quoniam ea lectio incedit proxime ad fidem codicis Medicei, prout ipse subministravi Ryckio, flagitiose negligente Pichena in loco tanti momenti. Sed Ryckius errare typos passus fuit, dum edit *inuata*, quum plane in scedis meis sit *iuuata*. Hoc ut scias quanti sit, inspice Cluveriana scripta: quoties citant illa hanc insulam *inter vada sitam*, plane ad nugas scriptorem deducturam. Quod si quid petis absurdius, narrabit Ryckius ex MSS. videri, non editorum ingenio τὸ *inter*, & sic Ven. & reliquas editiones insedisse; unde plena ibi errorum atria. Hæc hactenus: nam aliud latet, quod instructius propediem dabo. *Jac. Gronovius.*

1 *Societate validiorum attriti*] Sententia est. quamquam Romanis socii & fœderati Batavi, quæ societas apud potentiores plerumque in servitutem transit: tamen non ita eis factum. libertatem tenuere, nec tributa iis imposita aut servitii aliæ notæ. Vaticanus liber, *societateve aliorum adstricti*. quod minus placet. *Lipsius.*

*Nec opibus Romanis societate validiorum attriti*] De his lib. 5. hist. *Respicerent Rhætos, Noricosque & ceterorum onera sociorum: sibi non tributa, sed virtutem & viros indici*. Ergo sensus est, nec à Romanis attriti opibus, quod validioribus sociis evenit: viros tantum, &c. *Ferrettus*. Lego, *nec opibus à Romanis*. ut sit sensus, nec opibus à Romanis attriti Batavi, qui socii validiores essent. De his l. 5. hist. *Vertranius*. Mendosa hæc, neque Flor. juvat aut variat. Testatur Lipsius in Vat. legi: *societateve aliorum astricti*: unde legendum putavi: *nec opibus, Romanorum societate vel aliorum attriti*. nam fortasse scriptum erat *Rom.* quod interpretatum fuit *Romanis*. Sed nunc secundum Vaticanam lectionem potius interpretor, eos neque ab opibus potentiaque Romanorum, neque ab aliis sociis attritos, id est, severe habitos, sed tanquam liberos, arma tantum & milites ministrasse. Eadem fere de iisdem Batavis in lib. de moribus Germ. *Pichena*. Vox *Romanis* in Vat. deest. Atque ita bene habet. Nam ut Romana societas intellegeretur, satis erat dixisse, *societatem validiorum*. Tac. lib. 5. ubi iidem Batavi caussantur: *sibi non tributa, sed virtutem & viros indici*. ut rectissime in Florentino scriptum. *Colerus.*

2 *Mox aucta per Britanniam gloria*] Hactenus defuit hic participium *aucta*, quod nos addidimus. *Rhenanus*. Claudio Principe, ni fallor, traductis è Germania Batavis à Vespasiano. Eximia Batavorum in Britannia facinora multis narrat Dio lib. 60. sed Celtas ibi vocat more Græcorum. Ipse adeo Tacitus noster paulo infer. Batavorum cohortes *Britannica auxilia* appellat. Puto enim à Claudii tempore ibi restitisse illas cohortes, donec postea in Germaniam revocarentur. *Colerus.*

3 *Erat & domi delectus eques*] Sine ulla hæsitatione exstat in MS. Medic. *Erant*. utrum spreverunt, ut Pichena in hoc, sic alii in suis, ita ut vel noluerint videre, vel indignum annotatu judicaverint. Vide tamen ad 2. hist. 33. *Jac. Gronovius.*

4 *Arma equosque retinens*] Romanus codex, *arma quoque retinens*. quod haut spreverim. uti non tam ipsi tranatasse, quam equis tramisisse intellegantur. Certe ambiguum mihi, Batavorumne hæc ars & opera fuerit, ita ut ipsi nantes, equos armaque tenuerint: an potius equi ipsi docti sic & facti. E Tacito aut priscis scriptoribus litem hanc haud facile decidas. Noster in Agricola, viris ipsis tribuere iterum videtur: (de Batavis enim illa capio:) *lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, & patrius nandi usus, quo simul seque & arma & equos regunt, repente immisit*. Xiphilinus in Hadriano, ambigue: Τὸ ἱππικὸν τῶν καλουμένων Βατάβων μετὰ τῶν ὅπλων διενήξατο. Hadrianus de Sorano Batavo:

*Hadriano potui qui judice, vasta profunda*
*Æquora Danubii cunctis tranare sub armis.*

Lipsius.

5 *Rhenum perrumpere*] Deesse videtur verbum, *suetus*, *solitus*, *exercitus*, aut quid simile: forte le-

13 pere. Julius Paulus, & [1] Claudius Civilis, regia ſtirpe, multo ceteros anteibant.
Paulum Fontejus Capito, falſo rebellionis crimine interfecit. Injectæ Civili catenæ,
miſſuſque ad Neronem, & à Galba abſolutus, ſub Vitellio rurſus [2] diſcrimen adiit,
flagitante ſupplicium ejus exercitu. Inde cauſſæ irarum, ſpeſque ex malis noſtris.
Sed Civilis, [3] ultra quam barbaris ſolitum, ingenio ſollers, & *Sertorium ſe* aut *Hannibalem* ferens, [4] ſimili oris dehoneſtamento, ne ut hoſti obviam iretur, ſi à populo Romano palam deſciviſſet, Veſpaſiani amicitiam, ſtudiumque partium prætendit.
miſſis ſane ad eum [5] Primi Antonii litteris, [6] quibus *avertere accita à Vitellio auxilia, & tumultus Germanici ſpecie, retentare legiones* jubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus
præſens monuerat, inclinato in Veſpaſianum animo, & reipublicæ cura, cui excidium adventabat, ſi [7] redintegratum bellum, & tot armatorum millia Italiam irru-
14 piſſent. Igitur [8] Civilis deſciſcendi certus, occultato interim altiore conſilio, cetera ex eventu udicaturus, novare res hoc modo cœpit. Juſſu Vitellii, Batavorum
juventus ad [9] delectum vocabatur; quem ſuapte natura gravem, onerabant miniſtri
avaritia

gendum *perrumpens*, aut interpretandum, *perrumpere*, quaſi ad perrumpendum. *Pichena.* Excidit abſque dubio vox: *perrumpere ſuetus.* Perperam autem ſcriptum in Vat. *arma quoque retinens.* Etenim ſi non equi virique ſimul nataſſent, cur diceret *integris turmis Rhenum perrumpere?* Idem plane in Agric. iterat: *Lectiſſimos auxiliorum, quibus nota vada & patrius nandi uſus, quo ſimul ſeque & arma & equos repente immiſit.* Dio de Batavis: πέμπει Κελτοὺς, οἷς ἔθος ἦν καὶ διὰ τῶν Ῥευμάτων ῥᾳδίως αὐτοῖς ὅπλοις διανήχεσθαι. Xiphilin. in Adriano: τὸ ἱππικὸν τῶν καλουμένων Βατάβων τὸν Ἴστρον μετὰ τῶν ὅπλων διενήξατο. Ideo addit hoc miratos barbaros immenſum cœpiſſe timere. *Colerus.* Nihil temere mutarem in voce extrema. nam & iterum occurret. c. 65. *Latum militibus idem nomen: atque ipſum quamquam Senatorii ordinis, ad utraque munia ſufficere.* Gruterus.

1 *Claudius Civilis*] Ipſe Tac. 1. hiſt. Plutarch. ἰουλιανὸς, Frontinus, Sariſbur. *Julium Civilem* appellant. Sed quicquid tandem de eo ſit, Tacito *Paulus & Civilis* fratres fuiſſe videntur. *Savilius.*

2 *Diſcrimen adit*] Nos, *adiit.* Rhenanus. Lib. 1. hiſt. *Idem.*

3 *Ultra quam barbaris ſolitum ingenio ſolers*] Vix poſſum mihi perſuadere ita relictum ab auctore noſtro: ego ſane potius dixiſſem, *ultra barbarum ingenio ſolers.* Gruterus.

4 *Simili oris dehoneſtamento*] Livius de Annibale, *Vigiliis tamen, & nocturno humore, paluſtrique cœlo gravante caput, & quia medendi nec locus, nec tempus erat, altero oculo capitur.* Vulgoque id ita accipitur, ut oculum amiſerit Annibal. Ideoque Juven. *portaret bellua luſcum.* Cæterum Probus auctor non ſpernendus: *Hoc itinere adeo gravi morbo afficitur oculorum, ut poſtea nunquam dextro bene uſus ſit.* Dicitur autem *Captus oculis*, ut *Captus mente*, & qui mente caret ac oculis: & qui mente oculiſque non bene utitur. Uno tamen caruiſſe oculo Annibal fere creditur ab omnibus & duces præterea bellicoſiſſimi Antigonus, Philippus, Sertorius. *Ferretus.* *Os* pro tota facie ſumitur hic, & apud Virgil. Æn. 1. *Os, humeroſque deo ſimilis.* Hannibal porro alterum oculum amiſit in tranſitu Apennini, dum in Italiam contenderet. *Lupanus.* Plutarch. init. Sertorii ait, qui duces maxime bellicoſi fuerunt, eos altero caruiſſe oculo, Philippum, Antigonum, Annibalem & Sertorium. Quare Tacit. *ore facieque fœdum Civilem* illis ſimilem ait, ut infra eod. *Dux Claudius Sanctus effoſſo oculo, dirus ore.* & Annal. 11. *Flavium fratrem amiſſo oculo, unde ea deformitas oris interrogat Arminius.* Vertranius.

5 *Antonii Primi*] Quæ hic deſignat auctor facile perſuadeant rebellionem Germanicam incidiſſe in hiemis principium. Tacitus enim, me judice, nec temporis nec loci notandi ſatis obſervans eſt. *Savilius.*

6 *Quibus avertere accita à Vitellio auxilia*] *Avertere* mutavimus in *averteret* & præpoſitionem ſuſtulimus, *Quibus averteret accita Vitellio auxilia.* Rhenanus. Plane hæc poſtrema ſic apparent in MS. Med. ut etiam notare voluit Ryckius, ſed errone è in ejus nota legitur *adverteret.* Jac. Gronovius.

7 *Redintegrandum bellum*] Caſtigavimus, *redintegratum bellum.* Rhenanus.

8 *Diſſidii certus*] Libri veteres, *deſciſcendi certus.* Utrum mavis rectum. *Lipſius.*

*Civilis deſciſcendi certus*] Codex Budenſis, *Civilis diſcidii certus.* Id expone, *certus* ſubaudi *Claudius Civilis, civilis diſſidii*, id eſt, belli civilis, quod Romæ erat. & ſic nos ſcripſimus. *Rhenanus.* Melius in Flor. ac Ven. *deſciſcendi certus*; quam in vulgatis, *diſſidii certus.* Pichena.

9 *Delectum ſuapte natura gravem*] Quippe in longam & longinquam militiam. Vellejus in laudibus Tiberii: *Quanta cum quiete hominum, rem perpetui præcipuique timoris, ſupplementum, ſine trepidatione, delectus providet?* Lipſius.

1 Rur-

avaritia ac luxu, senes aut invalidos conquirendo, quos pretio dimitterent. [1] rursus impubes, sed forma conspicui (& est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. Hinc invidia, & compositi seditionis auctores, perpulere ut delectum abnuerent. Civilis primores gentis, & promptissimos vulgi, specie epularum, sacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac lætitia incaluisse videt, à laude gloriaque gentis orsus, injurias, & raptus, & cetera [2] servitii mala enumerat. *Neque enim societatem ut olim, sed tamquam mancipia haberi.* [3] *Quando legatum, gravi quidem comitatu, & superbo cum imperio, venire?* [4] *tradi se præfectis centurionibusque, quos ubi spoliis & sanguine expleverint, mutari, exquirique novos sinus, & varia prædandi vocabula. Instare delectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus, velut supremum dividantur. Nunquam magis afflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis quam prædam & senes. attollerent tantum oculos, &* [5] *inania legionum nomina ne pavescerent.* [6] *esse sibi robur peditum equitumque, consanguineos Germanos, Gallias idem cupientes;* [7] *ne Romanis quidem ingratum*

1 *Rursus impubes*] Ita ex Florent. Vulgo, *impuberes*. Pichena.

2 *Servitia mala enumerat*] Emendavimus, *servitii mala enumerat*. Rhenanus.

3 *Quando legatum*] Nota interrogandi hæc scripserim. atque interpreter: En, usque eo viles Romanis sumus, ut non legati aut prætores saltem nos diripiant: id est, honestiorum manibus pereamus: sed latrunculi aliquot minuti, præfecti & centuriones. *Lipsius.*

4 *Tradi se præfectis, centurionibusque*] Est in cod. Bud. *tradi se præfectis, centurionibus*. Sine *que*. Rhenanus.

5 *Inania legionum nomina*] Hoc tempore sex fuerunt legiones non integræ, aut potius *legionum nomina*, ut hic vocantur. In superiori Germania ad Magontiacum duæ; *quarta Macedonica*, & *octava decima*, alias *duo & vicesima*, præter octo Batavorum cohortes. In Germania inferiori ad Bonnam *prima legio*, & infra Bonnam ad Novesium *sextadecima* & paulo versus illam partem longius ad Vetera, *Quinta & quintadecima*, utriusque duce Mummio Luperco ultimas duas hoc bellum penitus consumpserat, castris solo æquatis. Tacit. *Sextadecima & prima* post Hordeonii mortem sponte hostili se sacramento obstrinxit, atque ex illorum arbitrio Treveros submota, unde sua sponte Mediomatricos petierunt, atque inde acciti à Cereale in gratiam redierunt. Eodem tempore, quæ Magontiacum tenebant, legiones duæ, transierunt in partes antea inimicas, & neque mutare locum jussæ sunt, sed quæ post Cerealis adventum ad Romanos redierunt, Tse Octo Batavorum cohortes initio belli in seditiones actæ ad Civilem defecerunt. Jam vero supplendis & in integrum restituendis quos aut seditio aut cædes abstulerat, assignatæ erant sub Petilio Cereale septem legiones, teste Tacito, nimirum *Sexta Victrix* cum Muciano è Syria redux, & *octava Augusta*, una ex Mœsicis legionibus (sic enim legi debet, non *octava decima*, istius enim nominis nulla inter Victrices fuit) *una & vicesima Rapax*; *Secunda* cognomine, ut opinor, *Flavia è recens conscriptis*? *Quarta decima Gemina* ex Britannia: *Sexta Ferrata*, & *Decima Gemina* ex Hispania. Est enim in vulgatis Taciti exemplaribus, *Tertia ac prima ex Hispania accitæ*, ut nulla *Tertia* fuerit in Hispania & Hispanicam *Sextam* hisce rebus interfuisse narrat histor. 5. Verum quidem, quod aliqua *prima adjutrix* in Hispania fuerit, sed cum lib. 5. bis memoretur *decima* legio Hispanica, dicendum, aut omnes legiones ex Hispania accitas contra omnem probabilitatem, aut pro *prima* legendum esse *decima*. Ut ex emendatione, in fine hujus adversus Gallos & Germanos belli, fuerint in Rom. exercitu undecim legiones. Superioris Germaniæ: Quarta Macedonica; Octava decima, alias duo & vicesima; Didius Vocula legatus. Inferioris Germ. prima, Herennius Gallus legatus: Sexta decima, Numisius Rufus legatus: ut opinor. Sexta Victrix è Syriacis; Octava Augusta è Mœsicis; Una & vicesima Rapax è Vitellianis; Secunda Flavia è recens conscriptis; Quartadecima Gemina è Britannicis; Sexta Ferrata & Decima Gemina ex Hispanicis. *Savilius.* Sic Annal. lib. 6. *neque penes Arsacidem imperium, sed inane nomen apud imbellem externa mollitia.* Senec. de clem. 9. *tantum agmen nobilium, non inania nomina præferentium.* Pichena.

6 *Esse sibi robur peditum equitumque, consanguineos Germanos*] Liber regius, *& sibi robur peditum equitumque, consanguineos, Gallias idem cupientes. Esse*, subauditur, & in accusativo *consanguineos*, subauditur *Germanos*. Rhenanus.

7 *Ne Romanis quidem ingratum id bellum*] Hic pro Romanis intelligendi sunt Vitellianorum militum in Germania duces. quos ait, ambiguam belli fortunam Vespasiano imputaturos, hoc est, simulaturos se in ejus gratiam, Vitellii vires debilitasse. Supra lib. 2. *Unde metus & ex metu consilium, posse imputari Vespasiano, quæ apud Vitellium excusanda erant.* Pichena. Immo Flavianis & melioribus omnium Romanorum, quos erat credibile Vespasianum

*gratum id bellum, cujus ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos:* [1] *victoriæ rationem non reddi.* Magno cum assensu auditus, barbaro ritu, & patriis exsecrationibus, universos adigit. [2] Missi ad Caninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem insulæ colit, origine, lingua, virtute, par Batavis: numero superantur. Mox occultis nuntiis, pellexit Britannica auxilia, [3] Batavorum cohortes, missas in Germaniam, [4] ut supra rettulimus, ac tum Magontiaci agentes. Erat in Caninefatibus, [5] stolidæ audaciæ Brinno, claritate natalium insigni. pater ejus multa hostilia ausus, Cajanarum expeditionum ludibrium impune spreverat. Igitur ipso rebellis familiæ [6] nomine placuit, impositusque scuto, more gentis, & sustinentium humeris vibratus, dux deligitur. Statimque [7] accitis Frisiis (transrhenana gens est) [8] duarum cohortium hiberna, [9] proxima occupatu, oceano irrumpit. Nec præviderant impetum hostium milites;

num Vitellio prælaturos, & ideo hos, qui limitem obsidebant, tanquam portionem Vitellianæ factionis impediri proprio negotio, ne creato & subornato ab sese imperatori, si necessum foret, auxilio venire possent, visuros haud invitos. Sic & *imputaturos* profecto Batavos, non Vitellianorum duces, ut putavit optimus Pichena. *Gronovius.*

1 *Victoria rationem reddi*] Auson. Paneg. ad Gratianum: *rationem felicitatis nemo reddit.* Pichena.

2 *Missi ad Caninefates*] Diximus supra, *Cannanefates* ex antiqua inscriptione legendum esse ubique apud Tacitum. *Ursinus.*

3 *Batavorum cohortes*] De quibus actum 1. & 2. hist. *Savilius.* Ipsas Batavorum cohortes *Britannica auxilia* vocat, quod diu in Britannia fuerint cum XIIII. legione; ut supra pluribus locis apparet. Remissas autem in Germaniam dixit hist. lib. 2. *cohortes Batavorum, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissæ, principium interno simul externoque bello parantibus fatis.* Pichena.

4 *Ut supra*] 2. hist. *Savilius.*

5 *Stolida audacia Brenno*] In libro regio, *Brinio*, qui paullo post appellatur *Brimio.* Forte, *Brinno*, quem hodie *Brunonem* dicimus. *Rhenanus.* Curt. lib. 6. *stolida audacia ferox.* Hic autem *Brinio*, à Flor. appellatur *Brinno*, à Veneto, *Brenno.* Pichena.

6 *Nomine placuit*] Sive etiam, *omine.* At *Brinionem* ipsum *Brunonem*, scribi verius fortasse sit. *Lipsius.*

*Impositusque scuto, more gentis*] Mos igitur ille ignotus Romanis, eo quidem ævo. Nam postea irrepsit, sed non nisi cum Barbaris. Galli, Gothi, Franci hunc in cooptando Principe ritum habuerunt: & notavit, atque exemplis firmavit P. Pythœus. Illum vide lib. II. Subsecivor cap. VI. Sed addo, etiam Græcis levationem hanc in scutum usurpatam, inter sollemnia Principatus. Zonaras de Hypatio, qui seditiose contra Justinianum electus, *καὶ ἐπὶ ἀσπίδος αὐτὸν μετάρσιον ἄραντες, ἀνηγόρευσαν βασιλέα: & in scutum sublime eum tollentes, salutant regem.* Nicephorus Gregoras lib. III. de Theodoro Ducæ filio: *Ἀνηγορεύετο δ' ὕστερον βασιλεὺς παρ' ἑκόντων τῶν ὑπηκόων ἁπάντων, καθεσθεὶς ἐπ' ἀσπίδος, κατὰ τὸ ἐν τούτοις ἐπικρατοῦν ἔθος: Dictus autem postea Imperator est à volentibus subjectis, sedens in clypeo juxta morem in hac re receptum.* Curopalates de officiis Aulæ: *Ὁ νέος βασιλεὺς ἐπὶ σκουταρίου καθεσθεὶς ἐπαίρεται εἰς ὕψος: Novus Imperator scuto impositus tollitur in altum.* In Excerptis Georgii Pachymerii lib. II. *Imperatorio clypeo insidet is, qui Imperio destinatur.* Adde, si lubet, Zosimum lib. III. in electione Juliani. *Lipsius.*

*Ipso rebellis familiæ omine placuit. Impositusque scuto*] Verbum *placuit* erasimus. nam integra est sententia si sic distinguas, *ipso rebellis fam. omine, impositusque scuto, more gentis, & sustinentium,* &c. Expone *impositusque scuto. Que,* id est non solum *impositus scuto: &,* id est, verum etiam, *sustinentium* humeris vibratus, dux deligitur. nam video quid illi imposuerit, qui verbum *placuit* hic infulsit. *Rhenanus.* Non male etiam Venetus, & alii, *omine.* tamen vulgatam lectionem, *nomine*, antefero. *Pichena.* Ex hoc more nata illa loquendi ratio, quæ in Fastis Germanorum & Annalibus medio ævo scriptis, toties offertur: *Levatus est Princeps, Comes, Imperator.* Idem est, quod creatus. *Boxhornius.*

7 *Accitis Frisiis*] De moribus Germ. *Savilius.*

8 *Duarum cohortium hiberna*] Nullis enim legionum præsidiis occupata erat insula, sed quasdam tantum acceperat cohortes. *Savilius.*

9 *Proximo occupato oceano*] Legam, *proxima occupatu, oceano irrumpit.* hac mente: ut Brinio duarum cohortium castra quæ finitima Caninefatibus, per oceanum irruperit. Et accedit, quod in Flor. est, *Proxima occupata.* Lipsius.

*Proxima occupatu, oceano irrumpit*] Ita Lipsius correxit, & distinxit. Vere, nam Flor. fere congruit, qui habet, *proxima occupata.* Confuse in vulgatis: *proximo occupato oceano, irrumpit.* Pichena. Non invitus cum Lipsio legerim, *hiberna proxima occupatu, oceano irrumpit:* sed aliquanto libentius, addita particula: *hiberna, qua proxima occupatu, oceano irrumpit.* aptiore sententia. Qua proxime occupari poterant, per oceanum irrumpit. Sed & verbum *accitis* mihi suspectum. imperiosum enim illud. nec obnoxii credo Frisii Caninefatibus.

*adscitis*

milites; nec si prævidissent, satis virium ad arcendum erat. Capta igitur & direpta castra; dein vagos & pacis modo effusos lixas, negotiatoresque Romanos, invadunt. Simul excidiis castellorum imminebant: quæ à præfectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant. Signa vexillaque, & quod militum, [1] in superiorem insulæ partem congregantur, duce Aquilio primipilari, nomen magis exercitus, quam robur. [2] Quippe viribus cohortium abductis, Vitellius è proximis Nerviorum Germanorumque pagis, segnem numerum armis oneraverat. Civilis dolo grassandum 16
ratus, incusavit ultro præfectos, *quod castella deseruissent. Se cum cohorte cui præerat, Caninefatem* [3] *tumultum compressurum: illi sua quisque hiberna repeterent.* Subesse fraudem consilio, & dispersas cohortes facilius opprimi, [4] nec Brinnonem ducem ejus belli, sed Civilem esse patuit; erumpentibus paulatim indiciis, quæ Germani, læta bello gens, non diu occultaverant. Ubi insidiæ parum cessere, ad vim transgressus, Caninefates, Frisios, Batavos propriis cuneis componit. [5] directa ex diverso acies, haud procul a flumine Rheno, & obversis in hostem navibus, [6] quas incensis castellis illuc appulerant. nec diu certato, Tungrorum cohors signa ad Civilem transtulit: perculsique milites improvisa proditione, a sociis hostibusque cædebantur. Eadem etiam navibus perfidia. Pars remigum e Batavis, tamquam imperitia, officia nautarum propugnatorumque impediebant. mox contra tendere, & puppes hostili ripæ objicere. ad postremum gubernatores centurionesque, nisi eadem volentis, trucidant, donec universa quatuor & viginti navium classis, transfugeret, aut caperetur. Clara ea victoria in præsens, in posterum usui: armaque & naves, quibus in- 17
digebant, adepti, magna per Germanias Galliasque fama, *libertatis auctores* celebrabantur. Germaniæ statim misere legatos, auxilia offerentes. Galliarum societatem Civilis arte donisque affectabat, captos cohortium præfectos suas in civitates remittendo: cohortibus abire an manere mallent data potestate. manentibus, honorata militia; digredientibus, spolia Romanorum offerebantur. Simul, secretis sermonibus, admonebat *malorum, quæ tot annis perpessi, miseram servitutem falso pacem vocarent. Batavos, quamquam tributorum expertes* [7] *arma contra communes dominos cepisse.*

*adscitis* substituerim: ut adjunctos & sociatos dicat. *Acidalius.*

1 *In superiorem insulæ partem*] Ita nos; alii *in superiore ins. parte.* Rhenanus. Propius *Vetera*, duabus infessa legionibus, *quinta & quintadecima.* Savilius.

2 *Viribus cohortium abductis*] Bona & fida lectio è libris. Frustra Rhenanus è Budensi admutilato codice turbat, miscet. Vitellius quidem non cohortes ipsas aut legiones omnes è Germania abduxit: sed illis manentibus nomine & specie, valentissimum quemque militem subtraxit. id est, vires cohortium abduxit, ut hic ait. *Lipsius.*

*Quippe viribus cohortis adductis*] Duæ voces, *Quippe viribus*, non sunt in libro Corvini regis, ubi tantum legitur, *nomen magis exercitus quam robur, cohortium abductis Vitellius.* Unde erui lectionem, *nomen magis exercitus quam robur, cohortibus abductis, Vitellius è proximis Nerviorum* &c. *Rhenanus.*

3 *Tumultum oppressurum*] In Corvini lib. *compressurum.* nec semper obscœnam significationem hoc verbum habet, quæ res castigatorem movit, ut mutaret. Sic lib. Ann. 1. *Diffideat interim miles, neque duorum adolescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat.* Item lib. seq. *Sub eo bellum ortum, & comprimere cœptantem Gessium Gallum Syriæ legatum* &c. *Idem.*

4 *Nec Brennonem*] In Corvini regis libro, *Brinnonem.* Idem.

5 *Directa ex diverso acies*] Legendum puto, *acie.* Nam sequitur, *& obversis navibus.* Pichena.

6 *Quas incensis castellis*] Castigavi, *quasi incensis* &c. *Rhenanus.* Danesius legebat: *Quasi incensis.* Ursinus.

7 *Arma contra communes dominos*] Id est, Romanos. Eadem loquendi forma Modestinus in Pandectarum tractatu, Romam *communem patriam* dixit. nam Antoninus lege lata sanxerat, ut qui imperio Romano subditi essent, cives Romani fierent: quæ causa fuit, ut Romani cives facti, Romam communem omnium patriam agnoscerent. Quare Plin. 3, 5. Italiam *unam cunctarum gentium in toto orbe patriam* appellat. Itaque Tacit. *communes dominos* Romanos vocat, quod Frisiis, Batavis, Caninefatibus, Gallis & Germanorum nonnullis imperarent.

*se. prima acie, fusum victumque Romanum: quid si Galliæ jugum exuant? quantum in Italia reliquum? provinciarum sanguine, provincias vinci. ne Vindicis aciem cogitarent: Batavo equite protritos Æduos Arvernosque. fuisse inter Verginii auxilia Belgas: vereque reputantibus, Galliam suismet viribus concidisse. Nunc easdem omnium partes, addito si quid militaris disciplinæ in castris Romanorum viguerit. esse secum veteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint. Servirent Syria, Asiaque, & suetus regibus Oriens:* [1] *multos adhuc in Gallia vivere* [2] *ante tributa genitos. Nuper certe, cæso Quintilio Varo, pulsam è Germania servitutem. Nec Vitellium principem, sed Cæsarem Augustum bello provocatum. Libertatem natura, etiam* [3] *mutis animalibus, datam. Virtutem proprium* [4] *hominum bonum. Deos fortioribus adesse. Proinde arriperent vacui occupatos; integri fes-*
18 *sos. dum alii Vespasianum, alii Vitellium foveant, patere locum adversus utrumque.* Sic in Gallias Germaniasque intentus, si destinata provenissent, validissimarum ditissimarumque nationum regno imminebat. At Flaccus Hordeonius primos Civilis conatus per dissimulationem aluit: ubi *expugnata* [5] *castra, deletas cohortes, pulsum Batavorum insula Romanum nomen*, trepidi nuntii afferebant; [6] Mumium Lupercum legatum (is duarum legionum hibernis præerat) *egredi adversus hostem* jubet. Lupercus [7] legionarios e præsentibus; Ubios e proximis; Treverorum equites, haud longe agentes, raptim transmisit: addita Batavorum ala, quæ jam pridem corrupta, fidem simulabat, ut proditis in ipsa acie Romanis, majore [8] pretio fugeret. Civilis captarum cohortium signis circumdatus, ut suo militi recens gloria ante oculos, & hostes memoria cladis terrerentur; matrem suam sororesque, simul omnium conjuges par-

peratent. Sic Just. lib. 5. ait Lysiam Syracusanum quingentos milites suis stipendiis in auxilium patriæ communis eloquentiæ misisse. *Lupanus.*

1 *Multos adhuc in Gallia*] Caute vide legas. Si enim de prima servitute & stipendio quod Cæsar imposuit, capis: capieris. quomodo enim vera hæc adsertio, cum ab eo tempore ad hunc diem, anni sint inter fere cxx? nec tam vitales, ut opinor, tunc nostri Galli. Sed ad Augustum ejusque ævum id referri verius erit: qui censum tributumque instituit, quod penderent Galli. idque in consulatu suo septimo. Ad quam rationem nihil absurdi aut vani in hac oratione Civilis. *Lipsius.*

2 *Genitos ante tributa*] Tributis origo annis fere centum viginti ante, ut Gallia tum aluisse videatur homines senii provectissimi. *Savilius.*

3 *Mutis animalibus*] Non muto vocem, *mutis*: sed suspicione *brutis*, in libris scriptis fuisse conjicio, unde *mutis* exscriptum, cum debuerit forte *brutis*. Acidalius. Quasi non *muta* eadem, quæ bruta, & quidem elegantius. Vide ad Senecam epist. 90. *Gronovius.*

4 *Hominis bonum*] In libro Corvini regis, *hominum*. Rhenanus. Vide ad 3. 11.

5 *Castra*] Scil. legionum. *Savilius.*

6 *Mummium Lupercum*] Non sine veri specie dicere liceat, Vitellium legiones admodum reliquisse imminutas, fere dimidia parte detracta (utraque enim hæc legio vix quinque armatorum millia complectitur) sed & ducibus destitutas, uno legato, qui duabus præesset legionibus, relicto: & tamen quasi se corrigeret, alium lectori tanquam ex machina obtrudit, scil. Numisium Rufum. Quem ut Vetera venisse nulla nobis ratione constat, ita longe absurdius alio extra Vetera loco constituitur. Si ab initio ibi constituit, cur Tacitus scribit, Lupercus solus *duarum legionum hibernis præerat?* Si non, cur & quando eo se recepit? & præsertim cur & quando discessit? Sed hæc Germanici belli descriptio in paucis quibusdam negligentiæ notanda est, (si quid video) sparsim indicandæ, ubi se res dabit. Maximam partem explent & explanant capitum argumenta, & in textu Anglico quandoque à me recepta vocula una & altera, ut instituta librorum collatio docebit. *Savilius.*

7 *Legionarios è præsentibus*] Militia *in præsenti* & milites *præsentes* dicebantur, qui in comitatu principis agebant. Unde Magistri militum *in præsenti* vel *præsentales*. Quod explicat Guidus Pancirollus in Notitia Imperii Orientalis cap. 31. At quod ipse autumat, apud Tacitum, *legionarios è præsentibus*, ad hunc militiæ ritum referri, alii judicent. Ego crediderim, simpliciter intelligendum de militibus, qui aderant, ad differentiam Ubiorum, qui in proximo, & Treverorum, qui longius degebant. Sic hist. 2. *Missus est in locum ejus Vectius Bolanus è præsentibus.* & Sallust. in Jug. *Marius cum Ligure promissa ejus cognitum, ex præsentibus misit.* Pichena.

8 *Pretio fugeret*] In libro Corvini regis, *fungeretur*. Rhenanus.

1 No.

parvosque liberos, consistere a tergo jubet: hortamenta victoriæ, vel pulsis pudorem. Ut virorum cantu, feminarum ululatu, sonuit acies; [1] nequaquam par a legionibus, cohortibusque redditur clamor. Nudaverat sinistrum cornu Batavorum ala transfugiens, statimque in nos versa. sed legionarius miles, quamquam rebus trepidis, arma ordinesque retinebat. Ubiorum Treverorumque auxilia, fœda fuga dispersa, totis campis palantur. Illuc incubuere Germani. Et fuit interim effugium legionibus in castra, quibus *Veterum* nomen est. Præfectus alæ Batavorum, Claudius Labeo, oppidano certamine æmulus Civili, ne interfectus invidiam apud populares, vel si retineretur, semina discordiæ præberet, [2] in Frisios avehitur. Iisdem 19
diebus [3] Batavorum & Caninefatium cohortes, cum jussu Vitellii in urbem pergerent, missus à Civile nuntius assequitur. Intumuere statim superbia ferociaque, & *pretium itineris, donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum*, promissa sane à Vitellio, postulabant, non ut assequerentur, sed caussam seditioni. Et Flaccus multa concedendo, nihil aliud effecerat, quam ut acrius exposcerent, quæ sciebant negaturum. Spreto Flacco, inferiorem Germaniam petivere, ut Civili jungerentur. Hordeonius, adhibitis tribunis centurionibusque, consultavit, *num obsequium abnuentes vi coërceret*. Mox insita ignavia, & trepidis ministris, quos ambiguus auxiliorum animus, & [4] subito delectu suppletæ legiones angebant, statuit continere intra castra militem. Dein pœnitentia, & arguentibus ipsis qui suaserant, tamquam secuturus, scripsit Herennio Gallo, legionis primæ legato, qui Bonnam obtinebat, ut *arceret transitu Batavos: se cum exercitu, tergis eorum hæsurum*. Et opprimi poterant, si hinc Hordeonius, inde Gallus, motis utrimque copiis medios clausissent. Flaccus omisit inceptum, aliisque litteris Gallum monuit, [5] ne terreret abeuntes. Unde suspicio, sponte legatorum [6] excitari bellum: cunctaque quæ acciderant, aut metuebantur, non inertia militis, neque hostium vi, [7] sed fraude ducum evenire. Batavi, 20
cum castris Bonnensibus propinquarent, præmisere qui Herennio Gallo [8] mandata cohor-

1 *Nequaquam par*] Quod valde Romani observabant, & velut omen habebant eventus. Appianus in Parthicis: *Crassus jussis eos clamorem tollere in quo maxime militum mæstitia deprehensa est, exilem & dissonum clamorem edentium. Contra, à Barbaris clarus & fortis est redditus.* Lipsius.

2 *In Frisios a vehitur*] Nos, *advehitur*. Rhenanus.

3 *Batavorum & Caninefatum cohortes*] Hæ sunt illæ *octo cohortes Batavorum quarta decima legionis auxilia*, toties primo & secundo Hist. lib. obviæ, & nunc ad Magontiacum relictæ, quo Civilis clam submissis nuntiis ad defectionem eas sollicitabat, ut ex hoc libro cognoscimus. Et quanquam nulli ante expressum Caninefatum nomen est, probat hic locus, ex mixtis illas octo cohortes duabus gentibus coiisse, sumpto à Batavis nomine, velut parte principaliori quos & potentia atque exinde celebritas reddiderat notissimos. Sane Caninefates Batavorum pars erant, juncti insula, lingua & origine, ut paulo ante ostendit. Atque hæc fortassis causa est, cur in lib. de morib. Germ. solos nominet Batavos, aut quod cæteros commune nomen designet, aut quod propria appellatione indigni essent. *Savilius.*

4 *Subito delectu suppleta legiones*] Magontiaci tum duas habuit legiones Hordeonius, quartam & duodevicesimam, alias duo & vicesimam. *Savilius.*

5 *Ne terreret abeuntes*] Ita Flor. & Ven. Vulgo, *ne teneret*. Pichena. Mihi potior lectio, *ne teneret abeuntes*. Ita supra H. 4, 13. *retentare legiones*. Freinshemius.

6 *Excitari bellum: quin cuncta qua acciderant*] Cod. Bud. *Qui cuncta qua acciderant*. Castigavi, *Quin cuncta qua* &c. *Rhenanus*. Flor. & Ven. *excitari bellum, cunctaque qua acciderant*. Sed nihil mutavi. *Pichena*. Atqui non potest credi Tacitum securius mutari ex codice Budensi corrupto, quam ex integerrimo vetustatis documento & lectione politissima codicis Medicei. Unde hunc omnibus præponens etiam loquelam auctoris inde restitui, sequutus Beroaldum, unde per vanitatem discessit Rhenanus. *Jac. Gronovius.*

7 *Fraude ducum evenire*] Vocem sustuli, *metuebantur*, auctore Vaticano. quæ perperam hic inserta, & de priore linea repetita. *Lipsius.*

*Sed fraude ducum evenire*] Addidi verbum, *metuebantur*. *Sed fraude metuebantur evenire*. Mox *nos exponeret*. Rhenanus.

8 *Mandata cohortium exponerent*] Potuerunt plu-



res

cohortium exponerent: *Nullum sibi bellum adversus Romanos, pro quibus totiens bellas-sent. Longa atque irrita militia fessis, patriæ atque otii cupidinem esse. Si nemo obsisteret, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros.* Cunctantem legatum milites perpulerant, *fortunam prœlii experiretur.* [1] Tria millia legionariorum, & tumultuariæ Belgarum cohortes, simul paganorum [2] lixarumque ignavia, sed procax ante periculum manus, omnibus portis erumpunt, [3] ut Batavos numero impares circumfundant. [4] Illi veteres militiæ, in cuneos congregantur, densi undique, & frontem tergaque ac latus tuti. Sic tenuem nostrorum aciem perfringunt. Cedentibus Belgis, pellitur legio, & vallum portasque trepidi petebant. Ibi plurimum cladis. cumulatæ corporibus fossæ. nec cæde tantum & vulneribus, sed ruina, & suis plerique telis interiere. Victores, colonia Agrippinensium vitata, nihil cetero in itinere hostile ausi, Bonnense prœlium excusabant; tamquam petita pace, postquam nega-
21 batur, sibimet ipsi consuluissent. Civilis adventu veteranarum cohortium, justi jam exercitus ductor, sed consilii ambiguus, & vim Romanam reputans, cunctos qui aderant, in verba Vespasiani adigit. Mittitque legatos ad duas legiones, quæ priore acie pulsæ, in Vetera castra concesserant, *ut idem sacramentum acciperent.* Redditur responsum, *neque proditoris, neque [5] hostium se consiliis uti. Esse sibi Vitellium principem, pro quo fidem & arma usque ad supremum spiritum retenturos. proinde [6] perfuga Batavus [7] arbitrum rerum Romanarum ne ageret, sed meritas sceleris pœnas exspectaret.* [1] Quæ

res mitti. Sed ex illis si unus verba faceret, non credimus bene rem peractum iri. Certe in Mediceo legitur *exponeret.* Jac. Gronovius.

1 *Tria millia legionariorum*] Cum integra legio constet 6000. aut minimum 5000. millibus armatorum. *Savilius.*

2 *Lixarumque ignavia*] Reposui, *ignava.* Rhenanus.

3 *Ut Batavos numero impares circumfundant*] Regium vol. habet, *circumdant.* Malim, *& Batavos numero impares circumdant.* Rhenanus. Tale quid si fuit in MS. Mediceo, evasit oculos meos, ut etiam Pichenæ & omnium, qui inspexerunt. De quo ut nihil adfirmo, sic quod in codice Budensi profertur, an non prave administratur ab Rhenano? quum lateat, *ut Batavos numero impares circumeant.* Nihil mollius hoc remedio, ut cap. 34. ubi etiam ille interpolatus codex scribitur habere *circumveniri.* Jac. Gronovius.

4 *Illi veteres militia*] Ipsa est Taciti phrasis, & egregia restitutio Florentino codici debetur, atque industriæ Pichenæ. *Lipsius.*

*Illi veteris militia memores in cuneis congregantur*] In regio volumine est, *illi veteris militia inciviles congregantur.* Legerim: *Illi veteris militia vi habiles, congregantur.* Rhenanus. Pulcherrima phrasis ac Tacito familiaris, hic perierat, nisi ab optimo Flor. restituta fuisset. ut alia multa. Nam qui vim ejus non perceperant, vocem inseruerunt; *Illi veteris militia memores.* Quod inepte dictum, non fallet attentum lectorem. Quid enim sibi vult, Batavos veteris militiæ memores? an illius militiæ tantum, quam tirones olim didicerant? potius dixisset, *diuturna militia.* Verius ergo reposuimus, *veteres militia.* & ex eodem Fl. *in cuneos.* pro, *in cuneis,* ut in vulgatis. Ejusdem phrasis plura exempla in Tac. Ann. l. 5. *vetus operis ac laboris.* l. 6. *scientia cærimoniarumque vetus.* & eod. l. *vetus regnandi.* Est etiam similis locus apud Symmachum, qui lib. 9. ep. 33. Cornelium fortasse imitatus, ait: *securus vita, & militia vetus, nunquam refugit examen superiorum.* ita enim in antiquis exemplaribus. at in recentioribus est depravatio eadem, *militia veteris.* Postremo præter Florentini auctoritatem adjicimus in hoc Taciti loco firmando, Vaticani fidem, teste Juliano Medice, qui illum, me rogante, inspexit. *Pichena.* Lego, *in cuneos.* Acidalius. Liber editionis Venetæ, *Illi veteris militia memores in cuneis* &c. sed non etiam ille, qui omnium primum publicatus Romæ, opera Joannis Spirensis, statim ab inventa arte typographica: in eo enim, *illi veteres militia, in cuneis.* Nihil sincerius, & vel ob hujus unius loci productionem, multum debebat Taciti cultor religiosæ curæ Curtii Pichenæ. Erueram id ego quidem ante aliquot annorum lustra ex codice illo nostro exoleto; sed nullo item subnitebar teste omni exceptione majore; qualis nunc est ille librariæ Florentinæ. *Gruterus.*

5 *Hostium se consiliis uti*] Nos, *hostium consiliis usi se.* Rhenanus.

6 *Perfugus Batavus*] Castigavi, *perfuga Batavus.* Rhenanus.

7 *Arbitrum rerum Rom. ne ageret*] Ergo etiam Ryckius perinde ut ante Pichena & Beroaldus, fastidit id quod ex MS. Mediceo notavi *arbitrium,* quod longe mihi videtur opportunius vel ex ipsa loquutionis natura vel ad præsentem historiam,
quæ

[1] Quæ ubi relata Civili, incensus ira, universam Batavorum gentem in arma rapit. Junguntur Bructeri Tencterique, & excita nuntiis Germania, ad prædam famamque. Adversus has belli concurrentis minas, legati legionum, Mumius Lupercus, 22
& [2] Numisius Rufus, [3] vallum murosque firmabant. [4] subversa longæ pacis opera, haud procul castris in modum municipii exstructa, ne hostibus usui forent. [5] Sed parum provisum, ut copiæ in castra conveherentur: rapi permisere. Ita paucis diebus per licentiam absumpta sunt, quæ adversus necessitates in longum suffecissent. Civilis medium agmen cum robore Batavorum obtinens, [6] utramque Rheni ripam, quo truculentior visu foret, Germanorum catervis complet, assultante per campos equite. Simul naves in adversum amnem agebantur. Hinc [7] veteranarum cohortium signa,

quæ non tam de arbitro rerum Rom. scribit, sed de eo qui duabus legionibus quid tentat suadere, atque ita vix exiguam earum partem tangit. Sed ita facit, ut sic omnia comprehendantur. Vellejus Paterc. 2, 50. *Intempestive principalium armorum arbitria captans Massilia.* Jac. Gronovius.

1 *Quippe ubi relata Civili*] Emendavi, *quæ ubi relata Civili.* Mox accusativus, *universam*, non est in libro manuscr. *Rhenanus.*

2 *Numisius Rufus*] Μνημονικὸν ἁμάρτημα, nam solus Lupercus *duarum legionum hibernis præerat.* Numisium quoque ad Vetera non fuisse, sed decimæ sextæ potius legionis legatum, cui castra ad Novesium, alia facile ex Tacito loca probaverint. *Savil.*

3 *Vallum murosque firmabant*] Hiberna enim legionum, postremis temporibus urbium instar muniri cœperunt. *Idem.*

4 *Longæ pacis opera*] Id est Procestria, & quæ ædificari ante castra solent, usibus lixarum aut adventorum. Me vide Milit. v. Dial. 1. *Lipsius.*

*Subversa longa pacis opera, haud procul castris in modum municipii exstructa*] Hunc locum illustravit Lipsius de mil. Rom. lib. 5. dial. 1. docens, fuisse Romanis consuetudinem extra ipsa hiberna seu stativa, adnectere aliqua ædificia, quæ *Procestria* appellabantur, ut in iis reciperentur lixæ, mercatores, aliique pagani, qui castra sequebantur. eos enim Romani militibus non miscebant. Ipsum vide. Quin etiam ignominiæ loco, extra vallum tendere milites cogebantur. Tac. lib. 13. *milites que tendere omnes extra vallum jussit. inque ea contumelia detenti, nec nisi precibus universi exercitus exsoluti sunt.* Livius lib. 10. *Cohortes, quæ signa amiserant, extra vallum sine tentoriis destitutas invenit.* Frontinus lib. 4. *Otacilius Crassus Consul eos, qui ab Hannibale sub jugum missi redierant, tendere extra vallum jussit.* Pichena.

5 *Sed parum provisum, ut*] Itane in litteræ unius salebra viri docti hæserint? Nam, *ni*, antea legebatur, non, *ut*, velut nos emendavimus. Itaque consensu Vertranius & Rhenanus corrigunt, *sed parvum provisum, ni copiæ.* & provisum interpretantur commeatum, annonam. Ludibria. Nostra sententia clara. Peccatum, inquit, in eo à ducibus, quod dum ædificia pro castris diruuntur, commeatum aliaque tolerandæ obsidioni diripi permisere, potius quam ut in castra convehereent ad usum. *Lipsius.*

*Sed parum provisum, ni copia* &c.] Scribendum meo judicio, *sed parvum visum, ni copia* &c. nam accusandi casu dictum est hic *provisum*, à vocabulo *provisus, us, ui*, quartæ inflexionis. Sic lib. 16. *dispositu provisuque civilium rerum peritus.* Rhenanus. Danesius legebat, *sed parvum provisum, ut copia* &c. *Ursinus.* Diruunt ædificia, quæ castris adjacebant, ne inde facilius oppugnarentur: sed nihil ea re aut parum promoverunt non vectis in castris commeatibus, qui ibidem erant; *rapi permisere.* Nam inde fames & deditio, *virgulta postremo & stirpes, & internatas saxis herbas vellentes miseriarum patientiæque documentum fuere, donec egregiam laudem fine turpi macularent.* Doctiss. Vir. *sed parum provisum ut copia.* Sed vulgata (ut vides) exsibilanda non sunt. *Salinerius.*

6 *Utramque Rheni ripam*] Vox, *utramque*, Budensi abest. Et vero cur utramque ripam milite compleverit, cum hæc in altera gesta? Inducatur igitur id verbi, aut rescribatur, *utrimque.* Id enim veri speciem habet, supra infraque castra militem locatum ad obsessorum terrorem. *Lipsius.*

*Utramque Rheni ripam*] Accusativus *utramque* non est in libro manuscripto. *Rhenanus.* Manuscripto deest *utramque*, & hic superfluit. *Vertranius.* Lipsius vocem, *utramque*, tollendam censet, quæ à Bud. codice abest, aut pro ea rescribendum, *utrinque.* At vulgatam Flor. & alii veteres confirmant. nec mirum videri debet, Civilem, qui militibus abundabat, navesque habebat, ad eos hinc inde absque ullo periculo traducendos, in utraque ripa catervas suas explicavisse, ad speciem & terrorem, ac fortasse ad commeatum pro tanta multitudine facilius parandum. Romani enim suam ripam tunc non custodiebant, quippe obsessi. *Pichena.* Non delenda vox *utramque* (deleri & Muretus voluit) sed rescribenda *utrinque* quod Lipsius ambigue censuit, sed ambigendi nulla causa. Ab utroque latere statuerat sibi Germanos, & id juxta omnem istam Rheni ripam. *Acidalius.*

7 *Veteranarum cohortium signa*] Batavos scil. *Savilius.*

ſigna, inde depromptæ [1] ſilvis luciſque ferarum imagines, ut cuique genti inire prœlium mos eſt, [2] mixta belli civilis externique facie obſtupefecerant obſeſſos. & ſpem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus ſitum, vix [3] quinque millia armatorum Romanorum tuebantur. Sed lixarum multitudo, turbata pa-
23 ce illuc congregata, & bello miniſtra aderat. Pars caſtrorum, [4] in collem leniter aſſurgens, pars æquo adibatur. quippe illis hibernis, obſideri premique Germanias Auguſtus crediderat: neque unquam id malorum, ut oppugnatum ultro legiones noſtras venirent. Inde non loco, neque munimentis labor additus: vis & arma ſatis placebant. Batavi, Tranſrhenanique, quo diſcreta virtus manifeſtius ſpectaretur, [5] ſibi quæque gens conſiſtunt, eminus laceſſentes. Poſt ubi pleraque telorum turribus pinniſque mœnium [6] irrita hærebant, & deſuper ſaxis vulnerabantur; clamore atque impetu, invaſere vallum, oppoſitis plerique ſcalis, alii [7] per teſtudinem ſuorum. ſcandebantque jam quidam, cum gladiis & armorum incuſſu præcipitati, fudibus & pilis obruuntur, præferoces initio, & rebus ſecundis nimii. Sed tum prædæ cupidine, adverſa quoque tolerabant. Machinas etiam, inſolitum ſibi, auſi. nec ulla ipſis ſolertia. perfugæ captivique docebant [8] ſtruere materias [9] in modum pontis,

1 *Silvis luciſque*] Sic libri noſtri, non *jugiſque*. Enimvero in ſacris Germanorum lucis ferina iſta ſigna. Tacitus de moribus gentis: *Effigieſque & ſigna quadam detracta lucis in prælium ferunt.* Lipſius.

*Silvis luciſque*] Edit. prima, *luciſve*, non male. *Gruterus.*

2 *Juxta belli civilis*] Puto germanum eſſe. Romanus tamen codex, itemque Flor. *mixta belli civilis.* non item male. *Lipſius.*

*Juſta belli civilis externique facie*] Scripſimus *juxta*, ut ſit adverbium ſimilitudinis pro æque, quod tamen *juſta* ſcribunt. Sic lib. Ann. 1. *Nam in pace cauſas & merita ſpectari; ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios juxta cadere.* Rhenanus. Probavi vocem, *mixta*, ex Floren. nam vulgo, *juxta*. Quod autem ait de belli civilis externique facie, reſpicit antecedentia verba. nam veteranæ cohortes Batavorum, quæ in eo exercitu erant cum ſignis ad Romanum morem, ſpeciem belli civilis præ ſe ferebant: contra, imagines ferarum, externum bellum repræſentabant. *Pichena.* Amplectenda Florentina, quam & ſervat princeps edit. hoc poſitu, *belli civilis externique mixta facie* &c. *Gruterus.*

3 *Quinque millia armatorum Romanorum tuebantur*] Difficilis locus eſt. Cod. Bud. habet, v. *millia armatorum tuebantur.* Igitur genitivus *Romanorum* ſuppoſititius videtur. Ut paucis dicam mentem meam, divino ſic legendum: *Quod duabus legionibus, tum vix quinque millium armatorum, tuebantur.* *Quod* ſcil. vallum, *tuebantur*, ſcil. Romani, *duabus legionibus, tum vix quinque millium armatorum.* Id eſt, quæ duæ legiones vix quinque militum armatorum erant, hoc eſt, vix continebant quinque millia armatorum. *Rhenanus.* Divinatio Beati mirum in modum placet, ut legam, *quod duabus legionibus, tum vix quinque millium armatorum, tuebantur.* Vertranius. Daneſius legebat; *Tum vix quinque millia armatorum tuebantur*, &c. in vulgatis enim libris deeſt illud *tum*. Urſinus. Exturbavit Rhenanus vocem, *Romanorum*. quia à ſuo codice aberat. Sed ego Florent. auctore reſtitui. Dixit enim Tacitus *Romanorum*, ut à quinque millium ſumma excluderet ſervos, lixas, atque id genus hominum. *Pichena.* Mirifice hic ſe vexat Rhenanus, dum non revocat ſibi in memoriam verbi *ſitum* ſignificationem peculiarem, quam ei circumdat auctor noſter, &c. de qua tamen ipſe alibi plura dixit. O memoria, quam ſæpe nobis imponis? *Gruterus.*

4 *In collem leniter aſſurgens*] Percepto in MS. Mediceo legi *exurgens*, non debuit hoc agere Ryckius, ut fateretur utrumque dixiſſe; ſed quid videatur proclivius ab Tacito veniſſe. Ille autem dixit jam 2. hiſtor. 14. *Ut pars claſſicorum mixtis paganis in colles exurgeret.* Jac. Gronovius.

5 *Sibi quæque gens conſiſtunt*] Lego, *Simul quæque gens* &c. nam ſupra quoque librarius quodam loco *ſibi* ſcripſit pro *ſimul*. quemadmodum ante monui. Mox non eſt in volumine manuſcr. *appoſitis plerique ſcalis.* Rhenanus.

6 *Irrita herebant*] Satisfacit magis quod extat in Vaticano & refert edit. princeps *irrita pendebant.* quod mutarunt homines vocis iſtius ignariores. *Gruterus.*

7 *Per teſtudinem ſuorum*] Explico in Poliorceticis, lib. 1. Dial. v. *Lipſius.*

*Per teſtudinem ſuorum. Scandebantque jam quidam*] Sic melius diſtinxi, indicante Flor. qui habet, *ſcandebantque.* Antea minus apte: *invaſere vallum. Appoſitis plerique ſcalis, alii per teſt. ſuorum, ſcandebant jam quidam.* Pichena.

8 *Struere machinas*] Caſtigavi, *materias.* Rhenanus.

9 *In*

tis, mox subjectis rotis propellere: ut alii superstantes, tamquam ex aggere prœliarentur; pars intus, occulti muros subruerent. Sed excussa balistis saxa stravere informe opus. & crates vineasque parantibus, adactæ tormentis ardentes hastæ. ultroque ipsi oppugnatores ignibus petebantur: donec desperata vi, verterent consilium ad moras, haud ignari paucorum dierum inesse alimenta, & multum imbellis turbæ. Simul ex inopia proditio, & fluxa servitiorum fides, ac fortuita belli sperabantur. [1] Flaccus 24
interim, cognito castrorum obsidio, & missis per Gallias qui auxilia concirent, [2] lectos e legionibus Dillio Voculæ [3] duodevicesimæ legionis legato tradit, ut quam maximis per ripam itineribus celeraret. [4] Ipse pavidus, invalidus corpore, invisus militibus. neque enim ambigue fremebant, *emissas à Magontiaco Batavorum cohortes, dissimulatos Civilis conatus*, [5] *adsciri in societatem Germanos. non Primi Antonii, neque Muciani ope Vespasianum magis adolevisse.* [6] *aperta odia, armaque palam depelli: fraudem & dolum, obscura, eoque inevitabilia. Civilem stare contra, struere aciem; Hordeonium è cubiculo & lectulo jubere, quidquid hosti conducat. Tot armatas fortissimorum virorum manus,*

9 *In medium pontis*] Vegetius l. 4. c. 7. in descriptione turris ambulatoriæ mentionem facit pontis hisce verbis: *Circa mediam partem accipit pontem factum de duabus trabibus, quem subito prolatum inter turrim murumque constituunt, & per eum egredientes de machina milites occupant muros & in civitatem transeunt.* Tacitus hoc loco per *pontem* intelligere videtur totam machinam ambulatoriæ turris, non solam partem, quam sic Vegetius speciatim vocat. *Savilius.*

1 *Flaccus interim*] Hordeonius Flaccus cum ad Magontiacum, ubi quartæ & octavæ decimæ, alias duo & vicesimæ, legionis hiberna, obsessa Vetera intellexisset, Didium Voculam, legatum octavæ decimæ, alias duo & vicesimæ, præmisit & selectum utriusque legionis robur. Hordeonius relicto ad Magontiacum quod hibernis custodiendis sufficeret, videtur proxime subsecutus & assecutus Voculam Bonnæ, adsitæ fluvio, octo supra Coloniam milliaribus, sexaginta supra Vetera, ut testatur Antoninus in Itinerario & Tac. 5. Ann. & sic pariter Coloniam profecti: ubi instante per rebellionem exercitu, & suadente invaletudine, abdicatam præfecturam, saltem ejus exercitium, in Voculam transtulit, cum illis nihilominus Novesium perrexit, hodie *Nuys* vocant, sexdecim milliarium infra Coloniam distantia, ex Antonini dimensione. Flaccus Novesii substitisse videtur, cæditurque ibidem, ut manifestum, mota per ebrios milites seditione. Sed Vocula cum magna exercitus parte contendit ulterius, ut cœperat, propiusque Vetera, delicto castris loco Geldubæ, quæ ad Rhenum arx est, *ubi ciceris generositas præcipua*: ait Plinius. Et hæc quidem rei penitius explicandæ data, in qua, saltem me judice, non ita perspicue & distincte, ut quidem decuit, narranda auctor noster versatus est. *Savilius.*

2 *Lectos è legionibus*] Exciderat in libris omnibus præpositio è, quam restitui suadente Mureto, imo Tacito ipso, qui infra l. eod. ait, *& lectus in eandem spem è legionibus miles.* Pichena.

3 *Duodevicesimæ legionis legato*] Nos, *duoetvicesimæ legionis legato.* Rhenanus. Libri & historia, *duodevicesimæ.* Male Rhen. Vide quæ notavi l. 1. h. 55. Inferius etiam dixit: *Dein mutati in pœnitentiam primani quartanique & duodevicesimani, Voculam sequuntur.* quod non est mutandum. *Pichena.*

4 *Ipse pavidus torpere*] Quædam editiones, *ipse navibus invalidus corpore.* Forte, *ipse pavidus, invalidus, torpere.* Duplex certe vitium & segnitas huic seni, corporis animique. *Lipsius.*

*Ipse pavidus torpere, invisus militibus*] In Flor. etiam legitur, *ipse navibus, invalidus corpore, invisus* &c. quod Lipsius de aliis libris testatur. Forte legendum: *Ipse pavidus, invalidus corpore* &c. Ait enim paulo infra: *è cubiculo & lectulo.* & statim: *unius senis valetudine.* Pichena. Editi fere, *Ipse navibus invalidus corpore: invisus militibus*, quod ego non spreverim alia distinctione, *ipse. navibus invalidus, corpore invisus militibus.* Cum, inquit, sciret sibi non esse robur navium, cum sciret item odiosum se valetudine militibus, subvenit castris obsessis, qua potuit, per alios, &c. *Gruterus.* Quum ita intelligamus venisse ad nos veterem lectionem, primo sane nihil vetat, quin recipiatur *invalidus corpore*; unde quum absterreantur omnes, vanam hanc gorgo censeo. In priore quum legatur itidem in MSS. *navibus*, reor ostentari *ignavus*. Hoc enim patet ejus vitium: de pavore nihil animadverto. *Jac. Gronovius.*

5 *Adsciri in societatem*] Reposuimus *acciri in societatem.* Rhenanus. Restitui verbum *adsciri*, ex Flor. & Ven. pro *acciri*, ut in vulgatis. Sic infra lib. eod. *neque Antonium Primum adsciri inter comites à Domitiano passus est.* Pichena.

6 *Aperta odia, armaque*] Sallustiana imitatio est: *Hostem adversum deprimere, homini strenuo haud difficile est: occulta pericula neque vitare, neque facere,*

*manus, unius ſenis valetudine regi. Quin potius interfecto* [1] *traditore, fortunam* [2] *virtutemque ſuam malo omine exſolverent.* [3] His inter ſe vocibus inſtinctos, flammavere inſuper allatæ à Veſpaſiano litteræ, quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro concione recitavit: vinctoſque qui attulerant, ad Vitellium miſit. Sic mitigatis animis Bonnam, hiberna primæ legionis, ventum. Infenſior illic miles, culpam cladis in Hordeonium vertebat: *ejus juſſu directam adverſus Batavos aciem, tamquam à Magontiaco legiones ſequerentur: ejuſdem proditione cæſos, nullis ſupervenientibus auxiliis. Ignota hæc ceteris exercitibus, neque imperatori ſuo nuntiari: cum accurſu tot provinciarum, exſtingui repens perfidia potuerit.* Hordeonius [4] exemplaria omnium litterarum, quibus per Gallias Britanniamque & Hiſpanias auxilia orabat, exercitui recitavit: [5] inſtituitque peſſimum facinus, ut [6] epiſtolæ Aquiliferis legionum traderentur, à quis ante militi quam ducibus legebantur. Tum e ſeditioſis unum vinciri jubet, [7] magis uſurpandi juris, quam quia unius culpa foret. [8] Motuſque Bonna exercitus, in coloniam Agrippinenſem; affluentibus auxiliis Gallorum, qui primo rem Romanam enixe juvabant. Mox valeſcentibus Germanis, pleræque [9] civitates adverſum nos arma, ſpe libertatis; &, ſi exuiſſent ſervitium, cupidine imperitandi. Gliſcebat ira-

*bonis in promptu eſt.* Lipſius.

1 *Traditore*] Proditore. *Ferrettus.* Videndum an legi debeat, *proditore.* Urſinus. Video hic corruptorem Italum, & fœcem patrii ſermonis. Latinius enim certe Tacitus *produtore* ſcripſerit. *Acidalius.*

2 *Virtutemque ſuam malo omine exſolverent*] Eſt qui *nomine* hic mutare velit, ob verbum *exſolverent.* Atque ego vel propter hoc ipſum nolim. *Nomen* enim *exſolvere*, non *ſe nomine*, Latine. Ceterum ſententia nequaquam mutationem patitur. Hortabatur liberarent ſe malo iſto omine, quo dux ſibi invalidus, ægrotus, & è lectulo imperium perhiberet. Nam id præceſſerat: *Tot armatas fortiſſimorum virorum manus, unius ſenis valetudine regi.* Acidalius.

3 *Vocibus inſiſtentes*] Alii, *vocibus inſtinctos.* Lipſius.

*His inter ſe vocibus inſiſtentes*] Codex regius, *his inter ſe vocis inſiſtentes.* Forte, *votis.* Rhenanus. Flor. *inſtinctos.* Vulgo, *inſiſtentes.* Sic. l. 2. Ann. *His vocibus inſtinctos exercitus, propria quoque cauſa ſtimulabant.* & in vita Agric. 35. *Inſtinctos ruenteſque ita diſpoſuit.* Livius lib. 5. *divino ſpiritu inſtinctus.* Pichena. Quando in aliis libris *inſtinctos*, ſuſpicari fit, à Tacito ſcriptum *inſtinguentes.* Acidalius. Amplectenda ſcriptura, quam produxit ex MS. Pichena, *vocibus inſtinctos*, utpote quæ item compareat in exemplari Rom. editionum omnium antiquiſſimo. *Gruterus.*

4 *Exemplaria omnium literarum*] In codice regio, *exemplares omnium literarum. Exemplares* ſubauditur literas. *Rhenanus.*

5 *Inſtituitque peſſimum facinus*, &c. *à queis ante militi, quam ducibus legebantur*] Noli mutare *legantur* cum Lipſio. Id innuit, Hordeonium auctorem ejus moris, qui ſemper obtinuerit, quod minime profecto verum. Et inſtituebat ille ſaltem pro tempore, ſui purgandi & extra omnem ſuſpicionem ponendi. Induxit Lipſium, ut hoc ſuſpicaretur, locutio, *inſtituit facinus.* At enim verba non ſic jungenda: ſed ſeparatim capienda, *peſſimum facinus*, tanquam interjectio, quæ Parentheſeos nota circumſcribatur. Quod Tacito non inſolens. Infra hoc lib. *Illuc commeantium centurionum, militumque emebantur animi; ut (flagitium incognitum) Rom. exercitus in externa verba jurarent.* Acidalius.

6 *Epiſtolæ Aquiliferis*] Cur Aquiliferis? quia legendæ nimirum ad Signa: id eſt, in Principiis. Facit omnino ad hunc morem, quod Spartianus in Peſcennio Nigro refert ex epiſtola M. Antonini Imperatoris: *Itaque miſi litteras recitandas ad ſigna.* Lipſius.

7 *Magis uſurpandi juris*] Vaticanum jure ſequor in elegantiſſimo genere dicendi. Nam vulgati ſcilicet, *Cauſſam*, inculcaverant, ſine cauſſa. Priſci autem hac brevitate ſermonis uſi ſæpe. Salluſtius: *Qua poſtquam glorioſa modo neque belli patrandi cognovit.* Livius: *Ea prodendi imperii Romani, tradendæ Annibali victoria eſſe.* Plautus: *Juſjurandum rei ſervandæ, non perdundæ conditum eſt*, Ulpianus: *Siquis evitandi criminis id egit, ut reip. cauſſa abeſſet.* Recte enim ita liber Florentinus. *Idem.*

8 *Motuſque Bonna exercitus*] Aſſumpta prima legione, aut magna ejus parte, ut aliunde patet. *Savilius.*

9 *Civitates adverſum nos armata*] In cod. regio, *adverſum nos arma.* Placet lectio vulgata. nam alioqui verbum *ceperunt*, aut ſimile ſubaudiendum foret. *Rhenanus.* Itaque quod diu cogitarunt alii, Ryckianus codex jam interpolavit, nempe *ſumpſere.* ſed talia neſcit Mediceus, qui etiam tantum habet *arma*, prorſus egregie, nimirum converterunt.

Sed

iracundia legionum, nec terrorem unius militis vincula indiderant. quin idem ille
arguebat ultro *conscientiam ducis: tamquam nuntius inter Civilem Flaccumque, falso
crimine, testis veri opprimeretur*. Conscendit tribunal Vocula, mira constantia, pre-
hensumque militem ac vociferantem *duci ad supplicium* jussit. Et dum mali pavent,
optimus quisque jussis paruere. Exin consensu *ducem Voculam* poscentibus, Flaccus
summam rerum ei permisit. Sed discordes animos multa efferabant, inopia stipen- 26
dii frumentique, & simul [1] delectum tributaque Galliæ aspernantes; Rhenus, [2] in-
cognita illi cælo siccitate, vix navium patiens; arti commeatus: dispositæ per
omnem ripam stationes, quæ Germanos vado arcerent: eademque de caussa minus
frugum, & plures qui consumerent. Apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipsa
aquarum penuria, tamquam nos amnes quoque, & vetera imperii munimenta desere-
rent. quod in pace, *fors*, seu *natura*; tunc [3] *fatum* & *ira dei*, vocabatur. Ingressis
Novesium, tertiadecima legio conjungitur. Additus Voculæ in partem curarum,
Herennius Gallus, legatus: nec ausi [4] ad hostem pergere, loco Gelduba nomen est,
castra fecere. Ibi struenda acie, muniendo vallandoque, & ceteris belli meditamen-
tis militem firmabant. Utque præda [5] ad virtutem accenderetur, in proximos [6] Gu-
gernorum pagos, qui societatem Civilis acceperant, [7] ductus à Vocula exercitus.
Pars cum Herennio Gallo permansit. Forte navem, haud procul castris, frumento 27
gravem, cum per vada hæsisset, Germani in suam ripam trahebant. Non tulit Gal-
lus, misitque subsidio cohortem. [8] Auctus & Germanorum numerus, paulatimque
aggregantibus se auxiliis, acie certatum. Germani, multa cum strage nostrorum,
[9] navem abripiunt. Victi (quod tum in morem verterat) non suam ignaviam, sed
perfidiam legati culpabant. Protractum e tentorio, scissa veste, verberato corpore; *quo
pretio, quibus consciis prodidisset exercitum, dicere* jubent. Redit in [10] Hordeonium invi-
dia. Illum *auctorem sceleris*, hunc *ministrum* vocant: donec exitium minitantibus ex-
territus, *proditionem* & ipse Hordeonio objecit. Vinctusque, adventu demum Vo-
culæ, exsolvitur. Is postera die, auctores seditionis morte affecit. Tanta illi exer-
citui diversitas inerat, licentiæ, patientiæque. Haud dubie gregarius miles, Vitel-
lio fidus: splendidissimus quisque, in Vespasianum proni. inde scelerum ac supplicio-
rum vices, & mixtus obsequio furor: ut contineri non possent, qui puniri poterant.
[11] At Civilem immensis auctibus universa Germania extollebat, societate nobilissimis 28
obsi-

Sed suavissima est hæc taciturnitas. Pichena eandem monstravit 4. ann. 57. *Tandem Cæsar in Campaniam.* 1. hist. 8. *Nec statim pro Galba Verginius.* Unde lectionem fidam & priscam reposui. *Jac. Gronovius.*

1 *Delectum tributaque Galliæ aspernantes*] Et tamen vix decem ante lineis scribit, *affluentibus auxiliis Gallorum, quæ primo rem Rom. enixe juvabant.* Savilius.

2 *Incognita illi cœlo siccitate*] In cod. regio, *incognita cœlo siccitate*; hoc est, illi cœlo Germanico. *Rhenanus.*

3 *Fatum & ira Dei*] Cajus l. 10. ad edictum provinciale, *Vis major, quam Græci Θεῦ βίαν vocant.* Videntur enim auctores quicquid grave, quicquid horriferum mortalibus accidit, divinæ iræ adscribere. cujus rei ex Homero Apollonioque aliquando plura. *Alciatus.*

4 *Ad hostem pergere, loco Gelduba nomen est*] Erit inoffensior cursus orationis, si restituamus, fide Rom. edit. *pergere, loco cui Gelduba nomen est.* Gruterus.

5 *Ad virtutem accenderetur*] Sic Flor. Vulgo, *incenderetur.* Pichena.

6 *Gugernorum pagos*] Sic Cæsar *Helvetiorum pagos* vocat. Hoc annotatum supra lib. 12. in fine & hoc lib. Tacitus Germanorum & Nerviorum ante vocavit. *Lupanus.*

7 *Ductus à Vocula exercitus*] *A* præpositionem erasimus. nam subintelligitur. *Rhenanus.*

8 *Auctus est Germanorum numerus*] Nos, *Auctus & Germanorum numerus. Et* pro *etiam.* Idem.

9 *Navem arripiunt*] Emendavi, *navem abripiunt.* Idem.

10 *Hordeonium*] Qui videtur Novesii relictus. *Savilius.*

11 *At Civilem immensum*] Locum recte ita purgavimus,

obsidum firmata. Ille, ut cuique proximum, *vastari Ubios Treverosque, &* [1] *alia manu Mosam amnem transire* jubet, *ut Menapios & Morinos &* [2] *extrema Galliarum quateret.* Actæ utrobique prædæ; infestius [3] in Ubiis, [4] quod gens Germanicæ originis,

gavimus, cum legeretur *immensis actibus*, vulgo in Covarruviano erat, *auctibus.* in Rodolphi codice, *laudibus.* Quæ omnes externæ & addititiæ voces, pro libito explentium. At mihi Vaticanus ille bonus bene præivir, qui legit, *immensis universa Germ.* Ex quo phrasim facile elicui Tacito & Sallustio notam. Noster lib. III. Annal. *Opumque, quis domus illa immensum viguit, primus accumulator.* Sallustius III. Histor. *Neque jam sustineri poterant, immensum aucto mari, & vento gliscente.* Nec tamen absurde etiam scripseris, *immensum quantum.* Nam Vaticano certe spatium aliquod post eam vocem est, quasi altera desiat. Pichenæ quidem placere video, ex Flor. *immensis auctibus:* quod interpretatur, auctum valde viribus copiisque, à Germanis. Ut quisque volet: at nimia pro re & vero illa locutio sit, *immensa.* Lipsius.

*At Civilem immensis auctibus*] Ita Faernus legebat, non *actibus.* Ursinus. Variant hic libri vet. plerique habent, *actibus.* alii *laudibus* nonnulli & inter eos Flor. *auctibus.* Lipsius nullam ex his vocibus probat. Nos omnino libri nostri lectionem restituendam censuimus, cum bonum efficacemque habeat sensum, nempe, quotidie affluxisse Civili immensa Germanorum auxilia quibus ille auctibus maxime extollebatur. Livius lib. 4. *cujus rei præmium sit in civitate, eam maximis semper auctibus crescere.* Pichena. Attestatur sagaciss. Pichena legi, in Fl. *auctibus*, interpretaturque de auxiliis Germanorum, quæ undique ad Civilem confluebant. Utrumque probo, nam alibi noster: *sed præcipuus, & cum præsenti exitio etiam futuri pavor subita inundatione Tiberis qui immenso auctu.* Et sequentia, *societate nobilissimis obsidum firmata*, aperte exigunt superius de auxiliis auctum fuisse. *Salinerius.* Conjecturam in textum hic transtulit Lipsius uti certam, de qua ipse adhuc dubius. fatetur enim etsi in Vat. nulla earum vocum, quæ in aliis libris aliæ atque aliæ, spatium tamen unius cujuscunque. Itaque ad quærendam eam suspicione nititur. qua nihil hic opus. In promptu enim vera lectio Covarruviani libri, *immensis auctibus.* quemadmodum & Vellejus lib. 2. ait: *Hujus viri* (Pompeji) *fastigium tantis auctibus fortuna extulit.* Neque id Tacitus ait Germaniam totam celebrasse Civilem, & nomen ejus famamque extulisse; sed immensis viribus ipsum auxisse, societate, ut addit, inita, & obsidibus firmata. Sic infra hoc lib. *Civilis societate Agrippinensium auctus, proximas civitates adfectare.* Acidalius.

1 *Alia manu Mosam amnem transiri jubet*] Ita Faernus legebat, pro *transire.* Ursinus. Lego, *transiri.* Acidalius. Aut scribendum, *aliam manum:* aut pro *transire* legendum *transiri.* Freinshemius.

2 *Extrema Galliarum quateret*] Nos, *quaterent.* Rhenanus. Aliter MS. Mediceus. *Jac. Gronovius.*

3 *In Ubiis*] *Agrippina* (uxor Claudii) *quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat. veteranos coloniamque deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius.* lib. 12. Ann. *Savilius.*

4 *Quos genus Germanica*] E Budensi & Romano colligas, *quod gens German.* & statim, *vocarentur.* Lipsius.

*Quos gens Germ. originis ejurata patria R. nomine A. vocarent*] Liber Matthiæ Corvini, *quos gens Germanice orig. ejur. p. Romanorum nomen Agrippinenses vocarentur.* Forte legendum, *quod gens Germanica originis, ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenses vocarentur.* Vel *quod se Germanica originis, ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenses vocarent.* Rhenanus. Faernus legebat: *Romano nomine Agrippinenses vocarent*, non *Romanorum.* Ursinus. Emendavi Florent. & aliis MSS. auctoribus, *Quod gens Germanica originis, ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenses vocarentur.* Male antea. *Pichena.* Lipsius, *Romano:* idem ex aliis libris: *quodgens* &c. *vocarentur.* Priora vere: hoc non item. Taciti ipsa lectio est: *quod gens Germ. originis ejurata patria Romano nomine Agrippinenses se vocarent.* Vocula *se* ut perierit, pereat, si quis non videt. *Acidalius. Quod genus*, id est, quæ gens. Nec Lipsii aut Pichenæ correctione opus. Græcis idem est γένος. Sallust. *Mauri, vanum genus.* Martial. 6. Ep. 60. *Sic leve flavorum valent genus Usipiorum.* Obiter istic etiam emendo, *Si leve.* Subjungit enim: *Ingeniosa tamen Popilli scripta ferentur.* non ut vulgant, *feruntur.* Si enim Usipii, inquit, aliique barbari Italiam occupaverint, tamen immortalia fore Popilii scripta. *Colerus.* Edit. primigenia, *quod Germ. originis, ejurata patria, Romanorum nomen, Agrippinenses vocarentur.* omnia vere & belle, nisi quod sede movendum illud *Romanorum nomen*, glossa videlicet manifestaria superpictaque voci, *Agrippinenses.* quibus Agrippinensibus suum sit nomen, jam alibi dictum Tacito in lib. Annal. *Gruterus.* Hanc suam promptitudinem Gruterus quidem nimis sæpe declaravit; & in hoc loco etiam censuisset sine effectu, absque Ryckio fuisset. Quis credat? quia *Romanorum nomen* in MS. Mediceo etiam fuisse colligit ex contracta scriptura *nom̄* (tanto firmiorem fidei, quod de Budensi idem testetur Rhenanus) ratiocinatur ille probabilem hinc Gruteri sententiam & illas duas voces e glossa vocabuli *Agrippinensium* textui insertas. An hæc illa dexteritas aut Latinitas est, quæ ad Taciti restitutionem adferri debuit, & ad ejus arbitria lacerabitur tam cœleste decus? Immo ex MS. Mediceo colligas licet veritatem,

originis, ejurata patria, Romanorum nomen *Agrippinenses* vocarentur. Cæsæ co-
hortes eorum, [1] in vico Marcoduro, incuriosius agentes, quia [2] procul ripa abe-
rant. Nec quievere Ubii, quominus prædas è Germania peterent primo impune:
dein circumventi sunt, per omne id bellum meliore usi fide quam fortuna. Contu-
sis Ubiis, gravior & successu rerum ferocior Civilis, obsidium legionum urgebat:
intentis custodiis, ne quis occultus nuntius venientis auxilii penetraret. Machinas
molemque operum, Batavis delegat: Transrhenanos *prælium* poscentis, *ad scinden-
dum vallum ire*, *detrusosque redintegrare certamen* jubet: superante multitudine, &
facili damno. [3] nec finem labori nox attulit. Congestis circum lignis, accensisque, 29
simul epulantes, ut quisque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur.
Quippe ipsorum tela, per tenebras vana: Romani conspicuam Barbarorum aciem,
& si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant. Intellectum id Ci-
vili: *&* *restincto igne*, *miscere cuncta tenebris & armis* jubet. Tum vero strepitus dis-
soni, casus incerti, neque feriendi, neque declinandi providentia. Unde clamor
acciderat, circumagere corpora, [4] tendere arcus: nihil prodesse virtus, fors cuncta
turbare, & ignavorum sæpe telis fortissimi cadere. Apud Germanos, inconsulta
ira: Romanus miles [5] periculorum gnarus, ferratas sudes, gravia saxa, non for-
te jaciebat. Ubi sonus molientium, aut appositæ scalæ, hostem in manus de-
derant, propellere umbone, pilo sequi. multos in mœnia egressos, pugionibus fo- 30
dere. Sic exhausta nocte, novam aciem dies aperuit. Eduxerant Batavi turrim,
duplici tabulato, quam [6] prætoriæ portæ (is æquissimus locus) propinquantem, pro-
moti contra validi asseres, & incussæ trabes perfregere, multa superstantium perni-
cie. Pugnatumque in perculsos, subita & prospera eruptione. Simul à legionariis
peritia & arte præstantibus, plura struebantur. Præcipuum pavorem intulit suspen-
sum & nutans machinamentum, quo repente demisso præter suorum ora, singuli
pluresve

tatem, & quum Taciti manum ille testetur talem esse, opineris licet Rhenanum, Faernum, Pichenam, Acidalium nequivisse penetrare ad oris Latini dulcedinem. Nec tanti sunt Gruterus & Ryckius, ut tam conspicuus decor hinc averti per eos queat. Nonne legerunt in Epicedio primo Ausonii: *Nomen ego Ausonius?* Quam multa illic congesta sunt? *Jac. Gronovius.*

1 *In vico Marcoduro*] Hodie *Duram* vocant. Multorum oppidorum fit à Tacito mentio, quæ hodie ignorantur, ut *Gelduba*, *Asciburgium*, & multa alia. *Lupanus.*

2 *Procul ripa aberant*] Scil. non putabant, Germanos eo usque excursuros. *Pichena.*

3 *Nec finem labori attulit*] Auctior Ven. nec finem quidem labori. Florent. nihil juvat. *Pichena.* Caput hinc inceperim. *Freinshemius.* Videtur iste codex significare: *Ne nox quidem finem labori attulit.* Gronovius.

4 *Tendere arcus*] Mihi suspectum, & tibi si attendes. Quorsum hic Arcus? De Germanis sermo est, quibus haud crebra ea arma: sed nec ille sensus ad Taciti sensum. Mihi videbatur, *tendere armis.* Et ita solet. ubi periculum, eo armis tendimus. *Lipsius.*

*Tendere arcus*] Merito de voce *arcus* dubitatum à Lipsio: non tamen satis apposite emendatum *artus.* Scribe, *jactus.* Unde clamor, eo telorum jactus dirigebant. hoc vocat *tendere* sive *intendere jactum.* Atque hinc subjectum statim: *Ignavorum sæpe telis fortissimi cadere.* Acidalius. Lipsius cum nihil de arcubus Germanorum legisset emendavit, *tendere artus.* Quod quidem interpretatione non caret. Pro vulgata tamen Strabo scribit lib. 4. χρῶνται δ' καὶ τόξοις ἔνιοι καὶ σφενδόναις. De Belgis loquitur eosque arcubus etiam uti adfirmat. Fallor enim an Tacitus imperitiam Germanorum recte irridet, qui crebra intentione nervorum vires perderent? Apollonius in Excidio Hierosol. lib. 1. *sed enim se partius infert, Nec crebro vires jactu diffundit inani.* Colerus.

5 *Periculorum ignarus*] Malim, *gnarus.* Rhenan.

6 *Prætoria porta*] In castris fuit Prætorium ipsius Ducis tabernaculum, & porta Prætoria. In castris Rom. multiplices fuerunt portæ, & ad summam quatuor. Prima Prætoria, altera Decumana, tertia Principalis, quarta Quintana. *Lupanus.* Ea in castris appellata qua exercitus in prælium educitur, quia initio *Prætores* erant qui deinde consules, & ii bello administrabant, quorum tabernaculum quoque dicebatur *prætorium* ait Pompejus 14. Significationum, *Vertranius.*

pluresve hostium sublime rapti, verso pondere intra castra effundebantur. Civilis
omissa oppugnandi spe, rursus per otium assidebat, [1] nuntiis & promissis fidem le-
31 gionum convellens. Hæc in Germania [2] ante Cremonense prœlium gesta, cujus
eventum litteræ Primi Antonii docuere, addito [3] Cæcinæ edicto. Et præfectus co-
hortis è victis, [4] Alpinus Montanus, fortunam partium præsens fatebatur. Diversi
hinc motus animorum. Auxilia è Gallia, quis nec amor, nec odium in partes, mi-
litia sine affectu, hortantibus præfectis, statim à Vitellio desciscunt: vetus miles
cunctabatur. Sed adigente Hordeonio Flacco, instantibus tribunis, dixit sacra-
mentum, non vultu neque animo satis affirmans: & cum cetera jurisjurandi verba
conciperent, *Vespasiani* nomen hæsitantes, aut levi murmure, & plerumque silentio
32 transmittebant. Lectæ deinde pro concione epistolæ Antonii ad Civilem, suspicio-
nes militum irritavere, tanquam ad socium partium scriptæ, & de Germanico exer-
citu hostiliter. Mox allatis Geldubam in castra nuntiis, eadem dicta, factaque: &
missus cum mandatis Montanus ad Civilem, *ut absisteret bello.* [5] *neve externa armis
falsis velaret. Si Vespasianum juvare aggressus foret, satisfactum cœptis.* Ad ea Civilis
primo, callide: post, ubi videt Montanum præferocem ingenio, paratumque in res
novas, orsus à questu periculisque, quæ per quinque & viginti annos in castris Ro-
manis exhausisset: *Egregium*, inquit, [6] *pretium laboris cepi, necem fratris, & vincu-
la mea, & sævissimas hujus exercitus* [7] *voces, quibus ad supplicium petitus, jure gentium
pœnas reposco. vos autem* [8] *Treveri, ceteraque servientium animæ,* [9] *quod pretium effusi
totiens sanguinis exspectatis, nisi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, secures,
& dominorum ingenia? En ego præfectus unius cohortis & Caninefates Batavique,* [10] *exi-
gua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia* [11] *excidimus, vel septa ferro* [12] *fame-
que premimus. denique ausos aut libertas sequetur, aut victi iidem erimus.* Sic accensum,
sed [13] *molliora referre* jussum, dimittit. Ille ut irritus legationis rediit, cetera dissi-
33 mulans, quæ mox erupere. Civilis parte copiarum retenta, veteranas cohortes, &
quod

1 *Nuntiis promissis*] Addidi particulam *&* hic imprimis necessariam, *nuntiis & promissis.* Rhenanus.

2 *Ante Cremonense prœlium*] Pugnatum est ultimo Octobri, ut alibi dictum. *Savilius.*

3 *Cæcinæ edicto*] Qui consul, publicato, ut videtur, edicto suum in Flavianas partes studium probavit. *Savilius.* Consul enim Cæcina erat. atque eo edicto credendum est, de rebus Cremonæ gestis scripsisse ac Vespasianum jam haud dubie Imperatorem esse, ut legiones, quæ in Germania erant, nihil ultra cunctaretur, quin Vespasiani partibus accederent. Quæ fortasse Antonius ipse à Cæcina curavit nuntianda, tanquam majorem auctoritatem edictum Consulis apud Rom. legiones habiturum esset. *Pichena.*

4 *Alpinus Montanus*] Missus à Flavianis 3. hist. *Savilius.*

5 *Neve extera armis falsis velaret*] Clarius, *externa arma.* hoc sensu, Ne Civilis ultra tegeret perfidiam & rebellionem: non quod revera externum bellum erat, tegeret & velaret quasi pro Vespasiano sumtum & civile. *Lipsius.*

*Neve externa*] Id moris Tacito est, ut dicturus *bella externa* contentus sit dixisse, *externa*, tantum. Lib. 3. hist. 5. *Remissum id munus ne inter discordias externa molirentur.* Et lib. 4. Hist. *Posito civili bello ad externa modestiores.* Possumus ergo facere gratiam de emendatione doctiss. viro, *neve externa arma falsis velaret.* At *armis falsis.* id est prætextu bellandi pro Vespasiano. *Salinerius.*

6 *Pretium laboris cepi*] Flor. *recipi.* Forte, *recepi.* Pichena. Edit. Rom. *laborum recepi*; non male. *Gruterus.*

7 *Voces, quibus ad supplicium petitus*] Supra eod. lib. *Sub Vitellio discrimen adiit, flagitante supplicium ejus exercitu.* Pichena.

8 *Treveri*] Ibi enim natus Alpinus. 3. hist. *Savilius.*

9 *Quod pretium*] At MS. Medic. *quod præmium*, nec video cur rejiciant. Aliter enim de se loquutus fuit, aliter de his. *Jac. Gronovius.*

10 *Exigua Galliarum portio*] Alibi Germanorum eos nomine amplecti videtur. *Savilius.*

11 *Excidimus*] In Batavia. *Idem.*

12 *Premimus fame*] Intelligit *Vetera.* Idem.

13 *Molliora referre jussum*] Magis placuit vox, *molliora* ex meis libris, quam, *meliora*, ut in vulgatis. Sic Ann. lib. 12. *Ille propalam incerta, & sæpius molliora respondens.* Pichena.

1 *Soro-*

quod e Germanis maxime promptum, adversus Voculam exercitumque ejus mittit: Julio Maximo, & Claudio [1] Victore sororis suæ filio, ducibus. [2] Rapiunt in transitu hiberna alæ, Asciburgii sita. adeoque improvisi castra involavere, ut non alloqui, non pandere aciem Vocula potuerit. Id solum, ut in tumultu, monuit, *subsignano milite media firmare.* auxilia passim circumfusa sunt. Eques prorupit, exceptusque compositis hostium ordinibus, [3] terga in suos vertit. Cædes inde, non prœlium. Et Nerviorum cohortes, metu seu perfidia, latera nostrorum nudavere. Sic ad legiones perventum. quæ, amissis signis, intra vallum sternebantur; cum repente, novo auxilio, fortuna pugnæ mutatur. Vasconum lectæ à Galba cohortes, ac tum [4] accitæ, dum castris propinquant, audito prœliantium clamore, intentos hostes à tergo invadunt, latioremque quam pro numero terrorem faciunt: aliis à Novesio, aliis à Magontiaco universas copias advenisse credentibus. [5] Is error Romanis addit animos, & dum alienis viribus confidunt, suas recepere. Fortissimus quisque e Batavis, quantum peditum erat, funduntur: eques evasit, cum signis captivisque, quos prima acie corripuerant. Cæsorum eo die, in partibus nostris, major numerus & imbellior; e Germanis, ipsa robora. Dux uterque, pari culpa meritus adversa, pro- 34
speris defuere. Nam Civilis, si majoribus copiis instruxisset aciem, circumiri a tam paucis cohortibus nequisset, castraque perrupta excidisset. Vocula, nec adventum hostium exploravit, eoque simul egressus victusque. dein victoriæ parum confisus, tritis frustra diebus, castra in hostem movit. quem si statim impellere, cursumque rerum sequi maturasset; solvere obsidium legionum [6] eodem impetu potuisset. Tentaverat interim Civilis obsessorum animos, tamquam perditæ apud Romanos res, & suis [7] victoria provenisset. Circumferebantur signa vexillaque. ostentati etiam captivi. ex quibus unus, egregium facinus ausus, clara voce gesta patefecit, confossus illic a Germanis. unde major indici fides. Simul vastatione incendiisque flagrantium villarum, venire victorem exercitum intelligebatur. *In conspectu castrorum constitui signa, fossamque & vallum circumdari* Vocula jubet. [8] *Depositis impedimentis sarcinisque*

1 *Sororis suæ filio*] Romanus cod. & Rodolphus, *sororis suæ viro.* Lipsius.

2 *Rapiunt in transitu*] Non ineptit quidem aliorum, *capiunt*, sed nescio quomodo transitui isti potius conveniat *raptus.* Gruterus.

3 *Terga in suos vertit*] Contra rationem videtur, ut terga in suos verterint. Itaque Muretus eas voculas *in suos* delebat. Mihi tamen commoda interpretatione flectenda sic potius videantur, ut velint, terga dedisse equitem, & ad suos refugisse, terga vertisse & in suos fugam intendisse. *Acidalius.*

4 *Accitæ*] Unde? Novesio, Bonna, Moguntiaeo? aut ex qua tandem terrarum parte. *Savilius.*

5 *Is error Romanis*] Dativus *Romanis* non est in exemplari Bud. *Rhenanus.* Scivit id bene Ryckius. Scivit etiam de consensu MS. Medicei, quibus libenter suum apposuit. An non hæc tanta novitas vel ignavissimum & quam maxime rudem excitaverit ad cogitandum accurate de morbo hujus loci? Ille putat se satisfecisse. Me puderet sic discedere, nisi monerem Tacitum scripsisse: *latioremque quam pro numero terrorem faciunt.* (Hæc de hostibus: nunc transit ad adversariam aciem) *Aliis* (nempe Romanis) *a Novesio, aliis a Magontiaco universas copias advenisse credentibus, is error addit animos* &c. Opinor clarissimam hanc esse reparationem manus Cornelii nostri. *Jac. Gronovius.*

6 *Eodem impetu potuisset*] Nos, *eo.* Idem.

7 *Victoria provenisset*] In exemplar. Bud. *promovisset.* Idem.

8 *Confossus illic à Germanis*] Haud dubitanter legam; *confossus illico Germanis. Illico*, statim, extemplo. Dictum autem est, quasi illo loco, ideoque simile quid nostra lingua retinet, ut pro statim, illico, continuo, dicamus etiam *auf der stätte*; quomodo Galli, *sur le champ* Interest autem hic loci illic legas, an *illico*: hoc enim efficacius est longe, eum insuper etiam festinationem indicet, qua usi Germani, ne quid aliud enunciaret fortassis: aut quoniam ira detectæ rei, quam tegebant, pœnam properaverunt. Quomodo Sesualdo, cum Beneventanis auxilium venire indicasset, qui tum à Constante Imperatore obsidebantur, *caput abscissum est*, statim *cum hoc dixisset*: ut recenset Warnefrid de gest. Longobard. 5, 8. *Freinshemius.*

9 *Vocula jubet, ut depositis impedimentis*] *Ut* particula non est in lib. manuscr. potestque abesse. *Rhenanus.* Idem quum sic occurrat in MS. Mediceo, nullam

*que expediti certarent.* Hinc in ducem clamor pugnam poscentium. [1] & minari assueverant. [2] Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompositi fessique prœlium sumpsere. nam Civilis aderat, non minus vitiis hostium, quam virtute suorum fretus. Varia apud Romanos fortuna, & seditiosissimus quisque ignavus: quidam recentis victoriæ memores, retinere locum, ferire hostem, seque & proximos hortari. Et redintegrata acie, manus ad obsessos tendere: *ne tempori deessent.* Illi cuncta e muris cernentes, omnibus portis prorumpunt. Ac forte Civilis lapsu equi postratus; [3] credita per utrumque exercitum fama, *vulneratum aut interfectum*, immane quantum suis pavoris, & hostibus alacritatis indidit. Sed Vocula, omissis fugientium tergis, vallum turresque castrorum augebat, tamquam rursus obsidium immineret: corrupta totiens victoria, non falso suspectus bellum malle. Nihil æque exercitus nostros, quam egestas copiarum fatigabat. Impedimenta legionum cum imbelli turba Novesium missa, [4] ut inde terrestri itinere frumentum adveherent. Nam flumine hostes potiebantur. Primum agmen securum incessit, nondum satis firmo Civile. [5] qui ubi *rursus missos Novesium frumentatores, datasque in præsidium cohortes, velut multa pace ingredi* accepit; rarum apud signa militem, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos, compositus invadit: præmissis, qui pontes & viarum angusta insiderent. pugnatum longo agmine, & incerto Marte, donec prœlium nox dirimeret. Cohortes Geldubam perrexere, manentibus ut fuerant castris, quæ relictorum illic militum præsidio tenebantur. Non erat dubium, quantum in regressu discrimi-

nis

nullam causam voculæ *ut* retinendæ habens animadverti rem hærere in distinguendo, quod ita ut vides reparavi. *Jac. Gronovius.*

1 *Et minari asseverant*] Castigavimus, *& minari adsueverant.* Rhenanus.

2 *Ne tempori deessent*] Verba militum ad obsessos. *Idem.*

3 *Credita*] Rhenanus, *edita.* ego, *dedita*, vel *didita.* Lipsius.

*Credita per utrumque exercitum fama*] Malim *edita.* Rhenanus. Maneat, *credita per utrumque exercitum fama.* Nam *dedita* aut *didita*, minus huc facit. neque enim spargi satis est famam ducis occisi vulnerative; si non & fidem inveniat in animis militum, ubi id evenit; ibi demum his accedit animus, illis abscedit. *Gruterus.*

4 *Ut inde terrestri*] Præcessit de *impedimentis legionum & imbelli turba*: an illi igitur frumenta adveherent, inter medios ita hostes? ridiculum. puto defectum aliquem esse, & asteriscum ante hæc verba ponendum *ut inde terrestri.* Vide sequentia agnosces. *Lipsius.*

*Ut inde terrestri*] *Impedimenta*, id est, currus & jumenta. *Imbelli turba*, lixis & calonibus, ut multa manus citius expedirent negotium frumentandi. Sed qui medios inter hostes? Primum præsidio cohortium additarum, quod hic tacuit, mox nominaturus. Deinde minus in itinere timebant ob recentem victoriam. *Gronovius.*

5 *Qui reversus, missos*] Magis placet quod è quibusdam libris eruas, *qui ubi rursus missos.* Sententiam certe aptius nectit. *Lipsius.*

*Qui ubi rursus missos Novesium frumentatores*] Expressi lectionem Flor. quam Lipsius etiam in aliis MSS. invenit. Minus recte vulgo: *qui reversus: missos Novesium.* Pichena. Etiamdum infirmo Civili ex equi lapsu securum incessit agmen imbellium frumentatorum, quibus nondum reversis, alii Novesium missi sunt ab obsessis cum præsidio cohortium, quod nimis de annona solliciti essent: sed valido jam Civili, qui (milites per iter sciens raros apud signa armaque in vehiculis) compositus huc & illuc vagos adoritur. Pugnatur anceps ad noctem prœlium, quamobrem cohortes cum una secum missis frumentatoribus omisso Novesio, quo ire jussi, Geldubam se conferunt. Non semel itaque missi sunt frumentatores, priores & imbelles securi Novesium veniunt, sed regredi non audebant. *non erat dubium quantum in regressu discriminis adeundum foret frumentatoribus onustis paucisque.* Secunda missio præsidio cohortium firmata frustra fuit. Habes sensum quem punctis sic adhibitis coactum non dices. *Qui rursus missos Novesium frumentatores, datasque in præsidium cohortes velut multa pace ingredi accepit, rarum apud signa militem, arma in vehiculis: cunctos licentia vagos compositus invadit.* Hinc nimis clarum, quam hic ingratis sese intruserint emendationes. *Salinerius.* Lipsius è quibusdam libris eruit, *qui ubi rursus missos.* Sane in quibusdam *rursus:* at τῷ *ubi* nulla vestigia, nisi in ipso *qui*, quod mutari in *ubi* debet, non & ipsum retineri. Dele igitur. Nam & sonus concurrentium vocum alias asper: & Tacitus relativa hujus generis, ubi omitti possunt, non inculcat. *Acidal.*

1 *Onustis*

nis adeundum foret, frumentatoribus [1] onuſtis perculſiſque. Addit exercitui ſuo Vocula mille delectos, [2] e quinta & quartadecima legionibus apud Vetera obſeſſis, indomitum militem, & ducibus infenſum. Plures quam juſſum erat profecti, palam in agmine fremebant, *non ſe ultra famem, inſidias legatorum toleraturos.* At qui remanſerant, *deſertos ſe abducta parte legionum* querebantur. Duplex hinc ſeditio, [3] aliis revocantibus Voculam; aliis redire in caſtra abnuentibus. Interim Civilis Vetera circumſedit. Vocula Geldubam, atque inde Noveſium conceſſit. Ci- 36
vilis capit Geldubam. Mox haud procul Noveſio, equeſtri prœlio proſpere certavit. Sed miles, ſecundis adverſiſque, perinde in exitium ducum accendebatur. Et [4] adventu quintanorum quintadecimanorumque auctæ legiones *donativum* expoſcunt, comperto pecuniam a Vitellio miſſam. Nec diu cunctatus Hordeonius, nomine Veſpaſiani dedit. Idque præcipuum fuit ſeditionis alimentum. [5] Effuſi in luxum & epulas, & nocturnos cœtus, veterem in Hordeonium iram renovant. nec ullo legatorum, tribunorumve obſiſtere auſo, (quippe omnem pudorem nox ademerat) protractum e cubili interficiunt. Eadem in Voculam parabantur, niſi ſervili habitu, per tenebras, ignoratus evaſiſſet. Ubi ſedato impetu metus rediit, centuriones cum epiſtolis ad civitates Galliarum miſere, [6] *auxilia ac ſtipendia* oraturos. Ipſi, ut eſt 37
[7] vulgus ſine rectore præceps, pavidum, ſocors, adventante Civile, raptis temere armis, ac ſtatim omiſſis, in fugam vertuntur. Res adverſæ, diſcordiam peperere; iis qui e ſuperiore exercitu erant, [8] cauſſam ſuam diſſociantibus. Vitellii tamen imagines, in caſtris, & per proximas Belgarum civitates, repoſitæ, cum jam [9] Vitellius occidiſſet. Dein mutati in pœnitentiam primani, [10] quartanique, & duodeviceſimani, Voculam ſequuntur: apud quem reſumpto Veſpaſiani ſacramento, ad libe-

1 *Onuſtis pauculiſque* ] Rom. *onuſtis perculſiſque.* Lipſius. Mira jactatio participii notiſſimi & ut omnibus hiſtoricis Latinis, ita Cornelio uſitatiſſimi, ut quum ex Oxonienſi MS. quondam notaverim *vehiculiſque*, nunc ex MS. Mediceo promam *periculiſque*; quaſi certamen inſtitutum foret inter libros vel olim ſcriptos vel prœlo nuper ſubjectos, ubi melius poſſet corrumpi. Fruatur Lipſius arbitrio recto & laude ejus, quem miror taceri ab Ryckio, quum hujus id non ſit. *Jac. Gronovius.*

2 *E quinta & quartadecima legionibus* ] Immo *& quintadecima.* Mercerus. Scribendum, *& quintadecima.* ſeq. c. *adventu quintanorum quintadecimanorumque* (illorum ipſorum quibus de hic ſermo) *aucta legiones.* Quartadecimanos enim in Britanniam miſerat Vitellius (ut vere animadvertit Lipſius ad H. 3, 23. quem locum ſimili ratione purgavit) ſtatim poſt Bedriacenſe prælium, ſupra H. 2, 66. ubi adhuc fuerunt cum gererentur res deſcriptæ infra H. 4, 79. poſtmodum demum evocati, neque in prælium deducti H. 5, 14 *Freinshemius.*

3 *Aliis revocantib. Voculam* ] Id eſt, qui in caſtris erant, Voculam revocabant: qui autem cum Vocula, in caſtra redire abnuebant. *Pichena.*

4 *Adventu quintanorum quintadecimanorumque* ] At cap. Præced. quintanos & quartadecimanos Voculæ exercitui junctos ajebat. Manifeſte alteruter locus vitioſus, & ex altero corrigendus, uter ex utro, non claret. *Acidalius.*

5 *Effuſus in luxum* &c. *veterem iram renovavit* ] Repoſuimus, *Effuſi in luxum* &c. *veterem iram renovant.* Rhenanus.

6 *Auxilia ac ſtipendia oraturos* ] Capio hic ſtipendia, pro cenſu, ſive tributo. quod à Galliarum civitatibus Romani exigere ſolebant. Namque eam pecuniam deſtinatam ad uſus & ſtipendia octo legionum, juxta Rhenum præſidium agitantium, colligitur Ann. lib. 1. quando Germanicus Cæſar eidem exactioni erat intentus. Sic infra in Orat. ad Treveros & Lingonas: *Nos quanquam toties laceſſiti, jure victoria id ſolum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Pichena.

7 *Vulgus ſine rectore praceps, pavidum, ſocors* ] Repoſui, *pavidum*, pro *pavidus*, ex Flor. & eſt Tacito uſitatius. Paulo infra, *Vulgus alimenta in dies mercari ſolitum.* Pichena.

8 *Cauſam ſuam diſſociantibus* ] Quia ſcil. Veſpaſianum quam Vitellium malebant. *Pichena.*

9 *Vitellius occidiſſet* ] Cod. regius habet, *occurriſſet*, emendavi, *corruiſſet.* Rhenanus. Rhenanus emendavit, *corruiſſet.* Mihi potior Flor. lectio. *occidiſſet.* Pichena.

10 *Quartanique & duodevicesimani* ] Recte, *duodeviceſimani*, ut ſupra monui. Male qui reſtituunt, *duo & viceſimani*, quamvis Florentinus ipſe ſuadeat. *Pichena.*

liberandum Magontiaci obsidium ducebantur. Discesserant obsessores, [1] mixtus ex Cattis, Usipiis, Mattiacis exercitus, satietate prædæ, [2] nec incruenti. In via dispersos & nescios miles noster invaserat. Quin & loricam vallumque per fines suos Treveri struxere, magnisque invicem cladibus cum Germanis certabant, donec egregia erga

38 populum Romanum merita, mox rebelles fœdarent. Interea Vespasianus iterum, ac Titus, consulatum absentes inierunt, mæsta & multiplici metu suspensa civitate, quæ super instantia mala, falsos pavores induerat, *desciviſſe Africam, res novas moliente L. Pisone.* [3] Is præerat provinciæ, nequaquam turbidus ingenio. Sed quia naves sævitia hiemis prohibebantur, vulgus alimenta in dies mercari solitum, cui [4] una ex republica annonæ cura, clausum litus, retineri commeatus dum timet, credebat: augentibus famam Vitellianis, qui studium partium nondum posuerant: ne victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis inex-

39 plebiles, nulla unquam civilis victoria satiavit. Kalendis Januariis, in senatu, quem Julius Frontinus [5] prætor urbanus vocaverat, legatis exercitibusque ac regibus *laudes gratesque* decretæ. Et Tertio Juliano prætura, [6] *tanquam transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruiſſet*, ablata, ut in [7] Plotium Griphum transferretur. Hormo dignitas equestris data. Et mox, ejurante Frontino, Cæsar Domitianus prætu-

1 *Mixtus Cattis, Usipiis*] In codice regio, *Mixtus & Cattis, Usipiis.* Scripsi *mixtus ex Cattis, Usipiis.* Rhenanus.

2 *Nec incruentati. Ita dispersos & nescios*] Indicabam deesse quippiam. nunc restituere juvante Romano cod. posse videor, *nec incruenti. In via dispersos.* Lipsius.

*Nec incruenti. In via dispersos*] Ita emendavit Lipsius, cum vulgo legeretur, *nec incruentati. Ita dispersos* &c. Juvat aliquantum Flor. qui corrupte habet, *nec incruentari via à dispersos.* Pichena. Longe fallitur Lipsius. Narratio incongrua arguit & ante hæc deesse verba non pauca (uti & corrupta præcedentium ultima) & post hæc ipsa multo plura. Nam illa, *quin & loricam vallumque*, sententia nulla cum his cohærent, sed alia quæ præcessisse necesse est, de fide, industria & fortitudine Treverorum respiciunt. *Acidalius.*

3 *Is præerat provinciæ*] Verbum, *præerat*, non legitur in Cod. regio. Tum expone, *is provinciæ nequaquam turbidus*, hoc est, ipsi provinciæ; *ingenio*, id est, ob ingenium vel ex ingenio. *Rhenanus.* Notabili consensu pariter sic minutus est MS. Mediceus, ut indicavit ex scedis meis Ryckius. Et videtur hoc verbum ex communi locutione suppletum, ut cap. 18. *Is duarum legionum hibernis præerat*, unde credas sumptum esse, & c. 83. *Is tunc Sinopensibus imperitabat.* Sed aliud quid & speciale erat de Africa, unde origo venit omittendi literas antepositas quidem in principe exemplari, sed quas scriba ut non necessarias omitit, nempe ut fuerit *Is proc.* vel tantum *pro. provinciæ*, h. e. is proconsule provinciæ. Et solet ita omittere auctor verba, orationem intra nomina coercens. 13, 52. *Reos ex provincia Africa, qui proconsulare imperium illic habuerant.* Et sæpe. *Jac. Gronovius.*

4 *Una ex rep. annonæ cura*] Nihil mutandum. Tale illud Juvenalis de populo Romano est:

——— *duas tantum res anxius optat*
*Panem & Circenses.*

Nam, *Pane*, substituunt leguntque male. *Lipsius.*

*Cui una ex rep. annonæ cura*] Hæ duæ voces, *cui una*, non extant in Ms. cod. & mutant, meo judicio, sensum. Nam Tacit. vult dicere, *ex rep. annonæ cura*, scil. existente, hoc est, quia cura annonæ pertineret ad remp. ut sit hæc locutio similis illi lib. 2. Histor. *Et quibusdam vicinis coloniis invidia æmulatione*; subauditur, *existente*. Supra lib. 1. Ann. *Seu nihil militi, seu omnia concederentur in ancipiti rep.* subauditur, *futura.* lib. 3. Ann. *At hercule nemo nescit, quod Italia externæ opis indiget, quod vita populi Rom. per incerta maris & tempestatum, cotidie volvitur, ac nisi provinciarum copiæ & dominis & servitiis, & agris subvenerint: nostra nos scilicet nemora nostræque villæ tuebuntur? Hanc p. c. curam sustinet princeps.* Rhenanus. Non hæc adsecutus est Rhenanus: ideoque secutus auram codicis sui in vada præcipitat & saxa, à scriptura vulgata, quæ extat in editionibus omnium primis, quod dico, ut ne quis deinceps chirurgicam iterum adhibeat manum, & opus quærat, ubi non est. *Gruterus.*

5 *Prætor urbanus*] Cujus erat senatum convocare, si consules abessent. *Savilius.*

6 *Tanquam transgredientem in partes*] Sic melius in Flor. quam in vulgatis, *quod transgredientem.* nam adverbio *tanquam* ostenditur, non omnino illam causam fuisse, præturam Juliano adimendi, sed ut Griphus honore præturæ decoraretur. Ac paulo infra dignitas eadem Juliano restituitur. *Pichena.*

7 *Plotium Griphum*] Qui Mutiani cliens. 3. hist. *Savilius.*

1 *Nomen*

præturam cepit. Ejus [1] nomen epistolis edictisque præponebatur. [2] Vis penes Mucianum erat: nisi quod pleraque Domitianus, instigantibus amicis, aut propria libidine, audebat. Sed præcipuus Muciano metus e Primo Antonio, [3] Varoque Arrio: quos recentes, clarosque rerum fama, ac militum studiis, etiam populus fovebat, quia in neminem ultra aciem sævierant. Et ferebatur Antonius Scribonianum Crassum, egregiis majoribus, & [4] fraterna imagine fulgentem, ad capessendam rempublicam hortatus: haud defutura conscium manu, ni Scribonianus abnuisset, ne paratis quidem corrumpi facilis, adeo metuens incerta. Igitur Mucianus, quia propalam opprimi Antonius nequibat; multis in senatu laudibus cumulatum, secretis promissis onerat, [5] *citeriorem Hispaniam* ostentans, *discessu Cluvii Rufi vacuam.* simul amicis ejus, tribunatus præfecturasque largitur. Dein, postquam [6] inanem animum spe & cupidine impleverat, vires abolet; dimissa in hiberna legione septima, cujus flagrantissimus in Antonium amor. Et tertia legio, familiaris Arrio Varo miles, in Syriam remissa. [7] Pars exercitus in Germanias ducebatur. Sic egesto, quidquid turbidum, redit urbi sua forma, legesque, & munia magistratuum. Quo die senatum ingressus est Domitianus, *de absentia patris fratrisque ac juventa sua*, pauca & modica disseruit, decorus habitu: & ignotis adhuc moribus, crebra oris confusio pro modestia accipiebatur. Referente Cæsare, *de restituendis Galbæ honoribus*, censuit Curtius Montanus, *ut Pisonis quoque memoria celebraretur.* Patres utrumque jussere. de Pisone irritum fuit. [8] Tum sorte ducti, *per quos redderentur bello rapta*; *quique æra legum* [9] *vetustate delapsa noscerent*, *figerentque*, [10] *& fastos adulatione temporum fœdatos exonerarent*, [11] *modumque publicis impensis facerent.* Redditur [12] Tertio Juliano prætura, postquam cognitus est ad Vespasianum confugisse. Gripho honor mansit.

1 *Nomen Epistolis edictisque præferebatur*] Castig. *proponebatur*. Rhenanus. V. C. habet, *præponebatur*. in alio, *præferebatur*. *Jus penes Mutianum erat*. Ursinus. Muret. *præponebatur*. verius. *Acidalius*.

2 *Jus penes Mucianum erat*] Verbum *erat* erasimus. Infra scripf. *quo die* non *qua*. Rhenanus. Abest quidem à vulgatis verbum, *erat*. Sed cum in Flor. ac Ven. habeatur, non fuit negligendum. *Pichena*.

3 *Varoque Arrio*] Ita ubique, non *Ario* legendum ex MS. *Idem*.

4 *Fraterna imagine fulgentem*] Pisonis puta, quem Galba adoptavit. *Savilius*.

5 *Citeriorem Hispaniam ostentans*] Eam vero libentius suscepit regendam Antonius, quia Tolosæ natus erat, puer cognomine *Beccus* dictus apud Suetonium. Legitur autem Tolosæ in Hispania Capitolium, sacris annalibus: ut inde conjicere liceat & Narbonensi Galliæ, & Hispaniæ citeriori Tolosam annumeratam olim fuisse. *Vertranius*.

6 *Inanem animum spe* &c.] Sallust. in Jug. *quod homo inanis, & regia superbia, imperio nimis gauderet*. Horat. sat. 4. lib. 1. *inanes hoc juvat*. Pichena.

7 *Pars exercitus*] Sexta & Octava de Victricibus. Tacit. *Savilius*.

8 *Tum sorte ducti, per quos redderentur bello rapta*] Ex hac clausula nihil est in Bud. vol. præter duas voces, *Tum rapta*. dormitat hic librarius. Forte, *Tum qui rapta*; *quinque æra*; subaud. creati sunt vel electi. *Rhenanus*.

9 *Vetustate delapsa*] Capitolii incendio liquefacta, ait Sueton. Vesp. 8. *Savilius*. Vespasianus *ærearum tabularum tria millia, quæ simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus*, inquit Sueton. Vesp. 8. quod verisimilius est, quam leges, quæ summo cultu servarentur, solius temporis vetustatisve causa, aboleri cœpisse. *Vertranius*.

10 *Et Fastos adulatione temporum*] Additur in vulgatis, *& qui Fastos*. At supervacuum esse illud, *qui*, clarum est: nam & à Flor. abest, & mens auctoris videtur, ut qui æra legum reponerent, iidem Fastorum quoque exonerandorum curam susciperent. *Pichena*.

11 *Modumque publicis impensis*] Fuerunt Romæ leges sumptuariæ sive cibariæ, quæ impensam præscriberent ad luxuriam mensarum comprimendam. Vide Gell. 2. 24. & Macrob. 3. sat. 17. Augustus, teste Sueton. legem sumptuariam ex integro sanxit. Lex quoque Fannia lata est, quæ ludis modum imponeret. Supra memoravit Tacit. in Senatu modum impensis postulatum à Prætoribus ærarii, cum quererentur publicam paupertatem. Eam tamen cognitionem à Consule designato Principi reservatam. *Lupanus*.

12 *Tertio Juliano*] Paulo ante habes, *T. Juliano*. Rhe-

mansit. Repeti inde cognitionem [1] inter Musonium Rufum & P. Celerem placuit, damnatusque Publius, & Sorani manibus satisfactum. Insignis publica severitate dies, ne privatim quidem laude caruit: justum judicium explesse Musonius videbatur. Diversa fama [2] Demetrio Cynicam sectam professo, quod manifestum reum ambitiosius quam honestius defendisset. [3] Ipsi Publio neque animus in periculis, neque oratio suppeditavit. [4] Signo ultionis in accusatores dato, petit à Cæsare [5] Junius Mauricus, [6] *ut commentariorum principalium potestatem senatus faceret*, [7] *per*

Rhenanus. V. c. habet: *Titio Juliano*; & sic infra constanter, pro, *Tertio Juliano*. Ursinus.

1 *Inter Musonium Rufum & Celerem*] Hæc ex Dione disces. nam Vespasianus philosophos omnes præter Musonium Roma expulit. *Lupanus.*

2 *Demetrio* &c.] Annal. 16. Sueton. Vesp. 13. Xiphilin. *Savilius.* Muciani consilio Vespasianus omnes Stoicos, in quorum numero fuit Demetrius Cynicus, urbe abegit. Demetrius vero in insulam relegatus. ei nondum quiescenti dixit Vespasianus, *Tu omnem moves lapidem, ut te interfici jubeam: ego tamen latrantem canem non occido.* Lupanus.

3 *Ipsi Publio neque animus*] Vox addita, auctore Vatic. *Lipsius.*

*Ipsi Publio animus in periculis*] Codex Bud. mutilus est, nam duas voces *ipsi Publio*, non habet. Forte legendum, *neque animus*. Rhenanus. Lipsius ex Vat. restituit vocem, *neque*, in vulgatis vacantem. Eam ego Florent. auctoritate confirmo. *Pichena.*

4 *Signo ultionis in accusatores dato*] Non est in Cod. Bud. *dato*, expone, *signo ultionis*, id est, in signum ultionis in accusatores, *petit à Cæsare Junius Mauricus, ut comm. princ. p. Senatui faceret.* Rhenanus.

5 *Junius Mauricus*] Ad quæ nomina prope accedit *Junius Maurus* in Inscriptionum corpore signatus; sed propius etiam *Mariccus* lib. 2. cap. 61. præsertim si pronuntictur ex MS. Mediceo *Mariccus*, quum tamen vulgatæ appellationis tutelam ex Plinii epistolis notaverit Cl. Ryckius. *Jac. Gronovius.*

6 *Ut commentariorum principalium*] Commentarius liber est, quem sibi quisque conficit, quasi eorum, quæ agimus, memoriæ promptuarium, id est diarium, & ephemeris. Hujusmodi commentarios sibi factitasse principes ex hoc loco, & Sueton. in Tib. apparet. Cicer. Philip. 5. *An in commentariolis & chirographis & libellis se uno auctore prolatis, acta Cæsaris firma erunt?* *Commentariorum*, quæ ab Agrippina confecta meminit Tacit. 4. ann. & *commentariorum* Claudii patris lib. 13. *Commentarios* quoque sibi senator conficiebat ut ex lib. 15. in fine, & lib. 5. apparet, & lib. 12, 24. *Quos Claudius terminos posuerit publicis actis scriptum.* Lupanus. *Commentaria* dixere Latini libros, in quibus non fuse lateque res, sed tantum quasi per capita describerentur. Cicer. in Brut. *Non est oratio, sed quasi capita rerum & orationis commentarium.* paulo plenius Senec. lib. 3. Declam. *Sine commentario nunquam dixit Crassus, nec hoc commentario contentus erat, in quo nuda res ponuntur.* Hunc *Diurnum*, *Ephemeridem*, *Regestum* à verbo *regero*, quo usus est Quintilianus, unde vulgo *Registrum*, & Latine vocari posse, docet Budæus in Pand. Ita Plutarch. Julii Cæsaris commentaria *Ephemerides* appellavit. Hujusmodi autem commentariis omnes fere Magistratus, qui reip. Rom. munia obibant, usos fuisse comperimus. Cicero appellat commentarium sui consulatus Græce scriptum. De prætorib. idem in Verr. *Audite decretum mercenarii prætoris ex ipsius commentario.* De regibus in Orat. pro Rab. cap. 5. Liv. lib. 5, 60. Et lib. 42, 6. & lib. 45. De Pontificibus. Cicer. de clar. Orat. Livius 4, 3. Quod vero & imperatores propria haberent commentaria, patet ex Cic. Phil. 5, 7. Tranquillus in Tib. 61. calig. 55. Trajanus ad Plinium, *referri in commentarios jussi.* Quod etiam *publica* scriberentur, & *urbana commentaria* patet ex Cicer. libro de Orat. *publicis commentariis consignatis.* Et in epist. *In commentario est rerum urbanarum.* Et 2. 8. Ex his patet. *Commentariorum principalium*, esse superiorum principum, quorum sub imperio delationes frequentes exercitæ, puta Claudii & Neronis. Ita *commentarium principis* legimus apud Modestinum, in l. 32. D. ex quibus causis major. Unde & qui principis commentaria perscribebant *commentarienses* appellati ex Vegetio lib. 5. qui militum munia, uti excubias commeatusque & alia hujusmodi, in commentarios referebant. Et apud JC. *l. 4. de cust. reor.* observamus, *Commentarienses* vocatos, qui detentorum nomina in commentariis describebant, ac veluti custoditorum diarium conficiebant. Sic accepti *in* l. 45. §. 7. D. de jure fisci, *Commentarienses*, quorum manu acta subnotantur, quoties apud fiscum agitur. Illud sane postremo minime prætereundum videtur, quod admiratione haud carere credo, explanationes scil. in Virgilium, Horatium, aliosque auctores *Commentaria* inscribi; quum *commentaria*, ut diximus, brevia sint, ac veluti per capita scripta, hæc autem fluxiore oratione fuseque sint literis mandata. Scio quidem Gellium dixisse: *Qui commentaria in Virgilium scripserunt.* & alibi. scio quoque in scholis ab expositionis excellentia Averroem communissima appellatione *commentatorem* vocari. Attamen apud alios probatos ac classicos auctores *commentarium* in hac significatione me legisse minime recordor, ob idque

[1] *per quos nosceret, quem quisque accusandum poposcisset.* [2] *Consulendum tali super re principem*, respondit. Senatus, inchoantibus primoribus, [3] jusjurandum concepit, 41
[4] quo certatim omnes magistratus, [5] ceteri ut sententiam rogabantur, *Deos testes* advocabant, *nihil ope sua factum, quo cujusquam salus læderetur, neque se præmium aut honorem ex calamitate civium cepisse*; trepidis, & verba jurisjurandi per varias artes mutantibus, quis flagitii conscientia inerat. [6] Probabant religionem patres, perjurium arguebant. Eaque velut censura, in Sariolenum Voculam, & [7] Nonium Actianum, & Cestium Severum acerrime incubuit, crebris apud Neronem delationibus famosos. Sariolenum & recens crimen urgebat, quod apud Vitellium molitus eadem foret. nec destitit senatus manus intentare Voculæ, donec curia excederet. Ad Pactium Africanum transgressi, eum quoque proturbant: tamquam Neroni [8] Scribonios fratres concordia opibusque insignes, ad exitium monstravisset. Africanus neque fateri audebat, neque abnuere poterat: in Vibium Crispum, cujus interrogationibus fatigabatur, ultro conversus, miscendo quæ defendere nequibat, societate culpæ invidiam declinavit. Magnam eo die pietatis eloquentiæque famam [9] Vipsa- 42
nus Messala adeptus est, nondum senatoria ætate, ausus pro fratre [10] Aquilio Regulo

que has *expositiones* potius & rectius *Commentationes* dicendas semper censui. Siquidem *Commentatio* passim Cic. meditatio est & præsertim l. de Orat. *subitam orationem commentatio & cogitatio facile vincit.* Et iterum, *quos locos multa commentatione ac meditatione paratos atque expeditos habere debetis.* Marcellus Donatus.

1 *Per quos nosceret*] Ex illis enim commentariis innotescere senatui poterant nomina eorum, qui apud principes præteritos delationes exercuerant: ut ex eis quisque senatorum eligeret, quem accusaret, ac perderet, quasi in ultionem reip. *Pichena.*

2 *Consulendum tali super re princeps respondit*] Reposui, *consulendum tali s. re principem resp.* Rhenanus.

3 *Jusjurandum, quo certatim*] Est juramentum à toto Senatu editum, de calumnia quam nemini capitalem intulissent. Sed hic non video, cur ita *certatim* magistratus præstiterit. neque enim in honorem Principis, aut adulatio aliqua fuit, imo cunctanter potius hoc agendum. Sane ea vox suspecta est, & *seriatim*, aut tale quid malim: quia certum habeo ordine quodam magistratus omnes id præstitisse, & digniores primo. *Lipsius.*

4 *Quo certatim omnes magistratus, ceteri ut sententiam rogabantur*] Regium exemplar habet, *Omnis iniens magistratus, ceteri sententiam rogabantur.* Lego, *Omnis iniens magistratus, ceteri sententiam rogabantur, deos testes advocabat.* Nunc clara erit sententia si sic distinguas: *quo certatim omnis iniens magistratus (ceteri sententiam rogabantur) deos testes advocabat. Nihil ope* &c. *Rhenanus.*

5 *Ceteri ut sententiam rogabantur*] Id est, loco sententiæ. *Pichena.*

6 *Probabant religionem patres, perjurium arguebant*] An probabant religionem insontium, verumque jurantium; aliorum vero perjurium reprehendebant? potius vero referri hæc ad eos tantum qui verba jurisjurandi detorquebant. Ironice enim, patres, laudasse quidem virorum talium religionem, quod trepidanter & ambigue jurassent, ne perjurium admitterent: sed tamen ex illa trepidatione, & perjurii & noxiæ conscientiæ argumentum eliciebant. *Pichena.*

7 *Nemium Actianum*] Nos, *Nonium Act.* Item. *In Vibium Crispum.* Rhenanus.

8 *Scribonianos fratres*] Junctim eos iterum nominat Annali XIII. *Ad Scribonios fratres ea cura transfertur.* Nec temere aut jungit, aut concordiam laudat. Audi Xiphilinum, qui unus hæc illustrat, in Nerone: Ἀδελφοί τε, inquit, καὶ ἡλικιῶται τρόπον τινὰ ὄντες, καὶ μηδὲν μηδέποτε ἄνευ ἀλλήλων πράξαντες, ἀλλ' ὥσπερ τῷ γένει, οὕτω καὶ τῇ προαιρέσει τῇ τε οὐσίᾳ συμπεφυκότες: *Fratres, & quodammodo æquales, nihil alter absque altero facientes, sed ut genere, ita & electione vitæ & facultatibus conjuncti.* Addit deinde: *cum utrique Germaniæ præfuissent, vocatos à Nerone in Græciam, ibique incisis sponte venis periisse.* Sed rectene *Scribonianos* hic legimus? non opinor. Taciti loco dicto *Scribonios* habes: & in Xiphilino, Σκριβωνίων. *Lipsius.* Cui cur non aperuit Pichena lectionem MS. Medicei, adeo & tam diu occultatam, ut ex scedis meis denique protulerit Ryckius, n. *Scribonios*: quod ut ille reposuit, sic omnino sequor. *Jac. Gronovius.*

9 *Vipsanius Messalla*] Ita citeriores ediderunt. Sed jam Betoaldus dederat *Vipsanus Messala*, nec aliter Rhenanus in Frobeniana. Imprudentiam igitur posteriores pro Taciti manu habuerunt, & bene succurrebat Ryckius, nisi quod in cognomine duplicare pergebat literam *l.* Idem.

10 *Aquilio Regulo*] Est omnino ille Regulus, Plinio in Epistolis meritissimo flagellatus, & alibi *Bipedum*

gulo deprecari. Regulum subversa Crassorum & Orphiti domus in summum odium extulerat. [1] Sponte ex senatusconsulto accusationem subiisse juvenis admodum, nec depellendi periculi, sed in spem potentiæ videbatur. Et Sulpicia Prætextata [2] Crassi uxor, quatuorque liberi, si cognosceret senatus, ultores aderant. Igitur Messala non caussam neque reum tueri, sed periculis fratris semet opponens, flexerat quosdam. Occurrit truci oratione Curtius Montanus, eo usque progressus, ut *post cædem Galbæ, datam* [3] *interfectori Pisonis pecuniam à Regulo,* [4] *adpetitumque morsu Pisonis caput* objectaret. *Hæc certe,* inquit, *Nero non coëgit, nec dignitatem,* [5] *aut salutem illa sævitia redemisti. Sane toleremus istorum defensiones: qui perdere alios, quam periclitari ipsi maluerunt.* [6] *Te securum reliquerat exsul pater, & divisa* [7] *inter creditores bona, nondum honorum capax ætas: nihil quod ex te concupisceret Nero, nihil quod timeret. libidine sanguinis, & hiatu præmiorum, ignotum adhuc ingenium, & nullis defensionibus expertum, cæde nobili imbuisti. cum ex funere reipublicæ,* [8] *raptis consularibus spoliis,*

*pedum nequissimus* dictus. Observa ergo de Messalla diversissimo fratre. *Lipsius.*

*Aquilio Regulo*] Qui teste Plinio juniore, *omnium bipedum nequissimus*, pessimum perniciosissimumque crudelitati Neronis & Domitiani instrumentum lib. 1. ep. 5. *Savilius.*

1 *Sponte ex SC.*] Non de nihilo ambigit. *Rhenanus.* Si enim ex SC. subiit, quomodo sponte? Divinat, *Sponte ex se.* Haud inepte. Quid si, *Sponte, nec Sc.* Lipsius.

*Sponte ex SC. accusationem subisse*] Hæc verba significanr accusationem Crassorum ex SC. decretam, quam sponte subierit Aquilius Regulus. Alioqui legerem, *sponte ex se accusationem subisse.* Rhenanus. Moris fuisse videtur, ut alicujus causæ, vel accusatio, vel etiam defensio à Senatu, huic vel illi Oratori plerumque demandaretur; sive actoribus, vel reis nominatim unum aliquem petentibus, sive proprio senatus motu, quod notissimum est, ac præsertim ex Plinio juniore lib. 1. ep. 11. & lib. 3. ep. 4. & 5, 20. & 6, 29. Tangit etiam hunc morem Tacit. lib. 3. Ann. de Pisone patronos à senatu petente. & lib. 15. in oratione Thraseæ contra Cretenses ait: *At nunc colimus externos, & adulamur: & quomodo ad nutum alicujus grates, ita promtius accusatio decernitur.* Hæc autem verba *sponte ex SC.* secum pugnant. quomodo enim *ex SC.* si sponte? aut quomodo sponte, si ex SCto? An ipsemet Regulus irrequisitus, ac *sponte* curavit, ut sibi *ex SC.* accusatio injungeretur? Rhenanus corrigendum putavit, *sponte ex se*, idque nec Lipsio displicet, qui etiam excogitavit, *sponte & inconsulto.* Ego neque probo neque improbo. mea tamen conjectura est: *sponte, nec Senatu consulto.* Pichena. Possis facillime emendare insertione particulæ negantis: *Sponte, non ex SC.* nisi quod mihi structura orationis aliam plane harum vocum sedem & originem requirere videtur. Lego: *accusationem subisse juvenis admodum, non ex SC. sed sponte; nec depellendi* &c. Nihil quidem ista sententia pariter & oratione planius pleniusque. *Acidalius.* Corrigunt varie. Mihi certum non arbitrarium est, illa *ex SC.* dolo malo irrepsisse. Ita Plinius lib. 3. Epist. *Laeserat famam suam sub Nerone: credebatur sponte accusasse.* Colerus. Semper habui illud *ex SC.* pro scribæ figmento. initio aliquis adscripserat ei *sponte* interpretatiunculam, *ex se*, quod cum alteri videretur mendum, formavit inde *ex SC.* ingeniose quidem, si non præter historiam & mentem auctoris. *Gruterus.*

2 *Crassi uxor*] Vox, *uxor*, abest Rom. edit. Rectissime. Vix enim aliter prisci locuti aut scripsere, quam Terentia Tullii, Livia Drusi, &c. cum intellegant uxorem. *Lipsius.* Quod quamvis tu, Lipsi, ante centum & plures annos tam serio monueris, & post te continenter infiniti alii; nihilominus plenis modiis idem probandum censuit ex Inscriptionibus ardens ille Raf. Fabrettus in collectione ista pag. 57. tanquam sine hoc publice noto pretium earum non constaret. Si tamen modo illæ omnes ita debeant intelligi. *Jac. Gronovius.*

3 *Interfectori Pisonis*] Et tamen suffragante Verania legationem adeptus est, *cujus marito*, ait Plin. 2. ep. 19. *inimicissimus, ipsi invisissimus erat.* Savilius.

4 *Appetitumque morsu*] Copulam, *que*, addidi ex Flor. *Pichena.*

5 *Aut salutem illa sævitia*] Ex ductu scripturæ Vaticanæ restitui. Nam ibi, *nec dignitatem hausta lutem.* Vulgo, *nec dignitatem aut ista lucem.* Lipsius.

*Salutem illa sævitia redemisti*] Muretus, *ista.* Acidalius.

6 *Te securum reliquerat exsul pater*] Neronianis enim temporibus magni ac potentes viri, periculis conflictabantur; contra, viles atque abjecti, securi agebant. Ideo sequitur, *nihil quod timeret.* Pichena.

7 *Inter creditores bona, nondum*] Sic distingue: *creditores bona. Nondum honorum* &c. *Acidalius.*

8 *Consularibus spoliis*] Eo dictum, quia consulatum acceperat, præmium accusationis. Nam ita obtinebat, ut accusanti & damnanti, non pecuniæ solum merces esset, sed & honoris aut magistratus

*spoliis*, [1] *septuagies sestertio* [2] *saginatus*, *& sacerdotio fulgens*, *innoxios pueros*, *illustres senes*, *conspicuas fœminas eadem ruina prosterneres: cum* segnitiam Neronis *incusares*, quod per singulas domos, seque & delatores fatigaret: posse universum senatum una voce subverti. *Retinete*, *patres conscripti*, *& reservate hominem tam expediti consilii*, *ut omnis ætas instructa sit: & quomodo senes nostri Marcellum*, *Crispum*; *juvenes*, *Regulum imitentur.* [3] *Invenit etiam æmulos infelix nequitia. quid si floreat vigeatque? Et quem adhuc quæstorium offendere non audemus*, *prætorium &* [4] *consularem visuri sumus? An Neronem extremum dominorum putatis? Idem crediderant*, *qui Tiberio*, *qui Cajo superstites fuerunt: cum interim* [5] *intestabilior*, *& sævior exortus est. Non timemus Vespasianum: ea principis ætas*, *ea moderatio. Sed diutius durant* [6] *exempla*, *quam mores. Elanguimus*, *patres conscripti*, *nec jam ille senatus sumus*, *qui occiso Nerone*, *delatores & ministros*, *more majorum puniendos flagitabat.* [7] *Optimus est*, *post malum principem*, *dies primus.* Tanto cum assensu senatus auditus est Montanus, ut spem caperet Hel- 43
vidius, posse etiam Marcellum prosterni. Igitur à laude Cluvii Rufi orsus, qui perinde dives & eloquentia clarus, nulli unquam sub Nerone periculum facessisset; [8] crimine simul exemploque Eprium urgebat, ardentibus patrum animis, quod ubi sensit [9] Marcellus, velut excedens curia: *Imus*, inquit, *Prisce*, *& relinquimus tibi senatum*

stratus quem reus habuisset. Dio lib. 46. de accusatoribus percussorum Cæsaris, pulchre, Χρήματά τε γὰρ ἐκ τῆς τοῦ ἁλόντος οὐσίας, καὶ τὴν τιμὴν ἢ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐκείνου, εἴ τινα ἄρα ἔχων ἦν, ἐλάμβανον: *Nam & pecunias è bonis damnati; & honorem aut magistratum, si quem modo haberet, accipiebant.* Tacitus sæpe indicat & clare, initio lib. 1. *Nec minus præmia delatorum invisa, quam scelera. cum alii sacerdotia & consulatus, ut spolia, adepti, procurationes alii & interiorem potentiam, agerent, ferrent cuncta.* Lipsius.

*Raptis Consularib. spoliis*] Si acceperat præmium accusationis Consulatum Regulus, ut placuit viris summis; mirum cur infra mox de eodem dicatur: *Et quem adhuc Quæstorium offendere non audemus prætorium & Consularem visuri sumus.* Gruterus.

1 *Septuagies sestertio signatus*] Volebam *dignatus*: ut in Virgilio:

*Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo.*

& ipso alibi Cicerone. At nunc placet magis Faerni conjectura, *saginatus*. Lipsius.

*Septies millies sestertio*] Id est, 54687. lib. 10, 5. sterlingis. *Savilius.*

2 *Signatus & sacerdotio fulgens*] Forte, *designatus* &c. *Rhenanus.* Faernus legebat, *saginatus*, quod non displicet ob ea, ~~quæ præcedunt. Ursinus.~~ Videndum an *signatum* Tacitus dixerit pro insignem vel insignitum: nam quod eruditus vir *dignatus* reponit valde placeret, si quod illius dignationis ac liberalitatis à Nerone aut alio in Messalam collatæ testimonium ederetur. *Fr. Hotomanus.* Hic mendum tollendum est. Sine ullo dubio legimus *septuagies sestertio saginatus*. Jos. Scaliger. Libri omnes & MS. & editi omnes consentiunt in voce, *signatus*. ex qua Lipsius conjectura fecit, *dignatus*. Ego nihil malim, quam cum Faerno restituere, *saginatus*, quod nuper idem Lipsius probavit. *Pichena.*

3 *Invenit etiam æmulos infelix nequitia*] Generalis est sententia non ad Regulum solum restricta, etsi ad ipsum hic relata. Itaque non præterito tempore, sed præsenti accipiam *invenit*, & particulam *etiam* sequenti voci postponam. Lege: *invenit æmulos etiam* &c. *Acidalius.*

4 *Consularem visuri sumus*] Lipsius, *ausuri.* At vulgata lectio mihi magis probatur. quasi dicat: si eum non pervertitis, fiet etiam Prætor & Consul, majoremque potentiam assequetur. Alias non dixisset, *ausuri sumus*, sed, *audebimus*. Pichena.

5 *Intestabilior & sævior*] *Intestabilior*, pro, detestabilior. Horat. in 2. Serm. *Intestabilis & sacer esto.* Tacit. Ann. lib. 5. de Æmilia Lepida. *Quanquam intestabilis, tamen impunita agebat.* Paulo post eod. lib. de Tiberio: *Intestabilis sævitia, sed obtectis libidinibus.* Rhenanus.

6 *Exempla, quam mores*] Inepta aut nihili sententia. Rudolphus, *quam homines.* Vis ad verum duci? lege, ~~*amores*:~~ tum alteram litteram divide, habes *auteres*: id est, rem & sententiam meram. O quam levia sæpe turbant! *Lipsius.*

7 *Optimus est, post malum Principem*] Defuncto enim malo Principe, Senatus statim pravos mores ~~tollere nititur~~, sed paulatim deinde refrigescit. *Pichena.*

8 *Crimine simul exemploque Eprium urgebat*] *Crimine* urgebat tanquam delatorem Thraseæ, quam actionem tentaverat olim Helvidius, Galba imperante, dein omiserat, ut refert Tacit. init. hujus lib. *Exemplo*, quoniam laudando Cluvium, vitæ morumque diversitatem in Marcello exprobrabat. *Pichena.*

9 *Marcellus*] Hic homo eloquens magis, quam sapiens aut bonus, ea vi accusatores omnes repressit, aut rejecit; & simul Vespasianum mox suum



fecit.

*senatum tuum: regna præsente Cæsare.* Sequebatur Vibius Crispus: ambo infensi, vultu diverso. Marcellus minacibus oculis. Crispus renidens: donec accursu amicorum retraherentur. Cum glisceret certamen, hinc multi bonique, inde pauci & 
44 validi pertinacibus odiis tenderent, consumptus per discordiam dies. Proximo senatu, inchoante Cæsare *de abolendo dolore iraque, & priorum temporum necessitatibus*, censuit Mucianus prolixe pro accusatoribus. Simul eos qui cœptam, dein omissam actionem repeterent, monuit sermone molli, & tamquam rogaret. Patres [1] cœptam libertatem, postquam obviam itum, omisere. Mucianus ne sperni senatus judicium, & cunctis sub Nerone admissis data impunitas videretur; [2] Octavium Sagittam, & Antistium Sosianum senatorii ordinis, egressos exsilium, in easdem insulas redegit. Octavius, Pontiam Postumiam stupro cognitam, & nuptias suas abnuentem, impotens amoris interfecerat: Sosianus, pravitate morum multis exitiosus. Ambo gravi senatusconsulto damnati pulsique, quamvis concesso aliis reditu, in eadem pœna retenti sunt. Nec ideo lenita erga Mucianum invidia. Quippe Sosianus ac Sagitta viles, etiam si reverterentur: accusatorum ingenia, & opes, & exercita 
45 malis artibus potentia timebantur. Reconciliavit paulisper studia patrum, habita in senatu cognitio, secundum veterem morem. [3] Manlius Patruitus senator, [4] *pulsatum se in colonia Seniensi, cœtu multitudinis, &* [5] *jussu magistratuum* querebatur. *nec finem injuriæ hic stetisse:* [6] *planctum, & lamenta, & supremorum imaginem præsenti sibi circumdata; cum contumeliis & probris, quæ in senatum universum jacerentur.* Vocati qui arguebantur. Et cognita caussa, in convictos vindicatum. Additumque senatusconsultum, quo Seniensium plebes modestiæ admoneretur. Iisdem diebus Antonius

fecit. Quod idem in Vibio Crispo. Auctor Dialogi de Caussis corr. eloq. super hac re: *Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus, quam eloquentiam suam opposuit? cum accinctus & minax disertam quidem, sed inexercitatam ejusmodi certaminum & rudem Helvidii sapientiam elusit.* Jam & de gratia apud Principem, ibidem de illis duobus: *Multos jam annos, ac donec libuit, principes fori, nunc principes in Cæsaris amicitia agunt feruntque cuncta.* Lipsius.

1 *Cœptam libertatem*] Prisci libri, *cœptatam.* ex quo velim, *cœptatam tantum.* Lipsius.

*Cœptam libertatem*] Cape inceptam. *Ferretus.* Vulgo, *cœptam.* Sed Florent. & alios veteres secutus reposui, *cœptatam.* Pichena. Non abhorreo ab eo quod servat edit. Ven. *cœptatam.* tanto quidem minus, quod proxime usurparit. *Simul eos qui cœptam* &c. neque iteret facile voces easdem admittatque alteram analogia. *Gruterus.*

2 *Octavium Sagittam*] Adjiciunt Flor. & Ven. *Octavium Sabinum Sagittam.* tamen lib. 13. ubi de hac re fit mentio, nulla est additio. *Pichena.* Immo triplex hoc nomen sic quoque editum ab Beroaldo, ut videtur, fideliter adhærente membranis illis veterrimis. *Jac. Gronovius.*

3 *Manlius Patricius*] Vatic. & Rom. *Patruitus.* Fortasse, *Patruinus,* quod nomen in Symmachi epistolis plus semel leges. *Lipsius.*

*Manlius Patruitus ordinis Senatorii*] Reposui ex Flor. *Patruitus,* pro *Patricius,* ut vulgo. In eod. lib. pro *ordinis Senatorii*, legitur, *Senator.* Sed nihil muto. *Pichena.* Cum & Vat. & Flor. item edit. Rom. prima retineant uno consensu, *Patruitus*, vel ea de causa hic auctori redonandum erat. *Gruterus.*

4 *Pulsatum se in colonia*] Grande priscis illis moribus crimen. nam nec convicio Senatorem aspergere licebat impune. Arnobius lib. IV. *Magistratum in ordinem redigere, Senatorem aut convicio prosequi, fuit esse decrestis periculosissimum pœnis.* Salvianus lib. VI. *Illustrem ac præpotentem virum nequaquam exhonorari à quoquam licet; & si quisquam exhonoraverit, decretis legalibus reus sistitur, & injuriarum auctor jure damnatur.* Lipsius.

*Colonia Senensi*] *Seniensi* in Vatic. semper. *Idem.* Cui loco quod fatum fuerit, enarrant notæ Cl. Ryckii; interim optime consuluisse, qui literæ i locum concesserunt, patet ex hac inscriptione apud Fabrettum: *L. Aurelio L. L. Victori. domo. Aiquo. Aug. &. Seniae. Sac. prim. corp. Augustalium. ornat. ornam. decurionalib. plebs. Seniensium. aere. conlato. curant. Aur. Secund.* Seniæ ad DD. Cosmi & Damiani. *Jac. Gronovius.*

5 *Jussu magistratuum*] Decuriones intelligit. hi enim proprie magistratus muncipales sunt Jurisconsultis. *Alciatus.*

6 *Planctum & lamenta*] An Senienses lasciviæ causa iis similia in Manlio lusere, quæ Apulejus in Thessalia passus est, dum Risus anniversarius dies celebratur? certe enim hæc, *planctum & lamenta,* &

nius Flamma Cyrenensibus damnatur, lege repetundarum, & exsilio ob sævitiam.
Inter quæ militaris seditio prope exarsit. Prætorianam militiam repetebant à Vitel- 46
lio dimissi, pro Vespasiano congregati: & [1] lectus in eandem spem è legionibus mi-
les, promissa stipendia flagitabat. Ne Vitelliani quidem, [2] sine multa cæde, pelli
poterant. Ingressus castra Mucianus, quo rectius stipendia singulorum spectaret,
suis cum insignibus armisque victores constituit, modicis inter se spatiis discretos.
Tum Vitelliani, quos apud Bovillas in deditionem acceptos memoravimus, ceteri-
que per urbem, & urbi vicina conquisiti, producuntur prope intecto corpore. *Eos*
Mucianus *diduci, & Germanicum Britannicumque militem, ac si qui aliorum exercituum,*
*separatim assistere* jubet. Illos primus statim aspectus obstupefecerat. cum ex diverso
velut aciem telis & armis trucem; semet clausos nudosque & illuvie deformes aspice-
rent. Ut vero huc illuc distrahi cœpere, metus per omnes, & præcipua Germani-
ci militis formido, tamquam ea separatione [3] ad cædem destinarentur. [4] prensare
commanipularium pectora, cervicibus innecti, suprema oscula petere, *ne desererentur*
*soli, neu in pari causa disparem fortunam paterentur:* modo Mucianum, modo absentem
principem, postremum cælum ac deos obtestari. donec Mucianus, *cunctos ejusdem*
*sacramenti, ejusdem imperatoris milites* appellans, falso timori obviam iret. Namque
& victor exercitus clamore lacrymas eorum juvabat. Isque finis illa die. Paucis post
diebus, alloquentem Domitianum firmati jam excepere. [5] Spernunt oblatos agros,
*militiam & stipendia* orant. Preces erant, sed quibus contradici non posset. igitur in
prætorium accepti. Dein quibus ætas & justa stipendia, dimissi cum honore, alii
ob culpam: sed carptim, ac singuli. quo tutissimo remedio, consensus multitudinis
extenuatur. Ceterum verane pauperie, [6] an uti videretur, actum in senatu, *ut* [7] *sexcen-* 47
*ties*

*& supremorum imaginem præsenti sibi circumdata* lusum sapiunt, quo ille vivus ut vita functus à Seniensibus habitus sit. *Salinerius.*

1 *Lectus in eandem spem miles*] Ex Flavianis partibus; ut vero quam simillimum videatur, multos legionariorum facilius inductos, ut isti se rei miscerent, tanta beneficii spe. *Savilius* Magis placet, *erectus in eandem spem*, pro eo quod vulgo legitur, *electus* &c. *Ursinus.* Muretus, *erectus.* quod sententiam corrumpit. Miles quia in spem prætorianæ militiæ electus erat repetentibus eam aliis, promissam sibi flagitabat. *Acidalius.*

2 *Sine multa cæde pelli poterant*] Plura hic in Flor. adjiciuntur: *pelli poterant, sed immensa pecunia ser.* Post hæc paginæ transpositio ibi à librario facta fuit, sed adeo evidens, ut nullam pariat confusionem. *Pichena.*

3 *Ad cædem destinaretur*] Nos, *destinarentur.* Rhenanus.

4 *Prensare commanipularium*] Ita lego. non tamen male, *prensare commanipulares, pectori, cervicibus innecti.* Lipsius.

*Prensare commanipularium pectora cervicibus injecta*] *Prensare* verbum delevimus, & pro *commanipularium* scripsimus, *cum manipularium*, pro *injecta, invecti. destinarentur, cum manipularium pectora cervicibus invecti, suprema oscula petere.* hoc est, petebant. *Invecti* significat impetum cervices sociorum amplexantium. *Rhenanus.* Quid est *prensare pectora?* inusitata locutio, absurda sententia. quod Lipsius intellexisse postea videtur, cum priori emendationi diffidens, non male etiam scribi posse, *prensare commanipulares, pectori, cervicibus innecti.* Pejus hoc multo quam prius. Nam præterquam quod nec *pectori innecti* recte dixeris, inæqualis etiam structura redditur. At tu pro *pectora* rescribe minima facillimaque mutatione *dexteras.* Sic sibi conveniunt omnia, qua in sensu, qua in sermone: *Prensare commanipularium dexteras, cervicibus innecti, suprema oscula petere.* Acidalius. Non abhorret animus à scriptura Venetæ edit. *cervicibus injecti, suprema oscula petere.* neque alites Rom. quam quod is *injecta.* Gruterus.

5 *Spernunt oblatos agros*] Addidimus pronomen *sibi. Spernunt oblatos sibi agros.* Rhenanns. Addidit Rhenanus vocem. Sed sustuli, quoniam à Flor. aliisque melioribus libris abest, nec videtur necessaria. *Pichena.*

6 *An uti videretur*] Sueton. c. 16. *Initio statim Principatus professus est Vespasianus quadringenties millies HS. opus esse ut resp. stare posset.* Summa, cui parem audivisse non memini, colligit supra trecentos milliones librarum. *Savilius.*

7 *Sexcenties sestertium*] Quindecies centena millia ducatorum quantitas hujus pecuniæ æquat. *Alciatus.* Id est 468750 lib. sterl. *Idem.*

*ties sestertium à privatis mutuum acciperetur.* Præpositusque ei curæ Poppæus Silva-
nus. nec multo post necessitas abiit, sive omissa simulatio. Abrogati inde, legem
48 ferente Domitiano, consulatus quos Vitellius dederat. [1] Funusque censorium Fla-
vio Sabino ductum: magna documenta instabilis fortunæ, [2] summaque & ima miscen-
tis. Sub idem tempus L. Piso proconsule interficitur: ea de cæde quam verissime
expediam, [3] si pauca supra petiero, ab initio causisque talium facinorum non absur-
da. Legio in Africa auxiliaque, tutandis imperii finibus, sub divo Augusto Tibe-
rioque principibus, Proconsuli parebant. Mox C. Cæsar turbidus animi, ac [4] M.
Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam Proconsuli legionem, misso in eam
rem legato tradidit. [5] æquatus inter duos beneficiorum numerus, & mixtis utrius-
que mandatis, discordia quæsita auctaque. [6] Pravo certamine, legatorum jus ado-
levit. diuturnitate officii, vel quia minoribus major æmulandi cura: proconsulum
splen-

1 *Funusque censorium*] Magnifice exstructum significat, & eminenti præ cæteris apparatu, ut censuræ dignitas reliquis præfulgebat, tanquam cujuscunque honoris fastigium. Polybius lib. 6. scribit in funere consulati aut prætorio nonnullos è nobilioribus lectos defuncti pompam duxisse ἐν ἐσθῆτι tantum *περιπορφύρῳ* i. *in veste prætexta purpura*; in funere Censorio ἐν *πορφυρᾷ in purpura.* Idem.

2 *Summaque etiam miscentis*] Rodolphus acute, *summaque & ima miscentis.* Lipsius.

*Summaque etiam miscentis*] Faernus rectissime legebat: *Summaque & ima miscentis.* Ursinus. Constat sententia. Conjectura tamen Rodolphi legentis, *summaque & ima*, mihi prorsus arridet. *Pichena.*

3 *Si pauca supra petiero*] Aut *supra repetiero.* ut in lib. Ann. 16. *De C. Petronio pauca supra repetenda sunt.* ceu vulgo legitur: aut *pauca repetiero.* Nisi quis malit, *subrepetiero.* ut sit verbum ejus formæ, cujus est *prodeambulo, prosubigo, repromitto, adobruo,* & quod apud Livium reperitur, *superincido.* Rhenanus. Muretus, *repetiero.* Melius; sed cur hic auctor veritatis studium testatur? tanquam minus vere illa tradiderit. Videatur vocula excidisse: *quam potero verissime expediam.* ut tanquam in re incerta secuturum se verum, qua possit, profiteatur. Sed credo non *verissime* hic Tacito scriptum, sed *brevissime.* quod postea corruptum ex vitiosa scribendi ratione *urevissime.* Nam hæc auctoris mens, quasi veniam digressus aliquanto longioris orantis: cum alia quædam huc facientia altiuscule repetierit, de cæde ipsa quam brevissime se absoluturum. *Acidalius.*

4 *M. Silanum*] Dio hæc in rebus Caji mire confundit ac miscet. Nec M. Silano Proconsule evenisse divisionem hanc vult, sed ipso L. Pisone. Vide eum: & de hac ipsa cæde Plinium lib. III. epist. VII. *Lipsius.*

5 *Beneficiorum numerus*] Proprie & ex ævi ejus usu accipe Beneficia, promotiones ad altiores ordines sive gradus. Castrense in ea re verbum est, Livio sic usurpatum lib. IV. *Ut tribuni militum à populo seniden crearentur. quæ antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, Dictatorum & consulum ferme fuerant beneficia.* Ciceroni etiam epistola ad Rufum Quæstorem: *De centurionibus tamen & tribunorum militum contubernalibus, res est in integro, genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat.* Nec Valerius alio sensu, lib. IV. cap. VII. scripsit. *Ad equestrem ordinem & splendida militiæ stipendia P. Cælii beneficio pervenerat.* Item Suetonius Tiberii cap. XII. clare: *Venit in suspicionem, per quosdam beneficii sui centuriones.* Noster adæque lib. I. supra. *Primores militum, per beneficia Nymphidii, ut suspectos.* Hi tales, Beneficiarii dicti. Cæsar de Bello civili lib. II. *Petrejus cum prætoria cohorte, barbarisque equitibus paucis, Beneficiariis suis.* Passim in lapidibus: BF. COS. & BF. PR. PR. id est, *Beneficiarius Consulis. Beneficiarius prætoris. Beneficiarius præfecti prætorio,* aut *Proprætoris.* Vegetius restringere nomen videtur: & *Beneficiarii*, inquit lib. II. cap. VII. *ab eo appellati, quod beneficio Tribunorum promoverentur.* Et ad ejus mentem in lapidibus lego ista. In Piceno: BENEFICIARIVS. TRIBVNI. DEINDE. OPTIO. IN. CENTVRIA. Romæ: CORNELIO. MARCIANO. MILITI. COHORT. XII. VRB. BENEF. TRIBVN. Abiisse in aliud officii nomen videtur, ex Tertulliano de Fuga: *In matricibus Beneficiariorum & Curiosorum inter tabernarios, & lanios, & aleones, & lenones, Christiani quoque vectigales continentur.* Lipsius.

*Æquatus inter duos beneficiorum numerus*] Guidus Pancirolus in Notitia imp. Orient. c. 9. & Occid. c. 47. affirmat legendum, *beneficiariorum.* Tamen nihil mutavi, cum idem sensus in utraque voce sit. *Pichena.*

6 *Pravo certamine legatorum*] Distinguendum censeo: *& mixtis utriusque mandatis discordia quæsita, auctaque pravo certamine. Legatorum jus adolevit diuturnitate officii.* Hoc enim ait: dum imperant iisdem uterque suo jure, sæpe contraria, discordia exorta est, & ea *pravo certamine*, dum neuter alteri concedere sustinet, *aucta.* Sed legatorum potestas prævaluit, quia complures per annos eam curam habebant, proconsules quotannis mutabantur, &c. *Gronovius.*

1 *Va-*

splendidiſſimus quiſque, ſecuritati magis quam potentiæ conſulebant. Sed tum le- 49
gionem in Africa regebat [1] Valerius Feſtus, ſumptuoſæ adoleſcentiæ, [2] neque mo-
dica cupiens, ſed affinitate Vitellii anxius. Is crebris ſermonibus, [3] tentaveritne Pi-
ſonem ad res novas, an tentanti reſtiterit, incertum; quoniam ſecreto eorum nemo
affuit, & occiſo Piſone plerique ad gratiam interfectoris inclinavere. Nec ambigi-
tur, provinciam & militem, alienato erga Veſpaſianum animo fuiſſe, & quidam e
Vitellianis urbe profugi, oſtentabant Piſoni *nutantes Gallias*, *paratam Germaniam*, *pe-
ricula ipſius*, [4] *& in pace ſuſpecta tutius bellum*. Inter quæ Claudius Sagitta, [5] præ-
fectus alæ Petrinæ, proſpera navigatione prævenit Papirium centurionem, à Mucia-
no miſſum: aſſeveravitque *mandata interficiendi Piſonis*, *centurioni data*. [6] *Cecidiſſe
Galerianum*, *conſobrinum ejus generumque. Unam in audacia ſpem ſalutis. Sed duo iti-
nera audendi*, *ſeu mallet ſtatim arma*, *ſeu petita navibus Gallia*, *ducem ſe Vitellianis exer-
citibus oſtenderet.* Nihil ad ea moto Piſone, [7] centurio à Muciano miſſus, ut por-
tum Carthaginis attigit, magna voce, [8] læta Piſoni omnia, tamquam principi con-
tinuare; obvios & ſubitæ rei miraculo attonitos, ut eadem adſtreperent, hortari. vul-
gus credulum, ruere in forum, *præſentiam Piſonis* expoſcere. Gaudio clamoribuſque
cuncta miſcebant, [9] indiligentia veri, & adulandi libidine. Piſo indicio Sagittæ,
vel inſita modeſtia, non in publicum egreſſus eſt, neque ſe ſtudiis vulgi permiſit.
Centurionemque percunctatus, poſtquam [10] *quæſitum ſibi crimen cædemque* comperit:
*animadverti in eum* juſſit, haud perinde ſpe vitæ, quam ira in percuſſorem, quod
idem ex interfectoribus Clodii Macri, cruentas legati ſanguine manus, ad cædem
proconſulis retuliſſet. Anxio deinde edicto Carthaginenſibus increpitis, ne ſolita
quidem munia uſurpabat, clauſus intra domum, ne qua motus novi cauſſa vel forte
oriretur. Sed ubi Feſto conſternatio vulgi, centurionis ſupplicium, veraque & fal- 50
ſa, more famæ, in majus innotuere, equites in necem Piſonis mittit. Illi raptim
vecti, obſcuro adhuc cœptæ lucis, domum proconſulis irrumpunt, deſtrictis gladiis,
& magna pars Piſonis ignari: quod Pœnos auxiliares, Mauroſque in eam cædem
delegerat. haud procul cubiculo, obvium forte ſervum, *quiſnam*, *& ubi eſſet Piſo?*
interrogavere. Servus egregio mendacio, *ſe Piſonem eſſe* reſpondit: ac ſtatim obtrun-
catur.

1 *Valerius Feſtus*] Plinius lib. III. epiſt. VII. *Nuper L. Piſo*, *pater illius*, *qui à Valerio Feſto per ſummum facinus in Africa occiſus eſt.* Lipſius.

2 *Neque modica cupiens*, *ſed affinitate Vitellii anxius*] Codex Matthiæ Corvini, *neque modica cupido ſi affinitate Vitellii anxius. Is cr.* Forte ſcribendum: *Neque modice cupidus*, *affinitate Vitellii anxius is*, *crebris* &c. *Rhenanus.* Interpungendus & ſcribendus ita locus hic eſt: *neque immodica cupiens*; *ſed affinitate Vitellii anxius is*, *crebris ſermonibus tentaritne*, &c. *Vertranius.* Non male etiam Rom. edit. *& adfinitate*; ut & hoc inter cauſas fuerit, cur citius tranſiret ad res novas. *Gruterus.*

3 *Tentaritne Piſonem*] Flor. ac Ven. *tentaveritne.* Pichena.

4 *Et pace ſuſpecta tutius bellum*] Sic Faernus legebat, deleta, *in*, præpoſitione. *Urſinus.* Muretus *in* tollit. Ego poſſim etiam hic ferre. *Acidalius.* Omnino emendandum, *& pace ſuſpecta.* Sic & ſupra habemus pacem miſeram bene vel bello mutari. *Grotius.*

5 *Præfectus alæ Petrinæ*] In Notitia Imperii. *Præfectus alæ Petrianæ* legitur in Britannia *per Lineam Valli.* Ubi Linea Valli, non aliud eſt quam tractus ille ad Vallum à Severo aliiſque extructum. *Lipſius.*

6 *Cecidiſſe Galerianum*] In cod. Matthiæ Corvini legitur, *ceſſiſſe.* Scripſerim, *cæſos eſſe Galer.* Rhenanus.

7 *Centurio à Muciano miſſus*] Particulam *à* ſubmovimus. *Idem.*

8 *Læta Piſoni omnia*] Lego *omina.* quod miror tot locis, nondum etiam hic, emendatum. *Acidalius.*

9 *Indulgentia viri & adulandi libidine*] Fœdus lapſus eſt in duobus iſtis vocabulis, *indulgentia viri.* Caſtigavimus, *indiligentia veri*, hoc eſt, quod forent indiligentes in perſcrutanda veritate rei. *Rhenanus.*

10 *Quæſitum ſibi crimen cædemque comperit*] Senſus eſt, centurionem lætas illas voces vulgaviſſe, ad tentandum Piſonis animum: ut ſi alacrem vidiſſet, para-

catur. nec multo post, Piso interficitur. Namque aderat, qui nosceret, Bebius Massa e procuratoribus Africæ: jam tunc optimo cuique exitiosus, & in caussas malorum, [1] quæ mox tulimus, sæpius rediturus. Festus Adrumeto, ubi speculabundus substiterat, ad legionem tendit præfectumque castrorum Cetronium Pisanum vinciri jussit, proprias ob simultates: sed *Pisonis satellitem* vocabat, militesque & centuriones quosdam [2] puniit, alios præmiis affecit: neutrum ex merito, sed ut oppressisse bellum crederetur. [3] Mox Ophensium, Leptitanorumque discordias componit,

paratumque ad capessendum imperium, conscientiam criminis in eo magis argueret, & sic justius ac majori ludibrio illum occideret; Pisonem autem, cognito centurionis dolo, jussisse in eum animadverti. *Pichena.*

1 *Quæ mox tulimus*] Tempore Domitiani. Tac. in vita Agric. Plinius in epistolis. *Savilius.*

2 *Punit*] Nos, *puniit*. Rhenanus.

3 *Mox Ophensium*] Rodolphus voluit, *Ruspensium*: sed à conjectura. Ophensium quidem non alibi mentio in hoc tractu: & putamus rectissime emendatum iri, *Oeensium*. statimque, *populus Oeensis*. Rem tetigi. Te advoco C. Plini, in meam fidem & Taciti lucem. Scribis lib. v. cap. v. his ipsis verbis: *Ad Garamantas iter inexplicabile adhuc fuit. Proximo bello quod cum Oeensibus Romani gessere, initiis Vespasiani Imperatoris, compendium via quatridui deprehensum est.* Quod illud bellum sub initia Vespasiani, nisi istud? Itaque Plinio quoque prælucent clare hæc Corneliana. Tempus, situs nomen, omnia conveniunt: & est hoc illud ipsum celebre opidum, unde Pudentilla Apuleji, ut ipse Apologia commemorat. Scripsit & Orationem, *Pro statua sibi Oea locanda.* Lipsius. Ab cujus & Cujacii tempore hanc emendationem celebrat Ortelius: unde ad hanc ætatem quoties dictus Hylas? Etiam novissime Ryckio, sed ut nihil diceret quod vel referret dici, aut notum non foret, aut suum posset dicere, nisi quod veretur ab *Aspis* aliquos derivaturos *Aspensis* ἐθνικὸν scilicet typo Africano, quum in manibus esset Leptis. Nam locum hunc Taciti cum Silio & Ammiano & cum ipso Plinio junctim jam produxerat & emendaverat excellens ille Hieronymus Surita ad itineratium Ant. Aug. pag. 228. & seq. Nonne hæc temporibus bene divisa? Quid quum ante tot annos jam Holstenius vidit & producere potuit nummos Romanis verbis & literis conscriptos, in quibus memorarctur hæc OEA, mox item Vaillantius vindicans tacitum Harduini furtum, cui se is solet innectere. In hoc autem nummo est expressus fasciculus spicarum, pignus nempe fertilitatis frumenti inde soliti in Italiam avehi, ut pars hæc fuerit præcipua provinciæ Africæ frumentatiæ. Hæc quum ita sint, I an non æquabilior & justior mea causa est, quum in Suetonii Augusto cap. 4. pro illo, qui in editionibus copulantibus literas, quas oportebat separari, vane exponitur & ab omnibus ignoratur *Nerulonensis mensarius*, eum expungens reposui *Nerul Oeensis mensarius.* certe non tantum illic muto, quantum in Tacito universa doctorum hominum cohors. Sed contra id ita insurrexit adversarius meus, ut pateat cerebrum sibi ipsum minuisse ad tam præcocem decessum. Cassius enim illic non negavit eum fuisse Afrum; imo quum Suetonios de Antonii Afra exprobratione dixisset, Cassium ita adjicit, ut de ista progenie adsentientem. Quum enim de ea ut tam Romanis vituperata dixisset Antonius, haud dubie aliquid etiam de ista dicturus fuit, si aliunde venisset, hic Cassius; sed nihil de illa ex Cassio citavit Suetonius, quia in ista parte concors fuit Antonio, & hinc ex Cassio tantum incipit loqui de pistore, & vel maxime, quia in ipsa citatione loci Cassiani appariturum foret vituperium de Africa illic in propatulo monstratum iri. Unde stolide in parte illa vehementiam suam ratiocinandi exercuit. Quanto indoctior est, dum ab eo jungitur *Afri*, *Oeensis*, *Barbari* non semel, sed rursus *Afer & ut ex nomine videretur colligendum*, *Barbarus.* Non convenit *Oeensis Barbarus* tempore Julii & Augusti: erant & politi Oeenses, assiduis illis circa Byzacinm commerciis & præsertim Romanis frumentationibus. Ex majore jam mentis imminutione scripsit sequens (cave quæras, ubi in Historia reperiatur iste Oeensis mensarius, immo ipsum illud nomen *Nerul* cujuscunque tandem hominis. Incassum enim id quæreres.) Atqui vidit illud sub oculis positum, & quum ex Cassio notavisset Suetonius, quem media ætas male tractavit, connectendo quæ ditimi oportuit, plane id ipsi offerebat Suetonius, qui nequivit curare, quoties per historiam nominatus occursurus esset Nerul, non magis quam alii *Kisvil*, *Agdibil* in Africanis Inscriptionibus. Sed sufficit semel ibi apparere in Suetonii loco decerpto ex perdita Epistola Cassii. Illa ejus generis sunt, ut semel audire sit satis ad risum. Magis insanientis est, quod subnectit [Suetonium aliosque, quando aliquem ex minori oppido remotioris provinciæ dicunt ortum, provinciæ nomen addere solere, sicuti in Vespas. 3. *Sabratensis ex Africa.*] Componat igitur Oeam cum ista urbe, unde est gentile *Sabratensis*, & ostendat monumenta similia horum Sabratensium, qualia ostenduntur de Oea. Hoc certe incassum quæret. Notissima Romanis fuit Oea. Ille tamen pergit duplicare hoc teterrimum mendacium, quasi populus Romanus minus nobilia provinciarum oppida solis suis nominibus non ita facile agnoscebat, tan-

nit, quæ raptu frugum & pecorum inter agreſtes, modicis principiis, jam per arma
atque acies exercebantur. Nam populus Ophenſis multitudine inferior, Garamantas
exciverat, gentem indomitam, & inter accolas latrociniis fecundam. [1] Unde artæ
Leptitanis res, lateque vaſtatis agris, intra mœnia trepidabant. donec interventu
cohortium alarumque, fuſi Garamantes, & recepta omnis præda, niſi quam vagi
per inacceſſa mapalium, ulterioribus vendiderant. At Veſpaſiano poſt Cremonen- 51
ſem pugnam, & proſperos undique nuntios, *cecidiſſe Vitellium*, multi cujuſque ordi-
nis pari audacia fortunaque hibernum [2] mare aggreſſi nuntiavere. Aderant legati re-
gis Vologeſi, [3] *quadraginta Parthorum equitum millia* offerentes. Magnificum læ-
tumque tantis ſociorum auxiliis ambiri, neque indigere. Gratiæ Vologeſo actæ,
mandatumque *ut legatos ad ſenatum mitteret, & pacem eſſe ſciret.* Veſpaſianus in Ita-
liam, reſque urbis intentus adverſam de Domitiano famam accipit: *tamquam terminos
ætatis, & conceſſa filio egrederetur.* Igitur validiſſimam exercitus partem Tito tradit,
ad reliqua Judaici belli perpetranda. Titum, [4] antequam digrederetur, multo apud 52
patrem ſermone oraſſe dicebatur, *ne criminantium nuntiis temere accenderetur: inte-
grumque ſe ac placabilem filio præſtaret. Non legiones, non claſſes, perinde firma imperii
munimenta, quam numerum liberorum. Nam amicos tempore, fortuna, cupidinibus ali-
quando, aut erroribus, imminui, transferri, deſinere: ſuum cuique ſanguinem indiſcre-
tum, ſed maxime principibus: quorum proſperis & alii fruantur, adverſa ad junctiſſimos
pertineant. ne fratribus quidem manſuram concordiam,* [5] *ni pater exemplum præbuiſſet.*
Veſpaſianus haud æque Domitiano mitigatus, quam Titi pietate gaudens, [6] *bono eſſe
animo* jubet, *belloque & armis rempublicam attollere: ſibi pacem domumque curæ fore.*
Tum celerrimas navium frumento onuſtas, ſævo adhuc mari committit. Quippe
tanto diſcrimine urbs nutabat, ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis
fuerit, cum à Veſpaſiano commeatus ſubvenere. [7] Curam reſtituendi Capitolii 53

[1] in

tanquam hic negotium eſſet de vili quadam & rudi parte populi Romani, & non de duobus ingenua eruditione inſtructiſſimis, & ſane ingenium vel maxime excitantibus ad acumina. Patet igitur inſulſa & inſipida eſſe ejus oppoſita, unde amiſſo freno ac rupto quorſum non delirat? Ait illum qui legitur nunc apud Suetonium Nerul Oeenſis menſarius (neque enim per me illic ſcribitur litera incipiente majuſculam) ſine dubio nunquam nec fictum, nec formatum extitiſſe in rerum natura. Quid ergo? an a me id adſeveratur? Sed ille miſer jam mente truncus nequit cogitare nunc agi de convitiis, non de veritate exiſtentiæ. In convitiis autem quæ non effutiit noſtri improbiſſimum os? cujus reliqua riſu explodenda. *Jac. Gronovius.*

1 *Unde arta Leptitanis res*] Scripſerim, *unde artæ L. res.* Res enim quando hoc ſignificatu ponitur, plurali numero ſemper, ni fallor, utimur. Eadem phraſis ſupra H. 3, 69. *ni ſubveniretur, artas res nuntiaret.* Freinshemius.

2 *Mare aggreſſi*] Alias, *ingreſſi.* Ferretius.

3 *Quadraginta Parthorum*] Nec nimis pro illo rege, & militia totius gentis equeſtri. Idem numerus in Suetonio, cap. VI. *Vologeſum promiſiſſe XL. millia ſagittariorum.* Non pugnat. nempe equites illi Sagittarii, ut ſolent, & Hippotoxotæ. Quidam tamen libri in Suetonio XV. M. nec audio. *Lipſius.*

*Quadraginta millia equitum Parthorum*] 40 *millia ſagittariorum*, ait Sueton. Veſp. 6. eadem cum Tacito ſententia, Parthi enim erant ἱπποτοξόται, id eſt, *ex equis militabant arcu.* Savilius.

4 *Antequam digrederetur*] A patre Alexandria, quem eo uſque ſecutus erat, inde digreſſus Cæſaream, quod iter ſpeciatim deſcribit Joſephus ſub finem 4. libri περὶ ἁλώσ. *Idem.*

5 *Ni pater exemplum*] In cod. Matthiæ Corvini, *ni parens e.* Rhenanus. Flor. *ni parens* &c. *Pichena.*

6 *Bono eſſe animo jubet*] Verbum *jubet* non eſt in cod. Manuſcr. Verum illic legitur *attollere*, quemadmodum & nos ſcripſimus. *Rhenanus.*

7 *Curam reſtituendi Capitolii confert*] Confert in illum jam dictum. Sed adfuit igitur Veſpaſianus, an abfuit? Adfuiſſe Suetonius fortiter dicit, cap. VIII. *Ipſe reſtitutionem Capitolii aggreſſus, ruderibus purgandis manus admovit PRIMUS, ac ſuo collo quædam extulit.* Simile & in Dionis compendio legas. At Taciti verba & narratio aliorſum eunt, & omnia ſunt, ut Veſpaſiano abſente. Si præſens, cur in alium transfert? cur nec nominatur quidem?

1 in L. Vestinum confert, equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres. Ab eo contracti haruspices, monuere, *ut reliquiæ prioris delubri in paludes aveherentur, templum iisdem vestigiis sisteretur. nolle deos mutari veterem formam.* Undecimo kalendas Julias, serena luce, spatium omne quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque. 2 Ingressi milites, quis fausta nomina, 3 felicibus ramis. dein virgines

dem? cur cetera omnia, quæ temporum serie narrantur, illo absente gesta? Ego nihil nisi pugnam manifestam hic video, & libens audiam (paci amicus sum) conciliantem. *Lipsius.*

*Curam restituendi Capitolii*] Plerique scriptores stant hic contra Tacitum. Sane puto Vespasianum fundando Capitolio adfuisse. Sueton. Vesp. 8. Xiphilin. τὸν νεὼν τὸν ἐν Καπιτωλίῳ εὐθὺς οἰκοδομεῖν ἤρξατο, αὐτός τε τοῦ χοῦ πρῶτος ἐκφορήσας, i. *protinus animum adjecit ad struendum in Capitolio templum, primusque rudera efferre cœpit.* Tamen apud Tacitum præcipuæ dignitatis in hoc negotio præsens, Helvidius Priscus est, prætor urbanus, summo, si Consules abfuissent, loco. Equidem seposita Taciti auctoritate, contra quem ne viginti quidem istius generis scriptores præponderent, non video quomodo Vespasianus Romam intrasse potuerit ante vigesimum primum Junii. Alexandriæ enim aliquot menses egit, inquit Tacitus, *certa maris opperiens.* A decimo autem Novembris usque ad decimum Martii, ait Vegetius 4, 39. *maria clauduntur*; à decimo Martii ad decimum quintum Maji *periculosa maria tentantur*, neque facile se quisquam iis committebat nisi mercator; ut ante aut circa dimidium Maji Alexandria solvisse non videatur. Zonaras vult longe diutius proposito in Ægypto substitisse, quod speraret expugnatum interim iri Hierosolyma ante discessum, ut tum quoque profecturus Romam Titum haberet comitem. Præterea, Vespasiani iter eo institutum, fuit tardum & plerumque terrestre, magnis negotiis occupatum, ut Josephus ἁλώσ. 7. c. 5. & 10. Suetonius & alii testantur. Ut, omnibus pensitatis, Romam ingredi non potuerit, nisi declivi jam æstate, & interesse non potuerit Capitolii fundationi. *Savilius.*

1 *L. Vestinum equestris ordinis*] Estne ille, de quo Oratione pro Gallis Claudius Cæsar? *Ex qua Colonia* (Viennensi) *inter paucos equestris ordinis ornamentum L. Vestinum familiarissime diligo.* Ego puto. idque paullo certius, quam eumdem Martiali intelligi, lib. IV. Epigr. XXIX.

*Cum gravis extremas Vestinus duceret horas,*
*Et jam per Stygias esset iturus aquas:*
*Ultima volventes oravit pensa sorores,*
*Ut traherent parva stamina pulla mora.*
*Tum largas partitus opes, à luce recessit:*
*Seque mori post hæc credidit ille senem.*

Nam hic fuerit potius filius ejus: qui videtur è clausula juvenis obiisse. *Lipsius.*

*In L. Vestinum*] Hic est à Claudio in Lugdunensi tabula memoratus, ex colonia Viennensi, equestris ordinis ornamentum, ab illo familiarissime dilectus. *Vertranius.*

2 *Quibus fausta nomina*] Non, *omina*, ut vulgo. Vaticanus ita jubet, & mos religionis priscæ. quibus magnæ curæ ut in his talibus initiis homines præessent aut interessent bono nomine. id est: è quorum nominibus captari velut augurium aliquod posset prosperitatis & diuturnitatis. Talia sunt, Salvius, Longinus, Statorius, &c. Mala contra, è quibus triste aliquod, infirmum, breve. ut Curtius, Minucius, Furius, Hostilius, Cicero de divinat. *Cum Imperator exercitum, Censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur: quod idem in delectu Consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Plinius: *Publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prospera eligimus.* Tale vaticinium lenonis illius Plautini, in Lucride:

*Nomen atque omen quantivis est pretii,*
*Mihi quoque Lucridem confido fore te.*

Adi & Festum in Lacus Lucrinus. *Lipsius.*

*Ingressi milites, quibus*] Non hæc a superioribus puncto divellenda fuerant. Tu junge: *evinctum vittis coronisque ingressi milites* &c. Continua enim oratio inde ab illis, *Undecimo Kal. Jul.* ad verbum *perluere* decurrit, in eoque comprehensio & sensus ipse sistitur. *Acidalius.*

*Quibus fausta nomina*] Cic. de divin. *Cum Imperator exercitum, Censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur: quod idem in delectu Consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Savilius. Ita jam pridem Faernus emendavit, adductus Cic. loco ex lib. 1. de Divin. & Plin. 28, 2. In quo est: *Cur publicis lustris etiam nomina victimarum ducentium prospera legimus.* Ursinus. Congruit Flor. cum Vat. in voce, *nomina.* Male vulgati, *omina.* Vide Lipsium. *Pichena.* Si idem est ad hanc rem *omen* quod *nomen* cur emendamus? Idem autem esse docent ea, quæ vir doctiss. è Plauti transcripsit Persa Virgini *Lucridi nomen in patria fuit.* To. *nomen atque omen quantivis est pretii.* Quibus enim est nomen faustum, iisdem etiam omen esse faustum dici potest. Plaut. Pseud. *euge jam χαῖρε, ὄναρ volo* i. *salve, omen.* Salinerius. Interim edidi, prout simpliciter annotavi in MS. Mediceo esse, non *qui fausta nom.* ut proditur ab Ryckio, quum satis clare in scedis meis sit descriptum. *Jac. Gronovius.*

3 *Felicibus ramis*] Id est, è felici arbore (dis grata, interpretatur Macrobius) decerptus. Ammianus

gines Vestales, cum pueris puellisque patrimis matrimisque, [1] aqua rivis & fontibus amnibusque hausta, perluere. Tum Helvidius Priscus prætor, præeunte [2] Plauto Eliano pontifice, [3] lustrata suovetaurilibus area, & [4] super cespitem redditis extis, *Jovem*,

nus in religione simili, lib. XXIX. *Linteis quidam indumentis amictus, torulo capite circumflexo, verbenas felicis arboris gestans.* Huic usui maxime Laurus. Livius lib. XL. *Omnes coronati & lauream in manu tenentes supplicaverunt.* Suidas: Αἰσακος. ὁ κλάδος τῆς δάφνης, ὃν κατέχοντες ὕμνουν τοὺς θεούς: *Aisacus. ramus lauri, quem manu tenentes deos celebrabant.* Lipsius.

1 *Aqua perluere*] Solenni & usitata lustratione, publice privatimque recepta. Tertullianus de Baptismo: *Ceterum villas, domos, templa, totasque urbes aspergine circumlata aqua expiant passim.* Huic rei & περιρραντήρια vasa in templis, aqua lustrali plena, qua sacerdotes aut æditui intrantes aspergerent, aut etiam ipsi sese. Sozomenus: Θαλλούς τινας διαβρόχους κατέχων ὁ ἱερεύς, νόμῳ Ἑλληνικῷ περιέρραινε τοὺς εἰσιόντας: *Ramos quosdam madidatos sacerdos tenens, aspergebat ritu Græcorum sive Gentilium, intrantes.* Ovidius:

*Udaque rorales laurea misit aquas.*

Insignem ad hanc ablutionem locum abluo, Asconii In Divinationem: *Alii delubra dicunt ea templa, in quibus sunt labra corporum abluendorum mortuorum, ut Dodonai Jovis aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque visuntur.* Fallor, aut τὸ *mortuorum*, ab inepto glossographo est: nec aliunde Delubra derivari vult, quam ab illa in templorum vasis aqua ad deluendum. *Idem.*

*A quatrimis & fontibus omnibusque hausta pluere*] Dii boni quam est hæc clausula prodigiosis mendis obsita, restituimus, *Aqua, rivis & fontibus amnibusque hausta, perluere.* Rhenanus. In vv. cc. est *aqua trinis è fontibus, amnibusque hausta.* Quæ lectio non displiceret, si aliquo antiquitatis testimonio confirmaretur. Ant. Augustinus legebat: *Aqua è rivis, & fontibus amnibusque hausta perpluero.* &c. *Ursinus.* An credibile est hunc locum ita potuisse circumiri & tractari ab viris doctis, ut tanto tempore non denique purgatum plene abluerent? Nam ut certe constaret nihil hic perfecte actum esse, ecce & Ryckii illud *vicinis e fontibus*, quod procul dubio hausit ex syllabæ unius in MS. sæpe omissæ observatione. Sed quis ad sacra requisivit vicinos fontes? Locus utique Ciceronis huc non pertinet; utique in augurum Romanorum precatione nullus Danubium aut Euphraten requisivit. Quod dubitat an Taciti lingua *rivi & fontes amnesque*, sane si debuerunt nominari & sic conjungi, cur id Tacitus non faceret? perinde ut Livius 4, 30. *Terra vix ad perennes suffecit amnes. defectus alibi aquarum circa torridos fontes rivosque.* Propterea agnosce quam egregie ritum veterem expresserit Tacitus, qui scripserat *aqua vivis e fontibus amn. hausta.* Hæc illius proprietas est, ubique indicata, vel per Scaligerum, dum in Propertio 1, 18. correxit *Pro quo, Di! Vivi fontes & frigida rupes*, vel per Heinsium patrem, dum in Silii lib. 8. illustrat *Ac vivo purgor in amni*, vel per Nicolaum filium, dum ad Ovidii Amores 3, 6, 59. notans vocem *vivus* sæpe ad res non animatas transferri etiam scribit sic *vivi fontes* occurrere. Ipse Livius 1, 45. *Quin tu ante vivo perfunderis flumine.* Millies alibi, & præsertim apud poetas, ut patuit. Itaque nullus dubitavi sic edere. Sed in loco Propertii tamen non ita mihi blandiuntur Scaligeriani *vivi fontes*, ut quidem isti militi anonymo, judicanti *optime & ex tripode.* Nam *vivi fontes* nunquam dicuntur nisi in melius aut ad sacra: quibus componi nequit aut *frigida rupes* aut *dira quies*, ut potius illic cogitari debeat, an non poeta dixerit *Pro quo, Di, rivi, fontes & frigida rup.* Jac. Gronovius.

2 *Plauto Eliano*] Vatic. Barbare vulgo, *Eliatius.* Lipsius.

*Plautio Æliano*] Ita legendum ex vv. cc. *Ursinus.*

3 *Lustrata bove taurisque*] Vera dictio, *Suovetaurilibus.* Præit Vatic. in quo, *bovetaurilibus:* & Covarruviæ, qui, *bovetauribus.* Scilicet prisci in lustrationibus aut piamentis hoc sacrificii genus adhibebant, solenni ritu. Livius lib. IX. *Telo potiri hostem fas non est: si potiatur, Marti Suovetaurilibus piaculum fieri.* Tacitus 6. Annal. 37. *Sacrificantibus, cum hic more Romano Suovetaurilia daret, ille equum placando amni.* Cato de re Rustic. *Cum Divis volentibus, quodque bene eveniat, mando tibi Mani, uti illace Suovetaurilia, fundum, agrum, terramque meam, quota ex parte circumferenda censeas, uti cures lustrare.* Quæ victimæ in hoc sacro, etsi vox indicat, clare etiam Varro lib. II. De re Rust. *Populus Romanus cum lustratur Suovetaurilibus, circumaguntur verres, aries, taurus.* Et Quinctilianus: *Nam Suovetaurilia jam persuasum est esse ex sue, ove, & tauro.* Solitaurilia hæc etiam dicta, docebit te Festus. nec abeunt à Græcorum veteri sacro, quod illi τριττύν dicebant. de quo Eustathius, aliique. *Lipsius.*

*Lustrata Suovetaurilius area*] Ita scribendum: ut jam pridem emendavimus ex vv. cc. & ipsa antiqui ritus notitia. *Ursinus.* Vulgo, *bove taurisque.* Emendavit Lipsius. & Florent. annuit, qui habet, *bovetaurilibus.* Pichena. Non animadvertit vir solertissimus, nimio corrigendi pruritu corruptus Capitolino Jovi vaccam simul & taurum auratis cornibus immolari solere. Serv. 9. Æneid. quod vulgatam Taciti probat lectionem, quæ commutata priscæ religionis ritum penitus exsuit. *Gutherius.* Abstine contumeliam. Recte Lipsius. non enim de sacrificio Jovi uni faciendo agitur, sed de area

 lustran-

*Jovem*, *Junonem*, *Minervam*, *præsidesque imperii deos* precatus *uti cœpta prosperarent*,
*sedesque suas pietate hominum inchoatas*, *divina ope attollerent*; vittas [1] quis ligatus la-
pis innexique funes erant, contigit. Simul ceteri magistratus, & sacerdotes, & se-
natus, & eques, & magna pars populi, studio lætitiaque connixi, saxum ingens
traxere: passimque injectæ fundamentis argenti aurique stipes, & metallorum pri-
mitiæ nullis fornacibus victæ, sed ut gignuntur. Prædixere haruspices, ne teme-
raretur opus saxo aurove in aliud destinato. Altitudo ædibus adjecta. Id solum re-
ligio annuere. & prioris templi magnificentiæ defuisse creditum, quo tanta vis homi-
54 num retinenda erat. Audita interim per Gallias Germaniasque mors Vitellii duplica-
verat bellum. Nam Civilis omissa dissimulatione, in populum Romanum ruere.
Vitellianæ legiones [2] vel externum servitium quam imperatorem Vespasianum malle.
Galli sustulerant animos, eandem ubique exercituum nostrorum fortunam rati: vul-
gato rumore, *à Sarmatis Dacisque Mœsica ac Pannonica hiberna circumsideri:* paria de
Britannia fingebantur. Sed nihil æque, quam incendium Capitolii, ut finem im-
perii adesse crederent, impulerat. *Captam olim à Gallis urbem*; *sed integra Jovis se-
de*, *mansisse imperium*. *Fatali nunc igne*, *signum cælestis iræ datum & possessionem rerum
humanarum Transalpinis gentibus portendi* superstitione vana Druidæ canebant. Inces-
serat que fama [3] primores Galliarum ab Othone adversus Vitellium missos, antequam
digrederentur, pepigisse, *ne deessent libertati*, *si populum Romanum continua bellorum civi-
55 lium series* [4] *& interna mala fregissent*. Ante Flacci Hordeonii cædem, nihil prorupit,
quo conjuratio intelligeretur. Interfecto Hordeonio, commeavere nuntii inter Civi-
lem Classicumque præfectum alæ Treverorum. Classicus nobilitate [5] opibusque ante
alios. regium illi genus, & pace belloque clara origo. Ipse, e majoribus suis, [6] hostis
populi Romani, quam socius jactabat. Miscuere sese Julius Tutor, & Julius Sabinus;
[7] hic

lustranda. Cur autem *tauris* potius diceret quam *tauro* Tacitus? *Grenovius*.

4 *Secundum cespitem*] Nos, *super cespitem*. Rhenanus.

1 *Quibus ligatus lapis*] Floren. *quis lig. l.* Pichena.

2 *Vel externum servitium*] Restitui ex Flor. ac Ven. particulam, *vel*, quæ vim sententiæ addit. *Pichena*. Qui cur eadem opera noluerit indicare mox in eodem MS. legi *finem imperio adesse*, non *imperii*, ut editur, non adsequor, certe officium ejus erat. Bene memini sic loqui Justinum 6, 2. *Quibus futurus imperii finis denuntiabatur* &c. Nihil tamen ideo vetuit Tacitum uti tertio casu: quem tanto verisimilius est ab eo nunc adhibitum, quia & lib. 2. ann. 21. dicit *Solam internecionem gentis finem bello fore*. Cæterum hæc verba bis adhibuit in Dissertationibus Ezech. Spanhemius pag. 855. & 882. In primo loco scribit *infamia illius facti*, *quo multi finem imperii adesse credebant*: in posteriore *qui vel ex Taciti lectione meminit*. *qua consternatio Romæ non solum*. *sed in Provinciis subierit incensa hac Jovis sede*, *qua pignus imperii habebatur*; *& proinde qua deleta finem imperii adesse & possessionem rer. hum. Transalp. gent. portendi audacter canebant Druidæ*. Quam multa iste corripit & miscet ac turbat ad corrumpendam historiam. Quas provincias potest nominare præter has partes solo isto tempore, quo Batavi cœptarunt rebellionem? Druidæ audacter ita cecinissent, si contigisset id ab eis fieri ante motam hanc rebellionem: at tunc tacuerunt; nunc ita præsagiunt non sane audacter, sed ut bene Tacitus, superstitione vana. *Pignus* autem *imperii* non ex interpretatione provincialium vocat Tacitus 3, 72. non ipsorum civium Romanorum, sed tantum ex sua deploratione. *Jac. Grenovius*.

3 *Primores Galliarum*] Hæreo, qui isti, quando & unde ab Othone adversus Vitellium missi; nisi intelligat *Rom. Senatores*, quorum multi origine Galli, in comitatum adsciti ab Othone adversus Vitellium. Sed istius ordinis homines, nisi me fallit conjectura, adeo novis inceptandis studere non solent. *Savillius*.

4 *Et in interna mala fregissent*] Præpositionem *in* erasimus. *Rhenanus*.

5 *Anteibat alios*] Brevius & verius Vatic. & Coverruviæ, *ante alios*. Sic lib. v. Histor. *Templum in modum arcis*, *propriique muri labore & opere ante alios*. Lib. 1. Annal. *Cn. Lentulus ante alios ætate & gloria belli*. Lipsius.

*Opibusque ante alios*] Plerique vet. libri hanc lectionem affirmant, ut testatur Lipsius, & consonat Flor. ideo vulgatæ, *anteibat alios*, præposui. *Pichena*.

6 *Hostis populi Romani*, *quam socius jactabat*] Sic relli-

[1] hic Trevir, hic Lingon. Tutor, ripæ Rheni à Vitellio præfectus: Sabinus, super insitam vanitatem, falsæ stirpis gloria incendebatur, *proaviam suam divo Julio per Gallias bellanti, corpore atque adulterio placuisse.* Hi secretis sermonibus, [2] animos ceterorum scrutari. ubi, quos idoneos rebantur, conscientia obstrinxere, in colonia Agrippinensi, in domum privatam conveniunt. nam publice civitas talibus inceptis abhorrebat. Attamen interfuere quidam Ubiorum, [3] Tungrorumque. Sed plurima vis penes Treveros, ac Lingonas. Nec tulere moras consultandi. certatim proclamant, [4] *furere discordiis populum Romanum, cæsas legiones, vastatam Italiam,* [5] *capi cummaxime urbem, omnes exercitus suis quemque* [6] *bellis distineri. si Alpes præsidiis firmentur; coalita libertate, dispecturas Gallias, quem virium suarum terminum velint.* Hæc dicta pariter, proba- 56
taque. [7] de reliquiis Vitelliani exercitus dubitavere. Plerique *interficiendos* censebant, *turbidos, infidos, sanguine ducum pollutos.* Vicit ratio parcendi: *ne sublata spe veniæ, pertinacia accenderentur. Alliciendos potius in societatem. legatis tantum legionum interfectis, ceterum vulgus conscientia scelerum, & spe impunitatis facile accessurum.* Ea primi concilii forma. missique per Gallias concitores belli. Simulatum ipsis obsequium, quo incautiorem Voculam opprimerent. Nec defuere qui Voculæ nuntiarent. Sed vires ad coërcendum deerant, infrequentibus [8] infidisque legionibus. Inter ambiguos milites, & occultos hostes, optimum e præsentibus ratus, mutua dissimulatione, & iisdem, quibus petebatur, artibus grassari; in coloniam Agrippinensem descendit. Illuc Claudius Labeo, quem captum & [9] extra conventum amandatum in Frisios

restitui. Transmarinum & elegans dicendi genus est, *Jactat esse socius*: quod plebs dixerit, Jactat se socium esse. Homerus:

Ἕκτωρ ὃς Διὸς εὔχετ' ἐρισθενέος πάϊς εἶναι.

& crebro Græci: quos sæpe & vulgo imitati Latini, sed locis hodie fere corruptis. Plautus Asinaria:

*Argenti viginti minæ me modo ad mortem appulerunt,*
*Quas hodie adolescens Diabolus ipsi daturus dixit.*

Ita enim consensu manuscripti. sicut & illo Bacchidibus:

*Eia, nunc esse ego opinor Hercules, tu autem Linus.*

Apulejum eo exemplo scripsisse censeam lib. VII. *Summos illi promitterent honores habituri mihi.* nec mutem. Virgilius:

——— *sensit medios delapsus in hostes.*

Lipsius.

1 *Hic Trevir, hic Lingon*] Forte, *ille Lingon.* Rhenanus. Sententia exigit: *Ille Trevir, hic Lingon.* Pichena.

2 *Animos ceterorum scrutari. Ubi quos*] Fortasse melius corrigas ac distinguas, *scrutati; ubi quos.* Idem.

3 *Turingrorumque*] Castigavi, *Tungrorumque.* Rhenanus.

4 *Furere discordiis pop. R.*] Joseph. ἁλώς. lib. 7. c. 2. *Savilius.*

5 *Capi tum maxime*] Emendavi, *capi cummaxime.* Rhenanus.

6 *Bellis destineri*] Nos, *distineri.* Idem.

7 *De reliquiis Vitelliani exercitus*] In cod. manuscr. legitur, *reliquis.* subaud. militib. *Idem.*

8 *Infidisque legionibus*] Non est in codice Budensi, sicut nec ablativus *artibus*, paulo post. *Idem.* Qui ipse nec legitur in MS. Mediceo. Et sane licet artes propemodum sic rursus adhibeantur infr. cap. 84. tamen hic auctor ab tam subdola ac letifera fraude eas avertit, nec sic usurpat, ut justior causa sit expellendi, quam servandi, quod non nisi interpolatus Ryckii codex tentat. *Jac. Gronovius.*

9 *Extra conventum*] Accipio, conventum Socialem, ab iis omnibus, qui arma in Romanos junxissent. Si tamen pura est lectio, nam libri quidam, *commentum* habent, Florentinus *cōmtum.* Nihil melius elicio. *Lipsius.*

*Extra conventum amandatum in Frisios*] Dixit supra eod. lib. Sed *conventus* ille mihi suspectus. nam cum jussu Civilis in Frisios avectus est Claudius, ipsi erant in campo, & in acie. quid ergo proprie dictum de conventu? neque Flor. eam vocem agnoscit qui habet, *cōm tum.* Venetus *commentum.* An *Extra conventum*, significat, privato & clandestino ducum consilio, absque multitudinis frequentia & conventu, nulloque judicio amotum Labeonem? Idem fere Cic. pro Deiot. *dico intra domesticos parietes: dico extra conventum, & eam frequentiam, in qua Oratorum studia niti solent.* An potius longe à cœtu militari, ubi periculum erat, ne discordiæ semina Labeo præberet? *Pichena.* Lectio jam recepta omnium ineptissima. Quomodo enim *extra conventum amandatus*, qui ejus pars vix fuit. Id ea, quæ supra dicuntur, satis ostendunt. At vet.

 cod.

Frisios diximus, corruptis custodibus perfugit. pollicitusque, *si præsidium daretur, iturum in Batavos, & potiorem civitatis partem ad societatem Romanam retracturum:* accepta peditum equitumque modica manu, nihil apud Batavos ausus, quosdam Nerviorum Bethasiorumque in arma traxit. [1] Et furtim magis, quam bello, Caninefates Marsacosque incursabat. Vocula Gallorum fraude illectus, ad hostem contendit.
57 Nec procul Veteribus aberat; cum Classicus ac Tutor per speciem explorandi prægressi, [2] cum ducibus Germanorum pacta firmavere. Tumque primum discreti a legionibus, proprio vallo castra sua circumdant, obtestante Vocula, [3] *Non adeo turbatam civilibus armis rem Romanam, ut Treveris etiam Lingonibusque despectui sit. Superesse fidas provincias, victores exercitus, fortunam imperii, & ultores deos.* [4] *Sic olim, Sacrovirum & Æduos; nuper, Vindicem Galliasque singulis prœliis concidisse.* [5] *Eadem rursus numina,* [6] *eadem fata, ruptores fœderum exspectarent. Melius divo Julio, divoque Augusto notos eorum animos.* [7] *Galbam, & infracta tributa, hostiles spiritus induisse. Nunc hostes, quia molle servitium: cum spoliati exutique fuerint, amicos fore.* Hæc ferociter locutus, postquam perstare in perfidia Classicum Tutoremque videt: verso itinere, Novesium concedit. Galli duum millium spatio distantibus campis, consedere. Illuc commeantium centurionum militumque emebantur animi: ut, flagitium incognitum, Romanus exercitus in externa verba jurarent, pignusque tanti sceleris, nece aut vinculis legatorum daretur. Vocula, quamquam plerique fugam suadebant,
58 audendum ratus, vocata concione, in hunc modum disseruit. *Nunquam apud vos verba feci, aut pro vobis solicitior, aut pro me securior. Nam mihi exitium parari, libens audio: mortemque* [8] *in tot malis hostium ut finem miseriarum exspecto. Vestri me pudet*

cod. habent *commentum.* Emendem: *extra sententiam amandatum in Frisios.* Tum enim jubente Civili in Frisios amandatus est Labeo, ipse non in insula Batavorum sed in expeditione & campo fuit. Id superiora liquido ostendunt. *Boxhornius.* Recte se habet vulgata. Vide, si libet, 3. observ. 22. *Gronovius.* Si id vere dici potest in ea, quam Rhenanus pigratur confirmare ex codice Budensi; quam Mediceus codex omnino rejicit: sed exserte solus ex suo interpolato exemplari & per Rud. Agricolam ex quacunque seu membrana seu charta exarantem scripto tradit Ryckius, languida ceteroquin & bene cognita nunc notans, quum in sequentibus de *civitatis parte* ita encomiastice de ipso vaticinantem post Harpocratis folia pag. 221. & in monumentis antiquis præsagientem spreverit Cuperum adeo ut dedignetur vel tangere, quum circiter eodem tempore hanc ambiguitatem deciderit Harduinus in obscuro angulo, nempe in curis secundis ad Plinii libros priores pag 810, ubi verba Taciti citans docet civitatem sic intelligi. Enimvero magna res. *Jac. Gronovius.*

1 *Et furtim magis, quam bello Caninefates, Marsacosque incursabat*] Muretus, *Marsaticosque.* Forsan & legendum, *furto.* Acidalius.

2 *Cum ducibus Germanorum*] Faërnus legebat, *Trevirorum.* Ursinus.

3 *Non adeo turbatam*] Similem & è Romano pectore vocem, emisit ille Stilico apud Claudianum, De bello Getico:

*Non ita Romanum Fati violentia nomen*
*Obruit, ut vestros nequeat punire tumultus.*

Lipsius.

4 *Sic olim Sacrovirum & Æduos*] Quarto Tiberii anno. Tac. 3. Ann. *Savilius.*

5 *Eadem rursus omnia*] Castig. *eadem rursus numina.* Rhenanus.

6 *Eadem fata, ruptores fœderum exspectarent*] Malo *exspectare*, eadem sententia, sed meliori phrasi. Qui *exspectandi* verbum in hoc usu non noverant, mutarunt. Dele etiam comma post *fata.* Acidalius.

7 *Galbam*] Splendidum Taciti [illegible]. Galba enim non imminuit, sed auxit potius Lingonum & Treverorum tributa, eosque varie afflixit. Ubibus quidem nonnullis quartam tributorum pendi solitorum partem remisit, sed non in hisce Comitiis. *Savilius.* Ego potius artem oratoris esse censeo, ad invidiam faciendam defectoribus Gallici nominis, quod quædam civitates accepissent, quasi omnibus datum esset interpretantis & quasi pro eo, quod nonnulli ejusdem gentis populi adepti forent, alii quoque gratiam deberent. Asconius in Divinat. *Siculis omnibus. Elateria: cum enim à duobus quæstoribus Sicilia regi soleret, uno Lilybetano, altero Syracusano, ipse vero Lilybetanus quæstor fuerit Sex. Peducæo pratore, omnibus tamen se placuisse dixit.* Gronovius.

8 *In tot malis hostium*] Haud plane damno. Quid si tamen faciamus, *portum & finem?* Quid si *in tot malis honestam?* Lipsius.

*In*

*pudet miseretque, adversus quos non prælium & acies parantur.* [1] *id enim fas armorum, & jus hostium est. bellum cum populo Romano vestris se manibus gesturum Classicus sperat: imperiumque & sacramentum Galliarum ostentat. Adeo nos,* [2] *si fortuna in præsens virtusque deseruit,* [3] *etiam vetera exempla deficiunt, quotiens Romanæ legiones perire præoptaverint, ne loco pellerentur. Socii sæpe nostri, excindi urbes suas, seque cum conjugibus ac liberis cremari pertulerunt. neque aliud pretium exitus, quam fides famaque.* [4] *Tolerant cummaxime inopiam obsidiumque apud Vetera legiones, nec terrore aut promissis demoventur. Nobis, super arma & viros, & egregia castrorum munimenta, frumentum & commeatus quamvis longo bello pares.* [5] *Pecunia nuper etiam* [6] *donativo suffecit: quod sive à Vespasiano, sive a Vitellio datum interpretari mavultis, ab imperatore certe Romano accepistis. Tot bellorum victores, apud Geldubam, apud Vetera, fuso totiens hoste, si paveteis aciem, indignum id quidem: sed est vallum murique, & trahendi artes, donec è proximis provinciis auxilia exercitusque concurrant. Sane ego displiceam. sunt alii legati, tribuni,* [6] *centurio denique, aut miles.* [7] *Ne hoc prodigium toto terrarum orbe vulgetur, vobis satellitibus, Civilem & Classicum Italiam invasuros. An si ad mœnia urbis Germani Gallique duxerint, arma patriæ inferetis? Horret animus tanti flagitii imagine.* [8] *Tutori Trevero* [9] *agentur excubiæ? Signum belli Batavus dabit? Germanorum catervas supplebitis? quis deinde sceleris exitus? cum Romanæ legiones contra direxerint: transfuga è transfugis, & proditores è proditoribus, inter recens & vetus sacramentum invisi deis errabitis? Te, Jupiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos, tot triumphis coluimus; te, Quirine Romanæ parens urbis, precor venerorque,* [10] *ut si vobis non fuit cordi,*

*In tot malis hostium*] Mala quæ adversus me ab hostibus parantur. eritque nomen ancipiti significatione, ut *vulnus*. *Et vulnere tardus Ulyssi.* Gell. 9, 18. *Cum diceret vulnus, non quod accepisset Ulysses, sed quod dedisset.* Sed quinam hi hostes? Classicus, Tutor, & cæteri Galli, quos paulo ante *occultos* appellat, qui post manifestam defectionem occulta expromunt, vincula scil. sive necem Voculæ paciscuntur. *Pignusque tanti sceleris nece aut vinculis legatorum darent.* Salinerius. Vocem, *hostium*, conatur Salinerius defendere. Lipsius varie emendat. Ego corruptam censeo ac legendum, *hodie*. Nam illa ipsa die mortem Vocula expectabat, immo statim post concionem de supremis agitavit. *Pichena.* Quicquid de retinenda aut mutanda voce *hostium* Lipsius afferat, mihi delenda plane videtur. *Acidalius.* Mihi facilis correctio fuit, *Mortemque in tot manibus hostium.* Videtur Tacit. vestigia Sallustii, ut solet, legere, apud quem Cæsar: *In luctu atque miseriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse.* Colerus. Tentabam, *otium & finem miseriarum*, 1 Observ. 14. *Gronovius.*

1 *Id enim fas armorum & jus hostium*] Verbum à Tacito plerunque omittitur, neque hic opus est. tamen optimus Flor. addit, *& jus hostium est.* Pichena.

2 *Si fortuna in præsens, virtusque deseruit*] Vocabulum *virtusque* non est in lib. manuscripto. *Rhenanus.*

3 *Etiam vetera exempla deficiunt*] Interrogatione hæc inspiranda, languentia alias ac jacentia. *Acidalius.*

*Deficiunt, quotiens Romanæ legiones perire præoptaverint, ne loco*] Ita legitur in Flor. ac Ven. absque ulla interrogationis nota, quod mihi melius visum. Nunc vulgatam lectionem refero, *deficiunt. quotiens Rom. legiones perire præoptaverunt ne loco.* Pichena.

4 *Tolerant nunc maxime inopiam obsidiumque apud Vetera*] Emendavi, *tolerant cum maxime inopiam apud Vetera.* Rhenanus.

5 *Pecunia nuper etiam è donativo suffecit*] Ita Faërnus legebat. *Ursinus.*

6 *Donativo sufficit*] Imo, *suffecit.* Nuper enim donativum acceperant. Supra. *Lipsius.*

*Centurio denique aut miles*] Reposui, *centurioque aut miles.* Rhenanus.

7 *Ne hoc prodigium* &c.] Cl. Ryckius, prout ceteri ipsum codicem Med. legentes, ita in scedis meis contempsit, quod notaveram in eo exstare *ne hohoc prodig.* Ubi tam religiosus sum, ut credam omni Tacitum scripsisse vel *ne hoc, hoc prodigium* &c. vel *ne, o! hoc prodigium* &c. *Jac. Gronovius.*

8 *Tutori Trevero* &c.] Peregregie exhibet MS. Med. *Tutorin Trev.* Omnino vel sic cum adspiratione *Tutorin' Trevero* vel *Tutorine Trev.* Idem.

9 *Augentur excubiæ*] Nos, *agentur exc.* Rhenanus.

10 *Si vobis non fuit cordi*] Imitatum clare è Livio: *Vos dI immortales precor quæsoque, si vobis non fuit cordi Sp. Postumium cum Samnitibus bellum gerere.* Tacitus infra: *Id fortasse cordi diis, & divino ministerio Principem electum.* Nec quidquam hic scrupi aut

*di, me duce hæc castra incorrupta & intemerata servari; at certe pollui fœdarique à Tutore & Classico ne finatis. Militibus Romanis aut innocentiam detis, aut maturam, &*
59 *sine noxa pœnitentiam.* Varie excepta oratio inter spem metumque ac pudorem. Digressum Voculam, & de supremis agitantem, liberti servique [1] prohibuere fœdissimam mortem sponte prævenire. Et Classicus misso Æmilio Longino desertore primæ legionis, cædem ejus maturavit. [2] Herennium & Numisium legatos, vinciri satis visum. Dein [3] sumptis Romani imperii insignibus, in castra venit. Nec illi, quamquam ad omne facinus durato, verba ultra suppeditavere, quam ut sacramentum recitaret. Juravere qui aderant, *pro imperio Galliarum.* Interfectorem Voculæ altis ordinibus; ceteros, ut quisque flagitium navaverat, præmiis attollit. Divitiæ inde inter Tutorem & Classicum curæ. Tutor valida manu circumdatos Agrippinenses, quantumque militum apud superiorem Rheni ripam, in eadem verba adigit, [4] occisis Magontiaci tribunis, pulso castrorum præfecto, qui detrectaverant. Classicus corruptissimum quemque e deditis *pergere ad obsessos* jubet, *veniam ostentantes si præsentia sequerentur, aliter nihil spei, famem, ferrumque, & extrema passuros.* Adje-
60 cere qui missi erant, exemplum suum. Obsessos hinc fides, inde egestas, inter decus ac flagitium distrahebant. Cunctantibus solita insolitaque alimenta deerant; absumptis jumentis equisque, & ceteris animalibus, quæ profana fœdaque in usum necessitas vertit. Virgulta postremo & stirpes & internatas saxis herbas vellentes, miseriarum patientiæque documentum fuere: donec egregiam laudem fine turpi macularent, missis ad Civilem legatis *vitam* orantes. Neque ante preces admissæ, quam in verba Galliarum jurarent. Tum pactus *prædam castrorum*, dat custodes, qui pecuniam, calones, sarcinas retentarent, [5] atque ipsos leves abeuntes prosequerentur.

Ad

aut nodi. Rhenanus tamen ait in Budensi, τὸ *cordi*, non legi: ex quo ille juratus emendat, *si vobis non fuit.* Id est, licuit, inquit, more Græco. Bene Beate manibus tuis sit, nam perjuria hæc literatorum, pariter ac amantium, ut spero, venti auferunt. *Lipsius.*

*Ut si vobis non fuit cordi, me duce hæc castra incorrupta & intemerata servari, at certe pollui fœdarique à Tutore & Classico ne finatis*] Fœde hunc locum interpolatum ausim jurare. nam dativus *cordi* non est in exemplari regio, nec sex istæ voces, *certe pollui fœdarique à Tutore &:* sed tantum, *At Classico ne finatis.* Dixit autem Tacitus imitatione Græcorum *si non fuit* pro si non licuit: nam ἔνι pro ἔξεστι illi usurpant. *Vobis me duce hæc castra incorrupta & intemerata servari, at Classico ne finatis.* Quasi diceret; Æquius feram si alius quispiam id faciat. Nam Classicum quum provincialis sit, ista non decent. Totam sententiam sic legeris, *Te Jupiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos tot triumphis coluimus, Te Quirine Romanæ parens urbis, precor venerorque, ut si vobis non fuit, me duce hæc castra incorrupta & intemerata servari, at Classico ne finatis.* Rhenanus.

1 *Prohibuere fœdissimam mortem*] Fœdissimam vocat mortem, quæ desertoris proditorisque manu obvenit. *Pichena.*

2 *Herennium & Numium legatos*] Liber manuscr. habet, *Herennium & Numisium.* Id accipiendum de Numisio Ruso, cujus supra hoc lib. cap. 22. fit mentio. *Legati*, inquit, *legionum Numius Lupercus & Numisius Rufus vallum murosque firmabant.* Infra; *Annumerabor Numisiis & Herenniis, ut omnes legati vestri &c.* Itaque reposuimus hoc loco, *Numisium.* Rhenanus. Herennius legatus primæ legionis, cui hiberna Bonnæ, & Numisius septimæ decimæ, quæ Novesii erat. *Savilius.*

3 *Sumptis Rom. imperii insignibus*] An ut ipse Classicus insignia imperii, tanquam imperator, induerit? cave credas. Sed intellige, Aquilas, vexilla, cæteraque Rom. exercitus signa, secum sumpsisse: neque ullum Imperatorem nominatum, sed juratum pro imperio Galliarum. *Pichena.*

4 *Occisis Magontiaci tribunis*] Distinctio mutanda; *in eadem verba adigit, occisis Magontiaci tribunis, cæso castrorum præfecto, qui detrectaverant. Classicus* &c. Nam ita est. à Novesio partitis curis, Tutor in superiorem Germaniam missus, Agrippinenses in itinere, dein legiones Rom. Magontiaci adegit in verba Galliarum, Classicus inferiorem Rheni ripam secutus ad Vetera direxit. Novesium supra Vetera, infra Agrippinensem coloniam. *Mercerus.* Transposui punctum à verbo, *adigit*, ad verbum *detrectaverant*, monente Mercero, clarior enim sententia redditur. *Pichena.*

5 *Aut qui ipsos leves*] Vol. manuscr. habet, *atqui ipsos.* Malim, *ac qui ipsos.* Mox nos, *ad quintum fere lapidem coorti Germani.* Rhenanus. Correxi,

Ad quintum fere lapidem coorti Germani, incautum agmen aggrediuntur. Pugnacissimus quisque in vestigio; multi palantes occubuere. Ceteri retro in castra profugiunt, querente sane Civile & increpante Germanos, *tamquam fidem per scelus abrumperent*. Simulata ea fuerint, an retinere sævientes nequiverit, parum affirmatur. Direptis castris faces injiciunt. Cunctosque qui prœlio superfuerant, incendium hausit. [1] Civilis barbaro voto, post cœpta adversus Romanos arma, [2] propexum rutilatumque crinem, [3] patrata demum cæde legionum deposuit. Et ferebatur, parvulo filio, quosdam captivorum, sagittis jaculisque puerilibus figendos, obtulisse. Ceterum neque se, neque quemquam Batavum, in verba Galliarum adegit, fisus Germanorum opibus; & si certandum adversus Gallos de possessione rerum foret, inclytus fama, & potior. Mumius Lupercus legatus legionis, inter dona missus Veledæ. Ea virgo nationis Bructeræ late imperitabat: vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas, & [4] augescente superstitione arbitrentur deas. Tuncque Veledæ auctoritas adolevit. nam *prosperas Germanis res, & excidium legionum* prædixerat. Sed Lupercus in itinere interfectus. Pauci centurionum tribunorumque in Gallia geniti, reservantur, pignus societatis. Cohortium, alarum, legionum, hiberna subversa cremataque: iis tantum relictis, quæ Magontiaci, ac Vindonissæ sita sunt. [5] Legio XIII. cum auxiliis simul deditis, à Novesio in co- 62
loniam Treverorum transgredi jubetur, præfinita die intra quam castris excederet. Medium omne tempus, per varias curas egere. ignavissimus quisque, cæsorum apud Vetera exemplo, paventes; melior pars, rubore & infamia *quale illud iter, quis dux via? & omnia in arbitrio eorum, quos vitæ necisque dominos fecissent*. Alii nulla dedecoris cura, pecuniam aut carissima sibimet ipsi circumdare. Quidam expedire arma, telisque tamquam in aciem accingi. [6] Hæc meditantibus, advenit proficiscendi hora,

rexi, *atque ipsos*, quia Flor. habet, *at qui ipsos*, unde vulgo, *ac qui ipsos*. Pichena.

1 *Civilis, barbaro voto*] Patrium & solenne Germanis hoc votum. Tacitus de moribus ejus gentis: *Aliis Germanorum populis usurpatum, rara & privata cujusque audentia, apud Cattos in consensum vertit, crinem barbamque summittere, nec nisi hoste caso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum.* Mansit inferiore ævo. & lego apud Diaconum III. de Gestis Longobard. cap. III. *Sex millia Saxonum, qua bello superfuerant, devoverunt se neque barbam neque capillos rasuros, nisi se de Suevis hostibus ulciscerentur.* Pulchre igitur & decore Silius Sarmenti Gallo hoc affingit IV. Punic.

*Occumbit Sarmens, flavam qui ponere victor*
*Cæsariem crinemque tibi, Gradive, vovebat.*

Quin & Romani usurparunt interdum, ut Julius Cæsar. de quo Suetonius, cap. LXVII. *Diligebat quoque milites usque adeo, ut audita clade Tituriana, barbam capillumque submiserit, nec ante dempserit, quam vindicasset.* Lipsius.

2 *Propexum rutilatumque crinem*] Non addit Tacitus an mœroris causa Civilis barbam capillumque raserit, quod morte Germanici ad indicium maximi luctus factum esse à Regulis testatur Sueton. Calib. 5. Romanis vero in usu non fuit barbam in luctu ponere. Id tamen barbaro voto à Civili factum Tacitus tradit. *Lupanus.* Notat Lipsius exempla quædam in barbaris. Sed ab illa hoc consuetudine, qua in luctu squallorem omnis generis affectabant. Sic & Augustus apud eundem c. 23. *Acidalius.*

3 *Patrata demum clade*] Tacit. de morib. Germ. *Aliis Germanorum populis usitatum rara & privata cujusque audentia apud Cattos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque submittere.* Savilius.

4 *Augescente superstitione arbitrentur deas*] Muretus, *arbitrantur*. lib. de morib. Germ. *Vidimus sub Divo Vespasiano Velledam, diu apud plerosque numinis loco habitam. Sed & olim Auriniam, & complures alias venerati sunt, non adulatione, nec tanquam facerent deas.* Acidalius.

5 *Legio* XIII.] Imo *sextadecima*. Sed ita non semel peccatum in Taciti libris, nota ternarii pro senario. *Mercer.* Mercerus, *sextadecima* quod mihi præter historiæ mentem videtur; nam ea in Italiam à Vitellio ducta fuit. quod testatur lib. præced. ubi ordinem agminis Vitellianorum refert. ait enim: *mediam aciem sextadecimanos, duoet vicesimanosque.* At supra hoc eod. lib. ejusdem tertiædecimæ legionis meminit, quæ apud Novesium erat: *Ingressi Novesium, tertiadecima legio conjungitur.* Pichena.

6 *Hæc meditantibus*] Quis neget à Liviano exemplari esse? qui in deditione illa turpi ad Furculas:

*Te* *Hac*

ra, exspectatione tristior. Quippe intra vallum, deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus, & dies. [1] Revulsæ imperatorum imagines, inhonora signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis, silens agmen, & velut longæ exsequiæ. [2] Dux Claudius Sanctus effosso oculo, dirus ore, ingenio debilior. Duplicatur flagitium, postquam desertis Bonnensibus castris, altera se legio miscuerat. Et vulgata captarum legionum fama, cuncti qui paulo ante Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectisque, & undique effusi, insolito spectaculo nimium fruebantur. Non tulit ala Picentina gaudium insultantis vulgi. spretisque Sancti promissis, aut minis, Magontiacum abeunt: ac forte obvio interfectore Voculæ Longino, conjectis in eum telis, initium exsolvendæ in posterum culpæ fecere. Le-
63 giones nihil mutato itinere, ante mœnia Treverorum considunt. Civilis & Classicus rebus secundis sublati, an coloniam Agrippinensem diripiendam exercitibus suis permitterent, dubitavere. [3] Sævitia ingenii, & cupidine prædæ, ad excidium civitatis trahebantur. obstabat ratio belli, & novum imperium inchoantibus utilis clementiæ

*Hac frementibus*, inquit, *hora fatalis ignominia advenit, omnia tristiora experiundo factura.* Lipsius.

1 *Innexa signa* ] Budensis codex, *inhora signa.* Rom. *in ora.* Divinabam olim, *inversa signa.* quod ignominiæ fuit, & victos se fatentium. Spartianus in Severo: *In palatium eodem habitu perrexit, prelatis signis qua pratorianis ademerat, supinis non erectis.* Idem usurpatum in dolore. Tacitus III. Annal. *Pracedebant incompta signa, versi fasces.* Pedo Albinovanus ad Liviam:

*Quos primum vidi fasces, in funere vidi,*
*Sed vidi versos indiciumque mali.*

At nunc putem commodius legi, *inhonora signa*, id est, squallida, non uncta, non nitidata: quæ opponit *fulgentibus Gallorum vexillis:* aut potius retineri illud *innexa*, cum explicatione, *Signa innexa*, id est, sine nexu, & nuda fuisse. Nam solent imagines Principum, clypei, etiam coronæ, & talia innecti. *Lipsius.*

*Revulsa imperatorum imagines, innexa signa* ] Pro *innexa* legitur in cod. reg. *inhora.* Conjicio fuisse scriptum à Tacito, *symbola. Revulsa imperatorum imagines, symbola, signa.* Rhenanus. Cum in v. c. sit *inhora* pro *innexa*; posset legi, *mota signa.* Ursinus. Plerique veteres cod. interque eos Florent. habent *inhora.* Quod autem in vulgatis repositum fuit, *innexa*, nullibi in MSS. invenitur. Lipsius nuper corrigendum censuit, *inhonora*, id est, squallida, non uncta, non nitida. Quam correctionem recepi, ac fortasse etiam *inhonora signa* dicuntur, quia revulsæ ab iis Imperatorum imagines fuerant. *Pichena. Innexa signa*, id est, non nexa pilis vel coronis, quibus comebantur. Doctiss. vir ad lib. 15. ann. *Salinerius.* Locus mire vexatus ferro Critico; forsan immerito. nam si lectio ista exstat in MS. omnibus habet quo se tueatur; ut dicat nimirum, sine honore omni, sine gratia, signa omnia conjecta, conjectaque in unum quasi fascem. Sic alibi legimus, *innexus sanguine, innexus adfinitatibus.* Aliquando conjectabam, *impexa signa* pro incomptis. Sed enim cum extet in ed. Rom. *revulsa imperatorum imagines in ora fulgentibus hinc inde, sine voce signa*; quam extare in Vat. veteri, ipsemet Lipsius diserte non scribit; lectio illa omnibus fere coloribus mihi satisfacit; ut velit: nusquam adspectata signa aut aquilas Romanorum; palam & passim, incurrisse tantum vexilla Germanica. *In ora* dictum eo modo, quo *prater ora* hoc eod. lib. c. 31. *Gruterus.* Atrocissima series imbecillitatis publicæ; cui facem præcipue accendit audacia primarum editionum, quæ spretis antiquis monumentis supposuerunt *innexa signa.* Unde liberare se nequiverunt postea eruditi, quin interdum illic respicientes, minus forent attenti minusque dediti ad exigendam veterem scripturam ex bonis MSStis productam *inhora signa*; prout ex Budensi & Mediceo promitur. Ryckius dum aperit ex suo MS. *inora*, indicat eum interpolatum; & mireris cur non id ipsum firmaverit ex Gellio 7, 6. *Aut cæca natura gignuntur aut inora inauritave.* Sed teneamus nos. Nullum negotium est in his, quæ sana sunt, videre Taciti manum, quum sine ulla mutatione inde exeant *viliora signa.* Res ipsa clamat; aut si vis ut dicam aliquid, egregie procedit auctor, ut quum, quod primum spectantibus in oculos venit, imagines Cæsarum nullæ essent, tum consideret illas ipsas machinas, quæ solebant ferre istas imagines; sed consideraat quales forent in sese; certe quidem artificio multo & pretiosa materia, quin & cultu humano conspicuæ; nihil jam tale, & quum locus imaginum revulsarum esset vacuus ac præberet nihil blandum, viliores erant reliquæ partes in illis ferculis tantopere ostentari solitis. *Jac. Gronovius.*

2 *Dux Claudius Sanctus* ] Dux scil. viæ deditis datus. nam supra dixit: *quale illud iter, quis dux via.* Pichena.

3 *Savitia ingenii*] Vulgo, *savitia ingenita.* at ego, *ingenii*, quia in Florent. ac Ven. legitur, *savitia ingenii.* Lipsius ex Vat. idem affirmat. *Idem.*

1 Sed

tiæ fama. Civilem etiam beneficii memoria flexit, quod filium ejus primo rerum motu in colonia Agrippinensi deprehensum, honorate custodierant. Sed Transrhenanis gentibus invisa civitas, opulentia auctuque. Neque alium finem belli rebantur, quam si promiscua ea sedes omnibus Germanis foret: aut disjecta, Ubios quoque dispersisset. Igitur Tencteri, Rheno discreta gens, missis legatis, mandata apud con- 64
cilium Agrippinensium edi jubent. quæ ferocissimus e legatis, in hunc modum protulit: *Redisse vos in corpus nomenque Germaniæ, communibus deis*, [1] *sed præcipuo deorum Marti grates agimus: vobisque gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis. Nam ad hunc diem, flumina ac terras, & cælum quodammodo ipsum, clauserant Romani: ut colloquia congressusque nostros arcerent; vel, quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac prope nudi*, [2] *sub custode & pretio coiremus. Sed ut amicitia societasque nostra in æternum rata sint: postulamus à vobis, muros coloniæ, munimenta servitii, detrahatis. etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscuntur. Romanos omnes, in finibus vestris, trucidetis. haud facile libertas, & domini miscentur. Bona interfectorum, in medium cedant, ne quis occulere quidquam, aut segregare caussam suam possit. Liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim majoribus nostris.* [3] *quomodo lucem diemque omnibus hominibus; ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Instituta cultumque patrium resumite*, [4] *abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subjectos quam*

1 *Sed præcipue deorum*] Florent. *& præcipuo*. Idem.

2 *Sub custode & pretio coiremus*] *Sub custode*, qui attenderet loquentium sermonibus. Et hic mihi locus inter alios in animo, cum ausus sum ante annos tredecim abire interpretatione viri maximi Barn. Brissonii, in his Senecæ lib. 1. de Clem. c. 19. *vota sub custode nuncupantibus?* neque enim hæc capienda de observatoribus quibus cura ut rite nuncupentur vota, sed de sacerrimis aliis, quos princeps tyrannus secreto apponit iis, quos suspicatur male de se opinari. Plin. Paneg. *Queri libet, quod in secreta nostra non inquirant principes, nisi quos odimus.* Inde est, quod de Tiberio prodiderit Tranquillus c. 63. *Haruspices secreto & sine testibus consuli vetuit.* Imo eadem caussa legimus lib. 1. Ann. 76. *Censuit Asinius, ut libri Sibyllini adirentur: renuit Tiberius; perinde divina humanaque obtegens.* Nec aliunde queritur Tacit. in vita Agric. *Dedimus profecto grande patientiæ documentum; & sicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute; adempto per inquisitiones & loquendi audiendique commercio.* *Custodis* nomine, venire talem otacusten, arguit illud Senecæ lib. 2. de Ira 33. ubi bis meminit *custodes*, à C. Cæsare Pastori positi, qui observaret an ebiberet pocula propinata. *Gruterus.*

3 *Quomodo lucem noctemque*] Perspicue, rectum. atque ita in Vatic. Vulgo, *lucem diemque*, quasi ea differant. *Lipsius.*

*Quomodo lucem diemque omnibus hominibus*] Ita in Florent. ac Ven. atque in omnibus aliis exemplaribus quæ viderim. Lipsius tamen, quia in Vat. invenit, *lucem noctemque*, eam lectionem amplexus est reposuitque. Ego vulgatam malui. non enim *lucem diemque*, ideo dicitur, quasi lux, & dies differant: sed duo simul verba eadem significantia sæpissime à Tacito aliisque auctoribus jungi solent, ornatus ac majoris expressionis causa. ut paulo infra, *nova & recentia jura*. In libello de causis corruptæ eloq. *libentius novis & recentibus quam remotis & oblitteratis utor.* Ibi etiam non semel invenies, *veterem & antiquum*. Seneca ep. CXI. *Cæteris æque vanis & inanibus.* Non absimile Plin. Paneg. ad Trajanum. *Ut sol & dies non parte aliqua, sed statim totus; nec uni aut alteri, sed omnibus in commune profertur.* Sed prorsus simile inferius. *Bonos autem otio & situ abstrusos, & quasi sepultos, non nisi delationibus & periculis in lucem ac diem proferebant.* Præterea non impropria hic. nam recte quidem dicitur viventes aut luce aut die frui; falso, nocte. Immo si ad verbum, *aperuit*, respiciamus, lucem ac diem nobis natura vere aperit, sed noctem quasi recondit, ac tenebris involvit. *Pichena.* Bene vulgo, quid τῷ *noctem* cum verbo *aperuit?* at naturam dicit ejusmodi mortalibus aperuisse, respiciens ad ea, *nam ad hunc diem flumina & terras, & cælum quodammodo ipsum clauserant Romani.* Cæterum *lucem diemque* pleonasmus est. ut nos docte monitos voluit acutiss. Pichena. *Salinerius.*

4 *Abruptis voluptatibus, quibus*] Ambigua lectio. Quam posui, libri firmant, nec ratio impugnat. Vere enim inter Romanas artes fuit, ad homines in imperio retinendos, mollire vires eorum, & per delicias amœnasque voluptates frangere. Tacitus in Agricola: *Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta, ut homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles, quieti & otio per voluptates assuescerent.* Et paullo post: *Paulatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conviviorum elegantiam; idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum*

*quam armis valent. sincerus & integer, & servitutis oblitus populus, aut ex æquo agetis,*
65 *aut aliis imperitabitis.* Agrippinenses, sumpto consultandi spatio, quando neque subi-
re conditiones [1] metus futuri, neque palam aspernari conditio præsens finebat, in
hunc modum respondent. *Quæ prima libertatis facultas data est, avidius quam cautius*
*sumpsimus, ut vobis ceterisque Germanis consanguineis nostris jungeremur. Muros civita-*
*tis, congregantibus se cum maxime Romanorum exercitibus, augere nobis, quam diruere*
*tutius est. Si qui ex Italia aut provinciis alienigena in finibus nostris fuerant, eos bellum*
*absumpsit: vel in suas quisque sedes refugere.* [2] *Deductis olim, & nobiscum per connu-*
*bium sociatis,* [3] *quique mox provenere, hæc patria est. Nec vos adeo iniquos existimamus,*
*ut interfici a nobis parentes, fratres, liberos nostros velitis. Vectigal & onera commercio-*
*rum resolvimus. Sint transitus incustoditi, sed diurni & inermes: donec nova & recen-*
*tia jura,* [4] *in vetustatem consuetudine vertantur. Arbitrum habebimus Civilem & Vele-*
*dam, apud quos pacta sancientur.* Sic lenitis Tencteris, legati ad Civilem & Veledam
missi cum donis, cuncta ex voluntate Agrippinensium perpetravere. Sed coram adi-
re, alloquique Veledam negatum. Arcebantur aspectu, quo venerationis plus ines-
set. [5] Ipsa edita in turre: [6] delectus è propinquis, consulta responsaque, ut inter-
66 nuntius numinis, portabat. Civilis societate Agrippinensium auctus, proximas civi-
tates affectare, aut adversantibus bellum inferre statuit. Occupatisque [7] Sunicis, &
juventute eorum per cohortes composita; quo minus ultra pergeret, Claudius Labeo
Bethasiorum [8] Tungrorumque & Nerviorum tumultuaria manu restitit fretus loco,
quia pontem Mosæ fluminis anteceperat. Pugnabaturque in angustiis ambigue, donec
[9] Germani tranatantes, terga Labeonis invalere. Simul Civilis, ausus, an ex com-
posito,

*pars servitutis esset.* At veteres tamen editiones, *abruptis vectigalibus.* quod stabiliri prorsus responso Ubiorum videtur, ad hanc orationis partem: *Vectigal & onera commerciorum resolvimus.* Lipsius.

*Abruptis vectigalibus*] Id potius est quam *voluptatibus*, quod hæsitanter doctiss. vir hic induxit. Sed qui fit, ut Romani vectigalibus plus valeant adversum subjectos, quam armis? his victos suæ ditionis tantum faciunt, illis exuunt bonis, ita ut impares oneribus ferendis veneant in servitutem: quod paulum abfuit, quin cunctis Frisiis eveniret lib. 4. ann. *Ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora conjugum, aut liberorum servitio tradebant.* Sic armis vincunt, qui rebellare aliquando valent: quos deinde vectigalibus adeo conterunt, ut vires & cogitationes desciscendi penitus amittant. Dices Frisios avarissime habitos, injurias tamen ultum isse. 4. Ann. 74. *Clarum inde inter Germanos Frisium nomen dissimulante Tiberio damna.* At ego tibi occinam vulgatum illud οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐστ' ὁ πλοῦς. i. *non est cujusque navigare Corinthum.* Et ii remedium in principio mali à desperatione sumsere. Vel simplicius, pecunia nervus est bellorum. lib. 2. histor. *sed nihil æque fatigabat, quam pecuniarum conquisitio eos esse belli civilis nervos dictitans.* eoque Romani victos ita per vectigalia spoliabant, ut unquam reparare bellum nequirent, quod armis tantum victi redintegrare potuissent. *Salmerius.*

1 *Metu futuri*] Nos, *metus futuri.* Quando neque subire conditiones, metus futuri, neque palam aspernari conditio præsens finebat. *Rhenanus.*

2 *Eductis olim*] Scribe, *deductis olim.* colonos veteres intellegit. *Lipsius.*

*Deductis olim*] Vulgo, *eductis.* Lipsius, *deductis.* Vere, nam Flor. idem habet. *Pichena.*

3 *Quique mox provenere*] Id est, qui ex eis nati sunt. *Idem.*

4 *In vetustatem consuetudine*] Aptius & concinnius visum, quam illud tritum, *vetustatem & consuetudinem.* Quod autem posui, in Farnesiano est. *Lipsius.*

5 *Ipsa edita in turre*] Romana edit. & Rodolphus; *ipsa adyta intrare, dilectus è prop.* Quam lectionem haud temere spernendam. Ut de fatidico numine quopiam loquitur: cui rei apta hæc Adytorum vox. Vulgata nihilo secius valde probo. *Idem.*

6 *Delectus è propinqua consultis*] Castigavi, *delectus è propinquis consulta* &c. *Rhenanus.*

7 *Sunicis*] Hoc vocabulum in unico libro ita scribitur simpliciter *Sunicis*, sed in superiore spatio inter *n* & *i* aliquis alterum *n* superscripsit tanquam in priore extitisset *Sunnicis.* Jac. Gronovius.

8 *Turingrorumque & Nerviorum*] Nos, *Tungrorumque.* Item paullo post, *ex primoribus Tungrorum* pro *Turingrorum.* Idem.

9 *Germani transnatantes*] Floren. *tranatantes*; unde vulgo, *tranantes.* Ego id verbum restitui, ad

posito, intulit se agmini Tungrorum, & clara voce: *Non ideo*, inquit, *bellum sum-*
*psimus, ut Batavi & Treveri gentibus imperent. Procul hæc a nobis arrogantia. accipite*
*societatem. transgredior ad vos,* [1] *seu me ducem, seu militem mavultis.* Movebatur vul-
gus, condebantque gladios; cum Campanus, ac Juvenalis, ex primoribus Tungro-
rum, universam ei gentem dedidere. Labeo antequam circumveniretur, profugit.
Civilis Bethasios quoque ac Nervios in fidem acceptos, copiis suis adjunxit: [2] ingens
rerum, perculsis civitatum animis, vel sponte inclinantibus. Interea [3] Julius Sabi- 67
nus, [4] projectis fœderis Romani monimentis, *Cæsarem* se salutari jubet: magnamque
& inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, conterminam civitatem & no-
bis

ad alia ipsius Taciti exempla, qui prox. lib. ait: *Bructerorum tunnus transnatavit.* & inferius: *Civilis relicto equo transnatavit.* Pichena. Ratiocinatio nulla, vel certe prava de Tacito, quem nihil vetuit idem verbum modo sic tractare, modo aliter, unde exhibui vetus ex ipso MSto. *Jac. Gronovius.*

1 *Seu me ducem*] Insidiosa modestia dictum: ut à Sallustii Catilina: *Vel imperatore, vel milite me utimini.* Lipsius.

2 *Vigens rerum*] Reposui *ingens rerum.* Sic Ann. 1. *ingens animi.* Rhenanus.

3 *Julius Sabinus*] Alius ab isto, qui Senecæ patri nominatur lib. IX. Controv. IV. in quo corrupte legas. *Et ab Julio, & à Sabino.* Scio junctim fuisse, *ab Julio Sabino.* qui Gallis præfuit sub Cajo: paterne hujus? Dionem vide, lib. ultimo. *Lipsius.*

4 *Projectis fœderis Romani*] Aut nihil, aut nimis, in hoc loco video. Quale illud est, projicere monumenta fœderis? pingue & insulsum. Aliorsum emendatione traxerim: *prolectus Romani generis monumentis.* Sabinus, inquit, invitatus & inductus stirpis suæ origine, Cæsarem se appellat. Quid mirum? ecce supra scriptum: *Sabinus falsa stirpis gloria incendebatur. Proaviam suam, D. Julio per Gallias bellanti, corpore & adulterio placuisse.* Possis eodem sensu: *prolatis R. generis.* Lipsius.

*Projectis fœderis Rom. monumentis*] Suspecta hæc Lipsio, & fortasse non injuria: ideoque corrigenda putat. Si autem vulgata lectio retinenda est, ego duplicem utcumque ex ea sensum elicio. Primum, ut de fœdere intelligatur, quod Romani cum Gallis icerunt, jurando scilicet pro imperio Galliarum: atque ita fœdus projecisse, hoc est, fregisse Sabinus dicatur, cum se Cæsarem appellaverit. Galliarum enim fœdus à Tacito inferius vocatur cap. 76. & 77. Secundus sensus videtur: Sabinum ea rebellione, abjecisse fœdus, quod Lingones cum Romanis habebant. Supra enim constat, Lingones & Treveros fuisse socios fidosque Romanis, ante alios Galliarum populos. & paulo infra apparet, eos contra Vindicem cum Verginio bellasse, quando omnes fere cæteri Galli fidem erga Romanos exuerant. Judicium tamen integrum lectoribus relinquo. *Pichena.* Culpat sermonem Lipsius. Mihi nullus hic nodus. Pseudo-Cæsar ille tabulas & monumenta projecit & discerpsit. palam, quibus scil. fœdus Romanorum cum Lingonibus & cæteris circa populis sancitum fuerat. Infra Cerealis 77. *Neque aliud exsusandum habeo, quam quod vos Gallici fœderis oblitos* &c. credidi. *Colerus.* Atqui omnia plena moris, quem significat his verbis Tacitus. Dionysius Halic. lib. 4. de pactis à Ser. Tullio cum Latinis: ἵνα δὲ μηδεὶς χρόνος αὐτοὺς (τοὺς νόμους) ἀφανίσῃ, στήλην κατασκευάσας χαλκῆν, ἐγγράψας ἐν ταύτῃ τά τε δόξαντα τοῖς συνέδροις καὶ τὰς μετασχούσας τῆς συνόδου πόλεις. Eodem de fœdere, quod Gabinis dedit Superbus: Τούτων ἐστὶ τῶν ὁρκίων μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκον καλοῦσιν, ἀσπὶς ξυλίνη, βύρσῃ βοείᾳ περίτονος, τοῦ σφαγιασθέντος ἐπὶ τῶν ὁρκίων τότε βοός, γράμμασιν ἀρχαϊκοῖς ἐπιγεγραμμένη τὰς γενομένας αὐτοῖς ὁμολογίας. Cicero pro Balbo: *Cum Latinis omnibus fœdus ictum Sp. Cassio Postumo Cominio Coss. quis ignorat? quod quidem nuper in columna ænea meminimus post Rostra incisum & proscriptum fuisse.* De eodem Livius lib. 2. *nisi fœdus cum Latinis columna ænea insculptum monumento esset.* Apud Arrianum lib. 2. de expedit. Pharnabazus cavet ab obsessis deditisque, Μιτυληναίους καθελεῖν τὰς πρὸς Ἀλέξανδρον σφίσι γενομένας στήλας, ξυμμάχους δὲ εἶναι Δαρείου. Livius rursum l. 26. *Hac convenerunt, conscriptaque biennio post Olympiæ ab Ætolis, in Capitolio ab Romanis, ut testata sacratis monumentis essent, sunt posita.* Fœdus Smyrnæorum & Magnetum in Marmoribus Arondellianis: Ἀναγραψάτωσαν καὶ τὴν ὁμολογίαν ἐν στήλαις ἑκάτεροι, τὰς δὲ ἀνατιθέτωσαν Σμυρναῖοι μὲν ἐν τῷ τῆς Ἀφροδίτης Στρατονικίδος ἱερῷ καὶ ἐν Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Λευκοφρύνης ἱερῷ· οἱ δὲ ἐν Μαγνησίᾳ κάτοικοι ἐν τε τῇ ἀγορᾷ παρὰ τὸν βωμὸν τοῦ Διονύσου καὶ τὰς τῶν βασιλέων εἰκόνας &c. Polybius in Excerpt. lib. 27. Ὑπαρχούσης γὰρ αὐτοῖς οὐ μόνον φιλίας, ἀλλὰ συμπολιτείας πρὸς Ἀπολλωνιάτας καὶ καθόλου κοινωνίας πάντων τῶν ἐν ἀνθρώποις νομιζομένων δικαίων, καὶ περὶ τούτων κειμένης ἐνόρκου συνθήκης παρὰ τὸν Δία τὸν Ἴδαιον. Memnon de Romanis & Heracliensibus: Καὶ χαλκοῖ πίνακες δύο τῆς ὁμολογίας ἴσας καὶ ὁμοίας ἔφερον· ὧν ὁ μὲν παρὰ Ῥωμαίοις ἐν τῷ κατὰ τὸ Καπιτώλιον ἱερῷ τοῦ Διὸς καθηλώθη, ὁ δὲ κατὰ τὴν Ἡράκλειαν καὶ αὐτὸς ἐν τῷ τοῦ Διὸς ἱερῷ. Auctor 1 Macab. 14. καὶ κατέγραψαν ἐν δέλτοις χαλκαῖς καὶ ἔθεντο ἐν στήλαις ἐν ὄρει Σιών. Josephus lib. 2. contra Apionem:

bis fidam. Nec Sequani detrectavere certamen. Fortuna melioribus affuit. [1] Fusi Lingones. Sabinus festinatum temere prœlium, pari formidine deseruit. Utque famam exitii sui faceret, villam, in quam perfugerat, cremavit. illic voluntaria morte interiisse creditus. Sed [2] quibus artibus latebrisque, vitam per novem mox annos traduxerit; simul amicorum ejus constantiam, [3] insigne Epponinæ uxoris exemplum, suo loco reddemus. Sequanorum prospera acie, belli impetus stetit. Resipiscere paulatim civitates, fasque & fœdera respicere, principibus Remis: qui per Gallias
68 edixere, *ut missis legatis in commune consultarent, libertas an pax placeret*. At Romæ cuncta in deterius audita Mucianum angebant, [4] ne, quamquam egregii duces (jam enim Gallum Annium, & [5] Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent.

ἀναγνῶς τὴν στήλην τὴν ἑστῶσαν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ καὶ τὰ δικαιώματα περιέχουσαν, ἃ Καῖσαρ ὁ μέγας τοῖς Ἰουδαίοις ἔδωκεν. Hujusmodi igitur στήλας, eippis vel columnis tabulisve aut δέλτοις, quibus fœdus, quod Romani Lingonibus dederant, incisum erat publiceque propositum, eversis & confractis intellige. *Gronovius.*

1 *Fusi Lingones*] Tangit hoc bellum, quod in Johanne Sarisberiense legitur lib. v. cap. vii. *Auspiciis Imperatoriis Cæsaris Domitiani Germanico bello, quod Julius Civilis in Gallia moverat, Lingonum opulentissima civitas, quæ ad Civilem desciverat, cum advenientem ab exercitu Cæsaris populationem timeret, quod præter spem inviolata nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta, septuaginta millia armatorum tradidit ei.* Quæ totidem verbis apud Frontinum lib. iv. Stratagematon. *Lipsius.*

2 *Quibus artibus*] Xiphilin. ἐς μνημεῖον ὑπόγειον κατέδυ, ἐκρύφθη τε ἐν αὐτῷ ἐννέα ἔτη μετὰ τῆς γυναικὸς, καὶ παῖδας ἐξ αὐτῆς δύο ἄρρενας ἐποίησε i. *subterraneum specum subiit, latuitque in eo cum uxore novem per annos, genuitque ex ea duos filios.* Plutarch. ἐρωτικῷ large describit integram historiam cum omnibus circumstantiis. *Savilius.*

3 *Insigne Epponinæ*] Vere insigne & rarum, plerumque fidei in sexu infido. Non est in libris qui exstant. Servavit enim Tacitus in ultimum Vespasiani annum, cum & Julius hic Sabinus (qui gloriabatur à Cæsare genus ducere) & ista ipsa Epponina interfecti. Tota historia dignissima lectu, apud Plutarchum diffuse est in Erotico extremo. Aliquid & Dionis compendium, in Vespasiano. *Lipsius.*

*Epponina*] At Plutarchus *Emponam* scribit, & id nomen Gallis Heroinam signare addit: ἡ δὲ γυναίκα, inquit, πασῶν ἀρίστω ἐγημάτο, ἣν ἐκεῖ μὲν Ἔμπονην ἐκάλουν, ἑλληνιστὶ δὲ ἄν τις ἡρωΐδα προσαγορεύσειε. *Idem.*

4 *Nequaquam egregii*] Mercero accedo: *ne, quamquam egregii duces (jam enim Gallum Annium & Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent.* Idem.

*Nequaquam egregii duces*] Quid certius quam legendum, *Ne, quamquam egregii duces (jam enim Gallum Annium & Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent?* Mercerus. Restituit egregie Mercerus fere sola distinctione. Vulgo, *angebant. Nequaquam egregii duces, jam enim* &c. ac deinde *tolerare.* Nonnihil juvat ipse Tacit. lib 2. hist. *diffisus paucitate cohortium, ne longius obsidium, & vim Germanici exercitus tolerarent.* Pichena. Annius & Cerialis non ita egregii duces erant, ut iis satis tuto bellum delegaretur adversus Galliæ Germaniæque conspirationem. At cur eos Mucianus elegit? Nondum audierat quæ postea rescivit. *At Romæ cuncta in deterius audita Mucianum angebant.* Hæc autem Mutiani æstimatio de Annio deque Ceriali, facta fuit recta lance. Quid enim aliud in Annio laudatur quam maturitas? lib. 1. hist. *vigorem Celsi, maturitatem Galli, ut cuique erat, criminando.* Quæ profecto dispectui non est habenda, sed neque par videtur summæ hujus gravissimi belli, cui (si alia non præstaret) non satis ille fuisset, *Unus qui nobis cunctando restituit rem.* Cerialis gesta, quando pulchre procedebat, sæpius erant imputanda fortunæ, *Cerialis ut incuria prope rem afflixit, ita constantia restituit.* Ex *ipse pugna avidus & contemnendis quam cavendis hostibus melior.* Addas *sane Cerialis parum temporis ad exequenda imperia dabat, subitus consiliis sed eventu clarus. Aderat fortuna etiam, ubi artes defuissent.* Cæterum Cornelius deprehenditur in dissidio manifesto. In Agric. *Magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes & terrorem statim intulit Petil. Cerealis, Brigantum civitatem quæ numerosissima totius provinciæ perhibetur, aggressus.* Concilio: magnus dux Cerialis in comparationem decessorum, & bello cum hoc nequaquam comparando, vel eruditus prosperis, & adversis hujus belli postea clarus & magnus habitus est. At doctiss. vir Mercerus & Pichena varie corrigunt, nefas rati si Gallus & Cerialis inter gregarios duces recenserentur. *Salinerius.* Non tollit certe corruptionem Lipsius, nec felicius Muretus legendo: *Nec quamquam egr.* &c. *Summa belli poterant tolerare.* Nos speramus restituisse: *angebant, ne quamquam egr. d. jam enim G. A. & P. Cer. delegerat, summam belli parum tolerarent.* Acidalius.

5 *Petilius Cerialis*] Joseph. ἁλώσ. 7. c. 11. nonnihil à Tacito abit & labi ipsum asserere ausim, quod Cerialis ὕστερ ἐκ ὑπηρεσίας πρώτης legatus in Britanniam

lerarent. Nec relinquenda urbs sine rectore. Et Domitiani indomitæ libidines time-
bantur. suspectis, uti diximus, Primo Antonio, Varoque [1] Arrio. Varus præto-
rianis præpositus, vim atque arma retinebat. Eum Mucianus pulsum loco, ne sine
solatio ageret, annonæ præfecit. Utque Domitiani animum Varo haud alienum,
deliniret; [2] Arretinum Clementem, domui Vespasiani per affinitatem innexum, &
gratissimum Domitiano, prætorianis præposuit, *patrem ejus sub Cajo Cæsare egregie
functum ea cura* dictitans. [3] *Latum militibus idem nomen.* [4] *atque ipsum quamquam se-
natoris ordinis, ad utraque munia sufficere.* [5] Assumuntur è civitate clarissimus quis-
que; & alii per ambitionem. Simul [6] Domitianus Mucianusque accingebantur, dis-
pari animo. ille spe ac juventa properus; hic moras nectens, quis flagrantem reti-
neret, ne ferocia ætatis, & pravis impulsoribus si exercitum invasisset, paci bello-
que male consuleret. [7] Legiones victrices sexta & octava, Vitellianarum unaetvi-
cesima, è recens conscriptis secunda, [8] Peninis Cottianisque Alpibus, pars monte
Grajo, traducuntur. XIV. legio è Britannia; [9] sexta ac decima ex Hispania accitæ.
Igitur venientis exercitus fama, & suopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum
civitates, in Remos convenere. Treverorum legatio illic opperiebatur, acerrimo in-
stinctore belli Tullio Valentino. Is meditata oratione, cuncta magnis imperiis obje-
ctari solita, contumeliasque & invidiam in populum Romanum effudit: turbidus mi-
scendis seditionibus, & plerisque gratus vecordi facundia. At Julius Auspex è pri- 69
moribus Remorum, *vim Romanam, pacisque bona* dissertans, & *sumi bellum etiam ab
ignavis, strenuissimi cujusque periculo geri, jamque super caput legiones:* sapientissimum
quem-

niam missus fuerit (ἄρξαι Βετιλασίας) & in itinere audita Germanorum & Gallorum seditione composuerit animos. *Savilius.*

1 *Arrio*] Ita semper in Flor. legitur; non, *Ario*, ut in vulgatis & à Tacito ipse sæpe eodem nomine appellatur. *Pichena.*

2 *Arretinum Clementem*] Scribendum, *Arricinum*, ex antiqua inscriptione quam vidimus olim in schedis apud Benedictum Ægium Spoletinum, Rom. antiquitatis virum curiosum & ita emendandum apud Sueton. Dom. 11. *Ursinus.*

3 *Latum militibus nomen*] In MS. cod. est, *ide nomen.* Fortasse scribendum, *id nomen.* Rhenanus.

4 *Quamquam Senatorii ordinis*] Suetonium igitur culpæ quis purgat, scribentem Titum primum è Senatoris prætorio præfectum? In Tito, cap. VI. *Præfecturam quoque Prætorii suscepit: numquam ad id tempus nisi ab equite Romano administratam.* Occulte adsentitur Plinius Præfatione operis: *Dum illud patri pariter & equestri ordini præstas, Præfectus prætorio ejus.* Tamen noster palam adfirmat Clementem hunc Arretinum, & Præfectum & Senatorem fuisse. Adde quæ notavi ad lib. IV. supra. *Lipsius.*

*Atque ipsum, quamquam Senatorii ordinis, ad utraque*] Pugnare isthæc cum Suetonianis & Plinianis, bene monuit disertiss. Lipsius, quos non purgat culpa. Facio ego, qui testor exstare in edit. Rom. principe, *atque ipsum tanquam* &c. ex qua patet, alteram lectionem controversam neque secundum eam statim pronunciandum judici. quid autem hic proprie velit; per angustias temporis, non licet exputare, & satis est, reatu saltem distulisse Tacito. *Gruterus.*

5 *Assumuntur è civitate clarissimus quisque*] Scil. ex suspectis Muciano, quos ille honoris specie ad bellum Gallicum ablegabat. *Pichena.*

6 *Domitianus & Mucianus*] Sueton. Dom. 2. *expeditionem quoque in Galliam Germaniasque neque necessariam & dissuadentibus paternis amicis inchoavit* (Domitianus) *tantum ut fratri se & operibus & dignatione adæquaret.* Savilius.

7 *Legiones victrices VI. & XVIII.*] Bene Savilius, *Sexta & octava:* Et mox, *VI. & X. ex Hispania.* Mercerus. Ex historiæ fide admonuit Mercerus restituendum *VI. & VIII.* Idem innuit Flor. in quo corrupte legitur, *legiones victrics vim. XI. VIII.* Pichena. Immo vero *Sexta & octava.* Casuum discrimen sustulerunt notæ, quæ videntur fuisse in libris MS. *VI. & VIII.* Freinshemius.

8 *Peninis Cottianisque Alpibus traducuntur*] Quidam ante Cerealem, nonnulli post eum, ut ex hoc & sequente libro discere est. *Savilius.*

9 *Tertia ac prima*] Savilius legit: *Sexta ac decima.* Nam supra sic in Hispania collocavit. Tamen & Tertia ibi fuit, & diuturna: nec aliam caussam arbitror, cur Hispani hodieque legiones suas *Tertios* appellent. *Lipsius.*

*VI. & X. ex Hispania accita*] Hunc etiam legionum numerum recte emendavit Savilius Anglus, ut idem Mercerus testatur. Immo ipse Tacitus eas sic

quemque reverentia fideque, juniores periculo ac metu continuit. Et Valentini ani-
mum laudabant, consilium Auspicis sequebantur. Constat obstetisse Treveris Lin-
gonibusque apud Gallias, quod Vindicis motu cum Verginio steterant. Deterruit
plerosque provinciarum æmulatio. *quod bello caput?* [1] *unde jus auspiciumque peteretur?*
*quam, si cuncta provenissent, sedem imperio legerent?* Nondum victoria, jam discordia
erat: aliis fœdera, quibusdam opes viresque, aut vetustatem originis, [2] per jurgia
jactantibus. Tædio futurorum, præsentia placuere. Scribuntur ad Treveros episto-
læ, nomine Galliarum, *ut abstinerent armis, impetrabili venia, & paratis deprecatori-*
*bus, si pœniteret.* Restitit idem Valentinus, obstruxitque civitatis suæ aures, haud
70 perinde instruendo bello intentus, quam frequens concionibus. Igitur non Treveri
neque Lingones, ceteræve rebellium civitates, pro magnitudine suscepti discriminis
agere. Ne duces quidem in unum consulere. Sed Civilis avia Belgarum circumibat:
dum Claudium Labeonem capere, aut exturbare nititur. Classicus segne plerumque
otium trahens, velut parto imperio fruebatur. Ne Tutor quidem maturavit supe-
riorem Germaniæ ripam, & ardua Alpium [3] præsidiis claudere. Atque interim
[4] unaetvicesima legio Vindonissa; Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Ræ-
tiam irrupere. Accessit ala Singularium, excita olim à Vitellio, deinde in partes
Vespasiani transgressa. Præerat Julius Briganticus, sorore Civilis genitus, ut fer-
me [5] acerrima proximorum odia sunt; invisus avunculo, infensusque. Tutor Tre-
verorum copias, recenti Vangionum, [6] Caracatium, Tribocorum [7] delectu auctas,
veterano

sic appellat lib. præced. *initio per Hispaniam à prima Adjutrice orto, quæ memoria Othonis infensa Vitellio, decimam quoque ac sextam traxit.* Pichena.

1 *Unde vis auspiciumque* ] Nos, *unde jus ausp.* Rhenanus.

2 *Per jurgia jactantibus* ] Sumpsi lectionem à P. Manutio: qui amice mihi in pomeridiano sermone contribuit. Nam vulgo est, *perjuriaque jactantibus.* in manuss. *perjuria jactantibus.* quod Manutianam conjecturam firmat. Romano tamen libro est, *pro jure jactantibus.* quod rejicere, injurium sane sit. *Lipsius.*

*Perjuriaque jactantibus* ] Doctiss. vir verbis P. Manutii *per jurgia.* Eam conjecturam (bona venditoris gratia) titivilitio non emerim. Quisque id proferebat, quo rebatur se valere ad obtinendum principatum; pars se eo dignos ducebant, quod multis fœderibus essent muniti: plerique recensebant vires & opes: nonnulli originis vetustatem. Quidam rebelliones adversus Romanos, quasi merito princeps ille populus esse deberet, qui adversus Romanos non semel fœdifragus misericordiam penitus consumsisset. Hæc ultima certe apud Germanos potentiam imprimis conciliabant. Quanam enim alia de causa Civilis gloriabatur majores suos hostes populi Rom. fuisse *ipse è majoribus suis hostis populi Rom. quam socius jactabat.* Sed eadem pura puta Brinio in ducem ascitus est. 4. histor. 15. Hæc mihi præivit Lazarus Superantius patricius Venetus. quem nunc nuper magno literarum detrimento luxi lugeoque; φίλτατος enim ἑταῖρος erat: is multa & egregia scripsit, quibus longum vivet. Placide quiescat & nos *ab infirmo desiderio & muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum suarum* vocet, *quas neque lugeri, neque plangi fas est.* Ceterum amici memoriam venerantes, serio cavebimus, ne quis in nos merito jaciat illud Sophoclis Ajac. mastigoph. φεῦ φεῦ τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖά τοῖς βροτοῖς Χάρις διαρρεῖ. *Heu heu ut cita apud homines gratia mortuorum defluit.* Salinerius.

3 *Præsidiis claudere* ] Rom. *Præsidiis capere.* quod recipio. *Lipsius.*

4 *Unaetvicesima legio Vindonissa* ] Non legionis nomen, Vindonissa, primo casu, sed sexto oppidum Helvetiorum: unde irrupisse ait legionem unaetvicesimam, quæ & Vitellianis fuerat, & *Rapax* cognominabatur, ut alibi Tacitus. Vindonissæ etiam meminit supra; *Cohortium alarum, legionum hiberna subversa cremataque: iis tantum relictis quæ Magontiaci ac Vindonissæ sita sunt.* Pichena.

5 *Acerrima proximorum odia.* ] Exsequitur Aristoteles, VII. Politic. cap. VII. & caussam donat: vide. Sed breviter, pro nostra re: Proverbio jactatum ait, Χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν· καὶ, Οἵ τοι πέρα στέρξαντες, οἱ δὲ καὶ πέρα μισοῦσι: *Gravia fratrum bella.* &, *Qui nimis amant, nimis oderunt.* Lipsius.

6 *Caracatium* ] In manuscr. lib. utrobique, *Ceracates.* Rhenanus. Cluverius *Nemetum* & mox *Nemetibus.* Sed hæc nimis abeunt a veterum & vulgatorum vestigiis. Suspicabar *Vangionum, Tabernatium, Tribocorum.* deinde, *Tribocis Vangionibusque & Tabernatibus.* Ipsum Cluverium vide lib. 2. Germ. Antiquæ cap. 12. *Gronovius.*

7 *Delectu auctas* ] Sic Flor. Nec male etiam vulgati,

veterano pedite atque equite firmavit, corruptis ſpe; aut metu ſubactis legionariis,
qui primo cohortem præmiſſam à Sextilio Felice, interficiunt. mox ubi [1] duces
exercituſque Romani propinquabant, [2] honeſto transfugio redicre; ſecutis Tribo-
cis, Vangionibuſque & Caracatibus. Tutor Treveris comitantibus, vitato Magon-
tiaco Bingium conceſſit; fidens loco, quia [3] pontem Navæ fluminis abruperat. ſed
incurſu cohortium quas Sextilius ducebat, & reperto vado, proditus fuſuſque. Ea
clade perculſi Treveri; & plebes omiſſis armis per agros palatur. quidam principum,
ut primi poſuiſſe bellum viderentur, in civitates quæ ſocietatem Romanam non exue-
rant, perfugerunt. Legiones à Noveſio Bonnaque in Treveros, ut ſupra memora-
vimus, traductæ, ſe ipſas in verba Veſpaſiani adigunt. Hæc Valentino abſente ge-
ſta: qui ubi adventabat furens, cunctaque rurſus in turbas & exitium converſurus;
legiones in Mediomatricos, ſociam civitatem, abſceſſere. Valentinus ac Tutor in
arma Treveros retrahunt: occiſis Herennio ac Numiſio legatis, quo minore ſpe ve-
niæ creſceret vinculum ſceleris. Hic belli ſtatus erat, cum Petilius Cerialis Ma- 71
gontiacum venit. ejus adventu erectæ ſpes. Ipſe pugnæ avidus, & contemnendis
quam cavendis hoſtibus melior, ferocia verborum militem incendebat: ubi primum
congredi licuiſſet, nullam prœlio moram facturus. delectus per Galliam habitos in
civitates remittit, ac nuntiare jubet *ſufficere imperio legiones. ſocii ad munia pacis redi-
rent, ſecuri velut confecto bello, quod Romana manus excepiſſent.* Auxit ea res Gallo-
rum obſequium. nam recepta juventute, facilius tributa toleravere, proniores ad of-
ficia quod ſpernebantur. At Civilis & Claſſicus, ubi *pulſum Tutorem, cæſos Treve-
ros, cuncta hoſtibus proſpera* accepere: trepidi ac properantes, dum diſperſas ſuorum
copias conducunt, crebris interim nuntiis Valentinum monuere, *ne ſumma rei peri-
culum faceret.* Eo rapidius Cerialis, miſſis in Mediomatricos, qui breviore itinere
legiones in hoſtem verterent, contracto quod erat militum Magontiaci, quantumque
ſecum tranſvexerat, [4] tertiis caſtris Rigodulum venit, quem locum magna Treve-
rorum manu Valentinus inſederat, [5] montibus aut Moſella amne ſeptum. & addiderat
foſſas, obiceſque ſaxorum. Nec deterruere ea munimenta Romanum ducem, quo
minus peditem perrumpere juberet, equitum aciem in collem erigeret, ſpreto ho-
ſte, quem temere collectum, haud ita loco juvari, ut non plus ſuis in virtute foret.
[6] Paulum moræ in aſcenſu, dum miſſilia hoſtium prævehuntur. [7] Ut ventum in
manus,

gati, *lectu.* Pichena.

1 *Duces exercituſque Romani*] In MS. Medic. eſt *Roman*; quod difficulter probabit Ryckius pronuntiari debere *Romanus*, ut abrupte ſcribit, quum adeo varie voces clauſerit iſta nota. *Jac. Gronovius.*

2 *Honeſto transfugio redicre*] Mihi ſententia ſuadet ſcribere, *redemere.* Honeſto transfugio redimebant ſcelus interfectæ cohortis. *Acidalius.*

3 *Pontem Navæ fluminis*] Non celebratus hic fluvius ab auctoribus eſt, ſolum Auſonium mentionem ejus facere deprendi, *Tranſieram celerem nebuloſo flumine Navam.* Alciatus. Nos, *Navæ fluminis*, non, *Navas fl.* Apud Bingium *Nava* Rheno miſcetur. *Rhenanus.*

4 *Rigodulum venit*] Vatic. *Ridogulum.* Hodie dimidiatum nomen tenet, aliquot milliaribus ſupra Confluentes, pagus *Rigol* dictus. *Lipſius.*

*Tertiis caſtris Rigodulum venit*] Terminatione locorum Gallicanorum ſolemni legerim, *Rigolodunum.* Aſſentior doctiſſ. Lipſio eſſe pagum, qui hodieque *Rigol* dicitur. Aventinus Confluentiam eſſe credidit. *Colerus.*

5 *Montibus & Moſella amne*] Repoſui, *Montibus aut Moſella a.* Rhenanus. Libri veteres, *montibus & Moſella.* Tamen Rhenanus repoſuit, *aut Moſella.* minus proprie. non enim alterutrum munimentum intelligitur, ſed utrumque. *Pichena.* Mirum certe eſt ſic pronuntiari ab Viro docto, qui ſub oculis habebat codicem Mediceum, in quo perſpicue legitur *montibus aut Moſ.* ut ex ſcedis meis prompſit Ryckius, & bene intellexit, unde ſic reſtitui. *Jac. Gronovius.*

6 *Paulum mora in aſſenſu*] Caſtig. *in adſcenſu.* Rhenanus.

7 *Ut ventum ad manus*] Flor. *in manus.* Fortaſſe


non

manus, deturbati ruinæ modo præcipitantur. Et pars equitum æquioribus jugis cir-
72 cumvecta, nobilissimos Belgarum, in quis ducem Valentinum, cepit. Cerialis postero die coloniam Treverorum ingressus est, avido milite eruendæ civitatis: *Hanc esse Classici, hanc Tutoris patriam; horum scelere clausas cæsasque legiones. Quid tantum Cremonam meruisse, quam è gremio Italiæ raptam, quia unius noctis moram victoribus attulerit? Stare in confinio Germaniæ integram sedem, spoliis exercituum & ducum cadibus ovantem.* [1] *Redigeretur præda in fiscum: ipsis sufficere ignes, & rebellis coloniæ ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur.* [2] Cerialis metu infamiæ, si licentia sævitiaque imbuere militem crederetur, pressit iras. & paruere, [3] posito civili bello ad externa modestiores. Convertit inde animos accitarum è Mediomatricis legionum miserabilis aspectus. Stabant conscientia flagitii mœstæ, fixis in terram oculis. Nulla inter coëuntes exercitus consalutatio. neque solantibus hortantibusve responsa dabant, abditi per tentoria, & lucem ipsam vitantes. nec perinde periculum aut metus, quam pudor ac dedecus obstupefecerat: attonitis etiam victoribus, [4] qui vocem precesque adhibere non ausi, lacrimis ac silentio veniam poscebant. donec Cerialis mulceret animos, *fato acta* dictitans, [5] *quæ militum ducumque discordia, vel fraude hostium evenissent.* [6] *Primum illum stipendiorum & sacramenti diem haberent: priorum facinorum*
73 *neque imperatorem, neque se meminisse.* Tunc recepti in eadem castra, & edictum per manipulos, ne quis in certamine jurgiove seditionem aut cladem commilitoni objectaret. Mox Treveros ac Lingonas ad concionem vocatos ita alloquitur. *Neque ego unquam facundiam exercui; & populi Romani virtutem armis affirmavi. Sed quia apud vos verba plurimum valent, bonaque ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum æstimantur; statui pauca disserere, quæ profligato bello, utilius sit vobis audisse, quam nobis dixisse. Terram vestram ceterorumque Gallorum ingressi sunt duces imperatoresque Romani, nulla cupidine, sed majoribus vestris invocantibus, quos discordia usque ad exitium fatigabant. & acciti auxilio Germani, sociis pariter atque hostibus servitutem imposuerant. Quot præliis adversus Cimbros Teutonosque, quantis exercituum nostrorum laboribus, quove eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum. Nec ideo Rhenum insedimus, ut Italiam tueremur: sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur. An vos cariores Civi-*

non male. Sic Ann. 2. c. 80. *ut venere in manus.* Pichena.

1 *Redigeret prædam in fiscum*] Posset etiam legi, *redigeretur præda in fiscum.* Nam volumen Matthiæ regis habet, *redigeretur.* Rhenanus. Ex Flor. *redigetur præda in fiscum.* Vulgo, *redigeret prædam.* Pichena.

2 *Cerialis metu infamiæ*] Vulgati, *Cerialis à metu.* Mihi vox aliqua excidisse videtur, & alternasse caussas, ut solet, Tacitus: *Cerialis emptus aut metu infamiæ.* sive, *Cerialis clementia, aut metu.* Lipsius.

*Cerialis à metu infamiæ*] Proba hæc sunt nec Tacito insolentia. lib. 16. ann. *Plerique Vestini quoque consulis acre ingenium vitavisse Pisonem crediderunt, ne à libertate moveretur.* In Agric. *Cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus, & rubor, à quo se contra pudorem muniebat.* Nempe quo rubore semper coloratus, nunquam dignosci poterat, an eum aliquid puderet. Immanem belluam, qui nihilominus verecundiam sibi vendicabat. Sueton. c. 18. *Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut apud senatum sic quondam jactaverit: usque adhuc certe animum meum probastis & vultum.* Liberius certe Caligula apud eundem c. 29. *Salinerius.*

3 *Posito civili bello*] Est in vol. Matthiæ Corvini, *posito civium bello.* Rhenanus. Flor. *civium.* Pichena. Vide ad cap. 4. *Jac. Gronovius.*

4 *Qui vocem precesque adhibere*] Indecorum hoc & inconveniens, ut victores lacrimis silentioque veniam aliis petierint. Nec scripsit aut sensit hoc Tacitus, sed contra de ipsis legionibus deditiis. Itaque unam litterulam addo saltem, quæ sensum plane mutet in diversum, legoque *quia*, non *qui.* Muretus *qui* ipsum deletum ibat: quod ad sensum æque bonum, ad sermonis textum minus. Et facilius est unam litterulam periisse quam tres omnino temere natas. *Acidalius.*

5 *Quæ militum ducumque*] Ex Florent. sic restitui. Vulgo, *ducumve.* Pichena.

6 *Primum illorum stipendiorum*] Scripsi, *primum illum stipendiorum.* Rhenanus.

1 Ne

*Civili Batavisque & Transrhenanis gentibus creditis, quam majoribus eorum patres avique*
*vestri fuerunt? Eadem semper caussa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque ava-*
*ritia, & mutandæ sedis amor: ut relictis paludibus & solitudinibus suis, fecundissimum hoc so-*
*lum, vosque ipsos possiderent. Ceterum libertas, & speciosa nomina prætexuntur.* [1] *nec quis-*
*quam alienum servitium, & dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usur-*
*paret. Regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum jus concederetis. Nos quam-* 74
*quam toties lacessiti, jure victoriæ* [2] *id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam*
*neque quies gentium sine armis; neque arma sine stipendiis; neque stipendia sine tributis ha-*
*beri queunt. Cetera in communi sita sunt. Ipsi plerumque legionibus nostris præsidetis: ipsi*
*has aliasque provincias regitis. Nihil separatum, clausumve. Et* [3] *laudatorum principum*
*usus ex æquo, quamvis procul agentibus: sævi proximis ingruunt,* [4] *quomodo sterilitatem,*
*aut nimios imbres, & cetera naturæ mala; ita luxum, vel avaritiam dominantium tolera-*
*te. Vitia erunt, donec homines: sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensan-*
*tur. nisi forte Tutore & Classico regnantibus, moderatius imperium speratis: aut minoribus*
*quam nunc tributis* [5] *parabuntur exercitus, quibus Germani Britannique arceantur. Nam*
*pulsis (quod dii prohibeant) Romanis,* [6] *quid aliud quam bella omnium inter se gentium*
*exsistent? Octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages hæc coaluit: quæ convel-*
*li sine exitio convellentium non potest. Sed vobis maximum discrimen, penes quos aurum &*
*opes, præcipuæ bellorum caussæ. Proinde pacem & urbem, quam victi victoresque eodem*
*jure obtinemus, amate, colite. Moneant vos utriusque fortunæ documenta, ne contuma-*
*ciam cum pernicie, quam obsequium cum securitate malitis.* Tali oratione graviora me-
tuentis composuit, erexitque. Tenebantur victore exercitu Treveri, cum Civilis 75
& Classicus misere epistolas ad Cerialem, quarum hæc sententia fuit: *Vespasianum,*
[7] *quamquam nuntios occultarent, excessisse vita. Urbem atque Italiam, interno bello con-*
*sumptam.*

1 *Ne quisquam alienum servitium*] Nos, *nec quisquam alien. ser.* Rhenanus.

2 *Id solum vobis addidimus*] V. C. habet, *adjicimus*, sed placeret, *ademimus*. Ursinus. Suavius hoc *addidimus*, quam bonus Fulvius putavit. Significat enim interdum quæ Menander vocat ἐπίθετα κακὰ, ut sit, oneris imposuimus, durius in vos statuimus. ut Maroni *Teucris addita Juno.* Vide ad Senecæ Herculem Furentem vers. 1237. *Gronovius.*

3 *Laudatorum principum*] Acuta gnome: quam non abest quin callide abductam Sallustio credam, in oratione Sullæ ad Bocchum: *Tibi vere nulla amicitia opportunior nostra: primum quod procul absumus, in quo offensa minimum, gratia par ac si prope adessemus.* Lipsius.

4 *Quomodo sterilitatem*] Pulchrum documentum in mala publica & ad ea fortiter sustinenda. Seneca præiverat, De Constantia sapientis cap. IX. *Omnia itaque sic patitur, ut hiemis rigorem, & intemperantiam cæli, ut fervores morbosque, & cetera forte accidentia.* At Dio Cassius Ciceronem ita loqui facit, ubi Amnestiam suadet, post cædem Cæsaris: Ὥστε τὰ μὲν γεγενημένα ταῦτα χαλάζης τι τρόπῳ καὶ καταιγισμοῦ τρόπον συμβεβηκέναι νομίσαντες, λήθῃ παράδοτε. *Itaque hæc præterita, grandinis aut nimbi modo evenisse existimantes, oblivioni tradite.* Plane gemina sunt, & aut ab inventione; aut imitatione. *Lipsius.*

5 *Parabantur exercitus*] Castig. *parabuntur.* Rhenanus.

6 *Quid aliud quam bella*] Oraculum, cujus fidem proavi viderunt: & nos videmus, videbimusque, quamdiu secta in tot dominos Europa non audiet unius Aurigæ habenas. Plutarchus igitur vere, *Imperium Romanum, velut ancoram esse* scripsit *fluctuanti mundo.* Et nonne à Crispo suo hoc effatum sumpsit noster? sumpsit. Ille sic ad Cæsarem: *Quippe si morbo jam aut fato huic Imperio secus accidat: cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, cædes oriantur?* Lipsius.

7 *Quanquam nuntios occultarent*] Castigationibus parcendum erat. Nuntius enim aliquando pro re, quæ nuntiatur. Catullus in Arrium: *metuebam talia verba, Quum subito affertur nuntius horribilis.* Plin. lib. 5. ep. 5. *Nuntiatum mihi T. Fannium decessisse, qui nuntius gravi me dolore confudit.* Noster, *prosperos rerum in Treveris gestarum nuntios accepere.* Verum quinam sunt isti, qui famam occisi Vespasiani supprimere dicuntur? Iidem, quos Civilis & Classicus appellant *vana & sine viribus nomina.* Nimirum Domitianus ac Mucianus, quibus id affingitur, ut facile ad imponendum: solitum est enim iis, qui in imperium non suum sese intrudunt. En

*ſumptam.* [1] *Muciani ac Domitiani vana & ſine viribus nomina. Si Cerialis imperium Galliarum velit, ipſos finibus civitatum ſuarum contentos: ſi prœlium mallet, ne id quidem abnuere.* Ad ea Cerialis Civili & Claſſico nihil. cum [2] qui attulerat ipſas epiſtolas, ad Domitianum miſit. Hoſtes diviſis copiis advenere undique. Plerique culpabant Cerialem paſſum jungi, quos diſcretos intercipere licuiſſet. Romanus exercitus caſtra foſſa valloque circumdedit: quis temere antea intutis conſederat. Apud Germa-
76 nos diverſis ſententiis certabatur. Civilis *opperiendas Tranſrhenanorum gentes, quarum terrore fracta populi Romani vires obtererentur. Gallos quid aliud quam prædam victoribus? & tamen quod roboris ſit, Belgas, ſecum palam,* [3] *aut voto ſtare.* Tutor *cunctatione creſcere rem Romanam* affirmabat, *coëuntibus undique exercitibus.* [4] *Tranſvectam è Britannia legionem: accitas ex Hiſpania: adventare ex Italia: nec ſubitum militem, ſed veterem expertumque belli. Nam Germanos,* [5] *qui ab ipſis ſperentur, non juberi, non regi, ſed cuncta ex libidine agere. Pecuniamque, ac dona, quis ſolis corrumpantur, majora apud Romanos;* & [6] *neminem adeo in arma pronum, ut non idem pretium quietis quam periculi malit. quod ſi ſtatim congrediamur, nullas eſſe Ceriali, niſi* [7] *ex reliquiis Germanici exercitus legiones, fœderibus Galliarum obſtrictas. Idque ipſum, quod inconditam nuper Valentini manum contra ſpem ſuam fuderint, alimentum illis ducique temeritatis. Auſuros rurſus, venturoſque in manus, non* [8] *imperiti adoleſcentuli verba & conciones, quam ferrum & arma, meditantis, ſed Civilis & Claſſici: quos ubi aſpexerint, redituram in animos formidinem, fugam, famemque, ac totiens captis precariam vitam. neque Treveros, aut Lingonas benevolentia contineri: reſumpturos arma, ubi metus abſceſſerit.* Diremit conſiliorum diverſitatem, approbata Tutoris ſententia Claſſicus, ſtatimque
77 exſequuntur. Media acies Ubiis Lingonibuſque data: dextro cornu cohortes Batavorum; ſiniſtro Bructeri Tencterique. pars montibus; alii [9] viam inter Moſellamque

Livia, lib. 1. ann. *Latique interdum nuntii vulgabantur, donec proviſis quæ tempus monebat ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem eadem fama tulit.* En Agrippina lib. 12. ann. *vocabatur interim ſenatus, votaque pro incolumitate principis conſules & ſacerdotes nuncupabant, cum jam exanimis veſtibus & fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis imperio componuntur.* Salinerius. Neque ego vulgatam lectionem ſperno. Sed nec Lipſio nec Salinerio aſſentior. Ille ex Farneſ. legit *nuntii*: hic *nuntios*, interpretatur pro ipſa re quæ nuntiatur: & verbum, *occultarent*, ad Domitianum & Mucianum refert. Ego cenſeo litterarum, quas Civilis Claſſicuſque ad Cerialem ſcripſerunt, ſenſum fuiſſe: Certiores ſe de Veſpaſiani obitu factos, quanquam Cerialis & alii Romani duces, occultarent nuntios, ſeu tabellarios, qui id ſignificatum Roma venerunt. *Pichena.*

1 *Muciani & Domitiani vana & ſine* &c.] Nimis frivolum eſt in Flor. legi, *Muciani ac Domitiani*: tamen propter copulam ſequentem, elegantius videtur. *Idem.*

2 *Qui attulerat ipſas epiſtolas, ad Dom.*] Lego, *qui attulerat, ipſaſque epiſtolas.* Acidalius.

3 *Aut voto ſtare*] Liber manuſcr. tantum habet, *aut vaſtare.* Fortaſſis, *aut clam ſtare.* Rhenanus.

4 *Tranſvectam è Britannia*] Ita Flor. Vulgo, *à Brit.* Pichena.

5 *Qui ab ipſis ſpernentur*] Nos, *ſperentur.* Rhenanus.

6 *Neminem adeo in arma promptum*] Vox hæc poſtrema commodius ſequitur, *intecto corpore promptus inter tela*, quum in re præſenti verſatur & talem ſe gerit, quam hoc loco, ubi de proclivitate & impulſu mentis inſito agitur, & ubi in MS. Mediceo reperi *pronum*, quod ex ſcedis meis etiam placuit Ryckio plane ut admitteret; quod ipſe nequaquam detrectavi. *Jac. Gronovius.*

7 *Ex reliquiis Germani exercitus*] Repoſui, *Germanici exercitus.* Rhenanus. Id quidem ex MS. Mediceo non ſignavi, ut idcirco & Rhenanus non ex codice Budenſi, ſed ſuo impetu proferat: ſed illic ſcribebatur *e reliquiis.* Jac. Gronovius.

8 *Imperitia militum ſed adoleſcentuli*] Duas voces *militum ſed*, eximimus, ut legatur, *non imperitia adoleſcentuli, verba* &c. *Rhenanus.* Tullium Valentinum intelligit, de quo ſupra: *Is meditata oratione cuncta magnis imperiis objectari ſolita, contumeliaſque & invidiam in pop. Rom. effudit.* & paulo poſt, *reſtitit idem Valentinus, obſtruxitque civitatis ſuæ aures.* &c. *Pichena.*

9 *Viam inter Moſellamque flumen*] Tacitus debuiſſet, exemplo hiſtoricorum, quos habemus probatiſſi-

que flumen [1] tam improvisi assiluere, ut in cubiculo ac lectulo Cerialis (neque enim
noctem in castris egerat) pugnari simul vincique suos audierit, increpans pavorem
nuntiantium, donec universa clades in oculis fuit. Perrupta legionum castra, fusi
equites: medius Mosellæ pons, qui ulteriora coloniæ annectit, ab hostibus insessus.
Cerialis turbidis rebus intrepidus, & fugientes manu retrahens, intecto corpore
promptus inter tela, felici temeritate, & fortissimi cujusque accursu, reciperatum
pontem [2] lecta manu firmavit. Mox in castra reversus, palantes captarum apud No-
vesium Bonnamque legionum manipulos, & rarum apud signa militem, ac prope cir-
cumventas aquilas videt. Incensus ira, *Non Flaccum*, inquit, *non Voculam desertis.*
*Nulla hic proditio. neque aliud* [3] *excusandum habeo, quam quod vos Gallici fœderis*
[4] *oblitos prædixerim, memoriam Romani sacramenti temere credidi. Annumerabor Nu-*
*misiis & Herenniis, ut omnes legati vestri, aut militum manibus, aut hostium ceciderint.*
[5] *Ite, nuntiate Vespasiano, vel quod propius est, Civili & Classico, relictum à vobis in*
*acie ducem. venient legiones, quæ neque me inultum, neque vos impunitos patiantur.* Ve- 78
ra erant. & à tribunis præfectisque eadem ingerebantur. Consistunt per cohortes, &
manipulos; neque enim poterat patescere acies effuso hoste, & impedientibus ten-
toriis sarcinisque, cum intra vallum pugnaretur. [6] Tutor, & Classicus, & Civilis,
suis

batissimos, hic se exactiorem præstitisse chotographum, atque istius prælii locum accuratius descripsisse, quæ fluvii pars Romanis castris teneretur, & quæ ratio situs quoad urbem. Nunc ut ea de functus descriptione est (si rem rite excussam concipio) non modo nobis intellectu difficilem reddit, sed & iis quibus ista scripsit, nisi putemus, Romæ tum viventibus viam fuisse notissimam, de qua agit, aliaque minutiora, quæ Treverorum spectant situm, ut ad plenam cognitionem nihil deesset. Adde, quod, utcunque mutetur loci situs, in promptu sit ex textu sic constituto controversias movere non ita facile enodandas. *Savilius.*

1 *Tam improvisi assiluere*] Sustinent ita vulgo edere, tanquam magis placiturum, quam quod exhibuit Beroaldus *improvisa*, & quidem ex MS. Mediceo, ex quo id notavi, tanquam Tacitus præcedenti voci *pars* etiam aliquid indulgendum censuisset; certe ut ita in neutro plurali comprehenderet totam partitionem. Forsitan & aliquid amplius hic latet, quum in MS. illo, quo dixi, legatur *Tencterique pars mentibus alii alii viam* &c. *Jac. Gronovius.*

2 *Lecta manu*] MS. Medic. *electa*, nec aliter Beroaldus. *Idem.*

3 *Excusandum habeo*] Alias, *accusandum*. Ferrettus.

4 *Oblitos prædixerim*] Vocem *prædixerim*, corruptam, aut superfluere vides. Rodolphus pro ea legisse videtur, *oblitos, proximam memoriam*. In Florentino est, *temere*, pro, *tenere*. Quo leni ductu, hæc concinno: *oblitos, redisse in memoriam R. s. temere credidi.* Et collineavi, atque attigi. *Lipsius.*

*Quod vos Gallici fœderis oblitos prædixerim*] Malim, *prædixi*, propter scripturam cod. Bud. *Rhenanus.* Video neque constructionem in hac lectione constare, neque ullum sensum, sed cum & antea locus haud minus corruptus esset, placuit saltem restituere juxta Florent. *temere credidi*, pro eo quod in vulgatis legebatur, *tenere credidi*: Cujus adverbii indicio emendationem excogitavi, fortasse auctoris sententiæ non alienam: *quod vos Gallici fœderis oblitos, & retinere memoriam Romani sacramenti, temere credidi.* Pichena. Latet ulcus aliquod, nam Rom. edit. non agnoscit ullam literam vocis, *tenere*, quam tamen haud facile ejecerim; sed secutus cod. Florent. auctoritatem tentaverim: *quod v. G. fœd. obl. præduxisse mem. sacr. temere credidi.* Gruterus. Veniebat sub acumen stili: *quod vos Gallici fœderis oblitos repetisse memoriam Romani sacramenti temere credidi.* Justinus lib. 35. *prioris sacramenti religionem novi regis superbia præferentes*, Suetonius Claudio 13. *legionibus, quæ sacramentum mutaverant, in pœnitentiam religione conversis.* Cum *memoriam* dicit, intelligit reverentiam. *Gronovius.* Quod si ex copia placet eligere, vide an non & locum suum hoc tueatur: *quam quod vos Gallici fœderis oblitos præfiscini memoriam Romani sacramenti tenere credidi.* Inter duas laudationes egregias, si veræ fuissent, interponit hoc notissimum adverbium, non secus ac profertur inter fragmenta Titinnii, *paula mea, amabo, pol tu ad laudem addito præfiscini.* Jac. Gronovius.

5 *Ite, nuntiate Vespasiano*] Similis invidiæ metum suis militibus jam fugientibus Sulla injicit. *Si quis vos, milites, rogaverit, ubi Sullam Imperatorem vestrum reliqueritis, respondete, Apud Orchomenum pugnantem.* Atque ille hac increpatione rem labentem sustinuit. Plutarchus & Appianus. *Lipsius.*

6 *Tutor, & Classicus, Civilis*] Addidimus particulam, *Tutor, & Classicus & Civilis.* Rhenanus.

suis quisque locis pugnam ciebant: Gallos *pro libertate*, Batavos *pro gloria*, Germanos *ad prædam* instigantes. Et cuncta pro hostibus erant. donec [1] legio unaetvicesima, patentiore quam ceteræ spatio conglobata, sustinuit ruentes; mox impulit. Nec sine ope divina, mutatis repente animis, terga victores vertere. Ipsi territos se cohortium aspectu ferebant, quæ primo impetu disjectæ, summis rursus jugis congregabantur, ac speciem novi auxilii fecerant. Sed obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, hoste omisso spolia consectandi. Cerialis ut incuria prope [2] rem afflixit, ita constantia restituit. secutusque fortunam, castra hostium eodem die capit
79 exscinditque. Nec in longum quies militi data. Orabant auxilium Agrippinenses; offerebantque uxorem ac sororem Civilis, & filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. Atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverant. Unde metus & justæ preces invocantium, antequam hostes reparatis viribus ad spem, vel ad ultionem accingerentur. Namque & Civilis illuc intenderat, non invalidus, [3] flagrantissima cohortium suarum integra: quæ ex Chaucis Frisiisque composita, [4] Tolbiaci, in finibus Agrippinensium agebat. Sed tristis nuntius avertit, *deletam cohortem dolo Agrippinensium:* qui largis epulis vinoque sopitos Germanos, clausis foribus, igne injecto, cremavere. Simul Cerialis propero agmine subvenit. Circumsteterat Civilem & alius metus, ne quartadecima legio adjuncta Britannica classe, afflictaret Batavos, qua oceano ambiuntur. Sed legionem terrestri itinere Fabius Priscus legatus in Nervios Tungrosque duxit. eæque civitates in deditionem acceptæ. classem ultro Caninefates aggressi sunt: majorque pars navium depressa, aut capta. Et Nerviorum multitudinem sponte commotam, ut pro Romanis bellum capesseret, iidem Cani-

1 *Legio unaetvicesima*] Male vulgo, *legio vicesima prima*, nam ut Mercerus ad lib. 1. hist. monuit, nunquam apud Tacitum, vixque apud alios veteres dicitur *legio decima tertia*, *decima quarta*, *decima quinta*, &c. sed *tertia decima*, *quarta decima*, *quinta decima*, semper minori numero præposito. Hic in MS. legitur, *legio* XXI. Erravit librarius qui scripsit, *vicesima prima*, cum *unaetvicesima*, scribere debuisset. Idem error alibi irrepsit. *Pichena*.

2 *Res afflixit*] Nos, *rem afflixit*. Rhenanus.

3 *Integra, & è Chaucis*] Romanus codex. & editiones aliæ: *integra manu*, *& è Chaucis*. Legam, *integra manente*, *e Chaucis*. Florentinus porro, *integraque ex:* si plene, facias cum Pichena, *integra*, *quæ*. Lipsius.

*Flagrantissima cohortium suarum integra manu, & è Chaucis*] Ablativum *manu* delevi. Expone, *Non invalidus flagrantissima cohortium suarum*, id est, quæ inter cohortes ardentissima erat, integra. subaudi *existente*. Rhenanus. Duxit me ad hanc lectionem. *flagrantissima cohortium suarum integra*, *quæ ex Chaucis Frisiisque composita*, *Tolbiaci*, Florentinus, qui habet, *integraque*. Vulgo enim & corrupte, & confuse: *Flagrantissima coh. s. integra*, *& è Ch. Fr. composita. Tolbiaci.* Pichena. Quid non recte dictum? Chaucorum & Frisiorum multi evasere cum Civili, quos ante propriis cuneis compositos, nunc numero minuto in unum miscuit, disponebant enim barbari quasque gentes separatim lib. 3. histor. 16. *Caninefates*, *Frisios*, *Batavos propriis cuneis componunt.* Eadem de Chaucis dicenda sunt: qui inter auxilia Civilis. Ibid. *Civili Chaucorum auxilia venere*, qui per se gens magna & valida. de moribus Germ. 16. Doctiss. autem vir legit, *Flagrantissima coh. s. i. manente*, *e Chaucis.* Nonne invalidum Civilem facimus cum una tantum cohorte? *namque & Civilis illuc intenderat non invalidus.* &c. At victus fuit, non inficior. verum non profligatus. *Sed obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen hoste omisso spolia consectandi.* Sit ergo *manu integra.* plus una cohorte. Virg. 1. Æn. *scelerum pœnas expendimus omnes Vel Priamo miseranda manus.* Salinerius. Lectio Taciti lenissime & percommode sic procedit: *non invalidus flagrantissima cohortium suarum integraque & ex Chaucis Frisiisque composita. Tolbiaci in finibus Agrippinensium agebat.* Nam quidquid scripserit Pichena, ipse vidi in MS. Mediceo legi *integraq; & ex Canchis*, prout etiam publicavit Ryckius. *Jac. Gronovius.*

4 *Tolbiaci*] Farnes. *Colbiaci.* in itinerario Antonini, *Tobiaci.* Lipsius.

*Galbiaci in finibus*] Nos, *Tolbiaci.* Quidam *Tolbiacum* appellant, ut Antoninus in Itinerario, & alii. Paulo post, *Turingosque.* Nos, *Tungrosque.* Rhenanus. Dicitur in Antonini Itinerario, *Tolbiacum vicus Supenorum:* ubi in Longolii libro teste doctiss. Surita, *Supernorum*, quos tamen ego *Supernos*, qui fuerint, ignoro. Et fortasse legendum fuerit ibi *Tolbiacum vicus Gugernorum.* Tacit. histor. lib. 5. *Batavi*, *Gugernique.* Non procul Novesio &

Caninefates fudere. Classicus quoque adversus equites Novesium à Ceriale præmis-
sos, secundum prœlium fecit. quæ modica, sed crebra damna, famam victoriæ nu-
per partæ lacerabant. Iisdem diebus Mucianus Vitellii filium interfici jubet: man- 80
suram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset. Neque Antonium Primum
adsciri inter comites à Domitiano passus est; [1] favore militum anxius, & superbia vi-
ri, æqualium quoque, adeo superiorum intolerantis. Profectus ad Vespasianum An-
tonius, ut non pro spe sua excipitur, ita neque averso imperatoris animo. Trahe-
batur in diversa. hinc meritis Antonii, cujus ductu confectum haud dubie bellum
erat; inde Muciani epistolis: simul ceteri, ut *infestum tumidumque* insectabantur, ad-
junctis prioris vitæ criminibus. neque ipse deerat [2] arrogantia vocare offensas, nimius
commemorandis quæ meruisset. *Alios* ut *imbelles*, *Cæcinam* ut *captivum ac dediticium*
increpat. Unde paulatim levior viliorque haberi, manente tamen in speciem ami-
citia. Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriæ [3] statos æstivis flatibus dies, 81
& certa maris opperiebatur, multa miracula evenere, [4] quis cœlestis favor & quæ-
dam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandrina qui-
dam [5] oculorum tabe notus; genua ejus advolvitur, *remedium cæcitatis* exposcens ge-
mitu; [6] monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit. pre-
cabaturque principem, *ut genas & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento.*
Alius [7] manum æger, eodem deo auctore, *ut pede ac vestigio Cæsaris calcaretur*, ora-
bat.

& Gelduba absfuisse, proximos autem Agrippinensibus constat, Juliacenses esse hodie Dinæus & Rhenanus opinantur. Tolbiacum vero nomen hodieque refert. Zulpich. *Colerus.*

1 *Favore militum anxius est*] Verbum *est* erasimus. *Rhenanus.*

2 *Arrogantia vocare offensas*] Scribemusne *provocare*, an pro hoc illud capiemus. *Acidalius.*

3 *Statos æstiva flatibus dies & certa maris opperiens*] *Certa maris* erant à quinto decimo aut septimo & vigesimo Maji (utrumque enim habet Vegetius l. 4, 39.) usque ad quartum decimum Septembris. A quarto decimo Septembris usque ad undecimum Novembris *navigatio*, sed *incerta* ab undecimo Novembris usque ad decimum Martii *maria clausa*: & ab illo decimo Martii *maria clausa*: & ab illo tempore usque ad quintum decimum Maji *Navigatio periculosa*. Ut satis appareat Vespasianum non solvisse, nisi Majo extremo. Joseph. 4. ἁλώσ. 42. *αὐτὸς μέν τοι (Οὐεσπασιανὸς) εἰς τὴν Ῥώμην ὥρμητο λήξαντος τοῦ χειμῶνος ἀνάγεσθαι.* i. *Vespasianus Romã profectus est extrema hieme.* Quod ante vir doctus pro *statos æstivis flatibus dies*, legit, *statos Etesiarum flatibus dies*, allucinatur. Etesiarum enim flatus ista navigatio adversos habet 2. hist. & Cæsar. 3. c. 20. de bell. civ. *Ipse necessario Etesiis tenebatur. qui Alexandria navigantibus sunt adversissimi venti.* Si expectasset, donec deflarent, quod fit extremo Augusto, incidisset in tempus *incertæ navigationis* & *incertissima* domum procul dubio venisset. *Savilius.* Recte: nam stati dies æstivus flatibus iidem; quibus certa navigatio à Maio ad Septembrem: de qua Vegetius Apulejus, alii. At quod visum doctiss. Lipsio, *Etesiarum flatibus* & tempestati anni & regionum rationi prorsus contrarium, quum Etesiæ navigantibus ex Italia in Ægyptum propitii sint, ex Ægypto in Italiam contrarii. Tacitus supra, Cæsar, alii. Quod bene monuit eruditiss. & exactiss. Savilius. *Mercerus.* Ego fidenter pro *æstivis*, saltem *Etesiis*, minore mutatione pene nulla audeo mutare. *Etesii flatus*, ut Lucret. lib. 6. *Anni tempore eo, quo Etesia flabra feruntur.* Dubium mihi tamen & ignotum, cur Vespasianus *Etesias* Alexandriæ nunc opperiatur. Festinabat ipse in Italiam transmittere quam primum: at hæ Italiam adnavigaturis non propitiæ, sed adversæ. *Acidalius.*

4 *Quis e cœlis favor*] Vol. regium non habet *è cœlis est*. Scripsi, *cœlestis favor*. Rhen.

5 *Oculorum tabe notus*] Spartianus in Hadr. scribit ipsum Hadrianum cæcæ mulieri visum restituisse. Et quidem Pannonius natus cæcus febricitantem Hadrianum contigit, quo facto & Hadrianum febris reliquit, & cæcus visum recipit. Pyrrhus Epirotarum rex simul atque splenelicos pede presserat, morbus decedebat, erat in ipsius pede pollex divina facultate præpotens, qui post ipsius obitum neque igni absumi potuit, neque ætate contabuit. Franci Reges saliva tantum pollice in decussem allita strumis medentur. *Lupanus.*

6 *Monitu Serapidis Dei*] Vulgo, *Sarapidis*. Emendavi Flor. & Ven. auctoribus, immo Tacito ipso, qui inferius ait: *Fuerat illic sacellum Serapidi & atque Isidi antiquitus sacratum.* Pichena.

7 *Manu æger*] Ab hoc fletit Dio, sed in diversa parte

bat. Vespasianus primo irridere, aspernari: atque illis instantibus, modo famam
vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem induci.
postremo æstimari à medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas, ope humana superabiles forent. Medici varie disserere; *Huic non exesam vim luminis, & redituram si pellerentur obstantia: illi* [1] *elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari.* [2] *Id fortasse cordi deis, & divino ministerio principem electum. denique* [3] *patrati remedii gloriam penes Cæsarem; irriti ludibrium penes miseros fore.* Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, læto ipse
vultu, [4] erecta quæ astabat multitudine, jussa exsequitur. Statim conversa ad usum
manus, ac cæco reluxit dies. Utrumque qui interfuere nunc quoque memorant,
82 postquam [5] nullum mendacio pretium. Altior inde Vespasiano [6] cupido adeundi
sacram sedem, ut super rebus imperii consuleret. *Arceri templo cunctos* jubet. atque ingressus, intentusque numini, [7] respexit pone tergum è primoribus Ægyptiorum nomine *Basiliden*; quem procul Alexandria plurium dierum itinere, & ægro
corpore detineri haud ignorabat. Percunctatur sacerdotes, *num illo die* [8] *Basilides templum inisset?* percunctatur obvios, *num in urbe visus sit?* denique missis equitibus
explorat, illo temporis momento octoginta millibus passuum absuisse. Tunc divi-
83 nam speciem, & vim responsi [9] ex nomine *Basilidis*, interpretatus est. [10] Origo
dei nondum nostris auctoribus celebrata. Ægyptiorum antistites sic memorant: *Ptolemao*

parte est Tranquillus Vesp. 7. *Vertranius.*

*Alius manu æger*] Ab hoc stetit Dio, sed in diversa parte est Tranquillus Vespas. 7. *Idem.* Hoc ipsum gestiverunt etiam notare Savilius & Ryckius: sed hie insuper ex scedis meis testatur in Flor. cod. legi *manum*, quod non erat eripiendum ulterius editionibus Taciti, qui Græcismum illum jam supra amavit, ut potuit 15. ann. 64. *Jac. Gronovius.*

1 *Elapso in pravum artu*] Castigavi, *elapsos in pravum artus.* Mox *posse integrate*, subaudi salubrem vim. *Rhenanus.*

2 *Id fortasse cordi deis*] Id est, ut ii sanentur. *Pichena.*

3 *Perafti remedii gloriam*] Liber Manuscr. habet, *parati remedii.* Fortassis legendum, *patrati.* Sic lib. seq. *Nec omnia patrandi fiducia.* Rhenanus.

4 *Erecta quæ adstabat*] Malim *arrecta.* Apulejus 2. Miles. *studia præsentum ad miraculum tantum certatim arrexit.* Pricæus.

5 *Nullum mendacio pretium*] Quis autem gratuito mendax sit?

——— *cum sint præmia falsi*

*Nulla, ratam debet testis habere fidem*, ait Ovidius. *Lipsius.*

6 *Cupido adeundi sacram sedem*] Ipsius nempe Serapidis templum. *Pichena.*

7 *Respexit pone tergum è primoribus*] In lib. manuscr. non est è præpositio. *Rhenanus.*

*E primoribus Ægyptiorum Basiliden*] Firmat hoc valde viri eximii conjecturam Lævini Torrentii, in Suetonii Vespasiano: *Basilides libertus obtulisse ei visus est.* Quomodo libertus, si sacerdos? si, quod hic dicitur, è *primoribus Ægyptiorum?* Bene igitur ille magnus amicus noster *Basilides obtulisse*, deleta voce *libertus*, perperam infarcta. *Lipsius.*

8 *Basilides*] Putant quidem sacerdotem esse in monte Carmelo, cujus mentio. 2. hist. sed obstant quæ pene conciliationem fugiunt. *Savilius.*

9 *Ex nomine Basilidis*] Deducto à βασιλεὺς. *Savilius.* Hoc est, futurum se regem, quia Basilidem viderat. nam βασιλεὺς Græcis *rex* est. *Ferretus.* Is enim mos erat veterum, ut quoties aliquid ex sententia proveniret, se omen accipere dicerent, ut hic Vespasianus ex nomine Basilidis futurum se regem conjectavit. Roma à Gallis capta, cum Romani Vejos migrare vellent, centurio exclamavit, *signifer, statue signum: hic optime manebimus*, qua voce audita, Senatus se accipere omen dixit. L. Paulus, cui bellum à Senatu adversus Persen decretum domum rediens eum filiam parvulam tristem videret, eam interrogavit, cur tristis esset. Tum illa respondit, Persam mortuam: erat enim catella, quam puella habebat in deliciis. Atque pater se omen accipere dixit. Alexander Tyrum oppugnans, cum nihil proficeret, quieti se dedit. In somniis visus satyrum persequi, quem tandem comprehendit. excitatus, rem ad conjectores retulit, qui victoriam sunt ex ipsius Satyri nomine polliciti, σὰ Τύρος, id est, tua est Tyrus. Sexcenta alia possunt afferri, quibus supersedeo. *Lupanus.*

10 *Origo dei*] De Serapidis origine & cultu variis produntur varia: quæ omnia ex Varrone, Diodoro, Plutarcho, Macrobio, Eusebio, Augustino, Suida, Eustathio & aliis observata retulit diligentiss. scriptor Lilius. Histor. deorum, syntagmate 6. *Vertranius.* Hæc & Plutarcho memorata lib. de

Iside

*lemæo regi, qui Macedonum primus Ægypti opes firmavit, cum Alexandriæ recens conditæ mœnia, templaque & religiones adderet;* [^1] *oblatum per quietem decore eximio, & majore quam humana specie juvenem, qui moneret*, ut fidiffimis amicorum in Pontum miffis, effigiem fuam acciret: lætum id regno, magnamque & inclitam fedem fore quæ excepiffet. *simul visum eumdem juvenem in cœlum igne plurimo attolli.* Ptolemæus omine & miraculo excitus, facerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos visus aperit. Atque illis Ponti & externorum parum gnaris, Timotheum Athenienfem è gente Eumolpidarum, quem ut [1] antiftitem cærimoniarum Eleufi exciverat, *quænam illa fuperftitio, quod numen?* interrogat. Timotheus [2] quæfitis qui in Pontum meaffent, cognofcit urbem illic Sinopen, nec procul templum vetere inter accolas fama Jovis Ditis. Namque & [3] muliebrem effigiem affiftere, quam plerique Proferpinam vocent. Sed Ptolemæus, ut funt ingenia regum, pronus ad formidinem; ubi fecuritas rediit, voluptatum quam religionum appetens, negligere paulatim aliafque ad curas animum vertere: donec eadem fpecies terribilior jam & inftantior, *exitium ipfi regnoque* denuntiaret, *ni juffa patrarentur.* Tum legatos & dona Scydrothemidi regi (is tunc Sinopenfibus imperitabat) expediri jubet; [4] præcepitque navigaturis, *ut Pythium Apollinem adeant.* Illis mare fecundum: Sors oraculi haud ambigua: *Irent, fimulacrumque patris fui reveherent, fororis relinquerent.*

Ut Sinopen venere, munera, preces, mandata regis fui Scydrothemidi allegant. Qui 84
diverfus animi, modo numen pavefcere, modo minis adverfantis populi terreri, fæpe donis promiffifque legatorum flectebatur. Atque interim triennio exacto, Ptolemæus non ftudium, non preces omittere. Dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, *ne deftinata deo ultra moraretur.* Cunctantem varia pernicies, morbique & manifefta cæleftium ira, graviorque in dies fatigabat. Advocata concione, *juffa numinis, fuos Ptolemæique vifus, ingruentia mala* exponit. [5] Vulgus adverfari regem, invidere Ægypto, [6] fibi metuere, templumque circumfidere. [7] Major hinc fama tradidit, *deum ipfum appulfas litori navis fponte confcendiffe.* Mirum inde dictu, tertio die tantum maris emenfi, Alexandriam appelluntur. [8] Templum pro magnitudine urbis exftructum loco, cui nomen Rhacotis. fuerat illic facellum, [9] Serapidi atque Ifidi antiquitus facratum.

Ifide & Ofiride, paucis mutatis, & Euftathio in comment. ad Dionyfium hifce apud Tacitum propiora narranti. *Savilius.*

1 *Antiftitem cerimoniarum Eleufi exciverat*] Tacitum fcripfiffe puto *Eleufina.* Vide quæ ad Senecas. *Gronovius.* Certe in unico MS. legitur manifefte *Eleufim*, quod iftuc dirigit, ut cogitavit quoque Ryckius. *Jac. Gronovius.*

2 *Quæfitus qui in pontum meaffent*] Caftigavi, *quæfitis qui* &c. Mox nos, *Sinopen.* Rhenanus.

3 *Muliebrem effigiem affiftere*] Vetere enim fama putabatur effe templum Jovis Ditis, eo præfertim argumento, quia Proferpina affiftebat. *Pichena.*

4 *Præcepitque navig.*] Repofui, *præcipitque navig.* Rhenanus. Quod miror admiffum fuiffe ab Pichena, quum ex MS. Medic. plane notaverim *præcepitque*, ut docent fchedæ meæ; ficut etiam miror Ryckium folummodo ex fuo MS. ita proferre, amiffa Medicei libri cura: an aberravit manus ejus? tanto notabilius, quod non præteriit *Pythium*, ut legi Florentiæ. Certe nihil cogit hæc duo verba poni in præfenti. *Jac. Gronovius.*

5 *Vulgus adverfari regem*] Muretus mallet, *averfari.* At nihil magis proprium. *adverfari*, pro reniti, vel obfiftere. *Pichena.*

6 *Sibi metuere*] Metuebant fcil. ne fi patrius Deus illinc aveheretur, fibi adverfa omnia fuccederent. *Idem.*

7 *Major hinc fama tradidit*] Id eft majus miraculum fama narratur. *Idem.*

8 *Templum pro magnitudine urbis*] Dionyfius περιηγήσει: Ἔνθα Σινωπιτάο Διὸς μεγάλοιο μέλαθρον Χρυσῷ τιμήεντι κεκοσμένον. i. *Hinc Sinopitæ Jovis ingens tollitur ædes magnifico ornatu* &c. *Savilius.*

9 *Serapidi atque Ifidi*] Potius Ofiridi & Ifidi, aut alioquin Sarapis fe ipfum anteverteret, eritque cum nondum veniffet, quæ abfurditas fuerit non excufanda. *Savilius.* At quomodo antiquitus facratum Alexandriæ facellum Serapidis, tum cum à Sinope deus ille avectus fuit? Cenfeo, vere Serapidis

facratum. Hæc [1] de origine & advectu dei, celeberrima. Nec fum ignarus, effe quofdam qui *Seleucia urbe Syriæ accitum, regnante* [2] *Ptolemæo, quem tertia ætas tulit:* alii *auctorem eumdem Ptolemæum; fedem ex qua tranfierit, Memphim* perhibent, [3] inclytam olim, & veteris Ægypti columen. Deum ipfum multi [4] *Æfculapium, quod medeatur ægris corporibus*; quidam [5] *Ofirim, antiquiffimum illis gentibus numen*; plerique *Jovem, ut rerum omnium potentem*; plurimi [6] *Ditem patrem, infignibus quæ in ipfo*
85 *manifefta, aut per ambages* conjectant. At Domitianus Mucianufque, antequam Alpibus propinquarent, profperos rerum in Treveris geftarum nuntios accepere. Præcipua victoriæ fides, dux hoftium Valentinus, nequaquam abjecto animo, quos fpiritus geffiffet, vultu ferebat. Auditus ideo tantum, ut nofceretur ingenium ejus, damnatufque inter ipfum fupplicium, exprobranti cuidam *patriam ejus captam, accipere, fe folatium mortis* refpondit. Sed Mucianus quod diu occultaverat, ut recens exprompfit. *Quoniam* [7] *benignitate deum fracta vires hoftium forent: parum decore Domitianum, confecto prope bello, alienæ gloriæ interventurum. Si ftatus imperii, aut falus Galliarum* [8] *in difcrimen verteretur, debuiffe Cæfarem in acie ftare: Canninefates Batavofque minoribus ducibus delegandos. Ipfe Lugduni vim fortunamque principatus è proximo often-*
86 *taret, nec parvis periculis immixtus, & majoribus non defuturus.* Intelligebantur artes: fed pars obfequii in eo, ne deprehenderentur. ita Lugdunum ventum. Unde creditur Domitianus, occultis ad Cerialem nuntiis, fidem ejus tentaviffe, *an præfenti fibi exercitum imperiumque traditurus foret.* [9] qua cogitatione bellum adverfus patrem agitaverit;

facellum antea fuiffe Alexandriæ, fed nullam intus Dei formam. Quem autem Sinopenfes Jovem Ditem appellabant, unum eundemque deum fuiffe, licet cognomine diverfo. Ideo Alexandrinos, poftquam advectus fuit, non Jovem Ditem, fed antiquo apud eos nomine Serapidem vocare continuaviffe. *Pichena.*

1 *De origine & adventu dei*] Scripfi, *de origine & advectu dei.* quo vocabulo etiam fupra ufus eft. *Rhenanus.*

2 *Ptolemæo*] Cognomine Ἐυεργέτου. *Savilius.*

3 *Inclytam olim & veteris Ægypti columen*] Reftitui è Flor. copulam, quæ à vulgatis aberat. *Pichena.*

4 *Æfculapius*] Sed quicunque vere fuerit Deus, Ægyptius Sarapis eft, οὐ γὰρ ἐν Σινώπῃ οὕτως ὀνομαζόμενος ἦν. i. *neque id nominis Sinopa attulit.* Plutarch. lib. de Ifide & Ofiride, ἀλλ' ἐις Ἀλεξάνδρειαν κομισθεὶς τὸ παρ' Ἀιγυπτίοις ὄνομα τοῦ Πλούτωνος ἐκτήσατο τὸν Σαράπιν i. *fed poftquam Alexandriam deductus eft, nomen ei Serapis inditum, Ægyptiaca lingua Pluto.* Savilius.

5 *Ofirim*] MS. Medic. *Ofrin.* Jac. Gronovius.

6 *Ditem patrem infignibus*] Non explicat Tacitus hujus dei formam, quam in facra hiftor. Rufinus ex Eufebio perfequitur. Ubi addit *Canopi fuiffe fimulachrum*, unde merito quis credere poffit, diverfam ab ea ftatuam, quam Tacit. refert. *Alciatus.*

7 *Benignitate Deum*] Jofeph. ἁλώσ. 7. c. 11. Domitiano non vere, & per adulationem, tribuit gloriam ex ifto bello ad finem perducto. *Savilius.*

8 *In difcrimen verteretur*] Repofui, *in difcrimine vert.* Rhenanus. Ita ex libris veteribus. Rhenanus tamen repofuerat *in difcrimine.* Pichena. Non intelligo hoc propinquius. Nam in MS. Medic. manifefte legitur *in difcrimine.* Debuit id vidiffe & cognoviffe Pichena, ut fic aberraverit calamus. Neque id aliter accipio, quam quomodo 11. hift. 28. *Si victoria fanitas, fuftentaculum, columen in Italia verteretur.* Jac. Gronovius.

9 *Qua cogitatione bellum*] Spernimus ut fpurcum, *Cogitare cogitatione.* Rom. cod. *qua contagione.* ex quo vere emendo, *contatione.* Contari, velut contoexplorare; & proprie nofter hic ufus. *Lipfius.*

*Qua cogitatione*] Adjuva diftinctione; *qua cogitatione, bellum adverfus patrem cogitaverit, an opes viresque adverfus fratrem, in incerto fuit.* Nihil clarius. *Mercerus.* Vulgo *adverfus patrem cogitaverit.* Et quoniam *cogitare cogitatione*, Lipfio ineptum jure videbatur, ipfe corrigendum cenfuit, *qua cunctatione.* Mercerus diftinctione juvare conatus, quod fatis non facit. Flor. omnem controverfiam dirimit, qui habet, *agitaverit.* Pichena. Vide quid guftus diverfitas faciat. Doctiff. viro hæc fpurca videntur, mihi candida, & intemerata funt. Plaut. Perf. *faciam ut mei memineris dum vita vivat.* Idem Stich. *Cum hoc donavifti dono tuum fervum.* Idem Menæch. *Ita ego illum cura magna curabo tibi.* Salinerius. Cum extaret in edit. primaria, *contagione*; aufus fum ejufdem infiftens veftigiis, adlinere conjecturalem meam emendationem Sufpicionum libellis, *qua rogitatione*; quam etiamnum velim examinet lector. nam quamvis habeant membranæ

Flo-

agitaverit; an opes viresque adversus fratrem, in incerto fuit. nam Cerialis salubri temperamento elusit, ut vana pueriliter cupientem. Domitianus [1] sperni à senioribus juventam suam cernens, modica quoque & usurpata antea munia imperii omittebat. [2] simplicitatis ac modestiæ imagine, in altitudinem conditus: studiumque litterarum & [3] amorem carminum simulans, quo velaret animum, & [4] fratris æmulationi subduceretur, [5] cujus disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.

Florent. *agitaverit*, nescio an unius ejusdem auctoritati adquiescere debeam. Utinam aliquis exoriretur tam superstitiosæ curiositatis, ut Vaticani & Farnesiani Codicum scripturas variantes singulas & universas bonas, malas, medias, nobis imputare vellet: ei certe apud me paratum præmium non mediocre, laudis ac gloriæ; si modo id beneficii mei. verum quod à me non potero, id corrogabitur à benevolentibus; prece, pretio. *Gruterus.*

1 *Sperni à senioribus*] Cum nondum implevisset tunc septimumdecimum ætatis annum. *Savilius.* Malim *sanioribus* legere, cum de sapiente ludibrio Cerialis tentati modo locutus fuerit. Sed & illud *altitudinem* æque sonat corruptionem. Forte scripsit Tacitus: *in altitudinem conditus studiorum atque literarum & amorem carminum.* Barthius.

2 *Simul simplicitatis ac modestiæ*] Adverbium, *simul*, non est in exemplari regio, omittique potest. *Rhenanus.*

3 *Amorem carminum simulans*] Simulans tantum? ita. Suetonius: *simulavit* (Domitianus hic iste) *mire modestiam, inprimisque Poetica Studium, tam insuetum antea sibi quam postea spretum & abjectum.* At scriptores ejus ævi campum hunc adulatorium egregie exercent, & vatem faciunt supra vates. Omitto poetas (more mentiri aliquid & extollere iis fas:) ecce nostrum senem Fabium: *Hos nominavimus, quia Germanicum Augustum* (cave alium ab isto intellegas) *ab institutis studiis deflexit cura terrarum; parumque diis visum est, esse eum maximum poetarum. Quid tamen iis ipsis operibus ejus, in qua donatus imperio juvenis successerat* (scribo, *secesserat*) *sublimius, doctius, omnibus denique numeris præstantius?* Ite Homere & Virgili, erepta vobis à Paride hoc palma. Plinius etiam Præfatione ad Titum: *Quantus in poetica es? ô magna fecunditas animi? quemadmodum fratrem quoque imitareris, excogitasti.* Hæc turpia. atque utinam tamen timeam, ne quis hodie apud Principes sic peccet? *Lipsius.*

4 *Fratris æmulationi subduceretur*] Nescio unde contingat huic loco tantum silentium, quum tam multi legerint in MS. Medic. *subduceret*, active, ut duæ posteriores literæ nuper demum sint natæ. Intellexit Tacitus in isto verbo *animum*, quem conatus fuit Domitianus liberare ab æmulatione, etiam motu animi, quo per fratrem illi posset aliquid molestum contingere. *Jac. Grenovius.*

5 *Contra interpretabatur*] Scripti libri subtexunt; *neque vos impunitos patiantur.* Perperam. quia verba sunt ex oratione Cerialis supra repetita. Farnesianus adscribit, *Deest hic aliquantulum.* cui fidem habeo. *Lipsius.*

*Cujus disparem mitioremque naturam contra interpretabatur*] Multa simulabat Domitianus avertendæ suspicioni regni à se affectati. Idque faciebat metu fratris, cujus mitissimam naturam ad tempus assumptam putabat, mortuoque patre in sui perniciem erupturam. Sed quam fallus animi sit, arguunt ejus facinora vel Tito rerum habenas moderante. *Fratrem insidiari sibi non desinentem, sed pene ex professo sollicitantem exercitus, meditantem fugas, nec occidere, nec seponere ac ne in minore quidem honore habere sustinuit.* Sueton. in Tit. *Salmasius.*

# C. CORNELII TACITI
## AB
# EXCESSU NERONIS
# HISTORIARUM.
## LIBER QUINTUS.

### BREVIARIUM LIBRI.

*Titi in Judæos urbemque sacram expeditio. Ea occasione, de Gentis origine, moribus, religione, urbisque ipsius opere & situ, accuratius & uberius dictum. Germanici belli progressus. prælia aliquot inter Civilem & Cerialem. quæ denique pax (ita apparet ex fine admutilati libri) excepit.*

1 Ejusdem anni principio, Cæsar Titus perdomandæ Judææ delectus à patre, [1] & privatis utriusque rebus militia clarus, majore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum & exercituum studiis. atque ipse, [2] ut super fortunam crederetur, decorum se promptumque in armis ostendebat, comitate & alloquiis officia provocans: ac plerumque in opere, in

### COMMENTARIUS.

1 P*rivatis utriusque*] Probam lectionem censeam & sententiam, absque libris sit: qui consensu omnes, *præliatis utriusque.* aut, *prelatis.* Ego quamquam intentus, nihil elicio. *Lipsius.*

*Et præliantis utriusque rebus militia clarus*] Codex Matthiæ regis habet, *& præliatis utriusque rebus.* Opinor legendum *& privatis utriusque rebus, militia clarus.* hoc est, etiam priusquam pater esset imperator factus, ac ipse Cæsar. Sic lib. 3. Hist. *Fl. Sabinus ætate prior privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat.* Rhenanus. Cum neque Vespasianus Princeps, neque Titus Cæsar esset. *Ferrettus.* Vulgati cod. *at privati utriusque rebus.* Quod Vertranius & doctiss. vir amplexi sunt, à Rhenano fluxit. Verum nihilo magis priora deletum eo, immo, sic interpretor. Titus militia clarus evasit, dum simul cum patre bellum gerit adversus Judæos. Erat enim inter ejus legatos. Suet. c. 4. *Atque inter legatos majore filio assumto.* Ibique præter alia, *Taricheam, & Gamalam urbes validissimas Judææ in potestatem redegit.* Quibus adstipulatur Josephus lib. 4. Antiq. c. 4. Cæterum nec alio in loco religio Tacito fuit dicere ἀκύρως *præliari* pro *bellare.* Audi lib. 14. *simul in urbem mandabat nullum prælio finem respectarent nisi succederetur Suetonio.* Salinerius. Quicquid dissentiant libri aut varient, proba sententia: verbis iisdem eodem sensu utitur & lib. 3. Hoc firmandum duxi, ne quis Lipsii exemplo, qui elicere tamen, etsi intentus, nihil potuit, exsculpere aliud quid conetur. *Acidalius.*

2 *Ut superior sui jam*] Hic quoque me locus diu torsit, per singulos apices & ductus scripturæ veteris euntem. Sed exclamare tandem cum Philosopho possum, εὕρηκα. Budensis codex habuit, *Superior*

in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore. [1] Tres eum in Judæa legiones, quinta & decima, & quintadecima, vetus Vespasiani miles excepere. [2] Tradidit & Syria duodecimam, & adductos Alexandria duoetvicesimanos tertianosque. Comitabantur viginti sociæ cohortes, octo equitum alæ: simul Agrippa, Sohemusque reges, & auxilia regis Antiochi, validaque & solito inter accolas odio infensa Judæis Arabum manus. Multi, quos urbe atque Italia sua quemque spes acciverat, occupandi Principem adhuc vacuum. His cum copiis fines hostium ingressus, composito agmine, cuncta explorans, paratusque decernere, haud procul Hierosolymis, castra facit. Sed quia famosæ urbis supremum diem tradituri sumus, 2
congruens videtur primordia ejus aperire. [3] *Judæos Creta insula profugos, novissima Libya*

*perior unam crederetur.* Vatic. *superiori unam.* Ex quo, vix duabus litteris leviter mutantibus, facio: *ipse ut super fortunam*, eleganti sententia. Titus, inquit, jam tum privatus clarus bello: nunc multo promptior, ut parem vel superiorem se potius fortuna hac Imperatoria ostenderet. Rhenanus divinabat: *ut superiori via ingrederetur.* Farnes. autem cod. & Rom. abeunt ab hoc scripto longius, *ut superior omnibus crederetur.* Lipsius.

*Ut superior sui jam crederetur*] Hic locus prorsum est vitiatus. In manuscr. lib. legitur, *ut superior unam crederetur.* Nec hæc lectio bene habet. Opus est ad divinationem confugere. Suspicor scribendum, *ut superiori via ingrederetur.* Hoc enim melius placet, quam si legamus, *ut uberior materia præberetur*; *ut* pro quando. *Rhenanus.* Ut se ipsum virtute vinceret factus imperator. *Ferretus.* Beatus legit, *superiori via ingrederetur*: sed longe petita & nimis insolens translatio in sensu verborum erit. Nihil igitur muto, & scriptum sic accipio, ut Titus factus Cæsar sui ipsius privati virtutem superaret. *Vertranius.* Seorsum sentio à Doctiss. viro, qui hæc reformat ad hunc modum *atque ipse ut super fortunam.* At superare se ipsum tunc aliquem dicimus, cum nos ex jam dictis hyberbole fere deficit. Sic Socrates de ambitiosis Reip. administratoribus ἵν' αὐτοῦ τυγχάνῃ κράτιστος ὤν i. ut is superior se ipso sit; apud Plutarch. Alcibiad. 2. Sic de Crasso Cic. lib. 3. de Orat. *tamen omnium consensu sic esse tum judicatum cæteros à Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum à se superatum.* Quibus (si placet) annecte Tacit. 3. ann. *postremo suasmet ipse spes anteire parat.* Salinerius. Vulgo, *ut superior sui jam*; quam lectionem ego cum Salinerio non rejicerem, si à libris veteribus esset. at alter MS. omnes. Flor. & Vat. *ut superiori unam.* Egregie ergo Lipsius emendavit, *ut super fortunam.* Sic Sallust. in Jug. *monere, ne tam prava inciperet, neu super fortunam animum gereret.* Pichena. Triumphat in emendatione Lipsius: nec ego impedio. Defendere tamen vulgatam scripturam, ne triumphetur, possum. Nam *superior sui* constructione Græcanica poni potui à Tacito pro *superior se.* quæ multo sententia loco aptior est: Titus etiam privatus bello clarus, nunc promptiorem in armis se ostendebat, ut superasse jam se ipsum videretur. Insolentia saltem locutionis offendit non me quidem, sed qui sic quoque alios locutos nesciunt. Apulejus lib. 9. Metam. *nec tamen sui molliorem provocaverat*, id est, se imbecilliorem, inferiorem. & Sidon. Apoll. Epithal. *Qua socer Omatus majorum major avorum.* Si tamen mutare lubeat, mihi sic placeat potius: *ut par orsui jam crederetur.* proxime ad vulgatam lectionem, nisi quod Syllaba *su* omissa. Et sane tale quid videtur velle dicere auctor, Ut cœpto huic, tantæ rei moli par haberetur. atque illuc potius omnia faciunt, quæ illum ait facere, quam ut super fortunam videri possit. Omitto, quod Tacitus parem potius fortunæ, quam super eam; nec universim fortunam, sed clarius & restrictius talem aut talem dicturus fuerat. *Acidalius.* Accedere eis non possum quibus adlubescit, *ut super fortunam*; ob rationes quas ante decennium adprobavi Jano Douzæ filio, & consignavi libellis Suspicionum, nec moveor quod in Flor. extet, *ut superiori unam.* ex earundem enim literarum apicibus æque finxeris, *Superior sui jam*, atque *Super fortunam.* Gruterus.

1 *Tres tum in Judæa legiones*] In manuscripto, *tres cum.* Lego, *tres eum* &c. Atque sic castigavi. *Rhenanus.*

2 *Tradidit è Syria duodecimam*] Poscente id sensu scripsimus, *Tradidit & Syria* &c. *Rhenanus.*

3 *Judæos Creta insula profugos*] Judæis unde nomen sit inditum, nescit Dion, de quorum institutis & origine Justinum lege l. 36. imprimis legendos censeo sacros libros, quibus historiæ veritas inest. Cæterum, quando gregis asinorum hoc loco Tacitus mentionem facit, non omittendum à Tertulliano in Apologet. Judæos & Christianos ab improbis ea causa Atinarios dici. *Lupanus.* Quamvis inscitiam Cornelii cum majoribus suis in religione cæcutientis, ridere nobis Christianis non liceat, audaciam tamen hominis, ne dicam perfidiam in ferendo testimonio de origine, statu, moribus, rituque Judæorum per Criticos si mirari, subinde ridere licebit. Is enim alienæ antiquitatis curiosus, in rebus referendis sibi cæterisque Romanis incognitissimis, ex auditione multa, ex incertis auctoribus plurima titubans ita testatur, ut

*Libya insedisse* memorant, *qua tempestate Saturnus vi Jovis pulsus cesserit regnis.* Argumen-
tum è nomine petitur: *inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæos,* [1] *aucto in Barbarum*
*cognomento,* [2] *Judæos vocitari.* quidam *regnante Iside exundantem per Ægyptum multitu-*
*dinem, ducibus Hierosolymo ac Juda proximas in terras exoneratam.* Plerique [3] *Æthiopum*
*prolem, quos rege Cepheo, metus atque odium mutare sedes perpulerit.* [4] Sunt qui tradant,
*Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos,* [5] *mox proprias urbes,*
*Hebræasque terras, & propiora Syriæ coluisse.* [6] *Clara* alii *Judæorum initia: Solymos carmini-*
3 *bus Homeri celebratam gentem,* [8] *conditæ urbi Hierosolymam nomen è suo fecisse.* Plurimi
auctores

fidem ipse elevet testimonii sui. Quanto prudentius Dio Cassius, qui Judæorum cognomen unde dictum, ignorare se confitetur. Notum illud nobis illis non ignotum fuit, κακὸν ἀνεμώλια βάζειν. Jam vero nemo, ut opinor, nescit, posteaquam in Syriæ delecta regione, Deo Opt. Max. duce, Hebræi consedissent, veteri nomine relicto, quoniam princeps ex avis eorum Judas erat, Judæos appellatos, & Judææ ab illis nomen regioni fuisse. Quæ Biblia Sacra Josephusque in Antiquit. pluribus literis exequuntur. *Vertranius.*

1 *Aucto in Barbarum morem cognomento*] Accusativus *morem* non est in cod. Budensi. nos quoque sustulimus. nam sic & lib. Ann. 5. *Civitas potens, septa muris, neque in Barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens.* Rhenanus. In nonnullis Vett. libris additur *morem*, quam vocem jure spernas; nam neque in Flor. habetur, neque in aliis melioribus exemplaribus. Immo sic loquitur lib. 6. Ann. 42. *civitas potens, septa muris, neque in barbarum corrupta.* Pichena.

2 *Judæos vocitari, quidam regnante Iside*] Glossema irrepsit in vulgatis, *Judæos vocitari, quasi Idæos.* Sed cum ea verba in MS. ac præsertim in Flor. non inveniantur, merito fuerunt abjicienda. *Idem.*

3 *Æthiopum prolem, quos rege Cepheo*] Populi finitimi, sed legibus, moribus, lingua literisque diversi Chaldæi Judæique ab exteris opinione confusi sunt. Quod hic dicitur, de illis accipiendum est, qui à regis nomine Chaldæi dicti, postquam mortuo Cepheo, è finibus Æthiopiæ cum exercitu in Persidem exierunt, ut Hellanicus in historia Persica scribit. Iidem antea *Cepheni* dicebantur, ait Stephanus, à Cepheo rege, cui suberant: illo vero patre Andromedæ, quam in Joppe littore, ubi nunc Zappha, orcæ expositam Perseus liberavit & duxit uxorem. *Vertranius.*

4 *Sunt qui tradunt*] Nos, *tradant.* Rhenanus.

5 *Mox proprias urbes Hebræasque terras*] Regium volumen habet, *an mox pr. urb. H. terras.* Scripsimus, *ac mox proprias urbes H. terras.* Rhenanus. Muretus *ac* delet. *Acidalius.* Debuit voculam *ac* delere Pichena, quum sciret non exstare in MS. ut ex schedis meis jam tradidit Ryckius. *Jac. Gronovius.*

6 *Clara aliis Judæorum initia*] Dura ἔμφασις. Legerim potius: *Clara Judæorum aliis initia.* Apud alios auctores, inquit, clara & augustiora Judæorum initia. *Colerus.*

7 *Carminibus Homeri*] Locus Homeri notus: sententia tantum valde ambigua inter natantes Scholiastas. Sunt qui designari Lycios aut finitimos quosdam velint: quo Strabo, & Eustathius, & Pindari interpres incitnant. sunt qui Pisidas: quo Plinius & Stephanus. sunt qui Judæos: quod noster hic suggerit, & Tzetzes. Eusebius etiam Chærili Poetæ testimonio, Hebræos Solymos olim dictos censet evinci. Nec Q. Calaber sane aliter apud Homerum accepit: ideoque —— Σολύμων ἱερὸν στρατὸν dixit: sacri epitheto sacram indicans gentem. *Lipsius.*

*Solymos carminibus Homeri*] Strabo lib. 1. & 12. citat & refert hæc carmina ex Iliade & Odyssea. *Ferretus.* Solymi à monte Solymo, populi majoris Asiæ sunt, tandem Milyes dicti, ut ait Strabo lib. 14. idemque Homeri versus, ex Iliade ζ. & Odyss. ε. producit. ubi 184. Δεύτερον αὖ Σολύμοισι μαχέσσατο κυδαλίμοισι & 204. οἱ υἱὸν Ἄρης ἆτος πολέμοιο μαρνάμενον Σολύμοισι κατέκτανε. Illi vero è patria in coloniam exierant, qui Solymorum civitatem, prius *Hiebus* & *Salem* dictam, eo usque habitarunt, quo Hebræi duce Juda illos armis pepulere. *Vertranius.* Ab iis dissentio qui sacram gentem ab Homero designari putant; quo enim pacto testimonium clarissimi poetarum Josephus præteriisset? qui alias anxie minima quæque persequitur, quibus asserat suæ gentis antiquitatem, quique non ignoravit eos Homeri versus, ut patet ex lib. 7. c. 3. Antiq. Apud Homerum Iliad. ζ. 104. agit Glaucus de Bellerophonte à Lyciæ rege periculis objecto: quem par est credere cum finitimis pugnasse, qui Milyæ, alias Solymi, dicebantur. Her. l. 1. τὴν γὰρ νῦν Λύκιοι νέμονται, αὕτη τὸ παλαιὸν ἦν Μιλυάς, οἱ δὲ Μιλύαι τότε Σόλυμοι ἐκαλέοντο. Judæis tamen non invideo hanc laudem, quos pugnaces melior Homerus dicit, melioreque afflatus spiritu: sed falsis inniti nec pro veritate satis decet. *Salmerius.* Innuit, si recte censeo, ante *Hieram* dictam; itaque composito vocabulo fecisse, ut deinceps diceretur *Hierosolyma*, Lucianus certe Ἱερὰν πόλιν nominat diserte. Et Quintus Calaber eadem mente Σολύμων ἱερὸν στρατόν. *Colerus.*

8 *Conditam urbem Hierosolymam nomine suo fecisse*] In regio volum. *condita urbi, Hierosolymam nomine suo fecisse.* Reposuimus, *conditæ urbi Hierosolymam nomen è suo fecisse.* Appositive, *Hierosolymam, nomen.* Rhenanus. Ordo & sensus lectionis hujus,

Con-

auctores consentiunt, [1] *orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret;* [2] *regem Bocchorim, adito Hammonis oraculo remedium petentem*, purgare regnum, [3] & id genus hominum ut invisum deis, alias in terras avehere *jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus*, [4] *postquam vastis locis relictum sit; ceteris per lacrimas torpentibus, Mosen unum exsulum monuisse*, ne quam deorum hominumve opem exspectarent [5] utrinque deserti, sed sibimet ut duci cælesti crederent, [6] primo cujus auxilio credentes, præsentes

*Conditam urbem Hierosolymam nomine suo fecisse*, est, urbem conditam fecisse Hierosolymam nomine suo, id est, appellasse. Dixit autem *nomen facere*, pro eo quod est, imponere. *Ferretius.* A Rhenano lectio hæc. nam in veteribus omnibus legitur, *nomine suo.* plerique etiam habent, *conditam urbem.* unde suspicor, num melius, *condita urbe*, *Hierosolymam nomine suo fecisse.* Pichena.

1 *Orta per Ægyptum tabe*] Vitiliginem appellat Justinus, uti optime restituit optimus & doctissimus Bongarsius. *Lipsius.*

*Orta per Ægyptum tabe*] Specta, ut gesta Domini Dei nostri profanum vulgus contaminarit: Cornelius ait Hebræos invisos Deo, cum is digito suo Pharaonem & Ægyptios tetigit, & computruit Ægyptus, Exodi 8. & seq. idem ait Hebræos alias in terras advehi jussos: unde apud Strabonem fama asserit Ægyptios proautores gentis, quæ Judæorum appellatur. *Vertranius.*

2 *Regem Occhorim*] Ita libri vett. quos sum secutus, non, *Bocchorim.* etsi vulgatæ huic scripturæ adsertor Justinus venit *Λόγῳ παλαιστικῷ.* Nam ait: *Τέταρτον δέ φασι νομοθέτην γεγενῆσθαι Βόκχοριν τὸν βασιλέα, σοφόν τινα καὶ πανουργίᾳ διαφέροντα.* Etiam Orosius lib. 1. qui locum hunc totum transscribens, Bocchorim tamen appellat. Sed & Plutarchus ita nominat, libello *περὶ δυσωπίας.* Itaque jure vacillo. Nam Clemens Strom. 1. nimis diversus à nobis abit, qui Omosim hunc, vel Amasim appellat. At quod ad rem ipsam, falsa est, & refellunt libri facti. Tamen sumpsit hæc à Lysimacho, uti videre potes apud Josephum contra Apionem, lib. 1. extremo. ubi item scriptum, *Bocchoris.* Lipsius.

*Regem Bocchorim*] Sic etiam Florentin. habet. Vulgo, *Occhorim.* Pichena.

3 *Et id genus hominum & invisum deis*] Emendavimus, *& id genus hominum ut invisum.* Rhenanus.

4 *Postquam vastis locis*] Mirum non addere eum quibus in locis. At sane ex Tertulliano legend. videatur, *vastis Arabiæ locis.* Is enim Apologetico narrat Cornelium Tacitum scripsisse in v. Historiar. *Judæos Ægypto expeditos sive extorres in vastis Arabiæ locis aquarum egenos*, &c. Orosio tamen non aliter lectum, quam nostri libri præferunt. *Lipsius.*

5 *Ab utrisque deserti*] Hæc verba non habet meus Orosius, qui hunc locum exscripsit. Aliter etiam Trogus hæc retulit, nescio an ex Theopompo, quem de Judæis eorumque sacris multa scripsisse didici ex Cedreno. *Colerus.* Sic quidem Veneta edit. sed Romana; *exspectarent utrinque deserti.* Gruterus. Hujus folii literæ evanescebant in MS. Medic. Id tamen apparebat vocis *ab* nullum esse vestigium; unde colligebam ibi scriptum fuisse *utrinque*, in quo reparando sequor propterea Ryckium, ut mox dicet *profana illic omnia, quæ apud nos sacra*, adverbio efferens, quod de hominibus intelligit. *Jac. Gronovius.*

6 *Primo cujus auxilio*] Citat etiam ita Orosius. ambigo tamen & contor, an non vox, *credentes*, ejicienda sit. Et jam video abesse in Othonis Frisingensis lib. 1. cap. XVIII. ubi hæc citat. *Lipsius.*

*Primo cujus auxilio credentes præsentes miserias pepulissent*] Hæc Mosis verba invitis Hebræorum calumniatoribus referri possunt ad maris divisionem paulo ante factam, qua Judæi vim regis Ægyptiorum mirabiliter evasere: itaque memoria prioris beneficii eos revocat à desperatione & urget ut quovis gentium sese alacriter sequantur. Vel *primo* adverbium sit. vel *pepulissent* in futurum exemplo Virgilii lib. 2. Æn. *obscurus in ulva Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.* Eadem Plautus Pœn. *unquam audibis verba tot tam suavia. Quid tibi opu'st vixisse, ausculta mihi modo ac suspende te.* Agite, ait spem mittite quam de hominibus deque Diis concepistis, mihique ut Duci cœlesti morem gerite, qui primus auxilium vobis polliceor, cuique si fidem habebitis dubio procul miserias propelleris, quæ nunc vobis impendent. *Salinerius.* Illud *credentes* glossematium esse aliis dudum monitum. Cætera ex re & mente Taciti necessario elicio & lego: *Privo cujus auxilio præsentes.* Isa. Pontanus. Mureto suspectus & parum cohærens locus; cui non multo melius factum Lipsii quoque medicina. Et quid est quod dicit *primo?* nempe ratio Latinitatis postulasset *pridem*, vel quid simile aliud. Illud autem nimis contra omnem rationem, quod præsentes miserias jam pepulisse dicuntur. Si pepulerant, certe præsentes non erant. quæ præsentes sunt, pulsæ non fuerunt. Sed concinnabis omnia unius litterulæ mutatione: *primo cujus auxilio præsentes miserias pepulissent.* Vox *privus* rarioris usus turbas has omnes dederat. nam *pepulissent*, non hoc loco præteriti significatione est, sed futuri, quomodo id tempus pro hoc sæpe aliàs usurpari exemplis notum est: quæ ad Val. Max. lib. 5. c. 3. pluscula notavi. Sententia igitur apta & clara nunc est: Destituti à Diis hominibusque nullam aliunde opem sperarent, quam à se uno, cujus unico auxilio

tes miserias pepulissent. Assensere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æque, quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant: cum grex asinorum agrestium, è pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses, [1] conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit. Id levamen; & continuum sex dierum iter emensi, septimo pulsis cultoribus, obtinuere terras, [2] in quibus urbs & templum dicata sunt. Moses quo sibi in posterum gentem firmaret; novos ritus, contrariosque ceteris mortalibus, indidit. [3] Profana illic omnia, quæ apud nos sacra: rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta. [4] Effigies animalis, [5] quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere: [6] cæso ariete, velut in contumeliam Hammonis. [7] Bos quoque immolatur, quem

xilio pulsuri præsentes essent miserias. *Acidalius* Lampugnanus ex Cod. suo Mirandulano nuper restituit: *præsentes miserias pertulissent.* Vulgatam Orosius vindicat lib. 1. *Itaque Cornelius dicit, quod ipsis Ægyptiis cogentibus in deserta propulsi sunt Judæi: & postea subjungit incaute, quod ope Moysi ducis in Ægypto miserias pepulissent.* Suasit, ait Cornelius, Moses Judæis tunc quoque, sibi ut cœlesti Duci crederent, cujus primo auxilio præsentes calamitates ac miserias pepulissent. *Colerus.* Sensus erit non incommodus si pro *primo* scribas *pridem.* Grotius. Videtur legendum, *cujus consilio.* Freinshemius. Scribo: *deserti adessent sibimet: ut duci cœlesti crederent, primo cujus.* Rabodus Schelius. Tentabam: *se sibimet, &, ut duci cœlesti, crederent primo, cujus auxilio præsentes.* Ante omnia, inquit, sibimet ipsi quisque Hebræorum; deinde fortunæ, sive *primo* cuique obvio, per quem utcumque juvarentur, non secus ac misso de cœlo duci, sese crederent ac permitterent. *Gronovius.*

1 *Conjectura herbidi soli*] Deus misertus eorum, qui sub Ægyptiis regibus intolerabili servitutis jugo premebantur, post annos 330. duce Mose eduxit ac liberavit, edidítque populo plurima signa virtutis & majestatis suæ. Inter cætera, cum sitim paterentur castra metati in Raphidim, ictu virgæ à Mose Hareb rupe percussa, prosiluit fons aquæ populumque recreavit: Exodi 17. *Vertranius.*

2 *In quibus urbs & t dicata sunt*] Non modo in schedis meis notavi verbum postremum abesse ab MS. Medic. quod ex iis publicat Ryckius, sed etiam in eo legi *in quis*, quod nec ipsum Tacito auferri nunc debet, ut toties antea occurrit. Et cur Pichena non sprevit mox 5, 19. *Jac. Gronovius.*

3 *Profana illic omnia*] Lego *illis.* Ita postulant, quæ sequuntur: *Rursus concessa apud illos, quæ nobis incesta.* Acidalius.

4 *Effigiem animalis*] Hoc de capite asini magno consensu omnes veteres tradiderunt: ne tantopere noster culpetur, tamquam *mendaciorum plenissimus* scriptor. Et sane Straho, Plutarchus, Democritus apud Suidam multo majora deliria delirarunt contra gentem & libros sacros. *Lipsius.*

*Effigiem animalis*] Scripsit ridiculus asseveratione Cornelius, Mosem asinos secutum, aquarum venas aperuisse: nunc ait Hebræos cum terræ promissæ appulissent, effigiem asini in penetrali sacravisse. Sed saltem sui, si non veritatis, mendacem memorem oportuit. Idem mox de Cn. Pompejo templum Hierosolymorum ingresso, scribit. *Inde vulgatum, nulla intus deum effigie vacuam sedem & inania arcana. Et utique,* ait Tertullianus, *si id colebatur, quod aliqua effigies repræsentabat, nusquam magis, quam in sacrario suo exhiberetur, eo magis quia verebatur extraneos vana cultura.* Solis enim sacerdotibus adire licitum, & conspectus cæterorum velo oppanso interdicebatur. *Vertranius.*

5 *Quo monstrante errorem*] Suspecta mihi vox *errorem.* Non enim certe pecus hoc viæ, saltem aquæ velut index illis. Est qui velit legere *arorem*, vel *agrorem.* Acidalius.

6 *Cæso ariete velut in contumeliam Hammonis*] Legum Mosis multiplici capite cautum est, ut pro peccato aries offerretur. Lib. Levitici. Quod Ethnici conscii vel suspicaces propriæ vanitatis, eorum contumeliæ & Jovis Hammonis contemptus causa à Judæis observari interpretati sunt. Sane Herodoti lib. 2. Jupiter cum ab Hercule videri nollet, ab eo tandem exoratus, id commentus est, ut amputato arietis capite, pelleque villosa quam illi detraxerat induta, ita sese videndum Herculi præberet. Inde factum ut Ægyptii Jovis simulacrum arietina facie confingerent, & ab Ægyptiis Hammonios, ajunt accepisse. *Vertranius.*

7 *Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apim colunt*] Bovem immolari præcepit Dominus Deus, Deuter. 16. Gentes eorum odio tribuebant, quod ex præcepto Israelitæ facerent. Illic enim in Memphi Ægypti civitate bos Apis nomine nutriebatur in templo, quod regis Apis memoriæ dedicarant: cum is fame facta Alexandrinis, ex propriis facultatibus alimenta præbuisset, teste Suida: deque Api bove Plinius lib. 8. & Marcellin. lib. 20. Ejus aureum caput quod eos signo præcederet, in deserto Hebræi figurarunt, ut ait Lactantius: quo peccato ac scelere offensus Deus, impium & ingratum populum gravibus meritisque pœnis affecit. Exodi 32. *Vertranius.*

1 *Sue*

quem Ægyptii Apin colunt. [1] Sue abstinent, memoria cladis, [2] quod ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem, crebris adhuc jejuniis fatentur. Et raptarum frugum argumentum, panis Judaicus nullo fermento, retinet. [3] *Septimo die otium placuisse* ferunt: *quia is finem laborum tulerit, dein blandiente inertia*, [4] *septimum quoque annum ignaviæ datum*. Alii *honorem eum Saturno haberi: seu principia religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulsos, & conditores gentis accepimus, seu quod* [5] *è septem sideribus, quis mortales reguntur, altissimo orbe & præcipua potentia stella Saturni feratur:* [6] *ac pleraque cælestium, vim suam & cursum* [7] *septimos per numeros conficiant.* [8] Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur. cetera instituta sinistra fœda pravitate valuere. Nam pessimus quisque, 5
spretis religionibus patriis, tributa & [9] stipes illuc congerebant. Unde auctæ Judæorum res: [10] & quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium. Separati epulis, discreti cubilibus, projectissima ad libidinem gens, [11] alienarum concubitu abstinent. inter se nihil illicitum. Circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum idem usurpant. nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere deos, [1] exuere

1 *Sue abstinent*] Attende quam audacter aliena de religione loquatur. Similiter Strabo lib. 16. Ex superstitione instituta est carnium abstinentia, & circumcisiones & excisiones. At Judæis vetuerat Dominus, quæ non ruminaret, licet pedibus bifidis esset, suem comedere, ejusve cadaver quod immundum, contingere. Levit. XI. *Idem.*

2 *Quod ipsos scabies*] Flor. Ven. & alii veteres habent: *qua ipsos scabies.* Pichena.

3 *Septimo die otium* &c. *quia is finem laborum*] Ratio falsa est. Eam enim sibi diem ab initio seculorum elegit Deus, religioseque populus etiam in Ægypto, & in deserto, observavit. *Vertranius.*

4 *Septimum quoque annum ignaviæ*] Vitio vertit Ethnicus, quod ex lege Dei est, Mosesque sic auctore Deo refert. Levit. 25. *Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam, colligesque fructus ejus: septimo autem anno sabbathum erit terræ, requietionis Domini, agrum non seres, vineam non putabis, sponte nata non metes* &c. *Idem.*

5 *De septem sideribus*] Nos, *è septem* &c. Rhenanus. Mundum Deus & hoc rerum naturæ admirabile opus, sicut arcanis sacræ scripturæ Genes. 9. continetur, sex dierum spatio consummavit, dienique septimum, quo ab operibus suis requieverat, sanxit. Hic est dies Sabbathi, qui lingua Hebræorum à numero nomen accepit: non, ut putat Cornelius, à septem sideribus. Græcorum siquidem vel Romanorum, non Judæorum, inventum fuit, non ita pridem ante Dionis tempora, dies hebdomadis planetarum appellatione insignire. Qua vero ratione repertum, harmonia cœli spectata, prodidit idem Cassius lib. 37. & Plutarchus Problem. 102. At referre quod in aperto apud illos est, operæ pretium non puto. *Vertranius.*

6 *Ac plerisque cælestium vim suam & cursum*] Mutavimus in hunc modum; *ac pleraque cælestium vi sua & cursu.* Rhenanus.

7 *Per numeros conficiant*] Vera lectio, quam è Vatic. promsi referente: *per numeros coniciant.* ex quo ego *conficiant.* Aliter vulgati. De re autem ipsa Dionem vide XXXVII. & in primis Alexandrinum Clementem Strom. VI. *Lipsius.*

*Septimos per numeros*] Septenarius numerus, ait L. Cælius, legitimus & plenus est. Nam & dies septem sunt, quibus per orbem revolutis orbes annorum conficiuntur, & septem stellæ quæ non occidunt, & septem sidera quæ vocantur errantia: quorum dispares cursus & inæquales motus, rerum ac temporum varietates efficere creduntur. Plura Gellius 3, 10. ex M. Varronis primo librorum, qui Hebdomades vel de Imaginibus inscribuntur. *Vertranius.*

8 *Hi ritus*] Forte, *Ritus quoquo modo inducti.* Rhenanus.

9 *Stipes illuc congerebant*] Cicero pro Flacco: *Cum aurum, Judæorum nomine, quotannis ex Italia & ex omnibus provinciis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret.* Philo de Legatione ad Cajum: *Καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἱεροπομποὺς στέλλονται χρυσὸν καὶ ἄργυρον πλεῖστον κομίζοντας εἰς τὸ ἱερὸν, τὸν ἀθροισθέντα ἐκ τῶν ἀπαρχῶν.* Et paullo ante: Ἠπίστατο (Τιβέριος) καὶ χρήματα συναγαγόντας ἀπὸ τῶν ἀπαρχῶν ἱερὰ, καὶ πέμποντας εἰς Ἱεροσόλυμα διὰ τῶν τὰς θυσίας ἀναξόντων. Sed & Josephus notat, *immensam vim auri congestam in templum ab omni Asia & Europa:* lib. XIV. Antiquit. cap. XII. Nos plura in *Magnitudine Hebræa.* Lipsius.

10 *Et quia apud ipsos fides obstinata*] Recte, nec muto, quod quidam è meis: *Atque ut ap. ips. f. obstinata, misericordia in promtu, sit.* Acidalius.

11 *Alienarum concubitu abstinent*] An alienas mulieres intelligit, alius nuptas? Potius interpretor, quæ Judææ non sint, hoc est alienigenas. nam se-

 quitur:

1 exuere patriam: parentes, liberos, fratres, vilia habere. Augendæ tamen multitudini consulitur. Nam & 2 necare quemquam ex agnatis, nefas: animasque prœlio aut suppliciis peremptorum, æternas putant. Hinc generandi amor, & moriendi contemptus. 3 Corpora condere, quam cremare, è more Ægyptio: eademque cura, & de infernis 4 persuasio. cœlestium contra. Ægyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur. 5 Judæi mente sola, unumque numen intelligunt: *profanos, qui deum imagines, mortalibus materiis, in species hominum effingant: summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum.* Igitur 6 nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt. Non regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor. Sed quia

quitur: *inter se nihil illicitum.* Pichena.

1 *Exuere patriam*] Rom. cod. *exire.* Lipsius.

2 *Necare quemquam ex agnatis*] Qui otiose legerit, nihil offendet: fortasse is, qui intente. Si enim de cæde capis tantum, quid in eo novi? Sane & Romanis & Barbaris plerisque necare consanguineos nefas. Sed alium ego hic sensum odoror, & scribo: *necare quemquam ex gnatis.* Scimus Græcis Latinisque in promiscuo usu fuisse abjectiones infantum & expositiones, imo neces. Id aliter in Judæorum moribus, & gentem inprimis suboli studuisse, adeo ut nulliusmodi partum necare fas, notat ut novum noster. Itaque quia de liberis; jure addit *hinc generandi amor:* quoniam matres scilicet certæ, prolem tollendam. Simile prorsus, quod de Germanis in libello De moribus: *numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare nefas habetur.* Nam & ibi scribo, *gnatis.* Idem.

*Necare quemquam ex agnatis*] *To agnati* hic & de moribus Germ. pro filiis ut *prognatus.* Plaut. Epid. *Prognatus Theti.* Nec nimis remota est hæc significatio à verbo *agnascor.* Quod apud Jurisconsultos amplectitur filios vel nepotes, qui post conditum testamentum nascuntur. Cic. pro Cæcin. *Salinerius.* Cave hic aut altero isto in de moribus Germ. loco, mutes cum Lipsio vocem *agnatis:* quæ utrobique non nomen auctori, quod Grammatici vocant, sed participium. Ait dare Judæos semper operam augendis liberis, neque fas habere quenquam ex iis necare, qui jam sibi sint adnati. Id clarissimum ex gemino altero loco, *quenquam ex agnatis necare nefas habetur.* Ubi si *gnatis* reponas, sermonem devenustes. Quid enim inconcinnius hac ταυτολογίᾳ: *Finire numerum liberorum*, aut *ex liberis quenquam necare?* Omnino *agnati*, valet, jam nati, ab *adnascor.* Quod postea vidit in Notis ad Germ. & tamen *natis* maluit etiam tum immutari. *Acidalius.*

3 *Corpora condere*] Cum magna copia aromatum. is est enim mos Hebræorum. At Ægyptii condiebant, quod Græci ταριχεύειν dicunt. Johann. c. 19 & ibi Toletus. Herodot. Euterpe: ὧδε τὰ σπουδαιότατα ταριχεύουσι i. *Sic diligentissime condiunt.* Hinc in Poppææ sepultura lib. 16. ann. *Corpus non igni abolitum (ut Romanus mos) sed regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur, tumuloque Juliorum infertur.* Cur autem Persæ igni cadavera non traderent, epigramma satis docet lib. 3. Anthol. Dioscoridis:

> Εὐφράτην μὴ καῖε, Φιλώνυμε, μηδὲ μιάνῃς
> Πῦρ ἐπ' ἐμοί. Πέρσης εἰμὶ, καὶ ἐκ πατέρων
> Πέρσης αὐθιγενὴς, ναὶ δέσποτα, πῦρ δὲ μιῆναι
> Ἧμιν τοῦ χαλεποῦ πικρότερον θανάτου.

i. *Euphratem ne crema, Philonyme, neque polluas Ignem meo cadavere, Persa sum etiam à parentibus, Persa indigena, certe domine, ignem polluere Nobis acerba acerbius est morte.* Salinerius.

4 *Et persuasio cœlestium*] Particulam *et* submovimus, *Eademque cura & de infernis persuasio.* Rhenanus. Curam istam, non ad infernos, sed ad superiora verba referri autumo; ut scil. in condendis corporibus, eadem sit Judæis cura, quæ Ægyptiis, eademque de infernis persuasio. *Pichena.*

5 *Judæi mente sola, unumque numen intelligunt*] Bene & vere hæc Tacitus. Ideoque nec statuæ Judæis, & ipsum templum sub dio & apertum. Dico, majus illud & externus templum: nam *Interius clausum*, ut mox dicet. Dio lib. XXXVII. Οὐδ' ἄγαλμα οὐδὲν ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἔσχον· ἄῤῥητον δὲ δὴ καὶ ἀειδῆ θεὸν νομίζοντες εἶναι, περισσότατα ἀνθρώπων θρησκεύουσι. καὶ αὐτῷ ναόν τε μέγιστον καὶ περικαλλέστατον, πλὴν καθ' ὅσον ἀχανής τε καὶ ἀνώροφος ἦν, ἐξεποίησαν: *Nullam statuam Hierosolymis habebant, & Deum ineffabilem quendam & visui non obnoxium arbitrantes, magna religione & super ceteros homines eum colunt. Cui & Templum MAXIMUM & PULCHERRIMUM, nisi quod APERTUM & sine tecto ullo est, construxerunt.* Sunt hæc verissima, pro Judæorum sano sensu. sed quem illi depravarunt, & quia sub cœlo, & in illud adspicientes precabantur; rati sunt, cœlum ipsum ab iis adorari. Juvenalis:

> *Nil præter nubes & cœli lumen adorant.*

Alius Satyricus:

> *Et cœli summas advocat auriculas.*

quasi putarent cælum aures habere, idque invocarent. *Lipsius.*

6 *Nulla simulacra urbibus suis*] Est qui *suis* deleat, timens Tacito Orbilium aliquem, qui *illorum* vel *ipsorum* dicendum fuisse contendat. Ego relinquo, & satis commode accipio. *Acidalius.* Ego quoque relinquo: sed ut commode accipere possim, scribo: *Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt.* Nam quicquid congerant hujusmodi, vulgata σολοικίζει. *Gronovius.*

1 Libe-

quia ſacerdotes eorum tibia tympaniſque concinebant, hedera vinciebantur, vitiſque
aurea templo reperta : [1] *Liberum Patrem coli*, *domitorem Orientis* quidam arbitrati
ſunt, nequaquam congruentibus inſtitutis. quippe Liber feſtos lætoſque ritus poſuit:
Judæorum mos abſurdus ſordiduſque. Terra fineſque, qua ad Orientem vergunt, 6
Arabia terminantur: à meridie, Ægyptus objacet: ab occaſu, Phœnices & mare:
Septentrionem [2] è latere Syriæ longe proſpectant. Corpora hominum ſalubria, &
ferentia laborum. rari imbres, uber ſolum. [3] Exuberant fruges noſtrum ad morem.
præterque eas Balſamum & Palmæ. palmetis proceritas, & decor. [4] Balſamum modica arbor: ut quiſque ramus intumuit, [5] ſi vim ferri adhibeas, pavent venæ; fragmine lapidis, aut teſta aperiuntur. humor in uſu medentium eſt. [6] Præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. Idem [7] amnem Jordanem alit, funditque. Nec Jordanes pelago accipitur. Sed [8] unum atque alterum lacum integer perfluit: tertio retinetur. Lacus immenſo ambitu, ſpecie maris, ſapore corruptior, gravitate odoris accolis peſtifer, neque vento impellitur, neque piſces aut ſuetas aquis volucres patitur. [9] Incertæ unde ſuper-

1 *Liberum Patrem coli*] Bacchum à Judæis cultum Plutarchus in Sympoſiis tradidit, appellatumque eorum lingua Σάβαζον: unde *Sabbati* nomen, quam ſententiam Judæi ipſi etiamnum deridiculo habent. Mirum autem eſt, qua impietate Tacitus Hebræorum hiſtorias pervertat, & quod Dei Opt Max. ope factum eſt, à miraculi admiratione deducat, tum quæ Dei ſunt, humanis viribus adjudicet. *Alciatus.*

2 *E latere Syria longe proſpectant*] Nos, *à latere Syria.* Rhenanus.

3 *Exuberant fruges*] Mihi vero vox ea ipſa exuberare videtur legamque, *uber ſolum: fruges noſtrum ad morem.* Lipſius.

4 *Balſamum*] Propriam eam arborem Judææ eſſe plerique tradiderunt, nec alibi gigni. Juſtinus libro XXXVI. *Opes genti ex vectigalibus opobalſami crevere, quod in his tantum regionibus gignitur.* Atque ita ſane tunc fuerit. Poſtea, non dubium ſtirpem eam in Ægyptum tranſiiſſe; atque illic creviſſe. Claudianus in Epithalamio Palladii:

*Gemmatis alii per totum Balſama teſtum*
*Effudere cadis. duro qua ſaucius ungue*
*Nil acus pingui deſudat vulnere cortex.*

Perſeverare etiam illic noſtro ævo, qui peregrinati ſunt, affirmant. *Idem.*

5 *Adhibeas. pavent vena*] Sic interpungenda iſta: & in *Pavendi* verbo elegans metaphora. Plinius de eadem arbore: *Inciditur vitro, lapide, oſſeiſve cultellis: ferro ladi vitalia odit.* Joſephus, qui indigena: ὀξεῖ λίθῳ, aut ὀξέσι λίθοις incidi adſerit. Falſus ergo cum Theophraſto Dioſcorides, qui ferreis unguibus ſecari arborem credidit: falſus compilator Iſidorus, qui *percuſſam ferreis unguibus corticem.* Pauſanias lib. IX. neſcio quid de Balſamo Arabiæ nugatur. & cita cum viperis. *Idem.*

*Si vim ferri adhibeas*] Particula *ſi* non eſt in cod. Bud. *Rhenanus.*

6 *Præcipuum montium Libanum erigit*] Non eſt, quo ſe verbum hoc referat: & ex iis, quibus luſtrate loca quæ nobis narrare, datum eſt, ſic accepi, verſus Damaſcum rupium quas nos pendentes & inciſas dicimus præcipitio erigi montem Libanum. Quare ſic legerim, *præcipitium montium* &c. quam lectionem & aliis probari audio. *Vertranius.* Quis eſt, qui erigit? an terra ipſa & ſolum? Ita videtur. *Pichena.*

7 *Amnem Jordanem alit*] Multis milibus errat Cornelius: non enim ex Libano, ſed ex Antilibano fluit Jordanes fluvius: in quo & Hieronymus ſui videtur oblitus fuiſſe, ubi ait: *Jordanes ad radices oritur Libani, & habet duos fontes, unum nomine Jor, alterum Dan, qui ſimul juncti Jordanis nomen efficiunt.* Vertranius.

9 *Unum atque alterum lacum*] Ita & Egeſippus lib. III. *Duos lacus victor egreſſus, tertio retinetur.* At Pauſanias repugnat clare, & quidem oculatus, ut ait, teſtis, lib. V. Ἐν δὲ τῇ γῇ ποταμὸν τινα Ἑβραίων καὶ αὐτὸς οἶδα Ἰορδάνην λίμνην Τιβεριάδα ὀνομαζομένην διοδεύοντα, ἐς δὲ τὴν λίμνην ἑτέραν καλουμένην Θάλασσαν νεκράν, ἐς ταύτην ἐσιόντα, καὶ ἀπὸ τῆς λίμνης αὐτὸν ἀναλούμενον. id eſt: *In Hebræorum terra fluvium quendam Jordanum & ipſe novi, qui ſtagnum Tiberias ſubit, ac deinde alterum, cui Mare mortuum nomen eſt, in qua ipſa palude conſumitur.* Sed Tacito nos jure fidem habemus, qui in Trachonitide lacum minorem eſſe ſcimus, quem primo Jordanis ingreditur, cui Samochonitis nomen. *Lipſius.*

9 *Incerta unda ſuperiecta*] Emendatio è libris. Vulgo eſt, *incertum unde.* quod ſententiam etiam aptam recipere poteſt. Vide de tota re Egeſippum lib. IV. cap. XVIII. *Idem.*

*Incerte unda, ſuperjacta; ut ſolido feruntur*] *Incertam undam* accipio, quæ intuentes quaſi ambigere cogat, verane unda ſit, an ſolidum ſolum: idque propter bituminis colorem. Conſtructio videtur: *ſuperjacta, feruntur incerta unda,* (tertio caſu, pro, ab incerta unda, Corneliano more) *ut ſolido.* Niſi ſen-

perjacta, ut solido, feruntur: periti imperitique nandi, perinde attolluntur. [1] Cer-
to anni, bitumen egerit: cujus legendi usum, ut ceteras artes, experientia docuit.
Ater suapte natura liquor, & sparso aceto concretus, innatat. hunc manu captum,
quibus ea cura, in summa navis trahunt. Inde nullo juvante influit, oneratque do-
nec abscindas. nec abscindere ære ferrove possis: fugit cruorem vestemque infectam
sanguine, quo feminæ per menses exsolvuntur. sic veteres auctores. Sed gnari lo-
corum tradunt, undantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad litus: mox ubi
7 vapore terræ, vi solis inaruerint, securibus cuneisque ut trabes aut saxa discindi. Haud
procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, [2] fulmi-
num jactu arsisse: & manere vestigia, [3] terramque ipsam specie torridam, vim fru-
giferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, [4] sive herba tenus aut
flore, seu [5] solitam in speciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vanescunt.
Ego sicut [6] inclitas quondam urbes igne cœlesti flagrasse concesserim; ita halitu la-
cus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fœtus segetum & autumni
putre-

sententiam dividere malimus, ac plurali numero legere: *incerta unda: Superjacta, ut solido fer.* Sed quoniam Fl. habet, *ut solido fer.* suspicor, an magis congruens lectio sit: *incerta unda, superjacta, ut solide ferunt.* Pichena. Scribe *inerti unda*, quod verum est Asphaltitæ ἐπίθετον. Sic *iners Cocytus* apud Senecam. *Grotius.* Lectio Veneta est, *incertum unde, superjacta*; quæ aliquo modo confirmat emendationem meam; *inerti unda superjacta ut solido feruntur.* *Inert unda* quomodo *pigrum mare* infra Germ. 45. Virgilius 4. Georg. *Freinshemius.* Insignis ubertas conjecturarum, quæ nihil ex vero habent, quia ab unico libro tam audacter discedunt. Et miror Ryckium non inspexisse, quæ notavit pater ad Senecæ Consolationem Marciæ cap. 10. ubi post *incerta maria* venit quoque ad *incertas undas.* Interim vehementer mihi placet, quod ab omnibus negligitur, activum *ferunt*, ut videtur esse in MS. Mediceo, arbitro fidissimo manus Taciti, qui videtur diversitatem captavisse. *Jac. Gronovius.*

1 *Certo anni*] Ita libri, & phrasis nota, & Tacito frequens. vulgati vocem addunt, *certo anni tempore.* Lipsius.

*Certo anni bitumen egerit*] Idem Plinius tradit. At Strabo lib. 16. Μέσῃ δὲ ἐστὶν ἀσφάλτῳ αὕτη. ταύτης δὲ ἀναφυσᾶται κατὰ καιροὺς ἀτάκτους. Ibi Casaubonus ait κατὰ καιροὺς ἀτάκτους idem esse, quod in eadem re Diodoro Siculo κατ' ἐνιαυτόν: quod sane esset, certo tempore bitumen illud ebullire. Atque Strabo rationem postea reddit, cur incerto tempore id miraculi fiat. Ἄτακτος, inquit, δὲ ἡ ἀναφύσησις. ὅτι καὶ ἡ τοῦ πυρὸς κίνησις οὐκ ἔχει τάξιν ἡμῖν φανερὰν ὥσπερ καὶ ἄλλων πνευμάτων πολλῶν. Manifesto, inquam, fatetur incertum esse istiusmodi ebullitionis tempus, ex eadem caussa, qua sæpe ignis vi terræmotuum è terra prorumpat. Xiphilinus de Vesuvio καὶ ταῦτα ἐν αὐτῷ κατ' ἔτος ὡς πλῆθος γίνεται. *Colerus.*

2 *Fulminum jactu*] Orosio lib. 1. qui hæc expresso etiam Cornelii nomine transcripsit; legas *fulminum ictu.* Lipsius.

*Fulminis jactu arsisse*] Nos, *fulminum.* Rhenanus. De Sodoma & Gomorrha intellige. Idem scribit Solinus. Lege de bell. Jud. Josephi l. 5. c. 5. *Lupanus.* Lipsius ex Orosio, qui hæc Taciti verba transcripsit, legit, *fulminum ictu.* At mihi, *jactu*, magis probatur, Florentino consentiente, & exemplis etiam Ciceronis in Catil. orat. 3. *visas nocturno tempore ab occidente faces, ardoremque cœli, ut fulminum jactus, ut terra motus* &c. de Divinat. lib. 2. *Nonne perspicuum est ex prima admiratione hominum, quod tonitrua jactusque fulminum extimuissent.* Pichena.

3 *Terramque specie torridam*] In eodem Orosio lib. 1. *terramque ipsam specie solida.* Lipsius.

*Terramque ipsam specie torridam, vim frugiferam perdidisse*] Addidi ex Florentino vocem, *ipsam*, quæ à vulgatis aberat. *Pichena.* In Orosio meo Lutetiæ impresso CIↃ IↃ VI. legitur hoc modo: *Terramque ipsam specie solidam, vim frugiferam perdidisse.* Nam post incendium terram specie tantum solidam mansisse, quippe nimiis ardoribus resolutam credibile est. Sed vulgatam tamen prætulerim. *Colerus.*

4 *Sive herbas tenues aut flores*] Volumen Matthiæ Corvini habet, *siue herbarbas tenus aut flores.* Lego, *sive herba tenus, aut flore.* Rhenanus.

5 *Solitam in speciem*] Quid est *in solitam speciem adolescere?* an non & herbæ & flores solitæ sunt species. Lego: *seu solidam in speciem adolevere.* ita vocat fructum. *Salmasius.*

6 *Judaicas quondam urbes*] Libri aliquot, *inclitas urbes.* nec aliter Orosius. *Lipsius.*

*Inclitas quondam urbes*] Vulgo, *Judaicas quondam urbes.* Lipsius ex nonnullis veteribus libris, aut etiam ex Orosio legit, *inclitas*; quod verissimum existimavi, quoniam Flor. idem innuit, habens *indicas.* Pichena.

1 *Brint*

putrescere reor, solo cæloque juxta gravi. Et [1] Belus amnis Judaico mari illabitur: circa cujus os [2] conlectæ arenæ, admixto nitro, in vitrum excoquuntur. [3] modicum id litus, [4] sed egerentibus inexhaustum. Magna pars Judææ vicis dispergitur. 8
habent & oppida. [5] Hierosolyma genti caput. Illic immensæ opulentiæ templum; & [6] primis munimentis urbs, dein regia, templum intimis clausum. ad fores tantum Judæo

1 *Belus amnis Judaico mari illabitur*] Plinius hist. Nat. lib. 36, 26. *Pars est Syriæ, quæ Phœnice vocatur, finitima Judææ, intra montis Carmeli radices paludem habens, quæ vocatur Candebea. Ex ea creditur nasci Belus amnis, quinque M. spacio in mare profluens juxta Ptolemaidem coloniam.* Rhenanus.

2 *Conlecta arena, admixto nitro*] Non, *conjecta*. Farnesianus etiam recte, *lecta arena*. Plinium adi lib. XXXVI. Strabonem XVI. *Lipsius.*

*Conjecta arena admixto vitro in vitrum excoquuntur*] Pro *vitro* scripsimus *nitro*. Hanc excoquendi vitri rationem refert Plinius 36, 26. de Belo fluvio. *Quingentorum passuum non amplius littoris spacium. Idque tantum multa per secula gignendo fuit vitro. Fama est appulsa nave mercatorum nitri, quum sparsi per litus epulas pararent, nec esset cortinis attollendis lapidum occasio, glebas nitri subdidisse. Quibus accensis permixta harena littoris, translucentes nobilis liquoris fluxisse rivos, & hanc fuisse originem vitri.* Ibidem *Sidonem* vocat *officinis vitri nobilem*. Rhenanus. De ea re vide Strabonem l. 16. & Plin. 5. 19. & 36, 26. Joseph. lib. de bell. Jud. 2, 9. *Lupanus. Admixto nitro* legendum est auctore Plin. 36. *Ferrettus.* Legendum indubitate *admixto nitro.* & vitri excoquendi rationem refert Plin. 36, 26. Felix inventum rei tam pretiosæ: quæ tamen pretiosior multo esset, si hominum ingeniis superesset artificium illius, qui ob Liviæ porticum corruentem, sine ulla materia, funibus pristino restitutam, à Tiberio urbe ejectus, supplex ad principem accedens, vitreum poculum consulto abjecit, fractumque manibus refecit, sperans eo se veniam impetraturum, ait Dio, lib. 57. verum necari ob id jussus est, ne aurum vitro ductili reperto vilesceret. *Vertranius.* Faënus legebat, *conlecta arena mixto nitro* &c. & ita Danesius quoque legebat. *Ursinus.* Flor. *lecto.* Pichena. Ut vice versa 4, 77. luditur in *lecta* & *electa*. *Jac. Gronovius.*

3 *Modicum id littus*] Nam ut ex Plinio rettuli, *Quingentorum est passuum non amplius.* Rhenanus.

4 *Et egerentibus*] Scripsi *sed.* nam ultima proxime præcedentis vocis litera est, *S.* Idem.

5 *Hierosolyma gentis caput*] Nos, *Hierosolyma genti caput.* Rhenanus. Impie nugatur Lysimachus de hujusmodi nominis significatu apud Joseph. lib. 1. adversus Appionem: *& fanis compilatis, ac incensis venisse in eam, quæ nunc Judæa dicitur, conditaque civitate hic habitare, urbem vero ἱερόσυλα ex re nominatam: aliquanto autem post jam auctos viribus mutasse nomen vitandi probri gratia, & urbem Hierosolymam, se ipsos Hierosolymos vocasse.* Candidius Clearchus qui interpretatus non est: *Nomen vero eorum civitatis valde difficile est. vocant enim eam nomine Jerusalem.* Id autem nominis nonnulli (Rabb. Abraham Benezra c. 7. Cantic. Canticorum) inditum volunt ad terrorem finitimis incutiendum quasi *Timete civitatem salem.* Verum mihi veriora canit ecclesia: *Urbs beata Jerusalem Dicta pacis visio.* Quod rite hoc vocabuli conflari possit (quicquid Mercerus dicat epist. ad Hebræos c. 7.) ex *Jeru* & *salem*, id est, *Videbitis pacem.* Paulus enim sic, *deinde autem & rex salem. quod est rex pacis.* Quam vero diversus ab aliis Josephus lib. 7. antiq. 3. qui à Davide (unde ei muri circumdati sunt) Hierosolyma dictam putat, quæ prius Solyma tantum vocabatur. *Hieron vero Hebræa lingua munitio est.* Salinerius.

6 *Primis munimentis urbs*] Ex Josepho & Zonara legam, *& trinis munimentis.* Nam triplici muro circumdatam eam fuisse uterque is scriptor te docebit. Josephus lib. VI. Haloseos cap. VI. Zonaras tomo I. *Lipsius.*

*Urbs de jugis*] Jure nato, & mecum libri. Farnes. *urbs deingia templum clausum.* Vatican. *urbs ob demgia.* At Jos. Mercerus legit: *Primis munimentis urbs, dein regia.* Feliciter. Tacitus ipse juvat, infra: *Alia intus mœnia regiæ circumjecta.* Idem.

*Templum intimis*] Quomodo, *in timis?* Ablego eam vocem cum nonnullis libris, & lego: *trinis munimentis urbs, ob deingia. Templum clausum. ad fores tantum Judæo aditus.* Aut si retineri placet: scribam apposite, *Templum intimum*, sive magis, *interius.* Duplex enim templum, Exterius & Interius, ut Zonaras & Josephus describunt appellantque: & Exterius patet, sola interior Domus clausa. Rodolphus hæc omnia concinnat (sed ab ingenio, opinor,) *& primis munimentis urbis. alienigenis templum interius clausum.* Idem.

*Primis monumentis urbs dejugis, templum intimis clausum*] Doctiss. Lipsius Taciti obscura brevitate & obsoletarum vocum usu perstrictus, hunc locum mutilatum notavit, quum tamen integer sit; quod pluries eidem in Taciti annotat. accidisse manifestum est, dum locos ex sui sententia depravatos asterisco designat, quorum tamen plerosque si exacte perpendantur, nullo mendo scatere facile dignoscitur. Sensus itaque Taciti verborum est. Hierosolymam urbem propriis primis munimentis circumductam sejunctam fuisse à templo, quod & ipsum munimentis propriis in urbis intimis postea munitum fuit. Sicut enim *jugo* verbum *conjungo* significat, & ab eo *jugis*, pro *conjuncto* accipitur, ita & *de* præpositio, quæ in compositione detrahit & negat, addita, fit *dejugo*, quod est secerno & sepa-

Judæo aditus: limine, præter sacerdotes, arcebantur. Dum Assyrios penes Medosque & Persas Oriens fuit, despectissima [1] pars servientium. postquam Macedones præpotuere, rex Antiochus demere superstitionem, & mores Græcorum dare adnixus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est. nam ea tempestate Arsaces desciverat. Tum Judæi Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis (& [2] Romani procul aberant) sibi ipsi reges imposuere. qui mobilitate vulgi expulsi, resumpta per arma dominatione, fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaque solita regibus ausi, superstitionem fovebant: quia honor sacerdotii, firmamentum potentiæ assumebatur.

separo, unde *dejugis*, id est, secreta & disjuncta. Sic Pacuvius dixit: *Nostram unanimitatem dejugat.* Quod vero urbs Hierosolyma, & in illa templum propria mœnia & munimentum habuerint, eaque invicem disjuncta, constat ex Tacito in sequentibus & Strabone lib. 14. passimque Josepho de bell. Jud. & Egesippo de excidio Hierosol. *Marc. Donat.* Variant libri: sed omnes tamen constanter *gia* non *gis* referunt. Itaque lego, *Primis munimentis urbs, dein regia, templum intimis clausum.* Nam trinus ambitus murorum, & regia proprios muros habuit. Præter alios Tacitus ipse paulo post: *Alia intus mœnia regiæ circumjecta.* Mercerus. Multa ad hæc Rudolphus Agricola, doctiss. vir, & Mercerus, sed non absque castigatione: me vero juvat, qualemcunque sensum elicere ex vulgatis, quem vero nunquam me hausisse negaverim ex sermonibus Stephani Buroni Patricii Genuensis viri undequaque doctissimi in quem illud optime convenit ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη, veterem enim & novum orbem non semel peragravit: indeque sibi omnigenam virtutis penum comparavit. Jerusalem vero μεταφορικῶς dicitur *dejugis*, id est, discreta, à *dejugo*, sive disparata. Sic à *sejugo*, *boves sejuges*: erat enim duobus in collibus sita. Tacit. *nam duos colles immensum editos claudebant muri partem obliqui.* Valle quæ *Tyropoeon* appellabatur intercedente Joseph. lib. 6, 6. Qua de re apud Hebræos dualiter effertur. Mercerus in ann. ad Pagninum. Cæterum tres in partes erat divisa, & unicuique sua munimenta ut patet ex Tacit. cui adstipulatur Josephus d. cap. Prima ergo munimenta respectu aliorum: Prima enim castellum Davidis, Secunda Acra dicebantur, intima vero quæ templo circumdata sunt. Tacit. c. 12. *extrema & latissima mœnia Simon, mediam urbem Johannes, quem & Bargioram vocabant: templum Eleazarus firmaverat.* Salmerius. Lectio à Mercero feliciter restituta, atque à Lipsio comprobata, adeo validis ex historia ipsa argumentis nititur, ut digna mihi visa sit, quæ recipiatur, præsertim cum optimorum exemplarium scriptura corrupta, fere idem indicet. Vulgo, *urbs dejugis.* Suo quidem sensu, sed non à libris. *Pichena.* Lego, *& è primis monumentis urbis. Dei jussis, templum intimus clausum.* Scripti, *è primis monumentis urbis*, vere. Nec enim munimenta vel regiæ, vel templi ipsius hic describere auctor vult, quæ describit ordine ac prolixe infra: nec interrumpi de templo sermo debet, ac interjici quid alienum. *Dei jussis* ex vulgato *dejugis* feci. mutatione valde proclivi. Illa tamen non etiam forte spernenda, qua ex Vaticano *ob demgia* continuabam *ob Dei initia.* Denique *intimus* additione litterulæ facillime emendatum, nec quicquam apertius hoc verbo, quod ab *intimum* eo flexu formatum, quo *proximius* à *proximum* & similia in eandem formam. *Intimius* usurpavit ipse Cicero 6. de Rep. *Et mundi vastitatem intimius perspicere possemus.* Ceterum non silebo, posse utcunque etiam ipsam vulgatam lectionem plane retineri, atque ab obstinatiore aliquo sic defendi: ut Tacitus dicat, primis munimentis urbem dejugem clausam esse, intimis templum. Ac *dejugem urbem* vocabulo novo, tamen significanti satis vocari, quia talis ejus situs, ut ex inferiore descriptione colligitur. Sic aliquis, inquam, possit contra tendere: sed qui cor habent, non eum audient. *Acidalius.* Mercerus ex vestigiis antiquæ scripturæ veterum codd. Lipsii ingeniose corrigit. Ego divinabam, *& in primis munimentis urbis, dein regia, templum intimis clausum.* Arbitror hoc velle Tacitum, templum in primis, id est, potissimis munimentis urbis esse, quod idem infra repetit. *Templum in modum arcis propriique muri labore & opere ante alios.* Porro templum intimis clausum ait, id est, interioribus sui partibus. Nemini enim illud arcanum ingredi licebat, nisi summo Pontifici. Hieronymus Epist. 128. *Totus mundus in tabernaculi describitur sacramento, primum & secundum vestibulum omnibus patet.* Colerus. Dele vocem ex interpretamento inepte repetitam, pro *urbs dejugis*, aut ut alii libri habent *urbs dejugia*: aut *urbs ob demgia.* Scribe *urbi adjuge*: ut sic habeat locus: *primis munimentis urbi adjuge, intimis clausum.* Verum est quod dicit, Templum primis, id est, extimis munimentis cohæsisse urbi, interioribus separatum seclusumque. *Adjuge* eadem forma dicitur qua *sejuge.* Grotius.

1 *Pars servientium, postquam Macedones præpotuere. Rex* ] Distinximus, *pars servientium. Postquam Macedones præpotuere, rex* &c. *Rhenanus.*

2 *Romani procul aberant* ] Sed in MS. Medic. tantum *procul erant.* Quis sustinuit id mutare? *Jac. Gronov.*

3 *Roma-*

tur. [1] Romanorum primus Cn. Pompejus Judæos domuit: templumque jure victoriæ 9 ingressus est. Inde vulgatum, [2] *nulla intus deum effigie vacuam sedem, & inania arcana.* Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. [3] Mox civili inter nos bello, postquam in ditionem M. Antonii [4] provinciæ cesserant: rex Parthorum Pacorus Judæa potitus, interfectusque à P. Ventidio, & Parthi trans Euphratem redacti; Judæos [5] C. Sosius subegit. Regnum ab Antonio Herodi datum, [6] victor Augustus auxit. Post mortem Herodis, nihil exspectato Cæsare, Simon quidam regium nomen invaserat. Is à Quintilio Varo obtinente Syriam punitus. & gentem coërcitam, liberi Herodis tripartito rexere. Sub Tiberio quies. dein jussi à C. Cæsare *effigiem ejus in templo locare*, arma potius sumpsere: quem motum Cæsaris mors diremit. Claudius defunctis regibus, aut ad modicum redactis, Judæam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit. è quibus Antonius Felix, per omnem sævitiam ac libidinem, jus regium servili ingenio exercuit, [7] Drusilla Cleopatræ & Antonii nepte in matrimonium accepta: ut ejusdem Antonii, Felix progener, Claudius nepos esset. Duravit tamen patientia Judæis, [8] usque ad Gessium Florum 10 procuratorem. Sub eo bellum ortum. & [9] comprimere cœptantem [10] Cestium Gallum

1 *Romanorum primus Cn. Pompejus Judæos domuit*] Hæc pluribus à Josepho narrantur lib. Antiq. 14. 8. primumque Pompejum refert Judæos in Romanorum ditionem redegisse, & postea Crassum quod à Tacito est prætermissum, in Parthos euntem è templo pecuniam omnem abstulisse, quam Pompejus ne attingere quidem voluerat. Quoniam vero, quæ à Tacito de Judæorum historia scribuntur, brevius narrantur, quam par sit, pluribus verbis illustratum hunc locum volumus, (omisimus hic, quia erit in excursionibus Lipsianis) eodemque loco Herodum genealogiam ob oculos ponere libuit. *Lupanus.* Vox *Judæos* non est in vulgatis, & scio recte subintelligi posse; tamen quia in Florent. additur, non fuit prætermittenda. *Pichena.*

2 *Nullas intus deum effigies*] Nos, *nulla intus Deum effigie. vacuam* &c. *Rhenanus.*

3 *Mox bello civili interno*] Cur hæc geminat Civile & Internum? placet imo Romana scriptio, *bello civili inter nos.* Lipsius.

*Bello civili inter nos*] In vulgatis quidem legitur, *bello civili interno*, idque ab omnibus MS. confirmatur. Sed cum alterutra vox videatur superflua, ego cum Lipsio Rom. edit. sum secutus. *Pichena.* Absurde ita pronuntiatur ab viro insigni, qui oculis suis videbat in MS. Medic. extare *civili interno bello*, qui ordo non erat turbandus. *Jac. Gronovius.*

4 *Provincia cesserant*] Utrum *provincia cesserat*, an *Oriens cesserat.* Gronovius.

5 *C. Socius*] Sive *Sossius.* Male quidam libri, *Sosius.* Lipsius.

6 *Victor Augustus fauxit*] Prisci aliquot libri, *auxit.* Idem.

*Augustus auxit*] Opinor scribendum, *fauxit.* Rhenanus. Verbum, *auxit*, & à Florent. & ab omnibus aliis veteribus confirmatur. & tamen Rhenanus sola opinione ductus reposuit, *fauxit.* pristinam ergo lectionem restituimus. *Pichena.* Non male, si modo lectio esset à libris manu depictis. cum vero manarit ab ingenio Rhenani, fervetque edit. omnis antiquior, *auxit*, id vocis revocandum videtur; tanto quidem magis, quod idem velit Josephus lib. 1. bell. Jud. 15. *Gruterus.*

7 *Drusilla Cleopatra*] Progener ergo erat Antonii, cum maritus esset neptis Antonii ex Cleopatra. Claudius vero natus ex Druso & Antonia minore, nepos fuit Antonii. Indignatur itaque Cornelius, ejusdem Antonii fuisse progenerum Felicem, & nepotem Claudium; illum libertum, hunc vero principem Romanum, utrinque ex nobilissimis familiis genitum. *Ferrettus.* Antonius Felix Judææ procurator, Drusillæ maritus fuit. Actis Apostol. 24. ea vero Cyprus & Agrippæ filia erat: ipsaque Cyprus ex Cleopatra & M. Antonio nata. Sic Felix Antonii progener. Claudius Cæsar ex Druso Germanico & Antonia minore natus, hæc M. Antonii ex Octavia filia, ideo dicitur fuisse Antonii nepos. *Vertranius.*

8 *Usque ad Gessium Florum*] Primus Cæsaris procurator Judææ cum imperio Pontius Pilatus præfuit, à Tiberio missus, cum Judæa pulso in exilium Archelao in formam provinciæ, redacta esset. Deinde à Cæsaribus investiti Tetrarchæ, per aliquot annos in illa regnarunt. Tandem ad procuratores administratio rediit: hique ex ordine fuere. Felix, Albinus, Festus & Florus. *Idem.*

9 *Comprimere reos ceptantem*] Codex Budensis non habet, *reos ceptantem*, sed, *receptantem.* Castigavi, *comprimere ceptantem. Comprimere* pro *opprimere.* Sic lib. præced. *Caninefatem tumultum compressurum.* Rhenanus.

10 *Cestium Gallum*] Idem Suetonio narratur Vespas. cap. iv. *Judæi rebellarunt, cæsoque præposito, legatum insuper Syriæ consularem, suppetias ferentem,* rapta

Gallum Syriæ legatum, varia prœlia ac ſæpius [1] adverſa excepere. Qui ubi fato,
aut tædio occidit; miſſu Neronis, Veſpaſianus fortuna famaque & egregiis miniſtris,
[2] intra duas æſtates, cuncta camporum, omneſque præter Hieroſolyma urbes, vi-
ctore exercitu tenebat. Proximus annus civili bello intentus, quantum ad Judæos
per otium tranſiit. [3] Pace per Italiam parta, [4] & externæ curæ rediere. Augebat
iras, quod ſoli Judæi non ceſſiſſent. Simul manere apud exercitus Titum, ad omnes
principatus novi eventus caſuſve [5] utilius videbatur. Igitur caſtris, uti diximus, an-
11 te mœnia Hieroſolymorum poſitis, inſtructas legiones oſtentavit. Judæi ſub ipſos
muros ſtruxere aciem, rebus ſecundis longius auſuri, & ſi pellerentur, parato perfu-
gio. Miſſus in eos eques cum expeditis cohortibus, ambigue certavit. Mox ceſ-
ſere hoſtes, & ſequentibus diebus crebra pro portis prœlia ſerebant: donec aſſiduis
damnis, intra mœnia pellerentur. Romani ad oppugnandum verſi. neque enim di-
gnum videbatur, famem hoſtium opperiri. poſcebantque pericula, pars virtute, mul-
ti ferocia, & cupidine præmiorum. Ipſi Tito Roma, & opes, voluptateſque ante
oculos; ac ni ſtatim Hieroſolyma conciderent, morari videbantur. Sed urbem ar-
duam ſitu, opera moleſque firmaverant, quis vel plana ſatis munirentur. Nam duos
[6] colles immenſum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrſus ſinuati:
ut latera oppugnantium ad ictus pateſcerent. Extrema rupis abrupta: & turres, ubi
mons juviſſet, in ſexaginta pedes; inter devexa, [7] in centenos viceno ſque attolle-
bantur: mira ſpecie, ac procul intuentibus pares. Alia intus mœnia, regiæ circum-
jecta. conſpicuoque faſtigio turris *Antonia* in honorem M. Antonii ab Herode ap-
12 pellata. Templum in modum arcis, propriique muri, labore & opere ante alios.
ipſæ porticus, quis templum [8] ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons peren-
nis aquæ, [9] cavati ſub terra montes: & piſcinæ ciſternæque ſervandis imbribus.
[10] prævideraut conditores ex diverſitate morum, crebra bella. inde cuncta, quam-
vis adverſus longum obſidium: & à Pompejo expugnatis, metus atque uſus pleraque
monſtravere. Atque per avaritiam Claudianorum temporum, [11] empto jure mu-
niendi,

*rapta aquila fugarunt.* In Joſepho hæc ipſa, & plane omnia vide. Sed quis tamen *Præpoſitus* ille *caſus?* ita enim Suetonius, nec rem tam notabilem vel Joſephus, vel Tacitus dixere. Imo ille plane contra: Florum, qui tunc præpoſitus, evaſiſſe, & bellum iis feciſſe. An *ceſoque præſidio?* ita enim Eutropius, qui ſua ſolet ex Tranquillo deſcribere: *Exſtinctis Romanis præſidiis, legatum quoque Syriæ ſuppetias ferentem, rapta aquila fugarunt.* Sunt ipſa, ut vides, Tranquilli. An verius, *Geſſiumque Florum* (id ei nomen) fugatum, ac tum etiam Ceſtium Gallum? interpretes nihil hic pro re dicunt. tu ſerie hiſtoriarum Lector arbitrare. *Lipſius.*

1 *Adverſa excepere*] In cod. Bud. *adverſa excipere.* Rhenanus.

2 *Inter duas æſtates*] Præpoſitionem *inter* ſubmovimus. Nam ſenſus eſt: *duas æſtates tenebat*, hoc eſt, per duas æſtates. Mox eſt in cod. Bud. *præter Hieroſolymam.* Idem.

3 *Pace per Italiam parata*] Malim, *parta.* Rhenanus.

4 *Et externæ curæ rediere*] Delenda prorſus & copula vel rejicienda ad ſequentia; *Et augebat iras, quod* &c. *Acidalius.* Forte ſcrib. *pace per Italiam parta, ut externæ curæ rediere, augebat iras* &c. *Freinshemius.*

5 *Utilius videbatur*] Ita ſcripſi Flor. auctore. Vulgo, *utile.* Pichena.

6 *Colles immenſum editos*] Uſurpat *immenſum* adverbialiter. Sic lib. Ann. 5. *Nunciavere accolæ Euphratem nulla imbrium vi, ſponte & immenſum attolli.* Rhenanus.

7 *In centenos viceno ſque attollebantur*] Volumen Matthiæ Corvini tantum habet, *in centenoſque.* Idem.

8 *Ambiebatur*] Scire decet in MS. Medic. legi *ambibatur*, perinde ut *opera*, non *opere:* & hoc poſtremum modo publicandum cenſuit Ryckius, non primum, quum utrumque laudabile. Si non & aliud in hac parte dominatur, certe reminiſci oportet in prioribus libris *ambire* uſurpari crebro, unde etiam *ambibo* 5. ann. 6. *Jac. Gronovius.*

9 *Cavati ſub terra montes*] Quod genus cautelæ monſtravit Henr. Valeſius in notis ad Ammianum Marcell. 19, 5. *Idem.*

10 *Prævideraut conditores*] Nos, *providerant.* Rhenanus.

11 *Empto jure muniendi*] Obſervandum ex hoc loco

niendi, ſtruxere muros in pace, tamquam ad bellum: magna colluvie, & [1] cetera-
rum urbium clade aucti: nam pervicaciſſimus quiſque illuc perfugerat, eoque ſedi-
tioſius agebant. Tres duces, totidem exercitus. Extrema & latiſſima mœnium
[2] Simon; mediam urbem Joannes, quem & [3] Bargioram vocabant; templum Elea-
zarus firmaverat. Multitudine & armis Joannes, ac Simon; Eleazarus loco polle-
bat. Sed prœlia, dolus, incendia inter ipſos, & magna vis frumenti ambuſta. Mox
Joannes, miſſis per ſpeciem ſacrificandi, qui Eleazarum manumque ejus obtrunca-
rent, templo potitur. ita in duas factiones civitas diſceſſit, donec propinquantibus
Romanis bellum externum concordiam pareret. Evenerant prodigia, quæ neque 13
hoſtiis, neque votis piare fas habet gens ſuperſtitioni obnoxia, religionibus adverſa.
Viſæ per cælum concurrere acies, rutilantia arma, & ſubito nubium igne collucere
templum [4] Expaſſæ repente delubri fores, & audita major humana vox, *Excedere
deos:* ſimul ingens motus excedentium. Quæ pauci in metum trahebant: pluribus
perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum litteris contineri, eo ipſo tempore fore, ut
valeſceret Oriens, [5] profectique Judæa rerum potirentur. [6] quæ ambages Veſpaſia-
num ac Titum prædixerant. Sed vulgus, more humanæ cupidinis, ſibi tantam fa-
torum magnitudinem interpretati, ne adverſis quidem ad vera mutabantur. Multi-
tudinem

loco per avaritiam Claudianorum temporum venditum, quod ſecuti principes ſoliti ſunt petentibus gratuito concedere. Et ſane quod vetuſtiores ſuo injuſſu muros extrui nolebant, & M. Aurelius Antoninus præſides vetuit ſe inconſulto permittere, ideo inſtitutum arbitror, quod uti lib. 3. ſup. Tencteri ad Agrippinenſes dicebant, muri coloniæ cum munimenta ſervitii ſint, ſi clauſos iis cives teneas, virtutis obliviſcuntur. Ad hæc, murus nos ab hoſtib. tutos, & à ſubitis latronum incurſionibus præſtat, inquit Seneca de Benef. lib. 6. Quare quod honori commodoque civitatum cederet, id avari principes vendiderunt, liberales conceſſerunt. Ita que Galba inter civitates Hiſpaniarum & Galliarum, quæ cunctantius ſibi acceſſerant, quaſdam murorum deſtructione punivit, ut ait Suetonius. Qua de re plura in commentariis juris libertorum c. 38. ictipſi. *Vertranius.*

1 *Ceterarum urbium clade*] Alii *exterarum.* Lipſius.

2 *Simon*] Perquam temere in hoc nomine deſerta fuit editio Beroaldi, quæ in hoc loco bis exhibet *Simo*, quod ita factum ex auctoritate MS. Medicei, ut bene notavi. In capite quidem 9. illa etiam habet adjectum *n*, & ego nihil tum ſignavi, ut de eo hæream, *Simo* autem poſitus ab Tacito, ut 3, 26. *Sola.* Etiam in eodem MS. eſt *Alazarus* bis; deinde habet *qui lazarum* ſuperſcripto *e.* Jac. Gronovius.

3 *Barbagioram vocabant*] Lego *Bargioram.* Hebraicum vocabulum eſt, ſignificans *filium Giora.* Ceterum & Joſippus *Simonem* vocat *Giora filium*, non *Johannem.* Rhenanus. Lego *Bargioram:* Hebraico vocabulo ſignificante emphaticôs illum *Giora filium.* Cæterum Joſippo non *Joannes* ſed *Simon filius Giora* dicitur. Ut ut ſe res habeat, emendandus eſt ex prædictis Xiphilinus in Veſpaſ. cui *Βαρϕοράς* eſt, qui *Βαργιοράς* ſcribi debuit, ille ſcil. qui Hieroſolymis principatum tenebat, ſoluſque in triumpho Veſpaſiani patris & filii ſupplicio affectus eſt. *Vertranius.* Optima conjectio, *Bargioram;* male vulgati *Barbagioram.* Idque iis clarum, qui modo primis labiis Hebræa delibarunt. Sed qui Johannes is dicitur Bargioræ ſive Gioræ filius? qui Giſcalenus & filius Liviæ; Joſeph. l. 6, 26. & lib. 4. 4. & 5. bell. Jud. hæc verba, *quem Bargioram vocabant.* continuanda ſunt cum illis, *Simon.* Nam is vere filius Gioræ. Joſeph. l. 5. 7. & 9. & lib. 6, 1. bell Jud. *Salinerius.* Videndum an non male intellexerit Tacitus, aut librarius potius corruperit *Barionam* in *Bargioram.* Colerus.

4 *Expaſſa repente delubri fores*] Vide quid ſibi velit Flor. in quo corrupte legitur, *expta.* Pichena. Lib. 12. cap. 69. dicit *Foribus palatii repente diductis.* Cicero 1. divin. 34. *Valvæ clauſæ repagulis ſubito ſe ipſæ aperuerunt.* Sed Varro in L.L. dicit *fores panduntur.* Jac. Gronovius.

5 *Profectique Judæa rerum potirentur*] Eadem prope verba habentur apud Sueton. Veſp. 4. Oroſius ſcribit Judæos in Carmelo monte ſeductos ſortibus quæ portenderent ipſos rerum potituros, rebellaſſe. Egeſippus quoque l. 5. refert fuiſſe impreſſum in ſacris literis, quem rerum potiturum ex Judæorum ſanguine, quod nonnulli ad Veſpaſianum referunt. At ipſe Egeſippus, & Chriſtiani ad Chriſtum Deum. *Lupanus.* Idem teſtatur Tranquillus Veſp. 4. Erat autem Judæis ipſis de Meſſia creditum, fore ut orbis imperium manu armiſque populo Judaico vindicaret, eoque ſibi blandientes, quod & gentibus decerneretur, Judæa profectos rerum potituros, Judæi rebellarunt. *Vertranius.*

6 *Quæ ambages... prædixerant*] Extenduntur ergo

tudinem obsessorum omnis ætatis, [1] virile ac muliebre secus, [2] sexcenta millia fuisse accepimus. Arma cunctis, qui ferre possent. & [3] plures, quam pro numero, audebant. Obstinatio viris feminisque par: ac si transferre sedes cogerentur, major vitæ metus quam mortis. Hanc adversus urbem gentemque Cæsar Titus, quando [4] impetus & subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. Dividuntur legionibus munia, & quies præliorum fuit: donec cuncta expugnandis urbi-
14 bus reperta apud veteres, aut novis ingeniis, struerentur. At Civilis post malam in Treveris pugnam, reparato per Germaniam exercitu, [5] apud Vetera castra consedit: tutus loco; & ut memoria prosperarum illic rerum, augescerent Barbarorum animi. Secutus est eodem Cerialis, duplicatis copiis, [6] adventu secundæ & XVI. & XIV. legionum: cohortesque & alæ jampridem accitæ, post victoriam properaverant. Neuter ducum cunctator. Sed arcebat latitudo camporum, [7] suopte ingenio

go vehementer illæ ambages ad cetera antecedentia; quum vere tamen solum postremum ad hos pertineat aut pertinere possit. Sed vix intelligo, cur sic agere placuerit. Nam MS. Mediceus aperte habet singulare *prædixerat*, quod cur mutaverunt typi? *Jac. Gronovius.*

1 *Virile ac muliebre sexus*] Sic Flor. quarto casu. etsi vulgati non male, *virilis ac muliebris sexus*, secundo casu. vide quæ notavi etiam ad lib. 4. ann. *Pichena.* Vox *sexus*, non visitur in Romæ cuso, & vero minime requiritur, nam illud *virilis ac muliebris*, referunt ad vocem *ætatis.* Gruterus. Equidem ut Pichena exigit, ad hanc loquutionem & Taciti manum requiritur, ut inspiciatur, quod notatum est ad 4. ann. 62. Perinde patebit ab eo antiquum obtineri. Itaque optime facit Ryckius, quum largius nunc rem explicet, ex schedis meis. Notare enim debui & volui accurate ad omnem dubitationem repellendam. Sed quam improspero principio causam aperit? Scribit (Io Flor. a m. p. videtur fuisse *secus.*) Immo non est hic quod videtur. In schedis meis notavi (clarissime MS. a manu prima *secus*, sed postea alius atramento diverso & longe dilutiore transversam lineam duxit per *e*, hoc modo *e*, quum omnibus in locis litera tertia ab fine concipiatur hoc modo *x*. Idem.

2 *Sexcenta milia fuisse accepimus*] Numerus mihi non certus, & quem ex Budensi cod. & Orosio substitutum video parum caute. Nam ille scribit, *sexcenta millia Judæorum interfecta Cornelius & Suetonius referunt.* Sed interfecta ait: cum noster hic universe, de obsessis. qui certe paulo plures. Libri etiam instabiles & quidam *ducenta millia.* Fortasse, *dena*, aut *undena millia.* quod paulo propius ad Josephum & Zonaram & Jornandem accedat, qui omnes *undecies centena millia* periisse obsidione illa clare tradunt. periisse, inquam, fame, morbo, ferro. Nam Sulpicio Severo fidem vix habeo, qui *numerum peremptorum ad undecies centena millia profert, capta vero centum millia ac venundata.* Sed peremptos fortasse largius accepit, & nostro illo sensu. *Lipsius.*

*Sexcenta millia*] Ita io Bud. vol. Aote erat, *ducenta.* Rhenanus. Modestiæ restitutus Cornelius, parcus hic est in numero obsessorum referendo. Josippo obsessi ad vicies centena & septingenta millia fuerunt. cum ad festum Azymorum eo ex omni Judæa convenissent. *Vertranius.*

3 *Plures, quam pro numero*] Id valet, fuere obsessi *sexcenta milia*: credas quartam aut circiter partem (pro communi ratiocinatione) arma tulisse: at hic aliter fuit, & plures impetu atque ardore ceperunt. Qui? infra aut supra legitimam ætatem, pueri senesque. *Lipsius.*

*Plures quam pro numero audebant*] Id est, plures arma ferebant, quam computare quis posset ex numero & multitudine obsessorum: innuens, multos etiam senes, invalidos, pueros ac feminas arma sumpsisse. *Pichena.*

4 *Impetus & subita belli locus abnueret*] Ex Flor. reposui, *impetus*, pluraliter. Vulgo, *impetum.* Idem.

5 *Apud vetera castra consedit*] In Flor. & in aliis antiquiorib. libris additur vox, *castra*, quæ in editis vacat. *Idem.*

6 *Adventu secundæ, & XVI. & XIV. legionum*] At sextadecima jam dudum cum Ceriali? nam ex iis erat, quæ in verba Galliarum adactæ, deio pœnitentia reversæ ad prius sacramentum. Lege, *sexta*, quæ ex Hispania missa, ut clarum est è lib. præced. & aperte iofra io cohortatione ante pugnam. *Mercerus.* Certe insuetum est Tacito, tres enumerare tali ordine, qui plane perversus evincit medium non esse eum, qui egrediatur postremum: nec scio ita specifice hæc scripta esse in MS. Med. quia prætermisi notare. Sed editiones sibi similes, quibus hoc indulsi, licet contra tenorem propositum, quamvis & alia ratione evadi satis queat. *Jac. Gronovius.*

7 *Suopte ingenio humentem*] *Ingenium*, in animatis pro moribus, industria, solertia & intellectus acie semper à Cicerone & à reliquis accipi annotavimus: at in inanimatis nonnunquam ab aliquibus pro insita & ingenita natura. Ita JCti io l. 6. C. de bon. præscript. dixere, *ingenium* naturam significare, & ad ea, quæ anima & sensu carent, trans-

nio humentium. Addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cujus objectu revolutus amnis, adjacentibus superfunderetur. Ea loci forma, incertis vadis subdola, & nobis adversa. quippe miles Romanus armis gravis, & nandi pavidus: Germanos fluminibus suetos, levitas armorum, & proceritas corporum attollit. Igitur laces- 15
sentibus Batavis, ferocissimo cuique nostrorum cœptum certamen. deinde orta trepidatio, cum prrealtis paludibus [1] arma equi haurirentur. Germani notis vadis persultabant, [2] omissa plerumque fronte, latera ac terga circumvenientes [3] neque ut in pedestri acie, cominus certabatur, sed tamquam navali pugna, vagi inter undas, aut si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris, in mutuam perniciem implicabantur. minor tamen quam pro tumultu cædes; quia non ausi egredi paludem Germani, in castra rediere. Ejus prœlii eventus, utrumque ducem, diversis animi motibus, ad maturandum summæ rei discrimen erexit. Civilis instare fortunæ; Cerialis abolere ignominiam. Germani prosperis feroces; Romanos pudor excitaverat. nox apud Barbaros cantu aut clamore; nostris per iram & minas acta. Postera luce Cerialis equite & auxiliariis 16
cohortibus frontem explet: in secunda acie, legiones locatæ: dux sibi delectos retinuerat ad improvisa. Civilis haud porrecto agmine, sed cuneis astitit. Batavi Cugernique in dextro; læva ac propiora fluminis Transrhenani tenuere. Exhortatio ducum, non more concionis apud universos, sed [4] ut quosque suorum advehebantur. Cerialis *veterem Romani nominis gloriam, antiquas recentesque* [5] *victorias: ut perfidum, ignavum, victum hostem,* [6] *in æternum exscinderent. ultione magis, quam prælio opus esse. Pauciores nuper cum pluribus certasse:* [7] *attamen fusos Germanos, quod roboris fuerit. Superesse qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant.* Proprios inde stimulos legionibus admovebat, *domitores Britanniæ quartadecimanos* appellans: *principem Galbam, sextæ legionis auctoritate factum: illa primum acie, Secundanos nova signa, novamque aquilam dicaturos.* Hinc prævectus ad Germanicum exercitum, manus tendebat,

transferri. Virgil. 2. Georg. *Nunc locus arvorum ingeniis.* Plinius lib. 14. *Ad cæli mores solique ingenia.* Salust. lib. Histor. 3. *Castrisque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur.* Nævius in Lycurgo: *Ingenio arbusta vincta sunt, non obsita.* Ipsemet Tacit. alibi: *locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabantur.* Marcellus Donatus.

1 *Arma equique haurirentur*] In Bud. vol. *armequi.* forte, *arma, equi, haurirentur.* Rhenanus. Plane id confirmat vetusta fides codicis Medicei, in quo legitur *arma equi aurirentur.* Nam vitio suo Ryckius literam *h* adscivit, quum in schedis meis illa non sit. Jam vero istud asyndeton nimis sæpe jam occurrit, ut ulterius deberi Tacito nequeat. Hinc restitui adjutore Rhenano. Beroaldus habet *arma equiq; hurirentur.* Jac. Gronovius.

2 *Omissa plerumque fronte*] Liber manuscriptus habet, *deversa.* Forte legendum, *dimissa.* Rhenanus.

3 *Neque ut in pedestri acie, cominus certabatur*] Omnino si de pedite peculiariter Tacitus id dixit, aut lector intelligendum putat, recte dixerit cominus certare. Sed si pedestrem aciem scripserit, ut simul equites adesse credas, prout sæpe usurpant veteres, imperfecta erit locutio, quum non cominus tantum illic certetur, sed etiam per missilia spatio intercedente. Novimus & levem armaturam. Immo etiam fine capitis 17. aperte fatetur. Quid dicemus? Nec Ryckius nec quisquam id vulgare voluit, quod ipse tamen nunc facio, legi in MS. Mediceo *cominus minus certabatur.* Nec credo id venisse ex inani repetitione scribentis, nisi quod omissa nescio unde litera legi debeat *cominus eminus certabatur*, ut fieri solet, nunc gladiis, nunc missilibus. Ipse Tacitus clamore id exigit, ut patet ex 2. hist. 42. Quin & quomodo in his pugnis *eminus* intelligat, ipse definit cap. 18. in principio. *Jac. Gronovius.*

4 *Ut quosque suorum advehebantur*] Ita ex Flor. Vulgo, *ut quosque eorum.* Pichena.

5 *Victorias; ut perfidum, ignavum,* &c. *exscinderent. Ultione*] Alia distinctione opus est: *victorias, ut perfidum, ignavum* &c. *exscinderent, ultione magis* &c. *Acidalius.*

6 *In æternum exscinderent*] Clare in MS. Med. est *exciderent*, quod sequor, Ryckio publicante quidem, sed ut prætermitteret. Beroaldus dedit *excinderent.* Jac. Gronovius.

7 *Attamen fusos Germanos*] Melius Florentinus, *ac tamen.* Pichena. Muretus, *ac tamen.* Acidal.

debat, *ut suam ripam, sua castra sanguine hostium reciperarent.* Alacrior omnium cla-
mor, quis vel è longa pace prœlii cupido, vel fessis bello pacis amor, præmiaque &
17 quies in posterum sperabantur. Nec [1] Civilis silentem struxit aciem, locum pugnæ
testem virtutis ciens: *Stare Germanos Batavosque super vestigia gloriæ, cineres ossaque
legionum calcantes. quocumque oculos Romanus intenderet, captivitatem, cladem que &
[2] dira omina obversari. Ne terrerentur vario Treverici prœlii eventu: [3] suam illic victo-
riam Germanis obstitisse, dum omissis telis, præda manus impediunt. sed cuncta mox pro-
spera, & hosti contraria evenisse. Quæ provideri astu ducis oportuerit, [4] providisse: cam-
pos madentes, & ipsis gnaros, paludes hostibus noxias: Rhenum & Germaniæ deos in
aspectu, quorum numine capesserent pugnam, conjugum, parentum, patriæ memores. illum
diem aut gloriosissimum inter majores, aut ignominiosum apud posteros fore.* Ubi sono ar-
morum tripudiisque (ita illis mos) approbata sunt dicta, saxis, glandibusque & cete-
ris missilibus prœlium incipitur: neque nostro milite paludem ingrediente, & Ger-
18 manis [5] ut elicerent lacessentibus. Absumptis quæ jaciuntur, & ardescente pugna,
procursum ab hoste infestius. immensis corporibus, & prælongis hastis [6] fluitantem
labantemque militem eminus fodiebant: simul è mole, quam eductam in Rhenum
rettulimus, Bructerorum cuneus [7] tranatavit. turbata ibi res. & pellebatur sociarum
cohortium acies, cum legiones pugnam excipiunt, suppressaque hostium ferocia,
[8] prœlium æquatur. Inter quæ perfuga Batavus adiit Cerialem, *terga hostium* pro-
mittens, *si extremo paludis eques mitteretur: solidum illa & Cugernos quibus custodia
obvenisset, parum intentos.* Duæ alæ cum perfuga missæ, incauto hosti circumfun-
duntur.

1 *Civilis silentem struxit aciem*] Lego; *silens instruxit.* Pichena. Romani dicta ducis clamore prosequuti sunt. Germani tripudiis sonoque armorum, quod apud eos in usu de morib. Germ. *honoratissimum assensus genus armis laudare*, quodque hic factum est, ut verba illa significant. Cæterum *nec silentem* respicit ad quemvis sonitum, sive strepitum. Virgil. 1. Æn. *Quorum sub vertice late Æquora tuta silent.* Idem lib. 9. *somno vinoque soluti Procubuere, silent late loca*, &c. Idem lib. 4. *Cum tacet omnis ager.* At Doctiss. viro potius visum est *silens* vel *silentio.* Salinerius. Lipsius *silens* aut *silenter*, prout in postrema editione ad marginem referunt. Muretus *silentio.* Omnia recte. postremum ego tamen prætulerim. *Acidalius.*

2 *Dira omnia obversari*] Forte, *dira omina.* Rhenanus. Faërnus emendabat, *omina.* quod mendum alibi irrepsit tum apud Tacitum, tum apud alios etiam scriptores. Vulgo, *dira omnia.* at quoniam Flor. habet, *oia*, facile conjicitur, scriptum fuisse, *omina*, quod melius videtur. Ovid. Metam. l. 5. *Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.* Pichena. Quid si & hic *omina* legatur. *Acidalius.*

3 *Suam illic victoriam*] Vatic. *suam illic materiam.* quæ lectio involvit aliud verbi, quod nondum educo. certe de avaritia aut cupidine, id dici verius, quam de victoria. Neque enim ea, sed quod ea per securitatem & insolentiam abusi, cladem dedit. *Lipsius.*

*Suam illic victoriam*] Nam victores *omissis telis præda manus impediunt.* Et ideo à Ceriale victi. 4. hist. *terga victores vertere, sed obstitit pravum vincentib. inter ipsos certamen hoste omisso spolia consectandi.* Salinerius. *Victoria* vocem improbat Lipsius, mihi optimam. Perspicuum enim, hic à Tacito mentionem fieri de prœlio, in Treveris inter Civilem Cerialemque gesto, ut supra prope finem libri præcedentis. In quo prælio Germani, victores primum, nimia deinde prædæ aviditate, victi à Ceriale fuerunt. nam ibi ait: *sed obstitit pravum vincentibus* &c. Addo etiam Florentinum eandem vocem, *victoriam* habere. *Pichena.* Vat. *Materiam.* Omnino *avaritiam* scribendum. *Acidalius.*

4 *Providisse, campos madentes*] In lib. manuscrip. *pravisa.* Fortassis, *provisa.* Quæ provideri astu ducis oportuerit, provisa, campos madentes, & ipsis gnaros, paludes hostib. noxias. *Rhenanus.* Florent. *provise.* Forte, *provisa.* Pichena.

5 *Ut eluderent lacessentibus*] Emendavi, *ut elicerent lacessentibus.* Rhenanus. Non eleganter conjungi Mureto visa verba *elicerent* & *lacessentibus*: nec tamen melius, quod pro altero substituit, *ut eluderent, lacessentibus.* Ego nihil muto. *Acidalius.*

6 *Fluitantem labantemque*] Interpunxi & voce addita explevi locum, fide Vaticani. *Lipsius.*

7 *Tranatavit*] Ita constanter & hoc loco & mox cap. 21. legit MS. Mediceus, cui hac in parte fidendum erat & auscultandum, quum Tacito id placuisse jam patuerit 14, 29. & pluribus in partibus. Uti oportet hoc beneficio, non id aperire tantum. *Jac. Gronovius.*

8 *Prœlium exæquatur*] In libro manuscr. *æquatur.* Rhena-

duntur. quod ubi clamore cognitum, legiones à fronte incubuere, pulsique Germani Rhenum fuga petebant. [1] Debellatum eo die foret, si Romana classis sequi maturasset. Ne eques quidem institit, repente fusis imbribus, & propinqua nocte. Postera die quartadecima legio in superiorem provinciam Gallo Annio missa: Cerialis exercitum decima ex Hispania legio supplevit. Civili Chaucorum auxilia venere. non tamen ausus [2] opidum Batavorum armis tueri, raptis quæ ferri poterant, ceteris injecto igni in insulam concessit: gnarus deesse naves efficiendo ponti, neque exercitum Romanum aliter transmissurum. quin & diruit molem à Druso Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem, disjectis quæ morabantur, effudit. [3] Sic velut abacto amne, tenuis alveus, insulam inter Germanosque, continentium terrarum speciem fecerat. Transiere Rhenum Tutor quoque & Classicus, [4] & centum tredecim Treverorum senatores: [5] in quis fuit Alpinus Montanus, quem à Primo Antonio missum in Gallias superius memoravimus. Comitabatur eum frater [6] D. Alpinus. Simul ceteri miseratione ac donis auxilia concibant, inter gentes periculorum avidas. Tantumque belli superfuit, ut præsidia cohortium, alarum, legionum, [7] modicis vicis quadripartita Civilis invaserit: decimam legionem Arenaci; secundam Batavoduri; & Grinnes Vadamque cohortium alarumque castra: ita divisis copiis, ut ipse & [8] Verax sorore ejus genitus, Classicusque ac Tutor suam quisque manum traherent: nec omnia patrandi fiducia, sed *multa ausis aliqua in parte fortunam affore. Simul Cerialem neque satis cautum; & pluribus nuntiis huc illuc cursantem posse medio intercipi.* Quibus obvenerant castra decimanorum, oppugnationem legionis arduam rati, egressum militem & [9] cædendis materiis operatum turbavere,

Rhenanus. Etiam in MS. Mediceo, unde simplex habui pro Taciti manu; compositum venit ab extranei lascivia, quæ hinc absit. *Jac. Gronovius.*

1 *Debellatum eo die foret, si*] Inferius etiam ait: *Ne tum quidem Romana classis pugnæ affuit, ut jussum erat.* Puto quidem classem, quæ supra Britannica appellatur. Ait enim lib. 2. hist. 79. Cujus classis pars major, postquam legionem è Britannia accitam exposuerat, à Caninefatibus depressa aut capta fuit, ut statim subjicit. *Pichena.*

2 *Opidum Batavorum*] Quod opidum? nominare enim certe debuit. An *Batavodurum* scribendum? an cum Rom. codice legimus, *opida Batavorum?* Et intellegam tunc ea opida, quæ extra insulam.. Nam Batavorum veterum sedes, non dubie supra & extra etiam insulam, in ora Gallica. Tacitus clare, supra: *Extrema Gallica ora vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupavere.* Lipsius.

3 *Sic velut ablativo amne*] Nos, *abacto amne.* Rhenanus.

4 *Et centum tredecim Trevirorum senatores*] Liber manuscript. pro *tredecim* habet XIII. & deest vocabulum *senatores.* Fortasse legendum, *Centum alii Trevirorum.* Idem.

5 *In quibus fuit*] Florentinus, *in quis.* Pichena.

6 *D. Alpinus*] Retinui, quod vulgo editur, ut opinor, ex fide veteris libri., quia nullus mutat aut supplet, quod facile fieri potuisset ab prioribus procul dubio intellecturis *Decimus*, ut erat id solemne Romanis. Sed neque Freinshemius in Indice sustinuit aliter hæc ponere, ita ut D. præpositum habeat pro nihilo, aut certe prænomine Romano. Ryckius tandem profert consuetudinem scriptoris libri sui, in quo quum sit *Dr. Alpinus*, probat illas duas literas innuere *Drusus.* An id sit ex vero, videar. Apud Suetonium in Claudio cap. 17. quum ederetur *post D. Julium*, Torrentius judicavit a se notari debere, explendum esse *post Divum Julium.* Prius item concipitur in MS. Med. *Alpinus.* Jac. Gronovius.

7 *Modicis vicis quadripartita Civilis inv.*] Sic quum scribatur in codice Mediceo vel mille ferme annos ferente, tamen sustinuit Ryckius contendere in suo tam recenti libro haberi ipsissimam Taciti lectionem *uno die Civilis quadripartita.* Atqui quod novimus esse vetustius, inde solet fieri recentius, non vice versa. Hinc scimus utique vulgatum esse multo vetustius; id quod in ipsius libro apparet, quando sit concinnatum, viderit. Ne captet vicos; his enim quum plurimæ gentes diu fuerint usæ, certe parum abfuerunt ab oppidis. Unius diei adjectio plane videtur extranea, quum satis appareat ex vulgato. Etiam propinquitas horum vicorum id satis innuit, quos eorum unusquisque singulos digressi & separatam manum habentes simul adorti sint. *Idem.*

8 *Vera sorore ejus genitus*] Codex regius habet, *Verax sorore ejus genitus.* Rhenanus.

9 *Cædendis materiis operatum turbavere*] Muretus

vere, occiso præfecto castrorum & quinque primoribus centurionum, [1] paucisque militibus. Ceteri se munimentis defendere. Et interim Germanorum manus, Batavoduri irrumpere inchoatum pontem nitebantur. Ambiguum prœlium nox diremit.

21 Plus discriminis apud Grinnes Vadamque. Vadam Civilis; Grinnes Classicus oppugnabant: nec sisti poterant, interfecto fortissimo quoque; in quis Briganticus præfectus alæ ceciderat, quem fidum Romanis, & Civili avunculo infensum diximus. Sed ubi Cerialis cum delecta equitum manu subvenit, versa fortuna præcipites Germani in amnem aguntur. Civilis, dum fugientes retentat, agnitus petitusque telis, relicto equo tranatavit. idem Germanis effugium. Tutorem Classicumque appulsæ lintres vexere. Ne tum quidem Romana classis pugnæ affuit, ut jussum erat. [2] Sed obstitit formido, & remiges per alia militiæ munia dispersi. Sane Cerialis parum temporis ad exsequenda imperia dabat: subitus consiliis, sed eventu clarus. Aderat fortuna, etiam ubi artes defuissent. hinc ipsi exercituique minor cura disciplinæ. Et paucos post dies quamquam periculum captivitatis evasisset, infamiam non vitavit.

22 Profectus Novesium Bonnamque ad visenda castra, quæ hiematuris legionibus erigebantur, [3] navibus remeabat: disjecto agmine, incuriosis vigiliis. Animadversum id Germanis, & insidias composuere. electa nox atra nubibus, & [4] prono amne rapti, nullo prohibente vallum ineunt. Prima cædes astu adjuta: incisis tabernaculorum funibus, [5] suismet coriis coopertos trucidabant. Aliud agmen turbare classem; injicere vincla, trahere puppes. Utque ad fallendum silentio; [6] ita cœpta cæde, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. Romani vulne-

tus mutat, *occupatum*. non ego cum illo. *Acidalius.*

1 *Paucisque militibus ceteri se munimentis defendere*] In cod. regio, *paucisque militibus eminentis defendere*. Fortasse legendum: *Pauci è militibus se jumentis defendere*, pro defendebant. Infra tantum est illic, *hinc ipsi exercitui minor cura disciplinæ*. Rhenanus.

2 *Sed obstitit formido*] Observandum tironibus, particulam, *sed*, adversativam hic non esse, immo causam reddere, ut, *nam*, *enim*, *etenim*. Si autorum exempla quæris, adi Godescalcum in suis Comment. ad Vegetium lib. 2. c. 18. *Pichena.*

3 *Navibus remeabat, disjecto agmine, incuriosis vigiliis*] Ergo naves illas sumpsit, aut Novesii aut Bonnæ: nam terrestri itinere profectus erat, propter flumen adversum. At cum ex sequentibus constet, castra in ripa fluminis fuisse: an de die omnes copiæ navibus vehebantur, & imminente nocte, castra in terra muniebant? Potius crediderim, Cerialem ipsum cum parte copiarum navibus vectos: reliquum vero exercitum terrestri itinere secus flumen profectum, & hoc est quod Tacitus ait, *disjecto agmine*. propterea hostes eodem tempore castra & classem invaserunt. Et quoniam Cerialis, licet secundo flumine remearet, cursui moderabatur, ut qui pedibus veniebant, consequi possent: ideo ait, hostes spatium habuisse, opportunum tempus expectandi, noctemque nubibus atram elegisse. *Idem.*

4 *Prono amne rapti, nullo prohibente, vallum ineunt*] Cerialis, dum Novesium Bonnamque pergeret, Civilem Germanosque post terga reliquisse videtur, id est, versus mare. nam & supra apparet, prope Batavodurum pugnatum: & infra ait, navalem aciem à Civile ostentatam ad Mosæ Rhenique ostium. Quomodo ergo remeantem Cerialem insequuntur prono amne? Forte Civilis, cum relicto equo transnatavit, per Germaniam profectus erat ad concitandos populos, & ad exercitum reparandum. Vel intelligendum est, ipsum quidem Civilem non affuisse, sed alios Germanos, qui prope Novesium Bonnamque essent, invasisse Romanos. Idcirco inferius ait, multa luce revectos hostes, adverso scil. flumine. Quod autem ait, *vallum ineunt*: intelligo, exiguum id munimentum fuisse, ut moris erat Romanis, cum una tantum nocte manendum esset, & ideo facilis fuit irruptio. *Idem.*

5 *Suismet coriis coopertos*] Vocem, *coriis*, non improbo, cum ex pellibus etiam tabernacula fierent. libentius tamen Vaticanum cod. sequerer, qui habet *tentoriis*. idque ipsum voluisse videtur Florentinus, in quo syllaba imminuta legitur, *toriis*. & Tacitus cum de tabernaculis loquitur, semper *tentoria* appellat; nunquam *coria*. Idem.

6 *Ita cœpta cæde, quo plus terroris adderent*] Sic Faernus legebat, copula *&* ante *quo* deleta. *Ursinus.* Adjicitur in vulgatis copula, *&*, quam sustuli, nam & supervacua & à Flor. abest. *Pichena.* Eradendum *&*, quod nulli usui Muretus etiam viderat. *Acidalius.*

1 *Pauci*

vulneribus exciti, quærunt arma, ruunt per vias, [1] pauci ornatu militari, plerique
circum brachia torta veste, & strictis mucronibus. [2] dux semisomnus ac prope inte-
ctus, errore hostium servatur. Namque prætoriam navem, vexillo insignem, illic
ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat, ut plerique credidere, ob stu-
prum Claudiæ Sacratæ, mulieris Ubiæ. vigiles flagitium suum ducis dedecore excu-
sabant, tamquam *jussi silere, ne quietem ejus turbarent. ita intermisso signo, & vocibus,*
*se quoque in somnum lapsos.* Multa luce revecti hostes, captivis navibus, prætoriam
triremem, [3] flumine Luppia, [4] donum Velledæ traxere. [5] Civilem cupido incessit, 23
navalem aciem ostentandi. [6] Complet quod biremium, [7] quæque simplici ordine
agebantur. [8] Adjecta ingens lintrium vis. tricenis quadragenisque armamenta Li-
burnicis solita: & simul captæ lintres, [9] sagulis versicoloribus, haud indecore pro
velis juvabantur. [10] Spatium velut æquoris electum, [11] quo Mosæ fluminis os amnem
Rhenum

1 *Pauci ornatu militari*] Ita scripsi, quia Flor. habet, *ornati militari.* Vulgo minus proprie, *ornati militariter.* Pichena.

2 *Dux semisomnus*] Scriptura prorsus non Taciti, sed edentium quippe in MS. Mediceo perspicue legi *semisomnus.* Id ei magis placuisse apparet, prout *inermos* dixit & *semermos* in libris prioribus. Certe in vero Tacito antiquissima oportet observari. *Jac. Gronovius.*

3 *Flumine Impio*] Liber regius, *flumine impia.* Restitui locum, *flumine Luppia.* Nam Bructeræ nationis erat Velleda, ac fines Bructerorum Luppia alluit. Meminit lib. 1. ann. *Quantumque Amisiam & Luppiam inter vastatum.* Rhenanus.

4 *Donum Velleda traxere*] Castigavi, *donum Velledæ traxere*, nam huic virgini subinde dona missitabantur. Unde superiore lib. *Mumium Lupercum legatum legionis inter dona missum Velledæ.* Idem. De Velleda virgine vide Tacitum de moribus Germ. *Lupanus.*

5 *Civilem cupido incessit navalem aciem ostentandi*] Corrupte in Flor. *cupido invasi incessi.* Forte, *cupido inanis incessit, navalem* &c. nam postea sequitur, *super insitam genti vanitatem.* Pichena.

6 *Complet quod biremium*] Addidi particulam *&*; *complet & quod biremium.* Nam sequitur *quæque.* Rhenanus.

7 *Quæque simplici ordine agebantur*] Has Livius lib. 38, 38. *Moneres* appellat Græco vocabulo. *Pichena.*

8 *Adjecta ingens lintrium vis*] Locum vitiatum & mutilum correxi & auxi è Vatic. qui sic: *Armamenta liburnicis solite & simul capte lintres sagulis versicoloribus haut indecore pro telis juvabantur.* Hegesippi verba commode adtexam & corrigam lib. 11. de Rheno: *Itaque jam non copiis Germanorum repletur, sed Romanorum Liburnis.* Vetus lectio, *cepolis Germanorum.* quæ recta est, sive *caupulis:* & cape exiguas illas lintres. Quam vocem Agellio etiam restituimus in Electis, cap. VII. At hic insignis locus tunc me fugit. *Lipsius.*

*Adjecta ingens lintrium vis*] Lintres sunt naves fluviales, quas à Germanis inventas legimus, qui Danubii sunt accolæ, & eas ex integris arboribus cavatas. Virgil. *cavat arbore lintres.* Tametsi eo loco pro vale forte commodius capitur. *Lupanus.* Faërnus legebat hunc locum, *adjecta ingens lintrium vis, vehentium ad tricenos, quadragenosque ceu armamenta Liburnicis, soli haud indecore pro velis juvabant*; adjecto verbo, *vehentium*, quod deest in vulgatis. *Ursinus.* Hæc ubique corrupta. Florentini lectio est: *Adjecta ingens lintrium vis tricenos quadragenosque se & armamenta liburnicis solita.* Pichena.

9 *Sagulis versicoloribus*] Quæ Gallis hinc ab Tacito attribui colligit Salmasius ad Vopiscum pag. 399. *Jac. Gronovius.*

10 *Spatium velut æquoris electum*] Budense exemplar habet *captum* pro *electum.* Lego *captum:* sicque scripsi. *Rhenanus.* Vulgo, *captum.* reposui, *electum*, quia Florent. habet, *ejectum.* Pichena.

11 *Mosa fluminis*] Probe. nec improbe in libris quibusdam, *Mosa fluminis os amnem Rhenum.* Res quidem ipsa eadem, aliter elata. *Lipsius.*

*Quo Mosa fluminis*] In Bud. exemplari, *Ut Mosa flu.* Lego, *Ubi Mosa fluminis amnem* &c. sicque castigavi. *Rhenanus.* Ex Florent. ac Ven. scripsi, *quo.* Vulgo, *ubi.* Pichena. Miror virum egregium non egredi hoc minutum, quum clarissime sequentis restitutionis laus ex solo codice Mediceo potuerit peti, cujus partem nunc sibi vindicabit liber Ryckii, qui etiam huc arcessit Reginm, quum illud *os* plane nuspiam proferatur ab Rhenano, & tamen Lipsius ostendat sibi lectionem istam fuisse cognitam nescio unde. Edidi quod ex certa conjectura statuebam Taciti esse; quod vulgabatur, satis notum est & indignum quod nunc repetatur. Habeo auctorem Phil. Cluverium in scripto de Rheni alveis pag. 106. in fine sic allegantem, cujus firmatam mentem sequi malui, quam ostentationem Ryckii in notis sepositam. Nonne dixit cap. 7? *Et Belus amnis Judaico mari illabitur, circa cujus os lecta arena* &c. Apud Livium legitur ex restitutione Paterna 22, 19. *Et quum adversi amnis os lato agmine ac tam multis simul venientibus haud sane intrabile esset.* Jac. Gronovius.

Rhenum Oceano affundit. Caussa instruendæ classis, super insitam genti vanitatem,
ut eo terrore commeatus Gallia adventantes interciperent. Cerialis [1] miraculo ma-
gis, quam metu, direxit classem: numero imparem, usu remigum, gubernatorum
arte, navium magnitudine potiorem. [2] His flumen secundum: illi vento ageban-
tur. [3] Sic prævecti, tentato telorum jactu, dirimuntur. Civilis nihil ultra ausus,
trans Rhenum concessit. Cerialis insulam Batavorum hostiliter populatus, [4] agros
villasque Civilis intactos, nota arte ducum sinebat: [5] cum interim flexu autumni, &
crebris pluvialibus imbribus superfusus amnis, paluslrem humilemque insulam in fa-
ciem stagni opplevit. [6] nec classis, aut commeatus aderant: castraque in plano sita,
24 [7] vi fluminis differebantur. *Potuisse tunc opprimi legiones, & voluisse Germanos, sed
dolo a se flexos*, imputavit Civilis. Neque abhorret vero, quando paucis post die-
bus deditio insecuta est. Nam Cerialis, per occultos nuntios, *Batavis pacem*, *Civili
veniam* ostentans, Velledam propinquosque monebat, *fortunam belli tot cladibus ad-
versam, opportuno erga populum Romanum merito mutare. Casos Treveros, receptos Ubios,
ereptam Batavis patriam: neque aliud Civilis amicitia peractum, quam vulnera, fugas,
luctus. exulem eum & extorrem, recipientibus oneri: & satis peccavisse, quod totiens Rhe-
num transcenderint. si quid ultra moliantur, inde injuriam & culpam, hinc ultionem &
25 deos fore.* Miscebantur minis promissa. Et concussa Transrhenanorum fide, inter
Batavos quoque sermones orti; *Non prorogandam ultra ruinam: nec posse ab una natione
totius orbis servitium depelli. quid perfectum cæde & incendiis legionum, nisi ut plures va-
lidioresque accirentur? Si [8] Vespasiano bellum navaverint, Vespasianum rerum potiri. sin
populum Romanum armis provocent; quotam partem generis humani Batavos esse? respice-
ret Ratos Noricosque, & [9] ceterorum onera sociorum: [10] sibi non tributa, sed virtutem
&*

1 *Miraculo magis, quam metu*] Magis quia mirabatur Civilem hoc audere, quam quod timeret. Nam revera Romanis hic peritissimis nihil periculi: & nondum Batavi in mari aut aquis, quales nunc miramur. *Lipsius.*

2 *His flumen secundum. Illi vento agebantur*] Ita ex Flor. Vulgo, *is flumine secundo.* Subintelligitur enim, his flumen secundum erat. Sic lib. præced. *Illis mure secundum.* Pichena.

3 *Sic provecti*] Castigavi, *sic prævecti.* Nam trans iste significat. *Rhenanus.*

4 *Agros villasque Civilis intactos, nota arte ducum, sinebat*] Hac arte usus est Hannibal Carthaginiensium dux, erga Fabium Maximum Romanorum Dictatorem. Livius lib. 22, 23. & 2, 39. de Marcio Coriolano. Idem à Lacedæmoniis factum Pericli Atheniensium duci, testatur Justinus l. 3. *Pichena.*

5 *Cum interim fluxu autumni*] Reposui, *Quum interim flexu autumni. Flexus autumni est*, quum autumnus vergere incipit & inclinari. Sic *flexum ætatis* vocat Cicero. *Rhenanus.*

6 *Nec classis usus commeatus aderant*] Si Cerialis classem contra Civilem direxerat, quomodo nunc ait, classem eum non habere? An hic appellatione classis intelligit tantum naves onerarias, quæ commeatum portare solebant; ipsum vero non nisi fluviatiles naves habuisse, prœlio aptas; Verisimilius est, Cerialem, post navalis prœlii apparatum, cum exercitum ad terrestres populationes circumducere vellet, classem dimisisse: nihil de imbribus aut inundatione fluminis cogitantem. *Pichena.*

7 *Vi fluminis deferebantur*] Liber Matthiæ regis habet, *differebantur.* hoc est, in diversas partes ferebantur. Utitur hoc verbo Annal. 3. *Nam quo pertinuit nudare corpus & contrectandum vulgi oculis permittere, differrique etiam per externos.* Rursum libro 4. *Differtur per manipulos, Tacfarinatem omnes notum tot prœliis consectentur.* Rhenanus.

8 *Vespasiano bellum navaverint*] Rarior hic usus verbi *navare.* Sed Tacito celebratus etiam supra lib. 4. *Ceteros, ut quisque flagitium navaverat, astellit.* Cicer. etiam credo in epist. alicubi, *benevolentiam navare.* Acidalius.

9 *Ceterorum oneru sociorum*] Inseruimus particulam &; & *ceterorum* &c. *Rhenanus.*

10 *Virtutes & vires*] Rhenanum audiebam corrigentem, *juventutem & viros:* nunc magis cum Florentino legam, *virtutem:* id est bellicum ab iis robur exigi, non pecuniam aut opes. *Lipsius.*

*Sibi non tributa, sed virtutes & viros indici*] Malim simpliciter, *sibi non tributa, sed viros indici.* nisi quis malit. *sed juventutem & viros indici.* Rhenanus. Melius si *virtutes*, in *juventutem*, quod per Beatum licet, mutes. *Vertranius.* Restitui, *virtutem* ex Florent. Vulgo, *virtutes.* Rhenanus tamen le-
gebat

*& viros indici. proximum id libertati: & si dominorum electio sit;* [1] *honestius principes Romanorum, quam Germanorum feminas tolerari.* hæc vulgus: Proceres; *atrociore Civilis rabie semet in arma trusos: illum domesticis malis, excidium gentis opposuisse. tunc infensos Batavis deos, cum obsiderentur legiones, interficerentur legati, bellum uni necessarium, ferale ipsis sumeretur. Ventum ad extrema, ni resipiscere incipiant, & noxii capitis pœna pœnitentiam fateantur.* Non fefellit Civilem ea inclinatio, & prævenire 26
statuit: [2] super tædium malorum, etiam spe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit. Petito colloquio, [3] scinditur Nabaliæ fluminis pons. In cujus abrupta progressi duces, [4] & Civilis ita cœpit: *Si apud Vitellii legatum defenderer; neque facto meo venia, neque dictis fides debebatur. Cuncta inter nos inimica, hostilia, ab illo cœpta, à me aucta erant. Erga Vespasianum vetus mihi observantia:* [5] *& cum privatus esset, amici vocabamur. Hoc Primo Antonio notum, cujus epistolis ad bellum accitus sum, ne Germanicæ legiones & Gallica juventus Alpes transcenderet.* [6] *Quæ Antonius epistolis, Hordeonius*

gebat *juventutem*, quod Lipsio non displicet. Sed non est à Libris. De iisdem Batavis idem fere Tacitus in libro de moribus Germ. & etiam libro præcedente. *Pichena.* Probat Lipsius Rhenani correctionem, quanquam & vulgatam non prorsus improbat. Ego hæreo, an non potius Muretum audiam ejicientem binas illas voculas *virtutes &.* Lib. 4. de iisdem Batavis, *viros tantum armaque imperio ministrant.* De iisdem idem lin. de moribus Germ. *Exemti oneribus & collationibus, & tantum in usum præliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur.* Acidalius.

1 *Honestius principes Romanorum, quam Germanorum feminas tolerari*] Velledam denotat, de qua lib. 4. Hist. 61. *Pichena.*

2 *Super tædium malorum etiam spe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit*] Manifesta hic, sed levis trajectio. Nam *etiam* illud, quo nunc loco est, necessarium non est: nec solet Tacitus particulæ *super* alteram hanc subjungere. Idemque requiritur in postremis verbis, quorum alias liberior & laxior est sententia, quam pro vero. Lege ergo, *super tædium malorum, spe vitæ, quæ plerumque etiam magnos* &c. Sed quid dico non solere Tacitum particulis hisce ita uti? imo solet. exemplo Ann. 13. de Corbulone, *verbis magnificus, & super experientiam sapientiamque, etiam specie inanium validus.* Acidalius.

3 *Nabaliæ fluminis*] Nusquam id fluminis in hoc tractu. An opidum eo nomine? Quod Hadriano Junio videtur, legitque *Navalia.* & urbem Campos ita indigitat ad sinum hodie Australem, Ptolomæo parum firmiter innixus. Ego ambigo ne *Vahalis* corrigendum sit. Pontem quidem aliquem cœptum à Romanis paullo supra legas, sed Batavoduri: de quo hæc non vane intelligas, nisi quod Batavodurum ad Rhenum fuisse volunt, quos arguat hic locus. *Lipsius.*

*Scinditur Nabaliæ fluminis pons*] Volumen Bud. *Scindunr flabalie fl. pons.* Scripserim, *Vahalis fluminis pons.* Tacit. lib. 2. ann. de Rheno, *verso cognomento Vahalem accolæ dicunt.* Rhenanus. Corviniano inest scriptura, *scinditur flabile*, id vero nullo sensu. Forsan erunt quibus placebit legere, *Scinditur Navæ fluminis pons:* de quo lib. superiore, *quia pontem Navæ fluminis abruperat.* Ejusdemque mentio Ausonii Idyllio 9. *Transieram celerem nebuloso flumine Navam.* Beatus scribit, *Vahalis fluminis pons*, de quo 2. ann. Delendam ergo *Nabaliæ* scriptionem affirmo, quod neque huic neque ulli ex scriptoribus ejus fluminis mentio fiat: an vero *Navæ*, an *Vahalis* loco vacuo scribi debeat, non statuo: interim B. Rhenani ingenio judicioque felicissimi eruditissimique viri subscribendum esse censeo. Nusquam enim animum induxi aliorum asseverationi anteponere susceptiones meas: tametsi inter scribendum è priscis auctoribus ubi se dux offert, nervosaque oratio recenti scriptori repugnans, tacitus plerumque in partem diversam transeo. *Vertranius.* Multa alia Phil. Cluverius congessit in scripto de Rheni alveis pag. 204. ut huc Helam adducat, quæ videat lector. *Jac. Gronovius.*

4 *Et Civilis ita cœpit*] Copulam & ex Flor. reposui. *Pichena.*

5 *Et cum privatus esset*] De hoc loco sensit Sidonius in Epistolis: *Cajus Tacitus è majoribus nunc suis, sub verbis cujusdam Germanici ducis in historia sua retulit: Cum Vespasiano mihi vetus amicitia, & dum privatus esset, amici vocabamur.* Lipsius.

6 *Quæ Antonius epistolis, Hordeonius Flaccus præsens monebat*] Expressi lectionem Florentini. Vulgo: *Quæ Antonius absens, Flaccus præsens* &c. Variant enim libri in verbo, *monebat*, cum in nonnullis editis legatur, *movebat.* Ego alterum retinui: non enim dici potest Antonium absentem arma movisse, qui dux pro Vespasiano fuit. & referuntur hæc ad ea quæ Tacitus lib. præced. dixit: *missis sane ad eum Primi Antonii litteris, quibus avertere accita à Vitellio auxilia, & tumultus Germanici specie, retentare legiones jubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus præsens monuerat.* Forte hic locus construi potest: quæ arma Antonius Flaccusque monebant,

*deonius Flaccus præsens monebat, arma in Germania movi, quæ Mucianus in Syria, Aponius in Mœsia,* [1] *Flavianus in Pannonia.*

ut moverem, movi. Suspicor tamen legendum, *Quod Antonius* &c. *Pichena.* Emendo & distinguo: *Quæ Antonius absens, Flaccus præsens monebat, Arma* &c. Ita est: Antonius litteris ipsum monuerat, atque eadem coram Flaccus. Idem supra lib. 4. narravit Tacitus. *Acidalius.*

1 *Fabianus*] Lego, *Flavianus.* Lipsius.

*Flavianus in Pannonia*] Ita Florent. Male vulgo, *Fabianus.* nam alibi à Tacito sic appellatur. *Pichena.* Lipsius recte *Flavianus.* Acidalius.



# C. CORNELII TACITI

## DE

# Situ, Moribus, & Populis Germaniæ

# L I B E L L U S.

1 GERMANIA omnis à Galliis Rætiisque & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus; à Sarmatis Dacisque, [2] mutuo metu aut montibus separatur. [3] Cetera Oceanus ambit, [4] latos sinus & insularum immensa spatia complectens, [5] nuper cognitis quibusdam gentibus, ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus [6] Ræticarum Alpium inacces- 1

so

## COMMENTARIUS.

Ordinem scriptionis, si sequimur, ante Historias & Annales sibi locum vindicet hic libellus. Scriptus enim est Trajano secundum consule, id est Nerva adhuc vivo. Ipse ostendit infra: *Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coss. Ex quo si ad alterum Trajani consulatum computemus, ducenti fere & decem anni colliguntur.* At Historiæ cœptæ Nerva jam mortuo, & inter divos, ut docui. *Lipsius.*

1 *Germania omnis*] Quia jam Romanis quoque variæ hujus nationis regiones cognitæ. An potius quia vulgo *Major* & *Minor* Germania diceretur; item *Prima* & *Secunda*, sicut hodie *Superior* & *Inferior*? Sallustium ita sæpe locutum haud nesciebat ut in Jugurth. *postquam omnis Numidia potiebatur.* Colerus.

2 *Mutuo metu aut montibus*] Vitiat acutam sententiam Bambergense exemplar, *mutuo victu.* Imo vero metu: qui inter æque potentes, pro termino ac repagulo. Thucydides bene & apposite: Τὸ δ' ἀντίπαλον δέος, μόνον πιστὸν ἐς ξυμμαχίαν. *Lipsius.*

*Mutuo metu, aut montibus*] Intelligit montes Sarmatiæ Europææ Orientales, quos & Marcianus Heracleotes præter Ptolomæum nominat. Ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν, inquit, τῷ τε Οὐιστούλᾳ ποταμῷ καὶ τῇ Γερμανίᾳ τῇ μεγάλῃ μετὰ τὰ Σαρματικὰ ὄρη καὶ αὐτοῖς τοῖς ὄρεσι. Hos *Tatri* Poloni vocant. quod ex illa parte Tartari aliquando ingruere soliti sint. Frustra sunt, qui eundem cum his faciunt Carpathum: cum sit longe remotior, & postea quasi infusam complectatur Daciam. *Colerus.*

3 *Cetera Oceanus ambit*] Mela: *Qua Septentrionem spectat, Oceanico litore obducta est.* Strabonis tempore ignotum omne hoc littus. Sic ipse innuit. *Idem.*

4 *Latos sinus & insularum*] Hæ insulæ & hi sinus Francos nobis dedere & Saxones, aliasque gentes quasdam, quæ ex littoralibus & insularibus mediterraneæ factæ sunt. *Rhenanus.*

5 *Nuper cognitis*] Domitiani imperio, opinor. cui bella cum Cattis, Suevis, Sarmatis, & ea occasione, illustratæ magis vicinæ gentes. *Lipsius.*

*Nuper cognitis quibusdam*] Domitiani imperio, ut Lipsio placet. Mihi magis placet de Drusi Germanici bellis accipere. Strabo lib. 7. Ἐχειρώσατο δ' οὐ μόνον τὰς ἄλλας τὰ πλεῖστα, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τῷ παράπλῳ νήσους. Huc refero & illud Plinii 2, 105. *Nam & in Germania immensas insulas non pridem compertas, cognitum habeo.* Sed eodem libro cap. 67. idem plane mecum ostendit de Germanico Tacitum intelligere, dum ait, *auspiciis Divi Augusti Germaniam classe circumvectam ad Cimbrorum usque promontorium.* Nihil amplius dubito: & tamen illum Suetonii locum in Claudio illaudatum non relinquo: *Is Drusus in quæstura præturaque honore, Dux Rhætici, deinde Germanici belli, Oceanum Septentrionalem primus Romanorum Ducum navigavit.* Loquitur certe de accolis Oceani Septentrionalis. Solet autem Tacitus per vocem *nuper* mediocre elapsi temporis spatium designare. Infra dixit *Germaniæ vocabulum recens & nuper additum.* Enimvero jam Julianis temporibus innotuerat. *Colerus.*

6 *Rhæticarum Alpium*] Partem ipsam Alpium nominat Strabo lib. 4. & alibi de Addua flumine: Τὰς δὲ πηγὰς ἔχοντος ἐν τῷ Ἀδούλᾳ ὄρει, ὅπου καὶ ὁ Ῥῆνος. Hi fontes paulo supra etiam illas Alpes collocantur à Dione lib. 39. fluitque Addua in lacum tandem Larium. In vett. libris Strabonis, teste eruditissimo Casaubono legitur Ἀδουάλας, quæ vox

Aaa 2 quasi

ſo ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in Occidentem verſus, ſeptentrionali Oceano miſcetur. [1] Danubius molli & clementer edito montis Abnobæ jugo effuſus, plures populos adit, donec in Ponticum mare [2] ſex meatibus erumpit. ſepti-
2 mum enim os paludibus hauritur. Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos: quia [3] nec terra olim, ſed claſſibus advehebantur qui mutare ſedes quærebant: & immenſus ultra, [4] utque ſic dixerim,

quaſi Germanica eſt, notans decurſum aut caſum potius aquæ; quod inde Rhenus decidat. Mela: *Rhenus ab Alpibus decidens.* Gotefridus Viterbienſis, *Rhenus ab Alpe cadens.* Quis ſcit annon ab illo decurſu etiam Rheni etymon petendum, quaſi huc verſum fluens, quod noſtri dicant *Rein.* Sicut contra dici potuit Danubius furium fluens *Danuſ* itaque recte ſcriberetur in antiquis monumentis, *DANUVIUS.* Neſcio an non in mentem fuerit Verrio Flacco, vetuſtiſſimo Grammatico *Addua* flumen, ubi ſcribit apud Feſtum Danubium dictum fuiſſe *Adduanum.* Idem.

1 *Montis Abnobæ*] Plinius nominat lib. IV. cap. XII. ſed ibi quoque infida ſcriptura. Alii enim libri, *Arnoba.* Bambergenſis hic: *Anriba* Roman. *Arbona* Ptolomæo ſunt Ἀυνοβαῖοι montes. *Lipſius.*

*Danubius molli & clementer edito montis Arbona jugo*] Auſonius ignotum Danubii fontem eſſe ſcribit: *Danubius penitis caput occultatus in oris.* Apollonius ab Hyperboreis naſci eum cecinit, manifeſto commento. Sed omnino Taciti vera eſt ſententia, ſi non *Arbona*, ſed *Arnobi* legatur. In ejus enim radicibus oriri jam notiſſimum eſt, prope Hercyniam ſylvam, vulgo *Sylva nigra* nomen ſervat, ex adverſo Rauracorum, quorum oppidum eſt Baſilea. *Arnobi* Plinius Ptolemæuſque meminit. De Oſtiis quoque non eadem ſentiunt auctores. *Alciatus.* Arnolphi codex habet; *Abnoba*, quemadmodum & Plinius vocat. Apud Marcianum Capellam *ad nevem* legitur pro *Abnoba.* De hoc diximus rerum Germanicarum lib. 3. *Rhenanus.* Montis nomen varie apud Plinium corruperant 4, 12. Inde ingenioſe Rhenanus Danubium dici hariolatur. *Colerus.*

2 *Sex meatibus erumpit*] Sic Venetus. Vulgo, *erumpat.* In Florentino ſequentes libelli deſiderantur. *Pichena.*

3 *Nec terra olim*] Ejuſmodi, navigationes Bacchi, Herculis, Jaſonis, Phœnicum. Et Minois θαλασσοκρατία vulgata eſt: Caſtores vero ἐπιμεληταὶ τῆς θαλάσσης celebres apud Strabonem lib. 1. apud Sen. Nat. Quæſt. 1. *Colerus.*

4 *Utque ſic dixerim, adverſus*] Haud ſatis capio. An adverſum dicit, oppoſitum & contrarium? An *obverſus* verius ſit legi, idque ex ſitu ipſo? An vox aliqua durior aut remotior fuit, præſertim quam præfatione ea leniit? Tamen haud male *adverſum* ceperis, quaſi mari Italico & Tyrrheno oppoſitum: eodemque ſenſu etiam. *Diverſus.* Sic in Agricola ſcripſit: *Glota & Bodotria diverſi maris æſtu in immenſum revecti, anguſto terrarum ſpatio dirimuntur.* Lipſius.

*Utque ſic dixerim, adverſus Oceanus*] Ambigit Lipſius ſuper voce, *adverſus*, mihi quoque olim ſuſpecta. Legendum enim putavi, *averſus.* Nunc vulgatam lectionem amplector, interpretorque, *adverſus*, quaſi veſtigiis noſtris oppoſitus, ut Antipodes. Et quoniam deſcriptio illa poeticum quiddam ſapere videbatur, ideo ait, *utque ſic dixerim.* Cic. de ſomn. Scip. *Vides hos, qui incolunt terram, non modo interruptos ita eſſe, ut nihil inter ipſos ab aliis ad alios manare poſſit, ſed partim obliquos, partim averſos, partim etiam adverſos ſtare vobis.* Et paulo poſt: *Duo ſunt habitabiles: quorum Auſtralis ille (in quo qui inſiſtunt, adverſa vobis urgent veſtigia) nihil ad veſtrum genus.* Pichena. Ego veram vocem credo detracta litterula, *averſus*, qui quaſi à nobis ſeſe avertit. *Acidalius.* Vera & germana lectio, nec alia verbi ſignificatio quam propria: ſi aliter eſſet, cur illa adjeciſſet, *utque ſic dixerim?* Difficilis eſt omnis navigatio adverſo flumine. Simile quiddam ait videri Romanis, ſi Oceanum illum tempeſtuoſum & horridum navigent. Effugitne autem hic Plutarchi notam Tacitus? vix effugit. Ille ſcribit in Theſeo, Hiſtoricos an Geographos, ſi quæ ſint ſupra captum aut ſcientiam ſuam, tum cauſſari hoc modo: τὰ δ' ἐπέκεινα, θῖνες ἄνυδροι καὶ θηριώδεις, ἢ πηλὸς ἀϊδνὴς, ἢ Σκυθικὸν κρύος, ἢ πέλαγος πεπηγός. *Ultra nihil præter arenam, & feritatem, aut lamas lutoſas, aut Scythica juga.* Quo magis vapulabit apud illum cenſorem Pauſanias, qui de hoc ipſo Oceano ſic loquitur: παρέχεται δὲ ἄπλωτον καὶ βάθιον καὶ θηρία οὐδὲν ἐοικότα τοῖς ἐν θαλάσσῃ τῇ λοιπῇ. Iterum Tacit. 2. Ann. *Hoſtilibus circum littoribus aut ita vaſto & profundo, ut credatur noviſſimum & ſine terris mare.* Colerus. Lipſius malit *obverſus*, Cluverius ut & Curtius Pichena *averſus.* Sed vulgata præplacet. Oceanus enim tum habitus fuit quaſi adverſus omnibus navigantibus, multo magis novas ſedes quærentibus. Facit mecum C. Colerus. *Couringius.* Quomodo *adverſus Oceanus?* numqnid aliter quam *ſecundum* & *adverſum mare*, lib. 2. *Mare quoque eteſiarum flatu in orientem navigantibus ſecundum, inde adverſum erat.* Sumptum inde, quod *ſecundo flumine, amni ſecundo,* & viciſſim *adverſo flumine* vel *fluvio, adverſa aqua per flumen* dixere. Sic etiam, qui ex Italia Oceanum per Germaniam proprie dictam ingreditur, *adverſa aqua* videtur vehi ſive æſtu contrario: præcipuæ verſus Septemtriones: ibi enim

conſur-

rim, adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro præter periculum horridi & ignoti maris, Asia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret? [1] informem terris, asperam cælo, [2] tristem cultu aspectuque, [3] nisi si patria sit. Celebrant carminibus antiquis [4] (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est) [5] *Tuistonem deum* [6] *terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tris filios* assignant, [7] *è quorum nominibus proximi Oceano* [8] *Ingævones, medii* [9] *Herminones, ceteri Istævones vocentur.* [10] Quidam autem licentia vetustatis *plureis deo ortus, pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos,* [11] *Vandalios* affirmant: *eaque vera & antiqua nomina. Ceterum* [12] *Germaniæ vocabulum recens*

*consurgere mundum*, qui in austros Libyæ *premeretur*; ibi *erectum borean*, ex opposito *notum jacentem* credebant. Plinius lib. 2. c. 70. *Navigantium hæc maxime cursus deprehendunt, in alia adverso, in alia prono mari, subitoque conspicuis, atque ut è freto emergentibus quæ in anfractu pilæ latuere, sideribus.* Gronovius.

1 *Informem terris, asperam cælo*] Sic de iisdem Germanis Seneca de provid. c. 4. *Perpetua illos hiems, triste cælum premit, maligne solum sterile sustentat.* Pichena.

2 *Tristem cultu*] Eadem caussa olim Atticam neglectam ait Thucydides, & inde Atheniensium Aborigines probat: τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον, διὰ τὸ λεπτόγεων, ἀστασίαστον οὖσαν, ἄνθρωποι ᾤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί. i. *Quamobrem Atticam ab ultima antiquitate, propter agri tenuitatem, sedatam iidem homines semper habuere.* Colerus.

3 *Nisi si patria sit*] Juxta illud Euripidis:

——— ἀνδρὶ γάρ τοι κἂν ὑπερβάλλῃ κακοῖς
Οὐκ ἔστι τοῦ θρέψαντος ἥδιον πέδον.
*Homini profecto operta sit licet malis,*
*Nutrice Patria dulcius nihil sluet.*

Rationem reddit nescio quis è priscis illis sapientibus, τὸ γὰρ σύντροφον ἀδὺ θνητοῖς ἐν βίῳ χωρεῖ. *Idem.*

4 *Quod unum apud illos*] Uti apud Barbaros fere omnes, & rudes literarum. Nec Hispani aliter comperere, apud novos Indos. Eginhartus in Vita Caroli Magni: *Barbara & antiquissima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur, scripsit, memoriæque mandavit.* Jornandes de Gothis: *In priscis eorum carminibus pæne historico ritu recolitur*, &c. At proprie de Germanis, noster lib. 11. Annal. de Arminio: *Caniturque adhuc Barbaras apud gentes.* Julianus egregie in Antiochico: qui hæc, ἄγροικα μέλη vocat, παραπλήσια ταῖς κλαγγαῖς τῶν τραχὺ βοώντων ὀρνίθων: *agrestia carmina, similia clangoribus avium aspere clamantium.* Lipsius.

*Quod unum apud illos*] Sic de Arminio Cheruscorum principe Tacitus noster in calce lib. 2 Annal. *Caniturque adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.* Eginhardus de Carolo Magno: *Barbara & antiquissima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur, scripsit, memoriæque mandavit.* Rhenanus.

5 *Tuistonem deum*] Cluverius *Tuitonem* vel *Teutonem*. Contra exemplarium fidem. Forte scribendum *Tuisconem*: ut populari modo dictus *Tuiske*: inde sane rectius formaveris generale illud nomen *Tuisken*. Conringius.

6 *Terra editum & filium Mannum*] Editio vetus, quam Artolphus mihi commodarat, habet, *ei filium*, ut sic legi distinguique verba possint, *Celebrant carminibus antiquis* (*quod unum apud illos m. & an. genus est*) *Tuistonem deum terra editum. Ei filium Mannum originem gentis conditoremque, Manno treis filios assignant.* Rhenanus.

7 *E quorum nominibus*] De his appellationibus multa diximus lib. 3. rerum Germanicarum, in principio, XIV. Plinii caput lib. 4. explicantes. *Idem.*

8 *Ingævones*] Sola diphthongus, quam & Plinius habet in hac, ut & in voce Istævonum, satis indicat perperam has voces nonnullos interpretari *Inwoner* & *Westwoner*, quasi à situ incolentium vocabula illa sint nata. Ne nunc urgeam diserte à Tacito dici, à trium filiorum Manni nominibus illa Germanicarum gentium orta cognomenta; & alios dictos Herminones, quæ vox plane nihil habet commune cum situ. Itaque ex sententia Taciti dixeris rectius: tres fuisse Manno filios, vulgo nuncupatos. *Ingaef*, *Istaef*, (quod forte idem cum *Justaef*, vel ut passim scribitur, *Gustaf*,) & *Hermin*. Conringius.

9 *Herminones*] Plinius habet *Hermiones*: sed altera illa vox propior antiquissimo illi nomini Germanico, *Hermin*. Idem.

10 *Quidam autem licentia vetustatis*] Exemplar cum quo pridem contuli, habebat, *Quidam uti in licentia vetustatis.* Rhenanus.

11 *Vandalios*] Plinius habet *Vindili*. Sed altera vox seculis sequentibus magis inclaruit. *Conringius.*

12 *Recens, & nuper additum*] Nos *auditum* maluimus legi, quam *additum*. Quod ait, *nuper*, non hercules ita nuper: quippe cum ab ævo Julii Cæsaris, quo constat Germanos Galliam irrupisse. *Lipsius.*

*Germaniæ vocabulum recens*] De Germaniæ vocabulo variæ inter scriptores sententiæ. præter antiquos

*cens & nuper additum: quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint,* [1] *ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum* [2] *à victore ob metum,* [3] *mox à se ipsis invento nomine* Germani *vocarentur.*

tiquos vide, si placet, Ægidium Tschudum Claronensem de prisca Rhetia, in epist. ad Beatum Rhenanum: ipsum etiam Rhenanum lib. 1. rerum Germ. Hubertum Thomam Leodium in lib. de Tungris & Eburonibus: Petrum Divæum Lovaniensem de Galliæ Belgicæ antiquitatibus. Quod autem Tacitus ait, *Germaniæ vocabulum recens*, omnes illum accusant, cum ignorare minime potuerit, etiam ab ævo Julii Cæsaris Germanos Galliam irrupisse. Censeo Tacitum, non de suo ævo loqui, sed sermonem referre ad veteres scriptores Germanos, de quibus tradidit. pendent enim hæc à superiori verbo, *affirmant*. Pichena.

*Et nuper additum*] Multo magis hoc demulcet quam *auditum*. Intellige, datum, inditum, impositum. Virgilius 1. Æneid. *Puer Ascanius, cui nunc cognomen Julo Additur.* Seneca Herc. Fur. *Quis nomen unquam sceleris errori addidit?* ut ex Flor. restituimus. Claudianus conf. Olybrii & Probini: *nam sæpe soles ductoribus illis Instaurare vias & cursibus addere nomen.* Gronovius.

1 *Nunc Tungri, nunc Germani*] Valde amplector Bambergensem scripturam, quam & Pichena repperit in veteri editione Bononiensi: *ac nunc Tungri, tunc Germani.* atque ita evolvam me ex obscura origine nominis, quod hodieque hæret in pace & bello optima gente. Sententiam enim hanc reor (quidquid differtum aliis) eos qui transgressi primitus Rhenum sint, esse eum ipsum populum qui nunc Tungri appellentur, at tunc Germani. quod tamen unius nationis peculiare nomen, paulatim transfusum ad omnes. *Lipsius.*

*Ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sunt*] Ita Lipsius restituit ex Bambergensi codice eamque ipsam lectionem adstruit liber Bononiæ editus anno MCCCCLXXII. quem nuper contuli. Obscurabat historiam vulgata lectio: *nunc Tungri, nunc Germani.* Pichena. Crux hic locus interpretibus, ipsique etiam Lipsio, qui varie trahit, & sibi non constat, quamque sententiam verissimam sibi denique persuadet, ea in se ipsam pugnat. Singula examinare & refellere mihi prolixe non lubet: ipse quid censeam breviter exponam. Locum totum sic lego; *Ceterum, Germ. v. r. & nuper additum*, (non muto cum Lipsio *auditum*, quia Tacitus vult, novum hoc nomen reliquis antiquis superadditum) *quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, tunc* (non *nunc* vel utrumque dele) *Tungri, nunc Germani, vocati sint. ita nationis nomen in nomen gentis evaluisse paullatim, ut omnes primum à victore ob metum Tungri, mox à se ipsis invento nomine Germani vocarentur.* Cic. initio lib. 1. Divin. *Gens in natione, qua universalis.* Quorum sententia nunc clarissima, & ubique consentanea. Germanorum vocabulum ex quorundam opinione ait recentius, & priscis nominibus, quæ recensuit, nuper adjectum. idque ea occasione & ratione, Natio quæ prima Rhenum transgressa Gallos expulit, Tungri vocabantur. Hujus nomen nationis paulatim sic in gentis nomen evaluit, ut Transrhenani omnes promiscue, ob metum & formidinem aliorum è victoribus Tungri primum, deinde proprio & à se ipsis invento nomine Germani in universum appellarentur. Aliter non est, ut solida constansque sententia ulla è loco hoc eruatur. *Acidalius.*

2 *A victore ob metum*] Vox. *Germani*, eidem Bamberg recte abest. Ista ipsa enim noviter interpretari posse videor, & præter mentem omnium, etsi non præter verum. Censeo eum hoc dicere. Pactum ut omnes qui Rhenum accolerent, nomen ab illa victrice natione invenirent, ob metum scilicet recentem Gallorum: qui quoties de transgressis vel adventu Transrhenanæ nationis audirent, ajebant trepidi adventare Germanos. at isti proprie Germani, novum nomen invenirent à se ipsis, discriminandi nimirum caussa, & dicerent se Tungros. Possim vulgatam tueri & explicare, sed cur nuger? hæc mera veritas. *Lipsius.*

3 *A se ipsis invento nomine Germani*] Si mordicus hanc retines; legam, *à re ipsa invento.* Germani enim etymo prisco, bellaces viri sunt. Gerra bellum. invenere ergo id nomen, ab ipsa re, quia tales. Vulgatam quomodo expedies? aut qui à se ipsis nomen hoc invenere. quod antea in Tungris? Sane interpretes hic fluctuant, & fluctuabunt æternum. *Idem.*

*Mox à se ipsis*] Similia Persæ licet alia de caussa. Salust. Jugur. *hi paulatim per connubia Gætulos secum miscuere: & quia sæpe tentantes agros alia deinde atque alia loca petiverant, semet ipsi Numidas appellavere.* Nunc omissis interpolationibus, hanc reor fuisse Taciti mentem, Tungri (natio ejus gentis quæ in universum postea Germanorum nomine dicta) irruperunt in Galliam, victisque incolis, tantum iis metus incussere, ut nomine Tungrorum Transrhenanos omnes designarent, qui adversus se flumen transirent. *A victore*, id est, propter victorem; ut 4. hist. *Cerialis à metu infamia: si licentia sævitiaque imbuere militem crederetur.* Iidem post illa Tungri victoriis elati, ἀρχαϊκῶς Germanos sese dixerunt hoc est (doctiss. vir ait) homines bellicosos: quod vocabulum ceteræ nationes ejus gentis paulatim sibi vendicarunt. At Geographus lib. 7. aliter sentit. διὸ δικαίως μοι δοκοῦσι Ῥωμαῖοι τοῦτο αὐτοῖς θέσθαι τοὔνομα ὡς ἂν γνησίους Γαλάτας φράζειν βουλόμενοι, γνήσιοι γὰρ οἱ Γερμανοὶ κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον. i. *Quapropter iis jure à Romanis id nominis indi-*

*inditum est, quasi dicas veros Gallos: veri enim Latine Germani dicuntur.* Salinerius. Ita crediderim fane à se ipsis inventum fuisse, sed non impositum. Nam se invicem *fratres* appellabant, suo quodam more, & ut opinor, militari. Hoc Romani audientes vertebant *Germanos.* Strabo quoque recte à fraternitate Germanos dictos censet, sed non recte, quod propter Gallos fratres. Quæ enim caussa idonea Romanis propterea fratres nominandi Germanos, quia ipsi & Galli fratres se invicem nominarent? Sarmata Bohemum & Bohemus Sarmatam fratrem indigitat, sed non ideo vel hæc vel illa gens, fratres dicuntur. Ad meam adsertionem redeo, quam & Plutarchus confirmat in Mario: ἐρομένου δὲ τοῦ Μαρίου τοὺς πρέσβεις περὶ τῶν ἀδελφῶν πάλιν ὀνομάσαντες τοὺς Τεύτονας. En fratres hic diserte appellantur Germani. Et postea: ἔχειν τοίνυν τοὺς ἀδελφούς. Quare & de veriverbio Germanorum frustra hactenus a doctissimis viris disputatum. Unum addo: videri etiam Germaniæ populum, ab ea caussa dictos *Bruteres*, non *Bructeres*, ut vulgo scribunt. Fallor an ille mos è Scythia, ut plures alii Germanorum. Nicolaus de Γαλακτοφάγων: Ὥστε τοὺς μὲν πρεσβυτέρους αὐτῶν πατέρας ὀνομάζειν, τοὺς δὲ νέους, παῖδας, τοὺς δ' ἥλικας, ἀδελφούς. Durat hodieque apud nostros ἀδελφότης quædam συμποσιακή, nec minus religiose colitur, ac priscis illis Romanis *cara cognatio.* Colerus. *Nunc Tungri, nunc Germani*, quum utrumque nomen promiscue, modo hoc, modo illud usurpatum fuerit. Dein malim: *primum victores à victis ob metum, mox à seipsis invento nomine vocarentur* i. omnes primum victores, quum Gallos expulissent, à victis Gallis invento nomine, quia hos victores metuebant victi, Germani sunt dicti, dein vero à se ipsis invento nomine Tungri. *Cluverius.* Ex Mureti & Lipsii correctionibus unam faciendam puto: *Galles expulerint Tungri, hinc Germani v. s.* Tum, *omnes primum à victis ob metum, mox à re ipsa i. n. G. v.* Tungri pulsis Gallis ob hanc virtutem videntur dicti Germani, id est, bellatores, guerriers & vaillants. Hoc peculiare tum Tungris tributum nomen, cum omnibus Alemannis deinde communicatum; quod illis imposuerant primum victi metu armorum felicium, à quibus erant subjugati; postea idem, quasi ab re ipsa & fortuna datum assumpsit gens tota per partem sui victrix. *Harlæus.* Locus integerrimus est, si modo sic distinguas: *primo à victore ob metum, mox à se ipsis, invento nomine, Germani vocarentur.* Nomen *Germanorum* olim non totius gentis fuit, sed unius modo nationis, ejus nempe, quæ postea dicta est, *Tungrorum.* Neque exstiterat vocabulum inter Germanos, quo omnes in universum appellarentur. Notæ tantum erant plures diversarum gentium appellationes Marsi, Gambrivii, Suevi, Vandalii, Batavi, Catti &c. At vero eum Tungri, soli olim Germani appellati, primi Rhenum transgressi Gallos expulissent, & feliciter gestis rebus nominis sui terrorem ac celebritatem longe lateque auxissent, Galli, atque aliæ proximæ nationes, omnes Transrhenanos istos populos *Germanorum* nomine insignivere. Hoc est illud, quod dicit: *primo à victore ob metum Germanos omnes esse vocatos.* Alii exteri nimirum, ut Galli, à victore populo, tunc Germanorum, postea Tungrorum nomine insigni, omnibus Transrhenanis *Germanorum* vocabulum indidere. Transrhenani autem, eum illud generale, quo omnes designarentur, nomen jam ab aliis, ut Gallis, esset inventum, haud gravatim ipsi quoque inter se illud admisere. quod neque inconveniens esset, unum aliquod exstare, quod commune esset omnibus nomen, neque dedecorum, id nomen ab omnium fortissima celebratissimaque postea Tungrorum dicta gente mutuari. Hoc vult Tacitus, cum addit, *mox à se ipsis, invento nomine, Germani vocarentur.* Nemo in posterum dubitabit, quin vexatissimi loci ea sententia sit, quam exposuimus. Vis etiam exempla? Otho Frisingensis Chron. Henrici IV. Imperatoris: *Omnes occidentales populos*, Francos, *ob antiquam gentis illius virtutem & dignitatem, Orientales appellare solent.* Quod & fit etiamnum. Hieronymus Osorius de gestis Emanuelis Regis Lusitaniæ lib. V. *Campson Ægypti imperator misit multos ex illis, quos olim, dum illud imperium vigebat, Mamelucos appellabant, qui in pueritia à Christianis parentibus per vim abducti, & Muhumetanis institutis imbuti, & armis diligenter exerciti, bellica disciplina laudibus excellebant. Hos Indi Rumes, id est, Romanes, vocabant. Nam cum ex antiquis monumentis accepissent, quantum Romanum imperium reliquis gentibus militari gloria præstitisset, cum primum in Indiam hi Sultani milites invecti sunt, eorumque robur, & in re militari disciplinam ac industriam percepissent, Romanos esse judicarunt.* Vides, quomodo à victore populo, aliis, vicinis maxime, plerumque vocabulum indatur. Batavorum nomen cum unius olim in inferiore sive secunda Germania nationis fuerit, hodie, ob ejus celebritatem, sibi etiam tribuunt vicini Belgæ, inprimis qui nunc Fœderati dicuntur. Et hic vides, populos à se ipsis alieno & illustri nomine appellari. Sed jam excessimus institutum, & Notarum, quas quam brevissimas hic esse voluimus, modum. *Boxhornius.* Qui scil. nunc Tungri, illi ante Germani audierunt, sive ipsimet sibi hoc nomen indiderint, sive à Romanis aut Gallis cœperit hæc appellatio. quod posterius Strabo diserte testatur, & innuit Tacitus addens, *vocati sint:* eoque forte est verisimilius. Sensus hic fuerit. Galli, aut potius in Gallia commorantes Romani, Tungros Rhenum transgressos appellavere Germanorum nomine. Tungri hi Gallorum victores ad omnes Transrhenanos nomen hoc suum transtulerunt, quo metum incuterent, vendiantes scilices omnes illos fraterno quasi vinculo sibi junctos esse. Placuit inde nomen illud recens tum inventum ipsis Transrhenanis. Nescio tamen an quo certo liceat testimonio ostendere, istac appellatione

*tur.* *Fuisse apud eos & [1] Herculem* memorant, [2] primumque omnium virorum for-
3tium ituri in prœlia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu quem
[3] *Barditum* vocant; accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipso cantu
augu-

pellatione Germanos ipsos suæ inter linguæ homines unquam usos. *Cauringius.* Locus ex illis, in quibus majore cum fiducia destruas aliena, quam moliaris & struas tua. Utcumque autem defendi possit *à victore*, malim tamen *à victrice*, ut referatur ad *nationem.* Deinde utrobique admitto scripturam Bambergensem. Sensus: ut Transrhenanæ gentes, inter Gallos & ab his ad Romanos Græcosque potissimum per Massilienses propagata communi appellatione, à victrice natione, metu dictante, omnes *Germani* (quod primis experimentis virtutis appellabantur, qui postea *Tungri* dici maluere) mox, postquam non metus, sed ratio, valuit, & interius eæ Transrhenanæ gentes sunt cognitæ, proprio & à seipsis, invento nomine, velut Suevi, Catti, Sicambri, Cherusci, Usipetes &c. vocarentur. *Gronovius.*

1 *Herculem memorant*] Witigindus lib. 1. *Secundum errorem paternum sacra sua propria veneratione venerati sunt, nimirum Martem effigie columnarum imitantes Herculem.* De silva Germanorum Herculi sacra Tac. 2. Ann. *Colerus.*

2 *Virorum fortium. Ituri*] Recte distinxi. Non enim ea mens, quod Herculem canant: sed quod alacres & cum cantu incipiant pugnas. Tacitus lib. II. Histor. *Temere subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci, & more patrio nudis corporibus.* Lib. IV. *Ut virorum cantu, fœminarum ululatu sonuit acies.* Noto autem etiam Hispanos prælus præcinuisse, ex Silio:

*——— ritu jam moris Iberi*
*Carmina pulsata fundentem barbara cetra.*

Diodorus Siculus, de Lusitanis: *Ἐν τοῖς πολέμοις πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνουσι, καὶ παιᾶνας ᾄδουσιν ὅταν ἐπίωσι τοῖς ἀντιτεταγμένοις: In bellis ad numerum incedunt, & carmina canunt cum aggrediuntur hostem.* Simili in Thracibus aliisque Barbaris fuisse, notavi ad XV. Annal. *Lipsius.*

*Primumque omnium virorum fortium ituri in prœlia canunt*] Ita distinguunt veteres omnes. Mutat Lipsius, puncto post vocem *fortium* apposito: ut Germani non Herculem; sed simpliciter canant. Ego sto pro antiqua distinctione. Nec enim alias dixisset; *Sunt illis hæc quoque carmina.* aliud scil. genus carminum, præter id, quo annales memorabant. Canebant itaque fortes viros. primumque inter eos Herculem, illorum scil. laudes, & res gestas. ituri in prœlia, ut etiam in annalibus. nam Tac. Ann. 2. in fine, de Arminio dixit: *caniturque adhuc barbaras apud gentes.* Pichena.

3 *Barditum vocant*] Ita Farnes. & scio Bardos Gallos dictos cantores, sive poëtas. Placet tamen nunc magis, *Baritum:* quæ mera vox nostras, quibus *Beren* aut *Baeren*, clamare, vocem tollere. Errabit enim qui ab elephantis barritu deducet, Germanis tunc ignoti. Althamerus, *Blaritum* vellet, Germanico item verbo. Quidquid de nomine fit; Ammianus hunc describit, *clamorem fuisse maximum, qui ipso fervore certaminum exoriens identidem, paullatimque adolescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.* Lipsius.

*Baritum vocant*] Barritus istius, post Tacitum meminit Amm. Marcellinus lib. 16. *Cornuti & Braccati usu prœliorum diuturno firmati, eos jam gestu terrentes Barritum ciere vel maximum. Qui clamor ipso fervore certaminum à tenui susurro exoriens paulatimque adolescens ritu extollitur fluctuum, cautibus illisorum.* Ubi lego, *eos jam gestiurientes Barritum ciere.* Subauditur *Alemannos.* Et mox, *ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.* Sed tamen Artolphi liber habebat, *Barditum:* Veluti fit à verbis, quæ Germani *wort* appellant, tractum vocabulum. Nisi debet esset *blarritum.* De cantu Germanorum prœlium ineuntium Tac. 4. Hist. *Ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies.* Rhenanus. Quamvis *bardus* Nonio sit, vi propria & ingenio tardus, Græcorum auctoritate, quibus βάρδιστος piger & tardus dicitur; sic Hom. Ilia. ψ. equi βάρδιστοι dicti tardi, & Festo *Bardus à tarditate ingenii appellatur,* nihilominus *Bardi* proprie inter Gallos homines fuere, fortia illustrium virorum facta heroicis composita versibus, cum dulcibus liræ modulis cantitantes, teste Marcellino lib. 4. de quibus Lucanus lib. 1. *Plurima securi fudistis carmina Bardi.* Quod vero *Bardi* Galli genere essent, præter jam dicta confirmat etiam Hesychius: Βαρδοὶ ἀοιδοὶ παρὰ Γαλάταις. Verum quia *Bardi* laudabilium doctrinarum studiis incumbebant, nec ad militiæ munera proni erant, hinc forte & *Bardi* nuncupati, hoc est, tardi. Unde jure optimo Zasius in epit. feud. tit. de feud. success. strenuum virum ac bellicosum *bardo* opposuit. Ab horum *Bardorum* cantu forsitan *Barditum* dictum cantum illum, seu clamorem, quo per initia pugnæ Germani Galliis contermini, usi sunt, Taciti testimonio. Nonnulli textus legunt *Barritum*, non *Barditum*, nec mehercule injuria. Siquidem ita Ammianus lib. 16. de Germanis & Alemannis. Hinc quem *dissonum & trucem cantum* Livius l. 5. appellavit, & Vegetius 3 18. *barritum* vocavit, idem Tacitus paulo infra *cantum, fremitum, clamoremque dissonum* nuncupavit. *Barritum* autem hunc dictum existimant quidam à similitudine inconditæ vocis elephanti, quem *barrire* tradit Spartianus in Antonino Geta, unde & *barrus* elephas Latinis dictus, ut docent interpretes in Horatii Epod. 12. Hujuscemodi clamore, vel saltem consimili, non solum Germanos usos per initia pugnæ, sed & alias nationes
obser-

auguraritur. terrent enim, trepidantve, prout sonuit acies. Nec tam voces illæ, [1] quam virtutis concentus videntur. affectatur præcipue asperitas soni, & fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior & gravior vox repercussu intumescat. Ceterum & [2] *Ulixem* quidam opinantur *longo illo & fabuloso errore in hunc Oceanum delatum, adiisse Germaniæ terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur,* [3] *ab illo constitutum, nominatumque. Aram quin etiam Ulixi consecratam, adjecto*

observamus. Livius 4, 37. l. 30, 34. Et lib. 40. de Romanis adversus Ligures pugnaturis. Cæsar lib. 3. Civ. 92. Hoc idem refert Plutarchus in Cæsaris vita. Cæsar. 7. Gall. *Hostes committunt prælium, utrimque clamore sublato, excipitur rursus ex vallo, atque omnibus munitionibus clamor.* Hirtius de bello Hisp. *Hic etsi virtute nostri antecedebant, adversarii loco superiori defendebantur acerrime, & vehemens fiebat ab utrisque clamor.* Ex his, id moris fuisse Italis & Hispanis, ut scil. pugnaturi clamorem ederent, quam possent, maximum, manifestum est, quod & de Germanis diximus. De Pœnis Livius 26, 5. De Gallis 21, 28. Sed & ante hos omnes id factum etiam à Græcis, docet Homerus Iliad. δ. de Trojanis οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος, οὐδ' ἴα γῆρυς. Quod pariter confirmat Polybius lib. 15. *Romanos more patrio in prælio simul vociferari, & gladiis ad scuta illisis, strepitum edere.* Verum concludamus in textu Taciti legi posse *Barditum* & *Barritum*; namque utravis lectio ratione non caret, ut diximus. *Marc. Donatus.* Lipsio magis placet, *Barritum.* Ita certe vocatur ab Amm. Marcellino l. 31. *& Romani quidem voce undique Martia concinentes, à minore solita ad majorem protolli, quam gentilitate appellant barritum, vires validas erigebant.* Pichena.

1 *Quam virtutis concentus videtur*] Bambergensis, *quam mentis concentus.* quod haud præferam vulgatæ. *Lipsius.*

*Nec tam voces illæ, quam virtutis concentus videntur*] Ita Venetus ac Bon. Vulgo, *nec tam vocis ille, quam virtutis concentus videtur.* Pichena. Lipsius Bambergensis cod. lectionem flocci facit. At hercules ita mihi videtur Tacitus scripsisse, ut illud Homericum scil. exprimeret:

Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοὶ
Ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεν' ἀλλήλοισιν.

*Ast ibant taciti spirantes robur Achæi Inque vicem auxilium tacita sibi mente ferebant.* Colerus.

2 *Ulixem quidam*] Interque eos Strabo, magni & directi judicii scriptor, lib. III. qui adfirmate tradit Ulysseam Lusitaniæ (Ulyssiponem aliter dicimus) Homerici Ulyssis monumentum esse. Sed & in Britanniam eum venisse, ex ara Græcis litteris inscripta collegit Solinus c. xxv. itemque Mela. Cui miræ & blandienti opinioni si indulgemus: quidni Vlissinga nostra in Zelandia, ab eodem sit? quidni Circæa à Circe? Sed vani & lascivi, vereor, lusus isti ingeniorum sunt: quibus tamen hodie nonnemo se ostentat & superbit. Jo. Brodæus hæc de Ulyssis errore in Miscellaneis scite coarguit: Brodæus, vir sive adolescens potius, acris ingenii, probi judicii, lectionis diffusæ, quem non magis in ore famæ esse miror, imo indignor. *Lipsius.*

*Ulyxem*] Habebam de Ulyssis erroribus quædam non vulgaria, quæ huc adscriberem, sed deterruit me cum Bionis illius antiqui, tum gravissimi Senecæ objurgatio, quæ ad Lucillium scripta *epist.* 13. *Quæris Ulysses ubi erraverit potius, quam efficias, ne nos semper erremus. Non vacat audire, utrum inter Italiam & Siciliam jactatus sit, an extra notum nobis orbem: neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus.* Polybius negaverat Ulyssem ingressum Oceanum, quem refutat Strabo lib. 1. Mirum tamen, nisi de illis erroribus condigna illo versu suo scripserat Homerus: Ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα. *Colerus.*

3 *Nominatumque ἀσκιπύργιον*] Vel, ut Rhenanus, ἀσκιπύργιον. etsi abesse vox ea potest, incolumi sensu. Præcessit enim. At libri quidam magis hic diversi, qui ἀκρινίπριον referunt. ex quo placet quibusdam ἀκρονήριτον, à Nerito, ut volunt, Ithacæ monte. locus quidem hic ipse, quem indicari putamus, clivosus est, haud procul Veteribus vicus, *Aschelburg* nunc dictus. *Lipsius.*

*Ab illo constitutum nominatumque ἀκρινίπριον*] In exemplari illo cum quo contuleram meum codicem, sic scriptum erat, *acrinipriou.* Lego, Ἀστυπύργιον, hoc est, *Astypyrgion*; ut *Ascipurgion* inde sit deductum, una tantum syllaba mutata, ceu vulgo facere mos est in non intellectis. *Urbem* Græcis ἄστυ significat, & πύργος *turrim* sive *propugnaculum.* Notum est *Astypalea* vocabulum diversis insulis ac civitatibus tributum, *Pyrgorum* quoque nomen notum ex Strabone, Stephano, Antonino. Porro non dubito, quin *Burgum* illud Germanis tam frequens in appellationibus oppidorum & arcium, παρὰ τὸ πύργος desumptum sit: quando majores nostri multa vocabula sunt à Græcis mutuati, ut & nonnulla à Romanis, ac ab Hebræis paucula. nam omnes hodie linguæ mixtæ sunt. Nec vero de Græcis vocibus, quas usurpant in vernaculo sermone Germani, quisquam mirabitur, qui proditum hoc à D. Hieronymo meminerit in Traditionibus Hebraicis in Genesin. *Legamus*, inquit, *Varronis de antiquitatibus libros, & Asinii Capitonis, & Græcum Phlegonta, cæterosque eruditissimos viros, & videbimus pene omnes insulas, & totius orbis littora, terrasque mari vicinas, Græcis accolis occupatas; qui, ut supra diximus, ab Amano & Tauro montibus, omnia maritima loca usque ad Oceanum possedere*

*jecto Laërta patris nomine, eodem loco olim repertam.* [1] *monumentaque, & tumulos quosdam* [2] *Græcis litteris inscriptos in confinio Germaniæ Rætiaque adhuc exstare.* quæ [3] neque confirmare argumentis, [4] neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat, vel [5] addat fidem. Ipse eorum opinionibus accedo, qui *Germaniæ populos* [6] *nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos,* [7] *propriam & sinceram & tantum sui similem gentem exstitisse* arbitrantur. Unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: [8] truces & cœrulei oculi, [9] rutilæ comæ, [1] ma-

*Britannicum.* Rhenanus. Adjiciunt vulgati Græcam vocem: *nominatumque ἀσκιπύργιον*, quam cum Lipsio, ut glossema prætermisi. præcessit enim nomen *Asciburgium.* Pichena. Sequentem vocem Græcanicam recte omitti cum aliis censeo. Nec debuit Rhenanus etiam mutare in ἀσυπύργιον. quod sane nec cogitatum nec scriptum Tacito. Marcianus Heracleotes: Ἐστὶ δὲ τῆς Γερμανίας τὸ μῆκος ἀρχόμενον μὲν ἀπὸ δύσεως καὶ Ἀσκιβουργίου πόλεως. *Colerus.*

1 *Monumentaque & tumulos quosdam*] Ne forte juniores credant, synonyma hæc esse, sciant, sepulchra antiquorum, in tumuli, hoc est, in monticuli formam facta fuisse: unde sepulchrum ipsum appellabatur tumulus, qui deinde circumdabatur sepimento quodam, aut cespite, aut lapide, aut marmore, pro cujusque fortuna. idque monumentum dictum. Virgil. in Culice.

*Congestum cumulavit opus, atque aggere multo*
*Telluris tumulus formatum crevit in orbem:*
*Quem circum lapidum levi de marmore formans*
*Conserit, assiduæ curæ memor.*

Macer JC. in l. 37. D. de relig. & sumptu fun. *Monumentum autem sepulchri id esse Divus Hadrianus rescripsit, quod monumenti, id est causa muniendi ejus loci factum sit, in quo corpus impositum sit.* Seneca Contr. 6. lib. 7. in fine: *Inter sepulchra monumenta sunt.* & ep. 92 *non est, quod nos tumulis metiaris, & his monumentis, quæ viam disparia prætexunt.* Idem Tacitus infra ait: *Sepulchrum cespes erigit, monumentorum arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis aspernantur.* Pichena.

2 *Græcis litteris*] Litteris fortasse, vix credo lingua. Quid autem mirum de illis, cum etiam Helvetii & Galli litteratura Græca usi sint, Romanis characteribus juxta cum imperio ignotis? *Lipsius.*

3 *Neque confirmare argumentis*] Scriptus olim Bil. Pirche:meri *adfirmare*, ut monuimus ad Liv. 22, 13. *Gronovius.*

4 *Neque refellere*] Est enim antiquis illis Historicis ut non temere fides habenda, ita nec demenda statim. Prudenter Strabo lib. 8. Δεῖ δὲ τῶν παλαιῶν ἱστοριῶν ἀκούειν οὕτως, ὡς μὴ ὁμολογουμένων σφόδρα. οἱ γὰρ νεώτεροι πολλάκις νομίζουσι καὶ τ' ἐναντία λέγειν. *Veteres Historias oportet audire non quasi sint omnino dubiæ fidei. quippe & novitii multis in rebus dissentire solent.* Merito igitur Metrius Florus apud Plutarchum: τῷ δὲ αἰτίας ἀπορεῖν ἀπιστεῖσθαι τὴν ἱστορίαν, οὐ δίκαιον. Colerus.

5 *Addat fidem*] Seneca Nat. Quæst. 4, 3. *Aut quod Historici faciunt, & ipse faciam. Illi cum multa mentiti sunt ad arbitrium suum, unam aliquam rem nolunt spondere? sed adjiciunt, penes auctores fides erit.* Plinius 28, 1. *Quin imo externa quoque & barbaros etiam ritus indagabimus. Fides tantum auctores appellet.* Idem.

6 *Aliis*] Redundat. *Lipsius.*

*Nullis aliis aliarum nationum connubiis*] Lipsius vocem, *aliis*, tanquam redundantem tollit. Forte, *nullis alienigenorum nationum.* Pichena.

7 *Propriam & sinceram*] Bamber. *perpetuam & sinceram.* Lipsius.

*Propriam ac sinceram*] Lipsius ex lib. Bambergensi adducit *perpetuam ac sinceram.* quam ego scripturam propriam magis ac sinceram puto. *Perpetuam* vocat, quia antiquissima & αὐτόχθων. Glossarium: *Perpetuum* Αἰώνιον, Διόλου, Διηνεκής. Colerus. *To perpetuam* huic rei accommodatum non videtur. Tria enim, quæ ponit hic Tacitus, nihil aliud sunt quam idem alio modo, majoris affirmationis & ἐμφάσεως χάριν. Ita & *proprius*, suus, οἰκεῖος, cum pluribus non communis, eoque impermixtus, *sincerus & tantum sui similis.* Gronovius.

8 *Truces & cærulei*] Quales plerisque omnibus Arctois. Caussas indagat & invenit Aristoteles Problemat. τῶν πρὸς Ἄρκτον οἰκούντων, γλαυκὰ ὄμματα ἐστὶ τῷ τὸ θερμὸν κωλύεσθαι ἐκπίπτειν διὰ τὸ ἐκτὸς ψυχρόν. Ait septentrionalium populorum oculos ideo cæsios esse, quia internus calor cohibeatur à frigore externo, ne effluat. *Colerus.*

9 *Rutilæ comæ*] Sive flavæ, & colore auri. Ideo Auricomi Batavi, Silio:

*At puer auricomo jam formidate Batavo.*

Wandali χρυσοειδεῖς, Procopio dicti. Rufum Seneca dixit III. De Ira; *Non est Æthiopis inter suos insignitus color, nec rufus crinis & coactus in nodum apud Germanos.* Et Martialis, Ruffum ea mente Batavum:

*Sum figuli lusus, ruffi persona Batavi.*

Græci plerumque ξανθὸν verterunt: etsi Galenus Commentario ad Polybum De victu, velit Germanos magis proprie πυῤῥοὺς dici, quam ξανθούς. Calpurnius Flaccus Declamat. II. de hoc Germanorum connato habitu: *Miramur hanc legem esse naturæ, ut in subolem transeant formæ quas quasi descriptas species custodiunt? Sua cui que genti etiam facies manet. Rutili sunt Germaniæ vultus, & flava proceritas Hispaniæ. non eodem omnes colore tinguntur. Diversa*

[5] magna corpora, & tantum ad impetum valida. laboris atque operum non eadem patien-

*versa sunt mortalium genera, nemo tamen est suo generi dissimilis.* Quem obiter emendo: *& flava proceritas.* (apage enim hoc de Hispanis) *Hispani an non eodem omnes colore tinguntur?* Nec à natura solum rutilus hic crinis, etiam ab arte. Lavabant enim crebro, & medicamento rutilabant. Ammianus: *Videbat* (Germanos) *lavantes alios, quosdam comas rutilantes ex more.* Medicamentum, sapo. Martialis:

*Caustica Theutonicos accendit spuma capillos.*

Plinius: *Prodest & sapo. Galliarum hoc inventum rutilandis capillis, ex sevo & cinere.* Ita Caligula procerissimum quemque è Gallis ad Germanicum triumphum legit: *coëgitque rutilare & submittere comam:* ut Germani scilicet germani viderentur. Suet. narrat cap. XLVII. Herodianus item de Antonino Germanos æmulante: *Κόμας τε τῇ κεφαλῇ ἐπετίθετο ξανθὰς, καὶ εἰς κουρὰν Γερμανῶν ἠσκημένας.* id est: *Comas etiam flavas capiti circumposuit, & ad tonsuram Germanicam factas.* Caussam huic coloris studio adsignat Clemens (lib. III.) terrorem. *Τῶν ἰδίων*, inquit, *οἱ Κελτοὶ καὶ οἱ Σκύθαι κομῶσιν, ἀλλ' οὐ κοσμοῦνται. ἔχει τι φοβερὸν, τὸ εὔτριχον τοῦ βαρβάρου, καὶ τὸ ξανθὸν αὐτοῦ πόλεμον ἀπειλεῖ, συγγενές τι χρῶμα τῷ αἵματι.* Romanæ etiam matronæ veteres amavere hunc colorem, *& summa diligentia capillos cinere rutilabant*, ait Valerius lib. II. cap. I. Posteriores magis avide, quæ capillicium ipsum emebant à Germanis, & pro comis suis supponebant. Ovidius ad puellam:

*Jam tibi captivos mittet Germania crines,*
*Culta triumphatæ munere gentis eris.*

Quamquam Servium notare video in IV. Virgilii, *matronis nigram comam, meretricibus flavam probatam fuisse.* Quo videatur Satyricus respexisse de Messallina matronam sedulo dissimulante:

*Et nigrum flavo crinem abscondente galero.*

De hac ipsa re doctissimus Tertullianus, libello de Cultu: *Video quasdam & capillum croco vertere. pudet eas etiam nationis suæ, quod non Germanæ aut Gallæ procreatæ sint: ita patriam capillo transferunt. Male ac pessime sibi auspicantur, flammeo capite.* Nam quod mali auspicii ait flammeum caput: intellegit omen ad flammas æternas. *Lipsius.*

*Rutila coma*] Hoc quoque à septemtrione est. Herodotus de Budinis: *Γλαυκὸν δὲ πᾶν ἰσχυρῶς ἐστὶ καὶ πυῤῥόν.* Plinius 2, 78. *Et adversa plaga mundi atque glaciali candida cute esse gentes, flavis promissas crinibus.* Apud Gallos vero non nasci tantum, sed etiam fieri solebant rufi capilli. Lege Diodorum Siculum. Plinius lib. 28. *Prodest & sapo. Gallorum hoc inventum rutilandis capillis ex sevo & cinere.* Scribit tamen inibi, eodem medicamento usos & Germanos, & quidem viros magis quam fœminas. *Colerus.*

5 *Magna corpora, & tantum*] Mutilus, me judice, Bambergensis, qui spreta priori voce scribit: *corpora tantum impetu valida.* Nam proceritas etiam inter Germanorum proprias notas. *Lipsius.*

*Et tantum ad impetum valida*] Scribit Justinus Parthos intolerandos fore, si quantus his impetus est, vis tanta ac perseverantia esset. Quod de Germanis hic Tacitus, etiam Gallis Florus 2, 4. & Livius 38, 17. tanquam similis utriusque gentis habitus, tribuunt. Sic etiam lib. 34. 47. & 35. 5. Apparet igitur Gallos illos veteres & Germanos mire convenisse, quantum ad naturam quum corporum tum animorum attinet. Enimvero satis indicat Cæsar comm. 6. jam tum Gallos, ob propinquitatem & transmarinarum rerum noticiam multa ad copiam atque usus largientem, imbelliores redditos, ac paulatim assuefactos superari, multisque victos prœliis, ne se quidem ipsos cum Germanis virtute comparare. De iisdem Tacitus Agric. II. Quod tamen in vetustissimos illos Gallos minime competere potest, de quorum fortitudine post missas in Asiam colonias apud Livium 38, 17. Cn. Manlius. Rutilarum comarum magnorumque artuum argumento Caledoniam Britanniæ habitantibus Germanicam originem vendicat Tacitus. De cantu Germanorum quum pugnam sunt conserturi, ibidem. Ergo quis negabit Celtas illos vetustissimos Germanis similes & vere Germanos fuisse ut plane dubium sit, num sicut Belgicas regiones, id quod Cæsar tradit ita etiam Celtarum terras olim suis Germani sive Teutones coloniis repleverint. Nam propria Regulorum nomina apud Livium *Lutarius, Dorolacus, Combolomarus*; apud Cæsarem *Litanicus*, & *Ambactorum* vox pro clientibus Germanicam etymologiam habent. De Belgarum nominibus minus mirandum. At dii boni quantam mutationem affert tempus, educatio, disciplina! Gallos longa pax adeo emollit, ut dicas stirpem illam veterum Celtarum prorsus exoletam esse. Id quod apud Germanos Saxonibus accidit præcipue & Germaniam secundam incolentibus nationibus, quæ tamen primum Francorum, deinde Saxonum, bellicosissimarnm gentium soboles existunt. Nihil vero pugnacius olim Saxonibns. Galli certe mitescere cœperunt, postea quam provinciales facti sunt. Quia Romani præsidiis externorum militum Gallias ex majori parte tutabantur, operam dantes, ut ipsi provinciales quieti & ocio per voluptates assuescerent. quod tam sedulo factum est in Galliis, ut non modo Romanorum mores induerint, sed etiam linguam acceperint, sua fastidita, ac nomen. unde Lotharingi omnes hodieque se Romanos, suamque linguam Romanam velut à Romanis acceptam appellant. Hanc artem mitigandi subjugandique populos, qua Romani suum in provinciis diversis imperium stabiliendo sunt usi, prodit Tacitus in Agric. 21. Idem ibidem de Gallis cap. II. Magnam itaque mutationem in Gallis factam videmus, quorum

patientia: [1] minimeque sitim æstumque tolerare, frigora atque inediam [2] cælo solo-ve assueverunt. Terra [3] etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida, aut paludibus fœda: humidior qua Gallias, [4] ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit: [5] satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, [6] pecorum fœcunda, [7] sed plerumque improcera. [8] ne armentis quidem suus honor, aut gloria frontis.

rum imperium post Romanos Franci inclita Germanorum gens potissimum occupavere. At Germani sui similiores permanserunt. & quanquam post illam infelicem apud Tolbiacum pugnam, quo tempore divisa in duas factiones Germania Franci ostiis Rheni, Alemanni fonti ejusdem amnis propinquiores, velut duo proci, de Gallia contenderunt, victoribus Francis aliquandiu parere coacti fuimus, tamen quum & Carlingorum stirps exolevisset; qui post Merovingos in Gallia regnarunt originis Germanicæ, jamque Parisiorum comes Hugo Capetus invasisset principatum, respiravimus paulatim, & in pristinam nos libertatem ipsi vindicavimus. Nec vero est, cur Gallos istius mutationis pœnitere debeat, quando optimas leges, disciplinam ac civilitatem à Romanis acceperunt. adeo non nocuerunt devictis à se populis quum magnus Alexander tum Romani. Nos avitæ ferociæ plusculum retinemus. *Rhenanus.* Idem Ann lib. 2. de iisdem Germanis: *jam corpus, ut visu torvum, & ad brevem impetum validum.* Columella lib. 3. *Germaniam decoravit altissimorum hominum exercitibus.* Sic Pausanias de Galatis in Phocicis, alii. *Colerus.* Forte melius, *sed.* Bambergensis, *tantum impetu valida.* Acidalius.

1 *Minimeque sitim*] 2. Hist. *Adjacentia Tiberi Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora, fluminis aviditas & æstus impatientia.* Similia apud Livium & Plutarchum. *Colerus.*

2 *Cælo solove assueverunt*] Suetonius Paulinus Othonianarum dux partium, quo nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, apud Tacitum nostrum lib. 2. Hist. spacium ac moras trahendi belli suadens, *Germanos* ait, *quod genus militum apud hostes atrocissimum sit, tracto in æstatem bello, fluxis corporis mutationem soli cælique haud toleraturos.* Ac videmus Italos, Hispanos, ac etiam hodie Gallos in alienis terris commode habere, nostrates contra ad omnem plerumque externum cœli afflatum languescere. *Rhenanus.*

3 *Et si aliquanto specie differt*] Nescio quid idem liber sibi velit, *etsi aliquando specie aret.* An, *variet?* Lipsius.

4 *Ventosior qua Noricum*] Vix fides. Loca certe quæ humida & ad mare, magis obnoxia ventis, quam sicca & mediterranea, quod utique verissimum experimur in omni Germaniæ isto tractu, qui ad Septemtrionem. Sed nec ventorum proprie hic res est: de humore agitur, aut siccitate Anne *verticosior*, ausim legere? id est magis alta & montana? Mela quidem ita disparat, in hac ipsa terra describenda: *Terra multis impedita fluminibus, multis montibus aspera, & magna ex parte silvis aut lapidibus invia.* An frustra angimur? & ventosam accipi, pro sicca atque aërea, simplicius & verius sit? *Idem.*

*Ventosior qua Noricum*] Lipsius docte arguit vulgatum, denique *verticosior* reponit: nisi *ventosior* capiendum, siccior ac magis aërea. Ego *verticosior* amplector; aut, quod eodem significatu ex iisdem vestigiis æque facile fit, *montosior*: sed & contra in prioribus pro *humidior*, *humilior* rescribo. *Acidalius.* Angitur hic doctiss. Lipsius. Sed caussa non erat. *Ventosum* vocat Noricum & Pannonias, non tantum quia sicca illa loca, sed etiam quia ibi silvarum ac montium copia, omnisque regio excelsior. Strabo de illa ipsa Germaniæ parte. Ἐξῆρται γὰρ ἡ χώρα πρὸς νότον καὶ συνεχὴς ταῖς Ἄλπεσι ποιεῖ ῥάχιν τινὰ πρὸς ἕω τετραμμένην ὡς ἂν μέρος οὖσαν τῶν Ἄλπεων. *Colerus.*

5 *Satis ferax*] Sata accipit, pro omnibus quæ seruntur. Idem fere de Africa Sallustius in Jug. *Ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infœcundus.* Pichena.

6 *Pecorum fœcunda*] Et pascuis quoque minime destituta. Plinius 17, 4. *Nam quid laudatius Germania pabulis? Et tamen statim arena subest.* Colerus. Forte excidit vocula *hac*: ut lectum fuerit: *sed plerumque hac improcera.* Nihil tamen muto. *Conringius.*

7 *Plerumque improcera*] Malo, *pleraque.* De re ipsa autem, ita hodie contra est, ut armenta nostra Bataviæ aut Frisiæ, palmam poscere audeant contra omnia Europæ. *Lipsius.*

8 *Ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis*] Innuit Germaniæ boves parva habuisse cornua, quæ *honorem frontis* appellat. Horatius de cauda pavonis 1. Sat. 11. *cocllove num adest honor idem?* Plinius Paneg. ad Trajanum: *jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris.* *Honorem capitis* vocat, decoram & ornatam Trajani cæsariem. Quod autem Lipsius proceros boves hodie esse in inferiori Germania testatur, idem ego in nonnullis provinciis superioris præsertim Hungariam versus. Juvat adscribere locum ex Cassiodoro Var. 3. ep. 50. *Ideo præsentibus decernimus institutis, ut Alamannorum boves, qui videntur pretiosiores propter corporis granditatem, sed itineris longinquitate defecti sunt, commutari vobiscum* (Noricis scil.) *liceat, minores quidem membris, sed idoneos ad laborem: ut & illorum profectio sanioribus animalibus adjuvetur, & vestri agri armentis grandioribus instruantur.* Pichena. *Honor* nitorem & pinguedinem significat. Sic *honesti tori* apud Virgilium, Horat. 2. Serm. *Coclove num adest honor idem.* Verbum non

frontis. numero gaudent. [1] eæque solæ & gratissimæ opes sunt. [2] Argentum & aurum propitii an irati dii negaverint, dubito. Nec tamen affirmaverim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere. quis enim scrutatus est? [3] possessione & usu haud perinde afficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa legatis & principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, quam quæ humo finguntur: quamquam proximi ob usum commerciorum aurum & argentum in pretio habent, formasque quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt, atque eligunt: interiores [4] simplicius & antiquius [5] permutatione mercium utuntur. [6] Pecuniam probant veterem & diu notam, [7] Serratos, Bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla

non fecissem, nisi Pichena nuper *honorem* cornua interpretatus esset, cum per *gloriam frontis* cornua denotaverit Cornelius. *Colerus.*

1 *Eaque solæ & gratissimæ opes*] Sic & de Geryone Hispanorum rege scribit Justinus: *Armenta Geryonis, quæ illis temporibus solæ opes habebantur.* Rhenanus. Cæsar lib. 6. de Eburonibus: *Magno pecoris numero, cujus sunt cupidissimi barbari.* Colerus.

2 *Argentum & aurum propitii an irati dii negaverint*] Augustinus de Unitate Eccl. cap. 19. *Multi deo irato exaudiuntur. de quibus dicit Apostolus, Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis illorum. & multis Deus propitius non concedit quod volunt, ut quod utile est tribuat.* Idem serm. 55. de verbis Domini in Euang. Joannis cap. 7. *Aliquando Deus iratus dat quod petis, & Deus propitius negat quod petis.* Plinius 34. 1. tradit, æris metalla suo tempore in Germania reperta. *Pichena.* Negat inventam auri aut argenti venam in Germania suo tempore. Idem tamen Ann. 11. scribit Curtium Rufum in Germania, in agro nimirum Martiaco reclusisse specus quærendis venis argenti. Quod longe ante quam Tacitus hæc scripsit, factum esse constat. Conciliat controversiam sæculi nostri decus, & unicus harunce litium literatarum arbiter Justus Lipsius Saturn. 2, 1. Addo autem nec æs fodi solitum apud illos Germanos, nisi quod Plinius scribit lib. 34, 1. *Forumque nuper in Germania etiam provincia repertum.* Colerus.

3 *Possessione & usu haud perinde afficiuntur*] Videtur sensus: interiores ac rudes Germanos, nondum avaritia corruptos, æque possessionem atque usum auri argentique parvi pendere solitos. quod etiam verba sequentia satis ostendunt. Idem ergo erit, *haud perinde afficiuntur*, quod, perinde *haud afficiuntur.* Pichena. Subaudienda particula, quasi esset: *sed possessione. Haud perinde*, puta ac nos Romani & omnes fere aliæ nationes. *Gronovius.*

4 *Simplicius & antiquius*] Id est, justius. Maxima enim flagitia περὶ τὰ συμβόλαια καὶ τὴν τῶν χρημάτων κτῆσιν committi Strabo quoque testatur. Sic autem Mela de Sarmatis: *Sarmatæ auri & argenti maximarum pestium ignari vice rerum commercia exercent.* Vicem rerum vocat μεταβλητικήν. Quam Sabinus & Cassius quoque Jureconsulti antiquissimam esse ex Homero probarunt. *Colerus.*

5 *Permutatione mercium*] Quod moribus apud Germanos valebat, lege Lycurgus instituit apud Lacedæmonios. Justinus lib. 3. *Emi singula, non pecunia, sed compensatione mercium jussit: auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam, sustulit.* Vide Plutarchum in Lycurgo. *Pichena.*

6 *Pecuniam probant veterem*] Quæ semper lectio nova: at id nominis me commonefacit quam subfrigide hæc Plauti verba à doctiss. Lambino accepta sint. Bacchid.

*Sed Priamus hic multo illi præstat: non quinquaginta modo,*
*Quadringentos filios habet, atque equidem omnes lectos, sine probro.*

Locus ex eo pendet, quod Priamus non omnes illos quinquaginta filios ex justis nuptiis procrearat, Homerus lib. ult. Iliad.

Πεντήκοντά μοι ἦσαν ὅτ' ἤλυθον υἷες Ἀχαιῶν.
Ἐννέα καὶ δέκα μέν μοι ἰῆς ἐκ νηδύος ἦσαν,
Τοὺς δ' ἄλλους μοι ἔτικτον ἐνὶ μεγάροισι γυναῖκες:

i. *Quinquaginta mihi erant quando venerunt filii Græcorum, Novem & decem ex uno utero, Cæteros mihi in domibus mulieres pepererunt.* Cicero lib. 1. Tuscul. *At quinquaginta Priamus, quorum decem & septem ex justa uxore nati sunt.* Non consentiunt de numero legitimorum, causam de me ne petas; at in eodem dissidio Euripides, apud quem sic Hecuba suas miserias deflet. Hecub. Ἡμεῖς δὲ πεντήκοντ' ἄμμοροι δὲ τέκνων. i. *nos vero quinquaginta orba sum liberis.* Dicamus Hecubam vi doloris delenitam omnes quinquaginta falso sibi vindicasse. Virgilius vero non quinquaginta modo, sed centum Priamo fuisse scribit, lib. 2. Æn. *Vidi Hecubam centumque nurus.* Solvit Servius, sed morose. Quid si *centum* oratorie, non Latine. *Salmerius.*

7 *Serratos, Bigatosque*] Diu hos Serratos nummos quæro, homo alias non appetens valde nummum. Nam vulgo leviter defunguntur. & Serrati, inquiunt, nummi quibus serræ forma impressa sive incusa, ut Bigati quibus Bigarum. & de his quidem clarum est. oculi me docent cottidie. at de Serratis, quis obsecro in tanta ista copia nummorum veterum unum aliquem protulit aut proferet cum serra? Non vidi, non legi. Fulvius sane Ursinus, in gente Manlia nummum repræsentat, cujus in postica parte caput urbis, & inscriptum ROMA. SER. quod ipse interpretatur Serratum. sed quo argumento? Mille nummi cum illo capite, in quis

nulla affectione animi, sed quia [1] numerus argenteorum facilior usui est promiscua
6 ac vilia mercantibus. [2] Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. [3] Rari gladiis, aut [4] majoribus lanceis utuntur. [5] hastas, vel ipsorum vocabulo *frameas* gerunt, angusto & brevi ferro; sed ita acri & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, [6] vel cominus vel eminus pugnent. & eques quidem scuto frameaque contentus est, pedites & [7] missilia spargunt, pluraque singuli, atque

quis nihil tale. & potius id referendum ad Setrani cognomen, quod ex alia gente hærere huic potuit per adoptionem. An lectio solicitanda in Tacito? an *aratos*, aut *ratitos*, aut *Servianos* legendum? De prioribus quid fuerint, clarum: Servianos autem interpreter veteres regios, quos in pretio fuisse notat Suetonius Augusto. Servius certe primus regum, æs signavit. Adde quod in codice Bambergensi, *Servatos*. An servamus lectionem, & capimus Serratos eos, quorum ambitus dentatus atque asper sit in modum serræ? quæ proba nota, & nihil periisse longo usu aut resectione. Nummos ego quosdam argenteos ita formatos usurpasse his oculis sum certus. Spectasse autem id eos in nummis vulgo, ratio & Tertullianus addocent: *Qui venditant, prius nummum quo paciscantur examinant, ne scalptus, neve rasus, ne adulter sit.* Sed tu erudite lector cogita. nam de me Tullianum illud habe, *Cede, eia manum tollo.* Lipsius.

*Serrates Bigatosque*] *Nota argenti* inquit Plinius 33, 3. *fuere bigæ atque quadrigæ, & deinde Bigati Quadrigatique dicti.* Porro argenti *bigati* ex Gallis Boiis, item ex Liguribus Romam allati sæpe fit mentio Livio: Nec aliter apparet *Serrates* ab impressa Serræ nota appellatos. *Rhenanus.*

1 *Numerus argenteorum facilior usui est*] Magis placuit, *facilior*, ut in Veneto ac Bon. quam, *faciliori*, ut in vulgatis. *Pichena.*

2 *Ne ferrum quidem*] Cum tela corneis aut osseis etiam cuspidibus nonnulli acuerent, Plin. 11, 37. *Urorum cornibus barbari Septemtrionales potant, urnasque binas capitis unius cornua implent. Alii præfixa his pila cuspidant.* Non dubito hæc de Germanicis populis accipienda esse. Nam & illud de poculis alibi mihi lectum. Sed potarunt etiam onychinis illi patres nostri. Idem Plinius 36, 7. *Sed in Germania potoriis vasis inde factis primum, dein pedibus lectorum fellisque.* Colerus.

3 *Rari gladiis utuntur*] Iisque grandibus & oblongis. Plutarchus de Cimbris: *Μεγάλαις ἐχρῶντο καὶ βαρείαις μαχαίραις.* Cæsar item, Livius, & Historici passim. Illud dignum nota è Widichindo: *Erat illis diebus Saxonibus longorum cultellorum usus, quibus usque hodie Angli utuntur morem gentis antiquæ sectantes. Cultelli autem nostra lingua Sahs dicuntur: ideoque ajunt quidam Saxones nuncupatos.* De veritate etymi nescio: illud scio, falces oblongas & grandes frumentarias eo nomine etiam hodie nobis dici. *Lipsius.*

*Rari gladiis*] Sciro licet. Sidonius de Cimbris: *gladiisque gravatas Ante manus solas jussi portare catenas.* Suspicor fuisse proprio quodam nomine *Matores* dictos, quam vocem Gallicam esse Sisenna ait. Cultrum hodieque propter similitudinem reor, appellitare consuevimus *Metter* seu *Messer*. Eadem ratione à framea veteri Teutonico vocabulo dicimus adhuc *Frim*, sutorium an sartorium instrumentum, & minuto pugioni non dissimile. *Colerus.*

4 *Majoribus lanceis*] Mirum, quod hic rarum id telum facit: at in Annalibus vulgat. Ut lib. 1. de Cheruscis: *Hasta ingentes, ad vulnera quamvis procul facienda.* Et 11. universe de Germanis: *Immensa Barbarorum scuta, enormes hastæ.* Iterumque: *Artis locis prælongas hastas non protendere, non colligere.* Nusquam de illis brevibus, quas Frameas vocat. *Lipsius.*

5 *Hastas, vel ipsorum vocabulo frameas*] Quod genus teli fuerit, quæro. Isidorus vult gladium fuisse. *Framea*, inquit, *gladius ex utraque parte acutus, quam vulgo Spatham vocant. Ipsa est & Romphæa.* Valde à Tacito abit, qui clare appellat Hastam: & addit, eodem telo cominus eminusque pugnasse. Non ergo gladius. Numquid Romphæa? nam & hoc addidit. pariterque Glossæ veteres, *Framea, ῥομφαία.* Ambigo, nec facile inducor credere, si Valerii quidem descriptio hæc proba: Argonaut. l. 6.

*Æquaque, nec ferro brevior, nec romphæa ligno.*

Facit enim genus teli, in quo hastile & mucro pari fuerint longitudinis modo. Tacitus autem aliud fuisse in sua Framea docet, quam statuit *brevi & angusto ferro.* Itaque magis est ut ad exemplum Hastæ sive *Spiesse* nostræ fuerit, breviore tamen ligno. *Idem.*

6 *Vel cominus vel eminus*] Saxo Grammaticus huc videtur respexisse lib. 1. *Framea torta necem geminabit.* Describit & Diodorus Siculus: & nescio an etiam Plutarchus in Mario, ubi de equitibus Cimbrorum: *Ἀκόντισμα δὲ ἦν ἑκάστῳ διβόλον.* Sed aliud hoc videtur fuisse telum: nim. bipennis illa, quam postea creberrime Franci usitavere: unde & apud Gregorium Turonensem *Francisca* dictæ. Talem Sidonius intellexit: *Excussisse citas vastum per inane bipennes, Et plaga præscisse locum.* Breve telum fuit usitatum etiamnum quibusdam in Germania. Idem Tacitus haud dubie innuit Ann. 2. ubi Germanicus inter missilia Germanorum numerat *præusta aut brevia tela.* Colerus.

7 *Missilia spargunt*] Virgil. 12. Æn. *Et nos tela pater,*

que in immensum vibrant: [1] nudi aut sagulo leves. nulla cultus jactatio: [2] scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt paucis loricæ: [3] vix uni alterive cassis, aut galea. Equi non forma, [4] non velocitate conspicui. sed [5] nec variare gyros in morem nostrum docentur. [6] In rectum aut uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo posterior sit. [7] In universum æstimanti, [8] plus penes peditem roboris: [9] eoque mixti

*pater, ferrumque haud debile dextra Spargimus.* Pichena.

1 *Nudi aut sagulo leves*] De iisdem Germanis Seneca de Ira 1, 11. *Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisa sunt, non suffugia adversus perpetuum cœli rigorem.* Idem.

2 *Scuta tantum*] Alibi idem Tacitus: *Non loricam Germano, non galeam; ne scuta quidem ferro nervoque firmata, sed viminum textus, vel tenuis & fucatas colore tabulas.* Ait duplicem fuisse scutorum materiam vimina & tenues tabulas. Talia è viminibus aut cratibus plerisque etiam Scythiæ gentibus fuisse legimus. Et Persis tribuit Herodotus. unde sumsit veteris Glossarii auctor: Γέῤῥον, εἶδος ἀσπίδος Περσικῆς *Crates.* Plutarchus equitibus Germanorum lectis etiam galeas adsignat, ferarum rictibus & cristis insignes. *Colerus.*

3 *Vix uni alterive cassis aut galea*] Nihil ambigo quin esse debeat, *galea.* proinde & sic emendavimus. Occasionem errato dedit mox sequens vocabulum quod incipit ab è litera. *Rhenanus.* Isidorus Etymol. 18, 14. sic discriminat: quod *Cassis de lamina est, Galea de corio.* Pichena.

4 *Non velocitate*] Labore tantum boni. Cæsar lib. 4. *Germani importatis jumentis non utuntur, sed quæ sunt apud eos nata prava atque deformia. hæc quotidiana exercitatione, summi ut sint laboris, efficiunt.* Colerus.

5 *Nec variare gyros*] Qui mos Romanorum nec laude, nec fructu suo caruit. Tangit eum Virgil. 9. Georg.

*——— ubi quarta accesserit ætas*
*Carpere mox gyrum incipiat gradibusque sonare*
*Compositis, sinuetque alterna volumina crurum.*

De usu Xenophon: Δεύτερον δὲ ὅπως ἐν παντοίοις χωρίοις ἱππάζεσθαι δυνήσονται, καὶ γὰρ οἱ πόλεμοι ἄλλοτε ἐν ἄλλοις τόποις γίγνονται. Huc facit & Vegetius lib. 3. *Idem.*

6 *In rectum*] Equestria prœlia loca silvestria & aspera aversari: directo autem impetu hastatos ingruere solitos scribit Leo Imp. c. 18. Nam quæ ibi de Langobardis loquitur, de Germanis accipio. *Idem.*

7 *In universum æstimanti*] Sic in Agricola: *In universum tamen æstimanti, Gallos vicinum solum occupasse credibile est.* Idem.

8 *Plus penes peditem*] Infra de Cattis: *Omne in pedite robur.* & addit deinceps: *Alios ad prœlium ire videas. Cattos ad bellum.* Ergo plus in pedite momenti esse, quam in equite censuit Cornelius. Idem magis expresse scribit Hist. 1. *Namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipsos. nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum.* Plus enim profecto omnibus corporis partibus virtus se in pedite, quam in equite exserat. Disertissimus & peritissimus Xenophon lib. 3. Κύρου ἀναβ. οἱ μὲν γὰρ ἐφ' ἵππων κρέμανται φοβούμενοι οὐχ' ἡμᾶς μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ καταπεσεῖν· ἡμεῖς δὲ ἐπὶ τῆς γῆς βεβηκότες, πολὺ μὲν ἰσχυρότερον παίσομεν, ἤν τις προσίῃ· πολὺ δ' ἔτι μᾶλλον ὅτου ἂν βουλόμεθα, τευξόμεθα. i. *Nam illi in equis hærent, non tantum vosmet metuentes, sed & ne excutiantur. Nos terra firmiter nixi longe vehementius feriemus, si quis accedat, & multo magis quod appetimus, attingemus.* Insignes etiamnum Germani nostri pedestri illa militia. Aristoteles tamen equitem ut priorem, ita usu potiorem facere videtur Polit. 4, 13. *Idem.*

9 *Eoque mixti prœliantur*] Id pugnæ genus adfabre describitur à Cæsare lib. 1. Gall. & 8. Ea quasi exercitio & meditatione quadam bellica, etiam extra prœlia utebantur Germani. An non ipse quoque Cæsar exemplo Germanorum usurpavit? scribit sane alicubi de se: *Equitatum omnes, Germanosque pedites summæ velocitatis omnes ad castra hostium præmittit.* Ejusmodi pedites in prœlio equitibus miscuisse se, & Velitum loco habuisse ipse fatetur. Alia Gallorum ratio fuit equestris militiæ, hodiernam nostram nonnihil referens. De ea belle narrat Pausanias Phocic. Verba pluscula sunt & ita à me versa: *Singulis equitibus additi famuli duo, equites & ipsi equestrisque disciplina periti. Hi dominis laborantibus, in exteriori acie præstolantes ei usui serviebant, ut, si forte ille equum amisisset, suum subderent. Si ipse cecidisset, illi succederent. Si uterque periisset tertius sufficiebatur in cæsorum locum. Enimvero si vulnere primus ille saucius esset, ex optionibus illis alter eum subducebat, alter ejus vicem præstabat. Hæc ut opinor, apud Gallos ad imitationem Persarum instituta sunt. Nam & ipsi dilectos habebant ex omni numero, militum videlicet dena millia, quos Immortales dicebant. Illud discrimen est, quod facto demum prœlio illi succenturiant: Galli in ipso prœlio cæsis vel sauciis succedunt vel suppeditant. Hanc equidem equestris pugnæ institutionem, voce vernacula Trimarcisiam vocant. Equum enim Marcam indigitant.* Gallicana etiam vox erat *Marescalcus*, quæ equorum custodem, aut servum cui equorum cura, significabat. Ac vereor ne scripserit potius, aut certe scribere debuit Pausanias *Mara* pro *Marca.* Imò non debuit, vel Plinio suadente, qui *Marcam* Celtarum lingua equum macilentum interpretatur. Majoribus nostris *Scalcum* servum fuisse appellatum, docent priscæ linguæ nostræ fragmenta, ab aliis vulgata.

mixti prœliantur, apta & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos ante aciem locant. Definitur & numerus: [1] centeni ex ſingulis pagis ſunt: idque ipſum inter ſuos vocantur. & quod primo numerus fuit, jam nomen & honor eſt. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rurſus inſtes, [2] conſilii quam formidinis arbitrantur. [3] Corpora ſuorum etiam in dubiis prœliis referunt. [4] Scutum reliquiſſe præcipuum flagitium. [5] nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas. multique ſuperſtites bellorum, infamiam
7 laqueo finierunt. [6] Reges ex nobilitate; duces ex virtute ſumunt. [7] Nec regibus infinita aut libera poteſtas; & duces [8] exemplo potius quam imperio, ſi prompti, ſi conſpicui: ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. Ceterum [9] neque animadvertere, neque vincire, [10] neque verberare quidem niſi ſacerdotibus permiſſum: [11] non quaſi in pœnam nec ducis juſſu, ſed [12] velut deo imperante, quem adeſſe bellan-

gata. Sic *Geteſcalcum* miniſtrum Dei recte interpretabimur. Dithmarus de ejus appellationis Epiſcopo Friſingenſis *Nomen cum re poſſidens*. Unde oſtendi poſſit, *Mareſcalcum* & *Marquardum* eundem fuiſſe dictum. Nam *Marcuardus* eſt, qui curat equos γυναῖκας. *Colerus*.

1 *Centeni ex ſingulis pagis*] In libro veteri legitur. *Centum*. Rhenanus. Antiquiſſimum Gloſſarium noſtrum Latino-Teutonicum MS. *Centurio præfectus, hundre*. Boxhornius.

2 *Conſilii quam formidinis arbitrantur*] Locutio Tacito familiaris, de qua ante admonuimus in caſtigationibus Annalium, & in ejus operis initio. *Rhenanus*. Idem de Cattis ſcribit lib. 1. Ann. *Non auſa hoſte terga abeuntium laceſſere; quod illi moris, quoties aſtu magis quam per formidinem ceſſit*. Colerus.

3 *Corpora ſuorum*] Contrarium plane in exercitu Brenni accidiſſe ſcribit Pauſanias lib. 10. *Idem*.

4 *Scutum reliquiſſe, præcipuum flagitium*] Magis enim illis curæ erat, ut milites corpora defenderent, quam ut hoſtes offenderent. Amm. Marcell. lib. 25. *Epaminondas dux ille inclitus, letaliter apud Mantineam ſaucius, & reverſus ex acie, conquirebat ſolicite ſcutum: quod cum vidiſſet propius, lætior, vi vulneris interiit: & qui animam intrepidus amittebat, jacturam clipei formidavit*. Idem ex Juſtino lib. 6. *Pithena*. Exemplo quodam Lacedæmoniorum. Hinc illa moribundi Epaminondæ vox olorina, *an ſcutum ſalvum eſſet*. Et Lacænarum matrum admonitiones: ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. *Colerus*.

5 *Nec aut ſacris*] An leviorum etiam criminum pœna fuit, ſacrorum interdictio? Κερκέται quidem apud Nicolaum τοὺς ἀδικήσαντας τῶν ἱερῶν ἀπείργουσι. Fuere autem *Cercetæ* illi Scythæ, quibus cum Germanis communia ſexcenta. *Idem*.

6 *Reges ex nobilitate*] Quam recte aut prave, doceat Ariſtoteles 5. Polit. 10. *Idem*.

7 *Nec regibus infinita*] Satis tamen pollens, prægnans, fuit ante Caroli Magni tempora etiam apud Gallos. Lege Eginhardum in vita Caroli. *Idem*.

8 *Exemplo*] Panegyriſta vetus: *Dux conſilio eſſe, miles exemplo*. Livianus ille imperator: *Facta, non dicta, vos milites ſequi volo: nec diſciplinam modo, ſed exemplum etiam à me petere*. Severe hæc exempla à Ducibus ſuis exegiſſe Germanos non eſt dubium. Amm. Marcellinus lib. 16. *Alamannorum peditum fremitus indignationi mixtus auditus eſt, vociferantium relictis equis ſecum debere verſari regales, ne ſi quid contigiſſet adverſum, deſerta miſerabili plebe, facilem diſcedendi copiam reperirent*. Idem.

9 *Neque animadvertere*] Repugnare Cæſar videtur lib VI. *Cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magiſtratus qui ei bello præſint, & vitæ neciſque habeant poteſtatem deliguntur*. Sed Cæſar de belli tempore tantum: noſter in pace intellexit. *Lipſius*.

*Neque animadvertere, neque vincire*] Pugnantem Cæſaris locum affert Lipſius: idem conciliare ita ſtudet, quaſi Cæſar de belli tantum tempore, noſter in pace intellexerit. Vane. Clariſſimum ex ſequentibus verbis de belli etiam tempore Tacitum ſentire. Quid enim aliud ex iis colligas? *Non quaſi in pœnam, nec ducis juſſu, ſed velut Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt*. Acidalius.

10 *Neque verberare quidem*] Scribe, *ne verberare quidem*. Gronovius.

11 *Non quaſi in pœnam*] Cur ita? quia nefas quoddam videbatur, puras ſacerdotum manus rerum capitalium damnatione pollui. Vide Plutarch. in Quæſt. Rom. *Colerus*.

12 *Velut Deo imperante*] Serium & pium Germanorum inſtitutum. Uſi eo Romani quoq; aliquando, ſed aſtute & per fucum; & auctoritatis, non ſupplicii cauſſa. Hinc Ægeria Numæ. Cella Capitolina Scipionis. Sullæ imaguncula Delphica. Sertorii cerva. Nec obſcurum quid apud Græcos Minos, Piſiſtratus, Lycurgus, Zaleucus ſapienter factitarint. Græci enim poteſtati Regiæ ſacerdotium exæquarunt. Apud Romanos Flamini Diali jus vinciendi & coërcendi non quidem fuit, inſignia tamen poteſtatis & honoris uſurpavit, id eſt, lictorem & ſellam curulem habuit. Helmoldus de Rugianis ſcribit: *Flammem ſuum non minus, quam Regem venerantur*. Et de Sclavis: *Rex apud eos modicæ æſtimationis eſt comparatione flaminis*. Idem.

1 *Effi-*

bellantibus credunt: [1] effigiesque, & signa quædam detracta lucis in prœlium ferunt. Quodque præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed [2] familiæ & propinquitates. & [3] in proximo pignora unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: [4] nec illæ numerare, aut exsugere plagas pavent. [5] Cibosque & hortamina pugnantibus gestant. Memoriæ proditur, quasdam acies inclinatas jam & labantes à femi- 8
nis

1 *Effigiesque & signa quædam*] Subintelligendum, effigies & signa ferarum. Quem morem clarius expressit 4. hist. *Hinc veteranarum cohortium signa, inde depromta silvis lucisque ferarum imagines, ut cuique genti inire prœlium mos est.* Pichena.

2 *Familiæ & propinquitates*] Gorgias Thebanus animadvertens, quanta etiam in bello, esset vis amoris cohortem ex trecentis delectis viris inter se amantibus, instituit, quam *Sacram cohortem* appellavit. ut tradit Plutarchus in Pelop. & Max. Tyrius serm. 8. *Pichena.* Simili fortitudinis irritamento, sed non æque solido & efficaci usi sunt quondam Thebani, qui trecentos delectos & dilectos invicem vel ut Plutarchus loquitur ἐραστῶν καὶ ἐρωμένων constituere. Eam cohortem mutuo amoris nexu conjunctam *Sacram* illi dixere. Illius præstantiam & invictam fortitudinem ad prœlium usque Chæronense durasse scribit ipse Chæronensis Plutarchus. Curtius: *Amyntas Andromenis ab Antipatro Macedonum peditum sex millia adduxit quingentos præterea ejusdem generis equites.* Videtur illud dicere, gentilium & cognatorum turmas etiam in exercitu Macedonico Alexandri fuisse. Nisi verius & simplicius ejusdem generis dici existimemus, ejusdem generis Macedonici equites. ut frustra de illius loci sententia aliter senserit vir doctus apud Vegetium l. 2. c. 2. *Colerus.*

3 *In proximo pignora, unde feminarum ululatus*] Britannis quoque mos, conjuges ad bellum ducere. Tacitus in Agric. *nulla Romanos conjuges accendunt.* & Ann. 15. *animo adeo fero, ut conjuges quoque testes victoriæ secum traherent, plaustrisque imponerent.* Idem de Thracibus 4. *illis extrema jam salus, & adsistentes plerisque matres & conjuges, earumque lamenta, addunt animos.* Pichena. Atqui cum matribus in prœlio extra aciem collocari in carris solitos scribit Cæsar lib. 1. Gall. Sed hoc fortasse tantum atrocissimis prœliis & rebus desperatis. Orosius lib. 6. de Suevis ac Sicambris: *Quorum ex eo considerari virtus ac feritas potest, quod mulieres quoque eorum, si quando præventu Romanorum inter plaustra sua concludebantur, deficientibus telis, vel qualibet re qua velut telo furor uti possit, parvos filios collisos humi, in hostium ora jaciebant.* Colerus.

4 *Nec illæ numerare, aut exsugere plagas pavent*] Ita Rhenanus: spectatque suctus ille ad medicinam, Homero etiam non ignotam: qui de Machaone Iliad. δ. vers. 218.

Αἷμ' ἐκμυζήσας, ἐπ' ἄρ' ἤπια φάρμακα εἰδὼς
Πάσσε.

Farnes. tamen codex & Rom. *exigere.* quod robur fœmineum magis exprimere videtur, tamquam illæ non numeraverint solum plagas, sed exegerint; expostularintque cum suis si illæsi rediissent, tamquam ignavi & vitæ suæ parci. *Lipsius.*

*Nec illa numerare, nec exigere plagas*] Restituimus, *exugere*, nostrum secuti judicium. Quia vero particula, *nec*, non erat in codice cum quo contulimus, arbitror scriptum fuisse, *Nec illa numerare, exugere plagas.* Rhenanus. Probat Lipsius alteram lectionem ex Farnesiano & Rom. codice, *exigere plagas.* Mihi autem vulgata melior. Non est verisimile mulieres Teutonicas tam avide à suis vulnera exegisse, quippe quorum sciebant impatientissimos esse, quam diligenter curasse. Germanicus apud Tacit. de Germanis: *Corpus ut visum torvum & ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia.* Colerus. Placet *exigere*, sed ut *sarta tecta exigere, ad summam veritatem jus exigere.* Quasi taxare ac plus aut minus in illis virtutis agnoscere. Vide Observ. 1, 8. *Gronovius.*

5 *Cibosque & hortamina*] Quæ illa hortamina? Virium reor, aut certe potum vini loco adhibitum, quippe non tantum firmandis, sed etiam incitandis fessis militibus vino & aliis calidioribus potionibus iracundiam audaciamque facillime provocari scripsere Aristoteles, Plutarchus, Athenæus. Sed de vino, quid ni adfirmem, tum id importatum Germanis, cujus erant haud dubie cupidissimi. Milites Nigri apud Spartianum: *Vinum non accepimus, pugnare non possumus.* Pausanias de Thracibus lib. 9. Καὶ τοῖς ἀνδράσιν ὑπὸ τούτου κατίσχη μεθυσκομένοις ἐς τὰς μάχας χωρεῖν. Multa communia Thraces & Germanos habuisse notavi alibi. Forsan & hoc. Cur autem hortamen quoddam fortitudinis vinum dici queat, pulchre Seneca docet lib. 1. de Tranquill. Vitæ. *Liberque non solum ob licentiam linguæ dictus est inventor vini, sed quia liberat servitio curarum animum, & asserit vegetatque & audaciorem in omnes conatus facit.* Colerus. Nugatur strenue, non videns Tacitum ludere in verbo *gestare*, quod aliter accipitur quum refertur ad *cibos*, aliter cum ad *hortamina.* Hæc enim sic *gestantur*, ut *fertur salus*, ut *portatur ave.* Plautus Pœn. *Salutamus te, Lyco, quanquam hanc salutem ferimus invitè tibi.* Martialis. *Et matutinum portas ineptus ave.* Et cibos eis ministrant,

nis restitutas, [1] constantia precum & [2] objectu pectorum, & monstrata cominus [3] captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent: adeo ut efficacius obligentur animi civitatum quibus [4] inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur. [5] Inesse quinetiam sanctum aliquid, & providum putant: [6] nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt. [7] Vidimus sub divo Vespasiano Velledam,

strant, inquit, & verbis stimulos ad virtutem addunt. *Gronovius.*

1 *Constantia precum*] Cæsar idem scribit de mulierculis Gallicanis l. 7. de Assyriis Xenophon Κύρ. παιδ. *Colerus.*

2 *Objectu pectorum*] Plutarchus Mario: Ἀναπεφυρμέναι μαχομέναις, καὶ χερσὶ γυμναῖς τοὺς δὲ θυρεοὺς τῶν Ῥωμαίων ἀποσπῶσαι, καὶ τῶν ξιφῶν ἐπιλαμβανόμεναι, καὶ τραύματα καὶ διακοπὰς σωμάτων ὑπομένουσαι μέχρι τελευτῆς ἀήττητοι τοῖς θυμοῖς. i. *Quæ pugnantibus mistæ, nudis manibus scuta Romanorum detrahebant, gladios prensabant, vulnera & lacerationes corporum perpetiebantur. ad mortem usque animis invictæ.* Idem.

3 *Captivitate*] Quam morte etiam graviorem longe ducebant Germani. Xiphilinus in Caracalla de mulieribus illorum: Τούτων γυναῖκες ἁλοῦσαι ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων, ἐρωτώμεναι πρὸς αὐτοῦ τοῦ Ἀντωνίνου πότερον πραθῆναι ἢ φονευθῆναι βούλονται, τοῦτο εἵλοντο. Ἔπειτ' ἀπεμποληθεῖσαι, πᾶσαι μὲν ἑαυτάς, ἔνιαι δ' αἳ καὶ τὰ τέκνα, ἀπέκτειναν. i. *Harum mulieres captæ à Romanis interrogatæque ab Antonino venire an occidi mallent, morti annuere. Postea cum venditæ essent, omnes sibi ipsæ manum admolere, quædam etiam liberos una mactavere.* Idem.

4 *Inter obsides puellæ quoque*] Igitur ad Germanos referam, quod generatim a Suetonio scriptum, in Augusto cap. XXI. *A quibusdam, novum genus obsidum fœminas exigere tentavit, quod negligere marium pignora sentiebat.* Etsi cur id Tranquillo novum? Romani ipsi virgines obsides Porsenæ olim dederunt, interque eas Clœliam. Athenæus id primum inventum Cleonymo Spartano vult, parum vere, lib. XIII. cap. XXVIII. Ἐμοὶ γὰρ, inquit, κατὰ φύσιν δοκεῖ πεποιηκέναι Κλεώνυμος ὁ Σπαρτιάτης, πρῶτος ἀνθρώπων εἰς ὁμηρείαν λαβὼν παρὰ Μεταποντίνων γυναῖκας παρθένους τὰς ἐνδοξοτάτας καὶ καλλίστας διακοσίας. id est: *Mihi juxta naturam fecisse Cleonymus Spartanus videtur, qui primus mortalium* (magis recte, si primus Græcorum dixisset) *obsides à Metapontinis fœminas virgines accepit nobilissimas & pulcherrimas ducentas.* Ubi discis Metapontinos, imo credo ceteros Italiæ populos, habuisse antiquitus hunc morem. *Lipsius.*

5 *Inesse quinetiam sanctum aliquid*] Hoc etiam Romanis visum. Nam auctor est Suetonius, *A. Vitellium Cattæ mulieri velut oraculo acquiescere solitum. Proinde quum illa vaticinata fuisset, ita demum firmiter ac diutissime imperaturum, si superstes parenti exstitisset, creditur Vitellius matri cibum dari prohibuisse.* Fieri potest, ut Aurinia fuerit, quam ille Romanarum legionum in inferiori Germania præfectum agens, aliquando consuluerit, aut certe jam potitus rerum postea consulendam curarit. nam Velleda Bructera fuit. *Rhenanus.*

6 *Nec consilia earum*] Hocne supererat? heu ipsos parum firma mente, qui eam quæsivere apud amentem sexum! Et tamen adeo vera Taciti adfirmatio, ut Plutarchus narret, consultationibus omnibus apud Celtas (ita Germanos Græci vocant) de pace deque bello, fœminas adhiberi, & lites cum fœderatis aut sociis populis exortas earum interventu decidi. Verba ipsa in re parum credibili dabo. In libello De Virtutibus mulierum: Ἐκ τούτου διετέλουν, inquit, περί τε πολέμου καὶ εἰρήνης βουλευόμενοι μετὰ τῶν γυναικῶν, καὶ τὰ πρὸς τοὺς συμμάχους ἀμφίβολα δι' ἐκείνων βραβεύοντες. *Lipsius.*

*Nec consilia earum*] Plutarchus eadem in Γυναικ. ἀρετ. Sed ibi etiam de Gallis Cisalpinis intelligendum. Eadem fœminarum auctoritas apud Sarmatas fuit, quibus ipsi, ut testatur Nicolaus Damascenus, πάντα πείθονται ὡς δεσποίναις. *Colerus.* Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. p. 305. Ἐστὶ δὲ καὶ παρὰ Γερμανοῖς αἱ ἱεραὶ καλούμεναι γυναῖκες, αἳ ποταμῶν δίναις προσβλέπουσαι καὶ προθεσπίζουσι τὰ μέλλοντα· αὗται γοῦν οὐκ ἐῶσιν αὐτοὺς τὴν μάχην θέσθαι πρὸς Καίσαρα, πρὶν ἐπιλάμψαι σελήνην τὴν νέαν.

7 *Velledam*] De qua multa noster lib. IV. Histor. quam captivam & in triumpho postea ductam colligas ex Statio:

*Non vacat Arctoas acies Rhenumque rebellem*
*Captivaque preces Veledæ.*

qui nomen tamen id corripit: cujus germanam scripturam fuisse censeo *Weldam.* Huic successit in dignatione & divinatione *Ganna*, sub Domitiano celebris. Dio in Frag. XLIX. Καὶ Γάννα παρθένος μετὰ τὴν Βελήδαν ἐν τῇ Κελτικῇ θειάζουσα: *Ganna virgo, post Veledam, in Germania, divina & vates.* Addit, ad Domitianum venisse, & præmiis ab eo affectam. Quæ ipsa ex Dione Suidas (tacito nomine, ut solet) in voce θειάζουσα. *Lipsius.*

*Vidimus sub divo Vespasiano Velledam*] Hæc virgo Bructeræ nationis erat, ad quam non facile quisquam admittebatur. *Habitabat enim in edita turre, & delectus è propinquis consulta responsaque ut internuncius portabat.* Sic enim eum Taciti locum castigavimus. *Rhenanus.* De Veleda Tacitus supra lib. 4. ab excessu Neronis ita scribit: *Mummius Lupercus legatus* legionis inter dona missus Veledæ. Ea virgo nationi Bructeræ late *imperitabat.* Statius Silv. lib. 1. *Captivaque preces Veledæ.* fœminæ autem quanto in honore apud Germanos fuerint, ex his etiam

ledam, diu apud plerosque numinis loco habitam. Sed & olim [1] Auriniam, & compluréis alias venerati sunt, non adulatione, [2] nec tamquam facerent deas. [3] Deorum 9

etiam antiquis inscriptionibus intelligere possumus. *MATRONIS. RVMÆABVS. SACR. L. VITELLIVS. CONSORS. EXPO. LEG. VI. VICTRI.* Item: *T. FRATERNVS. MATRIBVS. GALLAICIS. V. S. L. M.* Ursinus. Apud Germanos veteres *Vel*, aut *Vella* significat viraginem. Id mihi constat ex Glossario, de quo jam dixi, MS. quod aliquando in lucem emissurus sum. Hinc fortean illud hodieque Belgis nostris frequentatum: *het is een fleus vel*, cum de viragine loquuntur. *Boxhornius.*

1 *Auriniam*] Farnes. liber, *Fluriniam.* Putem fuisse, *Alvriniam.* Quod Jornandes mihi auctor in rebus Gothicis, non proprium nomen, sed commune omnium sagarum fuisse. *Repperit*, inquit, *in populo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone Alterunas ipse cognominat.* De fatidicis autem fœminis Germanorum, præter Cæsarem lib. I. Plutarchum in Mario & Cæsare, Strabonem lib. VII. vide etiam Clementem Stromate I. *Lipsius.*

*Auriniam*] Ita quoque Bartolinus legerat apud Tacitum: *Evolat Hercinio ad superos Aurinia luco.* Lipsius ex Jornande non improbet *Alterunam.* Ubi potius legendum crediderim, *Alsterunas*, quasi dicas vetulas runas, sive sagas. Excellentiores autem sagarum colebant, veluti Deas, & consuluntur tales hodieque in multis locis velut quædam Sibyllæ. Sic *Guthrunam*, bonam sagam recte interpretere apud Saxonem Grammaticum lib. 8. *Veneficam, cui Gutruna erat vocabulum, consulunt.* Nescio etiam ob quam caussam majores nostri *Mandragoram*, Altrunam appellitavere. credo quia veneficiis & incantationibus adhiberetur. *Colerus.* *Auriniam* quod spectat, id vocabulum contractum iisdem Belgis etiamnum in usu est. Sagam enim, fatidicam & divinatricem, *Aunier*, vel mollius, *Eunier* vocant. *Boxhornius.* Sagam vetulam & murmuratricem. *Runen* enim, antiqua voce actum susurrandi notat. *Hellerumnas* vero Ricardus Argentinus: nec longe aliter Gesnerus vocat *Hellerunas*, i. cum inferis & dæmonibus secreto murmurantes. Doctissimus Lindenbrogius & veteri Glossario Latinotheotisco Magni Etruriæ Ducis profert, *Helliruna.* Quidam *Aly* & *Halyrunas* ab opinione sanctitatis. *Haly* enim veterum lingua sanctus. *Adelrunas* Jo. Magnus 6. Goth. 24. & Alrunas egregius Loccenius 2. Antiq. Sueogoth. 14. Etenim *Runa* Gothis ars, sæpe magia. *Alironiam* ea Aventino & Trithemio, aque Hebræorum radice, quasi excelsorum atque heroum in prœlio cantatrices Schedius 2, 43. *Kirchmajer.*

2 *Nec tanquam facerent deas*] Si interpreteris eas loco numinis habitas non esse, Cornelius minime sibi constat. Supra: *Inesse quinetiam sanctum aliquid* &c. Tum: *Vidimus sub Divo Vespasiano Volledam diu apud plerosque loco numinis habitam.* Quid ergo dicendum? Vere, non adulatorie pro deabus habebantur: τὸ *facere* enim de iis dictum, qui non vere dii vel ipsis cultoribus. Juvenalis Sat. 10. *Sed te Nos fortuna deam facimus, cœloque locamus.* Postremum his Tacitus illos oblique perstringit, qui se deos dici voluerunt, nec exempla procul erant petenda. Suet. 13. Domitianus enim *cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: dominus & deus noster.* Salinerius.

3 *Mercurium colunt*] Plura igitur ac certiora de religione Germanorum Tacito nota, quam Cæsari, qui contra scribit lib. VI. *Deorum numero eos solos ducunt quos vident, Solem, Vulcanum, & Lunam; reliquos ne fama quidem acceperunt.* Falso. Nam noster etiam in Annali XIII. scriptum reliquit: *ab Hermunduris diversam aciem Marti ac Mercurio sacratam.* Paulus Diaconus l. I. notat Longobardis (ii autem Germani) *Wodam* Mercurium appellari. ego legerim *Wondam*, vel *Wenstam*: à lucro scilicet, cui præest, Majoribus quidem nostris ita dictum, claret vel ex Mercurii die, qui veteri & gentili appellatione nobis *Wensdach.* Lipsius.

*Deorum maxime Mercurium colunt*] Idem iisdem pene verbis à Cæsare Gallis attribuitur lib. 6. *Deum maxime Mercurium colunt.* notat vir doctiss. Tacitum Cæsare melius *calluisse* mores Germanorum. Idem ibid. *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur. Solem, & Vulcanum, & Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt.* Quid si Cæsaris tempestate reliqui nondum erant cogniti, qui tamen postea per hospites innotuere? *Salinerius.* Quem Paulus Diaconus *Vodam* appellat. Sed mallet ibi Lipsius: *Wondam* vel *Wonstam.* Non ita me Musæ ament, (ignoscat mihi vir summus, quem ego unice amo & colo) volentibus Musis. Gotefridus Viterbiensis in Chronico: *Vetam quidam Gotam adjecta litera dixerunt. Ipse est, qui apud Romanos dicitur Mercurius, & nunc ab universis Germanis, ut Deus adorabatur. unde usque hodie Got Teutonica lingua dicitur Deus.* Apud eundem Gotefridum Loclacus quidam antiquitatum, ut ipse ait, commentator. *Quod Vandali accedentes ad Idolum suum Godam, victoriam de Vinnulis postulaverunt.* Idem Sigefridus Presbyter in breviario suo scripsit. *Got* ergo à Vandalis & Longobardis vocabatur Mercurius, qui Saxonibus *Irmin.* Ejus templum cum columna evertit Carolus Magnus, ut in vetustis Annalibus Francicis scriptum *Irminsaul*, id est, statua Irmin's, appellabatur. Verba Annalium illa sunt: *Eresburgum castrum cepit, idolumque, quod Irminsul à Saxonibus vocabatur, evertit.* Apud Regionem recentiori nomine *Hermansaul* dicitur. Unde cognoscas *Irmin* & *Herman* idem apud illos fuisse. Græcum autem id nomen plane est Mercurii. In gratiam puta Germanorum passim etiam Romani apud eos agentes

rum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus, [1] humanis quoque hostiis litare fas habent. [2] Herculem ac Martem concessis animalibus placant: pars Suevorum & Isidi sacrificat. [3] Unde caussa & origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum [4] in modum liburnæ figuratum, docet advectam religionem. Ceterum [5] nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cælestium arbitrantur. [6] lucos ac nemora consecrant,

Mercurium colebant, ostendunt id variæ inscriptiones, & illa quam in Gallicana Rheni ripa, apud vetustum castellum *Wasselburg* anno descripsi. DEO. MERCVRIO. ATTEGIAM. TEGVLITIAM. COMPOSITAM. SEVERINVS. C. F. EX. VOTO. POSVIT. L. L. M. Ab Irmine denique illo composita nomina illa fluxere in nostram gentem, *Irmingardis* Ludovici uxor, *Irmingarius*, Comes Emporitanus, *Irminfridus*, Rex Turingorum; *Irmingild*, Gothorum Regis cujusdam filius. *Colerus.*

1 *Humanis quoque hostiis*] Quod Gallis Germanisque commune: & priscis testatum crebro. Illud noto, mansisse eam diritatem etiam inferiori ævo. Procopius lib. II. De Bello Goth. ait Francos etsi Christum jam colerent, humanis tamen ad suum ævum hostiis usos. Ditmarus lib. I. Nortmanos & Danos quotannis mense Januario dis suis immolasse XCIX. homines, totidem equos cum canibus & gallis: ab eaque barbarie Henricum Aucupem primum eos abduxisse. *Lipsius.*

2 *Martem concessis animalibus*] Non certe Gothi: de quibus Jornandes: *Martem semper asperrima placavere cultura: nam victima ejus mortes fuere captorum.* Idem.

*Herculem ac Martem concessis animalibus placant*] Omnibus scilicet, præter humanas. *Pichena.*

3 *Unde causa & origo*] Et ego juxta tecum, mi Tacite, cum ignarissimis ignoro. Petebam aliquod subsidium à Plutarcho, sed frustra. An ideo, quia Mercurii filia Isis? Sed quis hoc indocto populo aperuit. *Colerus.*

4 *In modum liburnæ*] Non absurda conjectura. Fuit sane talis forma Isidis, quam *Pelagiam* dixere. Pausanias Corinthiacis: Ἔστιν Ἴσιδος τεμένη ὧν τὴν μὲν πελαγίαν, τὴν δὲ Αἰγυπτίαν αὐτῶν ἐπονομάζουσιν. Lactantius lib. I. *Quod certus dies habetur in Fastis, quo Isidis navigium celebratur: quæ res docet non tranasse illam, sed navigasse.* Non temere suspicere hujus Pelagiæ Isidis sacra suscepisse Suevos ab ipsis Græcis: eos dico Suevos, quæ ad Istri ripas habitantes sæpe cum Sarmatis ad Pontum usque Euxinum excurrere. *Colerus.* Isidi quotannis mense Martio navigium dicari onustumque muneribus pelago committi solebat. In Kalendario rustico festum legimus mensis Martii, quod *Navigium Isidis* appellatur. De eodemmet Isidis navigio memoria est apud Apulejum II. Metam. Lactant. l. I. Fulgentium Placiadem in Mytholog. Lucianum in πλοίῳ, Diodorum Siculum. *Scioppius.*

5 *Nec cohibere parietibus Deos*] Id est, neque templis, neque domibus. Cicero de legibus lib. 2. *Nec sequor Magos Persarum, quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Græciæ dicitur, quod parietibus includerent Deos: quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset & domus.* Pichena. Idem Persis factitatum. Herodotus Clio: ἀγάλματα καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι. i. *statuas, templa, aras, statuere non solitos.* Cui Strabo concisius assentit lib. 15. Πέρσαι τοίνυν ἀγάλματα μὲν καὶ βωμοὺς οὐκ ἱδρύονται. i. *Persæ statuas & aras non statuunt.* Salinerius. Lactantius l. 2. *Dei, cujus spiritus ac numen ubique diffusum, abesse nunquam potest, semper ubique imago supervacua est.* Plane ex hoc sensu isti nostri proavi. *Colerus.*

6 *Lucos ac nemora consecrant*] Fatuam religionem quam Claudianus item iis opprobrat de laudib. Stil. lib. I.

*Ut procul Hercyniæ per vasta silentia silvæ*
*Venari tuto liceat, lucosque vetusta*
*Religione truces, & robora numinis instar*
*Barbarici, nostræ feriant impune secures.*

Sed & Lucanus apposite, in obsidione Massiliæ,

*Lucus erat, longo numquam violatus ab ævo.*
——— *hic barbara ritu*
*Sacra deum, structæ diris altaribus aræ,*
*Omnisque humanis lustrata cruoribus arbor.*

Bene ergo & merito *Religione truces* eos fecit Claudianus: quoniam victimæ, imo & homines, ad arbores has (è Lucano hauries) immolatæ. Ait etiam, *robora numinis instar.* Illustrabit Tyrius Maximus, qui *Celtas excelsam quercum coluisse* ait, *& Jovis nomine sollenniter appellasse.* Atque adeo posteriori etiam ævo mansit hic cultus. Luitprandi regis Longobardorum lex est: *Qui ad arborem, quam rustici Sanctivum vocant, adoraverit, vel incantationes fecerit, componat medietatem pretii sui in sacro palatio.* Tacitus hunc ipsum ritum saltem indicatum lib. IV. Histor. voluit, cum scripsit Civilem Batavos *specie epularum sacrum in nemus vocasse:* nec putaverim sane *sacri* vocem illic peculiare aut proprium silvæ nomen. Hæc in Germanis merito nos ridemus. sed cur Romani? illi in eadem navi. Plinius de arboribus: *Hæc fuere numinum templa, priscoque ritu etiam nunc simplicia rura deo præcellentem arborem dicant.* Seneca epistola XLI. *Si tibi occurrit vetustis arboribus & solitam altitudinem egressis frequens lucus, illa proceritas silvæ, & secretum loci, & admiratio umbræ, fidem numinis facit.* Lipsius.

*Luco*

erant, [1] deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod [2] ſola reverentia vident. Auſpicia, ſorteſque ut qui maxime obſervant. Sortium conſuetudo ſimplex: [3] virgam frugiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temere ac fortuito ſpargunt. mox ſi publice conſulatur, ſacerdos civitatis; ſin privatim, ipſe paterfamiliæ precatus deos, cælumque ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt; nulla de eadem re in eundem diem conſultatio. Sin permiſſum; auſpiciorum adhuc fides exigitur. & illud quidem [4] etiam hic notum, [5] avium voces, volatuſque interrogare. Proprium gentis, [6] equorum quoque præſagia ac monitus experiri. publice aluntur iiſdem nemoribus ac lucis, [7] candidi & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru ſacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur, hinnituſque ac fremitus obſervant. Nec ulli auſpicio major fides, non ſolum apud plebem, ſed apud proceres, apud ſacerdotes. Se enim miniſtros deorum,

*Luces ac nemora*] Eadem nemora ceteris etiam ſeptemtrionalibus pro templis fuere. Helmoldus de Ruſſis: *Uſque hodie profecto inter illos, cum cetera omnia communia ſint cum noſtris, ſolus prohibetur acceſſus lucorum & fontium, quos autumant pollui Chriſtianorum acceſſu.* Idem ſcribit Sclavos quercus coluiſſe, quas ambiverit atrium & ſepes accuratior lignis conſtructa. *Colerus.* Idem Gloſſarium; *Devotus, religioſus*, hold. Hoc autem vocabulum hodieque lignum ſignificat. *Boxhornius.*

1 *Deorumque nominibus appellant*] Quando vero deorum maxime Mercurium colebant, ut mox dictum eſt, prodit Paulus Diaconus à Longobardis *Vuodam* appellatum Mercurium, cogitandum, an *Odonis ſilva* der *Odenwalt* à Mercurio nomen habeat, ut à *Marte Martianum* nemus, *der Shwartzwalth.* Rhenanus.

2 *Sola reverentia*] Et hoc profecto pie. Hilarius: *Deus religione intelligendus eſt, pietate profitendus eſt, ſenſu vero perſequendus non eſt, ſed adorandus.* Colerus.

3 *Virgam frugifera*] Occaſio ῥαβδομαντίας videtur Aaronis virga Exod. 7. & 8. & 9. Diaboli κακοζηλία ab Ægyptiis ad Medos & Græcos Scythaſque & Germanos is ritus manavit. de Medis Dio & Nicander in Theriacis. Apud Græcos virga Circes & Mercurii. De Scythis Herodotus lib. 4. Convenit & quod de Alanis Ammianus lib. 31. *Futura miro præſagiunt modo. nam rectiores virgas fœmina colligentes, eaſque cum incantamentis quibuſdam ſecretis præſtituto tempore diſcernentes, aperte, quid portendatur, norunt.* Rugianis Saxo Grammaticus lib. 14. In legib. Friſiæ tit. 14. *Kirchm.*

4 *Etiam hic notum*] Etiam nota eſſe Germanis auſpicia, nil mirum, cum Cicero lib. 2. de Div. diſerte ſcribat: *omnes reges, populi, nationes utuntur auſpiciis.* Excelluiſſe tamen hac divinandi arte Piſidas, Cilices, Phrygas idem ſcribit. & de poſtremis etiam Clemens Alexandrinus teſtatum facit. Pauſanias ritus principium ad Parnaſſum refert. Et dubitat ille ipſe Græculus etiam an Galli & Germani ullam divinandi religionem habuerint. Ego vero etiam inveniſſe ajo, & legendum adeo hic apud Tacitum divino: *Et illud quidem etiam hic natum, avium voces, volatuſque interrogare.* Juſtinus lib. 24. de exercitu Brenni, quem è Gallis & Germanis conſtitiſſe conſtat: *Ex his portio in Italia conſedit, qua & urbem Romam captam incendit, & portio Illyricos ſinus ducibus avibus (nam augurandi ſtudio Galli præter ceteros valent) per ſtrages barbarorum penetravit.* Diodorum adde 5, 9. *Colerus.*

5 *Avium voces volatuſque*] Originem οἰωνομαντείας hujus à temporibus diluvii Noëmici arceſſo. Emiſerat videlicet aquarum, quatenus depreſſiores factæ eſſent, explorandarum ergo, ſemel iterumque aves Noah; corvum primo, & tres diverſis temporum periodis columbas: his velut auſpiciis, ſenſu optimo ac innocenti auguria de aquoſis tempeſtatibus ſumebat. Tranſiit ad poſteros memoria iſtius rei & per dæmoniacam κακοζηλίαν, hac etiam in parte decepti nefandis modis homines pagani. Ipſi etiam Judæi, quod graviter in illis ſæpe Numen reprehendit. Cæterum gens nulla unquam tam extreme dedita auguriis quam Romani & Etruſci. *Kirchm.*

6 *Equorum quoque præſagia*] Ditmarus Luizicis (qui veterem ſuperſtitionem adhuc retinebant) hoc idem præſagium equinum adtribuit: ſed diverſa paullum forma: *Equum*, inquit, *qui maximus inter alios habetur & ut ſacer ab his veneratur, ſuper fixas in terram duorum cuſpides haſtilium inter ſe tranſmiſſorum, ſupplici obſequio ducunt: & præmiſſis ſortibus quibus id exploravere prius, per hunc quaſi divinum denuo augurantur.* Lipſius.

7 *Candidi*] Opinor eam circa equos etiam Perſarum religionem fuiſſe. Pervulgatum eſt de equo Darii regnum auſpicantis. In expeditione Cyri ſcimus equos fuiſſe candidos, ſummæ apud eum regem æſtimationis, & ſacros appellatos. Eorum meminit Herodotus lib. 1. & 7. hoc modo: μετὰ δὲ τούτους ἵπποι οἱ ἱεροὶ καὶ τὸ ἅρμα τὸ ἱερόν. Et ita Tacitus *preſſos ſacro curru.* Ejuſmodi equos Perſæ à Cilicibus

rum, illos conscios putant. Est & alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. Ejus gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committunt.
11 victoria hujus vel illius, pro præjudicio accipitur. De minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes. ita tamen, ut ea quoque, [1] quorum penes plebem arbitrium est, [2] apud principes pertractentur. Coëunt, nisi quid fortuitum & subitum inciderit, certis diebus, cum aut [3] inchoatur luna aut impletur. nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. [4] Nec dierum numerum ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt. [5] nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium quod [6] non simul, [7] nec jussi conveniunt, sed & alter, & tertius

bus quotannis tributi nomine exigebat trecentos sexaginta. Eo fere pacto, centum equos niveos Saxones Danorum Regum initio dedicasse refert Saxo lib. 8. Sed bella hic est occasio Senecæ locum corrigendi, quem is lib 3. de Ira, 21. ex Herodoti lib. 1. retulit. Is vulgo sic legitur. *Unus ex equis, qui trahere currum regium ulibi solebant, abreptus vehementer commovit regem.* Quidni enim legendum sit: *Qui trahere regium currum albi solebant.* Eandem historiam narrat Freculphus Episcopus Lexoviensis: *Impetum ejus* (Cyri) *Gyndes fluvius secundu post Euphratem magnitudinis intercepit. nam unum regiorum equorum candore formaque excellentem, transmeundi fiducia persuasum, qua per rupacem alveum offensi vado vertices attollebantur, arreptum præcipitatumque merserunt.* Colerus.

1 *Quorum penes plebem arbitrium est*] Plebs & populus quomodo differant, notum est. Ex præsente loco colligo, quid per τὸ *Omnes* significarit ante Tacitus. Non modo Principum, Ducum Comitumque ac similium, sed plebis etiam conventum; certe etiam consensum: quod contra Grotium pariter atque Pontanum 6. Orig. Franc. 11. notes. *Kirchm.*

2 *Apud principes pertractarentur*] Contradicit sibi Tacitus. Quomodo enim si apud principes pertractantur negotia, eorum arbitrium penes plebem dici potest? aut si arbitrium plebis est, quomodo apud principes demum petractantur? Emendo *prætractentur.* Nam hoc saltem dicit, Minora principes, majora populus pertractant: sed quæ populus, eadem tamen ante & principes tractant. Notarat & Muretus. *Acidalius.* Cæsar lib. 6. *in pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt, controversiasque minuunt.* Quo tamen magis illa illustrantur, quæ infra scribit Tacitus: *eliguntur in iisdem conciliis & principes qui vita excellunt, qui jura per vicos pagosque reddunt.* Ita enim adjutus à Bamb. scribo. Erit itaque *vita excellere*, vitæ ac morum integritate eximium esse; vel etiam, ætate grandiorem esse. *Colerus.* Egregiam describit reip. formam apud gentes in hoc certe non barbaras. Sed quam corrumpit vox una corrupta, pro qua scribendum non ambigam *prætractentur.* Hoc est, quod apud Atheniensis dicebatur *προβουλεύεσθαι.* nam & ibi, ut Romæ, in Senatu prius consultabatur, quam res ferretur ad populum. Meminit *προβούλων* & Aristoteles Polit. 4, 14. & 6, 8. *Grotius.*

3 *Inchoatur luna*] Non mirum igitur, si fœminæ Germanorum vetant Ariovistum, ne pugnam conserat ante Lunam novam. Cæsar lib. 1. *eas ita dicere: non esse fas Germanos superare, si autem Lunam novam prœlio contendissent.* Salinerius. Idem Frontinus & Dio Cassius lib. 38. Idem mos Lacedæmoniorum. Pausanias: *εἶναι γὰρ δὴ νόμον αὐτοῖς, μὴ πρότερον μαχομένους ἐξιέναι, πρὶν ἢ πλήρη τὸν κύκλον τῆς σελήνης γενέσθαι. Colerus.*

4 *Nec dierum*] More Hebræorum, qui inde dies etiam *Lunas* appellabant. Ut in Esdra: *Josias immolavit Phase quartadecima Luna primi mensis.* Nicolaus Damascenus de Numidis: *οὐ ταῖς ἡμέραις, ἀλλὰ ταῖς νυξὶν αὐτοὶ ἀριθμοῦσι τὸν χρόνον.* Ea caussa festa quoque noctibus celebrabant. Tacit. Ann. lib. 1. *Colerus.* Adde Sirmondum ad Goffridum Vindocinensem lib. 2. epist. 26.

5 *Nox ducere diem*] Gallorum consuetudine id usurpatum est. Cæsar lib. 6. *Galli se omnes ab Dite patre prognatos prædicant, idque à Druidibus proditum dicunt: ob eam caussam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt: & dies natales & mensium & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.* Sacer etiam ille Moses in sacratissima Genesi noctem præponit: *Factumque est vespere & mane dies unus.* Salinerius. Caussam computationis hujus post Cujacium in Observ. 15. 32. & Bodinum de republ. 4, 2. exhibet Berneggerus quæst. 53. *Kirchm.*

6 *Non simul, nec jussi*] Bambergensis, *jussu*, Rhenanus in veteri codice legi ait, *nec injussi.* ex quo bene etiam scripseris, *nec ut jussi.* Lipsius.

7 *Nec jussi conveniunt*] In Artolphi codice legitur, *nec injussi conveniunt*, ut sit sensus, sæpius vocandos priusquam veniant quod ab illis suapte sponte non fiat. *Rhenanus.* MS. quondam Pirckeimeri, dein Comitis Arondellii, *nec ut jussu conveniunt.* Et sic legendum, aut quemadmodum Lipsius, *ut jussi.* Hoc est, non tanquam ex lege & imperio, ut ad diem edictum religiosa observatione occurrant; non quasi parentes imperio indicentis

vel

tertius dies cunctatione coëuntium [1] absumitur. Ut turbæ placuit, [2] considunt armati. Silentium per sacerdotes, [3] quibus tum & coërcendi jus est, imperatur. Mox rex vel princeps, [4] prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam jubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur: [5] sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum assensus genus est, armis laudare. Licet apud concilium accusare quo- 12
que, & discrimen capitis intendere. Distinctio pœnarum ex delicto, proditores & transfugas arboribus suspendunt. ignavos, & [6] imbelles, & corpore infames, cœno ac

vel indicentium, sed velut commodo & arbitrio suo. Ut illi advocati Plautini, qui *liberos homines per urbem modico magis par esse gradu ire censebant.* Gronovius.

1 *Absumitur. ut turba placuit considunt armati*] Recte mihi distincta sunt. Germani etiamsi certa dies præstituta sit, ut aliquo conveniant, insita libertate non parent, sed plerunque imperium minuunt, & in tertium diem procrastinant: ubi postquam turbæ numerus placuit, cujus enim præcipua vis majoribus in rebus (lib. 4. *De minoribus rebus principes consultant de majoribus omnes*) considunt armati. At viro doctissimo placent sic interstincta: *cunctatione coeuntium absumitur ut turba placuit. considunt armati.* Salinerius. Scripsit omnino Tacitus: *Ut turba placuit.* sua ipsis scilicet. Postquam satis frequentes convenisse sibi visi sunt. Et habet *to placuit* suam venerem. Sic Livius lib. 33. Antiochum *transgressurum in Europam quum primum ei res sua placuissent, non dubitabant.* Liv. 39. *Ubi satis placuere vires, & jam miles quoque ad delendam priorem ignominiam hostem poscebat.* Vellejus lib. 2. *Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut ubicunque Cæsar esset, nihil in se reponerent.* Seneca epist. 42. *non minus ausura, cum illi vires sua placuerint.* Statius 2. Thebaid. de tauro: *Quum profugo placuere tori, cervixque recepto Sanguine magna redit.* Gronovius.

2 *Considunt armati*] De gemino Græcorum & Gallorum ritu Lipsius planum fecit. Naso idem de Tomitanis & vicinis Sarmatis, an Getis, scribit. Sed qui isti Ombrici sunt, de quibus idem testatur apud Stobæum Nicolaus? Ὀμβρικοὶ ὅταν πρὸς ἀλλήλους ἔχωσιν ἀμφισβήτησιν, καθοπλισθέντες, ὡς ἐν πολέμῳ, μάχονται, καὶ δοκοῦσι δικαιότερα λέγειν, οἱ τοὺς ἐναντίους ἀποσφάξαντες. Meminit horum aliquoties auctor iste. Scio quidem ita & Hetruscos illos dici ut apud Marcianum in Periegesi: Τυῤῥηνοὶ ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικοὺς ἐλθόν ποτε. Verum de aliis Nicolaum loqui putabam. Quis tam rara de Umbris illis non prodidisset? De Germanis ejusdem Nicolai annotamentum illud capio. Κελτοὶ σιδηροφοροῦντες τὰ κατὰ πόλιν πάντα πράττουσι. Nam Gallos non nisi in gravissimis deliberationibus armatos convenisse facilius est ut credam: imo non nisi bello instante Cæsar lib. 5. *Hoc more Gallorum est initium belli, quo lege communi, omnes puberes armati convenire coguntur.* Colerus.

3 *Quibus tum & coërcendi jus*] In Artolphi codice legitur: *quibus tamen coërcendi.* Rhenanus.

4 *Prout ætas cuique*] Claudianus hoc etiam in Getico consessu notat:

*—— primosque suorum*
*Consultare jubet, bellis annisque verendos.*
*Crinigeri sedere patres.*

Lipsius.

5 *Sin placuit frameas concutiunt*] Sic Tacitus noster 5. hist. 17. de Germanis Batavisque Cl. Civilis orationem sibi placuisse demonstrantibus: *ubi*, inquit, *sono armorum tripudiisque, ita illis mos, approbata sunt dicta.* Rhenanus. De armorum sono dixit etiam lib. 5. histor. 17. Fiebat autem, scuta hastis seu gladiis feriendo. Idemque mos etiam Romanis. vide, si placet, Lipsium de mil. Rom. 4. 9. & 11. ubi hunc morem multis auctorum exemplis confirmat. *Pichena.*

6 *Imbelles & corpore infames*] Hoc lego de Germanis? feri illi & horridi, fæmineo morbo & mollitie corporis infames? Numquam credam, & Quinctilianus certe eos purgat in Declamatione pro Milite, cujus pudicitia tentata à Tribuno: *Nihil tale novere Germani, & sanctius apud Oceanum vivitur.* Scribamus igitur (gratiam mihi age magna patria) *& torpore infames.* Non enim alia mens hic Taciti, quam quod ignavos, torpentes, bello inutiles, crate imposita merserint. Idem in eodem verbo vitium apud Agellium lib. XIX. cap. XII. in extremo: *Omnibus vehementioribus animi officiis amputatis in corpore ignava & quasi enervata vita consenescunt.* scribe, *torpore.* Hoc mihi certum. quatit tamen nonnihil Athenæus lib. XIII. qui fœdum illud vitium remotum à me rursus imponit Germanis. Κελτοὶ δὲ τῶν βαρβάρων, inquit, καίτοι καλλίστας ἔχοντες γυναῖκας, παιδικοῖς μᾶλλον χαίρουσι, ὡς πολλάκις ἐνίους ἐπὶ ταῖς δοραῖς μετὰ δύο ἐρωμένων ἀναπαύεσθαι. Quem falli tamen scio: nec urtica illa umquam tetigit majores nostros. Austri & Orientis ista infamia sit: quæ ne nunc quidem Septemtriones habitat, aut frigidum castumque hunc orbem. Hæc labefacere conati alii, sed firmavimus in Excurs. A.

*Corpore infames*] Lipsius mallet, *torpore infames.* Quod mihi certe non probatur. nam torpor & ignavia, proprie infamia vocari non potest. neque ego hic *infamiam corporis* interpretor tantummodo impudicitiam, sed vitia omnia, quæ corpus vitamque commaculavit, quamvis lib. 1. ann. dixerit,

ac palude, injecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, [1] tamquam scelera ostendi oporteat dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed & levioribus [2] delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti multantur. pars multæ regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis ejus exsolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis & principes, [3] qui jura per pagos vicosque reddunt.
13[4] Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul & auctoritas, adsunt. Nihil autem

rit, *Cassium quendam mimum corpore infamem.* & lib. 15. *Quintianus molli corpore infamis.* Pichena. Germani ab aversa Venere insanum nunc abhorrent: iidemque (si nobis non imposuere) id sceleris proprio nomine non dignantur. Secus olim cum nondum Christi sacris initiati, flagitiis immanibus obnoxii vivebant. noster plane, *corpore infames.* cui (præter Strabonem qui aperte de Gallis) assipulantur Aristoteles, Diodorus, Athenæus: quos omnes loqui de Gallis non planum, nec facile probatu: nam Græcis nomine Celtarum Germani censentur. Conatur vir doctiss. hic & in secundis curis pio conatu suam gentem ab ea nota vindicare. Vellem pulchre processisset, sed sine castigatione substituit: *corpore infames*, nec finem hic fecit: verum id quoque verbi apud Gellium 19. 12. suffecit, ubi nobis invidet lepidissimum auctoris senium: sed legamus ea ipsa verba *in corpore ignava & quasi enervata vita consenescunt.* Apathiæ sectatores (ait Gellius) videntur habere corpus sine anima, sine vita: non enim dolent, non lætantur, non timent, non irascuntur. Cæterum ea nunc refellenda sunt, quibus ille nixus vulgata profligavit. Profert ex Quintiliano Decl. 4. *nihil tale novere Germani & sanctius apud Oceanum vivitur.* Sed hæc inprimis ea labefaciunt, quæ ipse astruere contendit. Agitur ibi de Tribuno, qui tironem ante signa stupraverat. Nil tale (inquit) unquam accidit apud Germanos puerorum amoribus nimis addictos: solent enim vulgo flagitiis alicujus augendis, gentes eo nomine infames cum flagitioso contendere, ut inde liqueat eas ab illo longe superari. Addit si commune hoc scelus Germanis, qui tam sæviter vindicabatur? Responsio mihi in promptu, quam dissimulare pietatis esset, non ingenuitatis. Nonnulli Italorum (utinam falso) hoc nomine differuntur, apud quos nihilo secius hæc hominum scelera flammis tradi solent. Et cur ibi pœna non acrior, ubi procliviores homines in scelera sint? Ad ultimum cælo subfrigido non expertes incolæ hujus execrandi facinoris: nam ibi ejus ortus, ubi arva sunt *Riphæis nunquam viduata pruinis.* Audi Ovidium Met. 10.

*Ille etiam Thracum populo fuit auctor amorem*
*In teneros transferre mares, citraque juventam*
*Ætatis breve ver, & primos carpere flores.*

Salinerius. *Corpore infames* haud dubie non vitiis omnibus commaculati, sed detestabilis patientiæ. *Nescimus ista*, Deo gratias, *& sanctius vivitur ad Oceanum.* non quod nunquam contigerint contingantve, sed quod raro, raroque sint impunita. Sic Ælianus 2. var. 31. disputat, ὅτι μηδεὶς τῶν βαρβάρων ἄθεος. Hoc satis ad Fabium cum Tacito in concordiam redigendum. Nam illa Salinerii *nimis addictos* & *gentes eo nomine infames cum flagitioso contendi* vana sunt & intolerabilia, denique Germaniam ignorantis. Nec vero militem stupraverat tribunus, sed in conatu stuprandi à milite occisus erat. *Grenovius.*

1 *Tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi*] Sic apud Livium 39. 16. Postumius Albinus cos. populum alloquens, *Minus tamen*, inquit, *esset, si flagitiis tantum effeminati forent (ipsorum id magna ex parte dedecus erat) à facinoribus manus, mentem fraudibus abstinuissent.* Et mox: *illorum eum, cum quibus in omne flagitium & facinus conjuravit, non suum judicet.* Rursum infra: *illo uno collega castigare se nova flagitia, & priscos revocare mores posse.* Rhenanus.

2 *Delictis pro modo pœnarum, equorum*] Incongrua lectio. Lego: *delictis pro modo pœna. Equorum* &c. Etiam levioribus delictis, inquit, ex ipsorum modo modus pœnæ. Hæc vera conjectura. Olim tamen etiam conjeceram, *delictis sui modi pœnarum. Equorum.* Acidalius.

3 *Qui jura per pagos vicosque reddunt*] In alia verba & sententiam it Bambergensis liber, *qui vita per pagos vicosque excellunt.* Sed non avellor a vulgata. *Lipsius.*

4 *Centeni singulis*] Hoc est quod in lege Alamannorum prisca lego: *Conventus autem, secundum consuetudinem aliquam, fiat in omni Centena, coram Comite aut suo Misso, & coram Centenario ipsum placitum fiat.* Lipsius.

*Centeni singulis ex plebe*] Sunt in quibusdam locis Germaniæ, veluti Palatinatu, Franconia &c. judicia criminalia, quæ appellantur *Zentgericht*: eorumque præsides *Zentgraffen* sive *Zentgreven*: & assessores *Zentschopfen* sive *Zentscheppen*: causæ vel casus ad ea pertinentes *Zentfelle*, vel *Zentbarefelle.* Id antiquissimum hoc Germanorum institutum fuit, & à numero assessorum sive comitum centenario sic dictum. *Zentgericht*, quale centumvirale judicium Romanis. *Zentgraffen* comites centenarii, præsides & principes ejus judicii, qui & *centenarii* in antiquis Germanorum legibus dicuntur: ut centumviris præsidebant Romæ decemviri. *Zentschopfen*, ut Romanis centeni judices, & quod primo numerus fuit, deinceps nomen & honor. Ipsum vocabulum *Zent* territorium sive districtum cujusque

autem neque publicæ neque privatæ rei, [1] nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio [2] vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus [3] scuto frameaque juvenem ornant. hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox reipublicæ. Insignis nobilitas aut magna patrum merita, [4] principis dignationem etiam adolescentulis assignant. [5] Ceteris robustioribus ac jam pridem probatis aggregantur. nec rubor inter comites aspici. Gradus quinetiam & ipse comitatus habet, judicio ejus quem sectantur. Magnaque & [6] comitum æmulatio, [7] quibus primus apud principem suum locus: & principum, cui plurimi & acerrimi comites. Hæc dignitas, hæ vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari,

que judicis centumviralis significare videtur: *centena* in legibus Alamannorum. Nec obstat numeri judicum sive Scabinorum discrepantia. Nam & Romani non præcise centum, sed centum & quinque, terni scilicet ex singulis tribubus, fuerunt: & cum postea is numerus ad 180. auctus esset, *centumvirorum* tamen appellatio mansit. *Berneggerus.* Restituendum vere reor: *Certi singulis ex plebe comites.* Ubi enim vel vestigia saltem apud Tacitum aut alios de comitibus centenis? *Kirchm.*

1 *Nisi armati agunt*] Quem eumdem morem Græcis priscis fuisse, eosque solitos σιδηροφορεῖσθαι. Thucydides notavit. Idemque de Gallis. Livius lib. XXI. *In his nova terribilisque species visa est, quod armati (ita mos gentis) in concilium venerunt.* Quin convivia etiam Germani adibant in armis. Tacitus hoc ipso libro: *Tum ad negotia, nec minus sæpe ad convivia procedunt armati.* Athenæus lib. IV. famulos adstitisse vel assedisse convivantibus iis vult, cum scuto, lancea, & justis armis. Καὶ οἱ μὲν, αἴτ, τὰς θυρεὰς ὁπλοφοροῦντες ἐκ τῶν ὄπισθεν παρεστᾶσιν. οἱ δὲ δορυφόροι, κατὰ τὴν ἀντικρὺ καθήμενοι κύκλῳ, καθάπερ οἱ δεσπόται συνευωχοῦνται. Denique templa ipsa adiere armati Panegyristes: *Nec majores vestri templa ingrediebantur nisi armati.* Lipsius.

2 *Vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus*] Exemplar illud sic habebat: *vel principum aliquis, vel ipsi vel propinqui.* Scribendum arbitror: *Tum in ipso c. vel principum aliquis, vel ipsi propinqui* &c. Itaque pronomen *eum* expunximus. *Rhenanus.* Muretus hæc brevius, sed non melius: *vel principum aliquis, vel propinqui scuto* &c. *Acidalius.*

3 *Scuto frameaque*] Originem moris vides avis nostris ad insaniam amati, Equites creandi. Fallor, aut tangit eumpse Diaconus in Longobardicis, lib. I. cap. XV. *Scitis non esse apud nos consuetudinem, ut regis filius cum patre prandeat, nisi prius à rege gentis extera arma susceperit.* Adde, si lubet, Caput sequens. *Lipsius.*

4 *Principis dignationem adolescentulis assignant*] Livius lib. 2. *Appius inter patres lectus, haud ita multo post in principum dignationem pervenit*, id est habitus fuit inter principes cives Romanos. *Pichena.* Muretus male vocem *principis* delet: quam esse necessariam, inferiora ostendunt. *Acidalius.*

5 *Ceteris robustioribus*] Lege, *ceteri.* statim liber vetus, *aggregant*, non *aggregantur.* quod Taciti & veterum phrasim olet. *Lipsius.*

*Ceteris robustioribus, ac jam pridem probatis aggregantur*] Lipsius mallet *ceteri.* at ego vulgatam lectionem non sperno: intelligit enim, eosdem adolescentulos, dignationem principis assecutos, ceteris robustioribus principibus aggregari, eosque tanquam comites sectari solitos, donec ad robustam ætatem pervenissent. *Pichena.* Elegantius, *aggregant*, non inficior, quam *aggregantur.* sed quid *ceteri* sibi vult? an comites aggregari principibus jam probatis? at id Tacito jam dictum. *Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui jura per pagos vicosque reddunt* &c. Sequamur igitur vulgata, quorum sensus ex adytis eruendus non est. Cornelius τῷ ἀνοήτῳ sibi familiari plane scribit, principes ut plurimum eos fieri, qui robustiores & virtutis jam spectatæ, nihilo secius autem in eum numerum adolescentes aliquando cooptari, qui nobilitate, aut patrum meritis insignes. *Salinerius.* Nihil mutem, imo ex libro Lipsii lubens ita constituam locum: *Ceteris robustioribus ac jam pridem probatis aggregant.* Pendent enim hæc à superioribus, ac ejusmodi sententiam postulant: quod nobilitas illa & magna patrum merita, illos adolescentulos, ceteris probatis aggregent. De principibus adhuc loqui Tacitum, illa verba palam arguunt: *Nec rubor inter comites aspici.* Colerus. Si bene consideres locum, fatearis ita legendum esse: *principis dignationem etiam adolescentulis assignant: ceteri* (nempe quibus non tanta nobilitas, aut merita patrum) *robustioribus aggregantur* &c. nam de illis, qui principis dignationem nacti sunt, non debere capi, argumento est, quod dicit inter comites hos aspici. *Freinshemius.* *Ceteris* scil. quibus aggregantur, quibusque principis dignationem assignant, assignantur, & arrogantur *robustioribus* ultra ætatem adolescentem progressis. *Gronovius.*

6 *Comitum æmulatio*] Poterat videri legendum esse: *Comitum æstimatio.* Sed abstineo manum, quia nefas esse censeo in tam gravem scriptorem sine veterum librorum auctoritate infercire emendatiunculas. *Colerus.*

7 *Quibus primus apud principem suum locus*] Lego, *cui primus apud princ.* Hoc sensus vult: & probat simile in altero membro: *cui plurimi*, &c. *Acidalius.*

dari, in pace decus, in bello præsidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud
finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus
emineat. expetuntur enim legationibus, & muneribus ornantur, & [1] ipsa plerum-
14 que fama bella profligant. Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci,
turpe comitatui virtutem principis non adæquare. Jam vero infame in omnem vi-
tam ac probrosum, [2] superstitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere,
tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus assignare, [3] præcipuum sacramentum est.
Principes pro victoria pugnant; comites pro principe. Si civitas, in qua orti sunt,
longa pace & otio torpeat: [4] plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas natio-
nes, quæ tum bellum aliquod gerunt, quia & ingrata genti quies, [5] & facilius in-
ter ancipitia clarescunt, magnumque comitatum non nisi vi belloque [6] tueare. [7] exi-
gunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victri-
cemque frameam. [8] Nam epulæ, & quamquam incompti, largi tamen, appara-
tus pro stipendio cedunt. materia munificentiæ per bella, & raptus. Nec arare
terram,

1 *Ipsa plerumque fama*] Cum fama bella consistent. Liv. lib. 27. cum *fama bellum conficit & parva momenta in spem metumque impellunt animos.* De fama illa bellica, illud etiam Germanos adtingit, quod Justinus de Gallis, hoc est, Celtogallis scribit: *Denique neque reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserint, neque pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerint.* Colerus.

2 *Superstitem principi*] Celtiberi etiam nefas esse ducebant prælio superesse, cum is occidisset, pro cujus salute spiritum devoverant. Val. Maximus 2, 1. Plutarchus in Sertorio. Similis fere devotio Soldiuriorum apud Gallos fuit, de qua Cæsar: *Neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusaret.* Nicolaus Damascenus apud Athenæum magis etiam illos devotos laudat, appellatque Σιλοδούρους, Græcis, scilicet Εὐχωλιμαίους dictos. Sed ibi scribendum *Solodunos.* Celtæ appellabant, reor, *Solduner*, quasi stipendiarios. Durat hodieque vox *Soldner*, & *Solodurum* vel potius *Solodunum.* Helvetiorum celebris civitas. *Colerus.*

3 *Præcipuum sacramentum*] Liber scriptus, *principum sacramentum.* Lipsius.

*Præcipuum sacramentum*] Morem Romanum tangit, quo sacramenta militaria certa habebant capita. Præcipuum erat in salutem Imperatoris jurare. At comitum illorum præcipuum erat sacramentum, fortia facta sua gloriæ principis adsignare. *Colerus.* Hoc ita observant, ut religiosius non possent, si primum ac præcipuum caput sacramenti, quo rogati sunt, quoque se principibus devovere vitam, fuisset. Male liber ille, qui *principum.* id enim foret, quo principes quasi a populo rogati essent, non à principibus clientes. *Gronovius.*

4 *Plerique nobilium adolescentium*] Apud Livium 32, 34. Philippus Macedonum rex objicit Ætolorum principi Alexandro in colloquio, *quod Ætoli pro lege hunc morem antiquitus servent, ut adversus socios ipsi suos publica tantum auctoritate dempta, juventutem suam militare sinant.* Rhenanus.

5 *Et ut facilius inter ancipitia clarescant, magnumque &c. tueare*] Reposuimus, *ut* particula deleta, pro *clarescant*, *clarescunt.* & pro *tueare*, *tueantur.* *Et facilius inter ancipitia clarescunt, magnumque &c. tueantur.* Rhenanus. Ven. & alii: *& ut facilius inter a clarescant.* quod mutavit Rhenanus. Dein reposui *tueare*, ex antiquioribus. Vulgo *tueantur.* Pichena. Placet scriptura Cod. Veneti, quem subinde Pichena citat. Nec est dubium alteram lectionem ab ingenio & manu Rhenani esse. Visum mihi jam pridem Cornelium more suo, familiarem suum Sallustium æmulari, qui de Julio Cæsare sic ait: *sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset.* Colerus. Haud dubie *tueare* elegantius: & sic etiam habetur in Arondelliano. Ipse Tacitus lib. 6. *Abditos principis sensus exquirere inlicitum, anceps: nec ideo adsequare.* Hoc opusculo: *Inter impotentes & validos falso quiescas.* Gronovius.

6 *Tueantur*] Scriptus, *tueare.* Lipsius.

7 *Exigunt enim principis sui liberalitate*] Lego, *Exigunt enim à principis* &c. *Acidalius.* Æstimant, penfitant, acceptumque adeo referunt Principis sui munificentiæ. Ad illas donationes respexit etiam Saxo Grammaticus lib. 2.

*Enses Teutonicos, galea armillaque nitentes,*
*Lorica talo immissa, quas contulit olim*
*Ralvo suis.*

Adde Diodorum Siculum 5, 9. *Colerus.*

8 *Nam epulæ & convictus quamquam incompti, largi tamen apparatus*] Sustulimus dictionem *convictus*, quæ in codice non erat. nam integer sensus est si legas: *nam epulæ, & quamquam incompti, largi tamen apparatus, pro stipendio cedunt.* Rhenanus. Aliter in Ven. *nam epulæ, & convictus, quamquam incompti, largi tamen apparatus.* Quæ lectio fortasse non est improbanda, ut, *largi apparatus*, sit secundus casus singularis numeri. *Pichena.* Cum superius præcesserit *enim*, malim hic *jam*, id est, porro,

terram, aut [1] expectare annum, tam facile persuaseris, quam vocare hostes & vulnera mereri. pigrum quinimmo & iners videtur sudore acquirere, quod possis sanguine parare. Quotiens bella non ineunt, [2] non multum venatibus; plus [3] per otium transigunt, dediti somno, ciboque. Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus & penatium & agrorum cura feminis senibusque, & [4] infirmissimo cuique ex familia, ipsi hebent: mira diversitate naturæ, cum iidem homines sic ament

porro, præterea &c. *Acidalius.*

1 *Exspectare annum*] *Annus* apud Latinos segetis tempus dicebatur. quod quia exoptatum desideratumque, eo longius videbatur. Hinc proverbii locum occupavit, *Annus*, pro longo tempore apud Comicos. Apud Ovidium, *Annua lux*, dies longa anni instar habens. Notus est versiculus Juvenalis: *Exspectandus erit, qui lites incheet, annus.* Colerus. D. Jacobus in Epist. cap. ult. 7. ὁ γεωργὸς ἐκδέχεται τὸν τίμιον καρπὸν τῆς γῆς μακροθυμῶν ἐπ' αὐτῷ. *Gronovius.*

2 *Non multum venatibus*] Pugnam cum Cæsare hic video, imo cum usu & ratione. Cæsar ait: *Vita Germanorum omnis in venationibus, atque in studiis rei militaris consumitur.* Iterum de Suevis: *multum sunt in venationibus.* Usus etiam & ratio suadent gentes acres, feras, ubi silvarum copia, venatui addictas. Nec aliter in hac ipsa gente hodie. Pacem vera emendatio faciet: *quoties bella non ineunt, multum venatibus.* negatione ejecta, quæ haud dubie male geminata & petita è prioribus verbis. *Lipsius.*

*Non multum venatibus*] Negationem delet doctiss. vir, quod Cæsar de Germanis scribat: *Vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit* Quodque vero propius sit, venatus iis esse cordi, qui natura feri incolunt saltus & silvas. Verum Cornelius haud ambigue dicit, Germanos parum venationibus inservire, quia *plus per otium transigunt dediti somno ciboque.* &c. Faciuntne hæc ad labores, quos venando subimus? At Cæsar pugnat. Legerat eum Cornelius; *summus auctorum D. Julius tradit.* Nec veritus est alibi quoque ab eo dissentire. Hæc tamen Tacitum in Cæsarem non inconciliant, alii enim mores Germanis Cæsare, alii Tacito scribente. *Salinerius.* Sustulit Lipsius voculam *non.* quod cum Cæsare & ratione ipsa pugnet. At recens corrector Italicus legendum divinat: *tum vitam venatibus, plus per otium transigunt.* Videtur certe tale aliquid deberi verbo *transigunt.* Nam ἀπλῶς positum Jureconsulti sibi vindicant. Ego vero sic emendabam: *Quotiens bella non ineunt, vita multum, plus per otium transigunt.* Est autem totus locus factus ad effigiem illam Sallustii: *Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultique, sicuti peregrinantes vitam transigere.* Nondum etiam Cæsariana controversia composita. Ait enim, Germanis omnem vitam in venationibus & studio rei militaris esse. Nihil autem de isto torpore ac comessationibus. Sed Tacitus de omnibus Germanis, Cæsar tantum de Suevis & Rhenanis populis loqui videtur. Jam versus septentrionem plures alii Tacito innotuerant, quorum regiones ob paludes & flumina minus venationibus aptæ. & reor illos ipsos maxime ista infami ignavia insignitos. De Sarmatarum etiam & Sclavorum inertia extra belli tempus, similia reperias, antiquissimis scriptoribus comperta & annotata. *Colerus.*

3 *Per otium transigunt*] Benignior hujus otii apud Ælianum est interpretatio 10. Var. 4. Σωκράτης ἔλεγεν, ὅτι ἡ ἀργία ἀδελφὴ τῆς ἐλευθερίας ἐστί, καὶ μαρτύριον ἔλεγεν ἀνδρειοτάτους καὶ ἐλευθεριωτάτους Ἰνδοὺς καὶ Πέρσας ἀμφοτέρους δὲ πρὸς χρηματισμὸν ἀργοτάτους εἶναι· Φρύγας δὲ καὶ Λυδοὺς ἐργαστικωτάτους, δουλεύειν δέ. Plutarchus Lycurgo: καὶ γὰρ ἓν τι τοῦτο τῶν καλῶν ἦν καὶ μακαρίων ὧν παρεσκεύασε τοῖς ἑαυτοῦ πολίταις ὁ Λυκοῦργος, ἀφθονίαν σχολῆς quibus interdixerat artibus sordidis, & pecuniæ quærendæ nulla erat cura, & agrum colebant Ilotes. Itaque Laco quidam Athenis πυθόμενός τινα δίκην ἀργίας ὠφληκότα, rogant proximos δεῖξαι αὐτῷ τὶς ἐστιν ὁ τὴν ἐλευθερίαν ἑαλωκὼς δίκην. Cicero lib. 2. de Orat. *Mihi liber non videtur, qui non aliquando nihil agit: in qua permaneo sententia, neque cum huc veni, hoc ipsum nihil agere & plane cessare delectat.* Gronovius. Pythagoras apud Stobæum p 113. Ζῆν κρεῖττόν ἐστιν ἐπὶ στιβάδος κατακείμενον καὶ θαρρεῖν, ἢ ταράττεσθαι χρυσῆν ἔχοντα κλίνην.

4 *Infirmissimo cuique ex familia, ipsi hebent*] In codice est, *ipsi hebent mira diversitate.* Rhenanus. Ita melius distinxi. Vulgo, *ex familia ipsi hebent.* Pichena. Farnesianam hanc scripturam Lipsius testatur; nec dubitari vult, quin germana. Est vero ea germana lectio, sed si alia adhibeatur distinctio. Conjungenda hæc cum præcedentibus: *Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata (domus &) penatium & agrorum cura feminis senibusque, & infirmissimo cuique ex familia, ipsi hebent, mira diversitate naturæ* &c. Pendet enim oratio, *fortissimus quisque ac bellicosissimus ipsi hebent.* Muretus è vulgata, *ipsi habent miram diversitatem naturæ*, aliam concinnabat deletis illis, *ipsi habent*, & reliquis cum admiratione prolatis, *miram diversitatem naturæ.* Sed nisi stultus, alteri hanc nemo præferet. Vide apud Senecam Hippolyti 975. quem in hunc sensum emendamus & totidem verbis explicamus. *Acidalius.*

*Ipsi hebent: mira*] Expressi Farnes. scripturam, nec quia ea germana sit dubitaveris. Vulgati, *ipsi*

ment inertiam, & oderint quietem. Mos est civitatibus [1] ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod [2] pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit. Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modo à singulis, sed publice mittuntur: electi equi, [3] magna arma, phaleræ, torques-
16que. Jam & pecuniam accipere docuimus. [4] Nullas Germanorum populis urbes habitari,

*habent miram diversitatem.* Lipsius.

1 *Ultro ac viritim conferre*] Imminutum locum esse res & sermo ipsi clamant. Rhenanus ex vestigiis, ut ait, libri, *ultro equitium conferre.* Et scio vocem Equitii probam, Jurisconsultis usurpatam: & morem ipsum in Armeniis etiam obtinuisse qui equos regi alebant in tributum, Xenophon id me docuit lib. iv. De expeditione Cyri. At ne sic quidem pendentia verba firmaveris, quæ sequuntur. An equitium armentorum dices? an frugum? ridiculum. mihi nota excidisse videbatur x. quæ Decimam significat, vel Decimas: sicut eadem geminata XX. vigesimam, in lapidibus sæpe. scribesque meo sensu: *ultro ac viritim* x. *conferre.* Quin mos quidem ille etiam hodie obtineat apud plerosque, de conferendis Decimis in nobilitatis usum, negari non potest. Vel explere etiam possis: *vel frugum, quod pro.* Idem.

*Ultro ac viritim conferre principibus*] Pro *ac viritim*, ex priori collatione reperi scriptum in margine voluminis mei, sed literis pene fugientibus exolescentibusque, *acuirium* sive *ecuirium.* Dubito num potius germana sit lectio, *equitium*, hoc modo, *ultro equitium conferre princ.* nam mox inter dona primum equi locum habent. *Electi*, inquit, *equi.* Porro dignum inprimis principe hoc honorarium donum est. Significat autem *equitium*, equorum armentum. Nunc apte sequitur de cæteris pecoribus, quæ præcipue ad esum spectant, *Vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit.* Expone, quod armentorum vel frugum; nisi libeat subaudire pronomen, *id*, aut *aliquid.* Rhenanus. Defectum hunc locum affirmat Lipsius, atque adjiciendum putat, *viritim X.* (id est, decimam) *conferre.* Mihi utcumque integer videtur, & commode subintelligi aliquid vel armentorum vel frugum. *Pichena. Equitium* ac *decimam* (parcite viri magni) hinc detereo sine spe restitutionis. Alius plane scripsisset: *ultro ac viritim conferre principibus id vel armentorum, vel frugum, quod* &c. Sed non Thucydides lib. 2. καὶ Βοιωτῶν παραχρῆμα ξυνέλαβον ὅσοι ἦσαν ἐν τῇ Ἀττικῇ i. *& Bœotorum illico comprehenderunt quicunque erant in Attica.* Ad cujus speculum lib. 2. hist. se noster etiam componit. *& à Flavio Sabino præfecto urbis quod erat in urbe militum, sacramento Vitellii adactum.* Vel excidit *aliquid.* Salmerius. Lipsio deesse aliquid visum, uti & Rhenano: cujus damnata conjectura ipse inserit, *ultro ac viritim X.* (id est, decimas) *confero.* Non male id. Sed ajo, non necessario: Nihil enim inculcandum, sed subintelligendum ad voces *armentorum vel frugum* scilicet aliquid, cui respondet subsequens *quod.* Ita sæpe apud Græcos: nec raro etiam Latinos. Horat. 8. Sat, lib. 2.

*Interea suspensa graves aulæa ruina,*
*In patinam fecere, trahentia pulveris atri*
*Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.*

Hic itidem ad *pulveris atri* subaudis *tantum.* Acidalius. Nescio quomodo hæc mihi quatuor verba *vel armentorum vel frugum* glossema redolent. Est enim probe Latinum *conferre principibus.* quod qui nescit, fortassean illa supervacua infarcienda putaverit. Græci συνεισφέρειν eodem modo usurpant. Et in veteri Glossario scriptum memini: Συνεισφέρω *collationem facio, confero.* Colerus. Brevitas Taciti haudquaquam sollicitanda. Talia sunt Varronis lib. 3. de re rust. 16. extremo: *Si ex alvo minus frequenter evadunt ac subsidit aliqua pars, suffumigandum & prope apponendum bene olentium herbarum, maxime apiastrum & thymum.* Et Horatii: *neque illi Sepositi ciceris, nec longæ invidit avenæ.* Ælianus 11. ποικιλ. 5. Τούτοις ἐπιβουλεύοντες Δελφοὶ ἐς τὰ καινὰ, ἔθηκαν ἐν αὐτοῖς ὅτι λιβανωτὸν καὶ τὰ πόπανα, ἐνέβαλον τῶν ἱερῶν χρημάτων λάθρα. Idem de animal. 5. 13. εἰ δὲ αὐτῇ παρὰ δόξαν γίνοιτο τοῦ πνεύματος, ὄψει φέρουσαν λίθον ἑκάστην ἄκροις τοῖς ποσίν. Appulejus lib. 5. Met. *Sic ille nova nupta precibus veniam tribuit, & insuper quibuscumque vellet eas auri vel monilium donare concessit.* Ipse Tacitus ann. 15. *tribuni & centuriones & cæterorum ut quisque audentiæ habuisset, accurrerent, trucidarentque.* Gronovius.

2 *Pro honore acceptum*] Aristoteles item τροφὰς δημοσίας inter μέρη τῆς τιμῆς refert Rhetur. 1, 6. *Colerus.*

3 *Magna arma*] Et hæc non tam avaritiæ, quam honoris causa appetebant. Philosophus: καὶ γὰρ τὸ δῶρόν ἐστι κτήματος δόσις καὶ τιμῆς σημεῖον: De Cretensibus scribit Nicolaus: δῶρα δὲ αὐτοῖς ἐστιν ὅπλα νομιζόμενα. *Colerus.*

4 *Nullas Germanorum populis urbes*] Diutius retinuere Germani priscam illam & rudem simplicitatem. nam & Athenienses pagatim olim habitasse priusquam in unam urbem contribuerentur, Livius auctor est. Et ex Trogo refert Justinus, Gallos à Massiliensibus Græcis, usum vitæ cultioris deposita & mansuefacta barbarie, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didicisse 43, 4. Verum Germanis nihil tale contigit, quia mediterranei sunt, & Oceanus ille Germanicus navigatu periculosus, ac ignotus: raris ab Italia Græciaque navibus aditur. Et Galliæ quidem posteaquam in numerum Rom. provinciarum venerunt, cultiores factæ sunt. at de Germania in provinciam redigenda

habitari, satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, [1] ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis & cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos [2] aut tegularum usus; materia ad omnia utuntur informi, & citra speciem aut delectationem. Quædam loca diligentius illinunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent & [3] subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi & receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum [4] ejusmodi locis molliunt: & si quando hostis advenit,

genda cogitavit quidem Augustus, & tentavit aliquid Drusus Germanicus; posterioribus seculis Postumus & alii quidam Germaniæ particulam, quæ est inter Mœnum, Nicrum, & Rhenum aliquandiu possederunt; verum res successu caruit, amissa strenue recuperantibus Germanis. Deinde post ingentem illam cladem apud Tolbiacum vicum Ubiorum acceptam, ita pressere nos Franci, ut respirare non licuerit, donec exoleta stirpe veterum Francorum, auspiciis primum Othonis Saxoniæ Ducis & Chuonradi Ostrofranci atque Henrici Saxonis, mox Magni illius Othonis, qui inter Imperatores Germanicos primum obtinet locum, in pristinam libertatem nos ipsi vindicavimus. Tum urbes in provinciis, quum ad Rhenum tum ad Danubium jam olim occupatis sitæ, amplificari paulatim, & vici veteris Germaniæ, de quibus Tacitus loquitur, mœnibus cingi cœperunt. Judæam quoque vicis abundasse, Tacitus auctor est 5. hist. *Magna pars Judaa vicis dispergitur.* Rhenanus. Conveniunt scriptores diu nullas urbes inhabitasse Teutones. Tametsi ergo Ptolemæus amplius xc. in Germania πόλεις numerarit, nil quicquam tamen aliud, quam vicos non munitos, intellexisse putandus est. Nec quisquam eorum, qui Romanas in Germaniam expeditiones fuse descripserunt, auctorum vel verbulo urbis ullius per Germaniam usque ad seculum à nato Servatore quintum meminit. Herodianus (Gordiani temporibus & anno Ch. 244.) decisis potius in silvis, tabernacula quædam, arboribus incisis, ramisque solo defixis & frondibus aliis superjectis, Rheno proximos Germanos incoluisse prodidit. Sexto demum seculo à Caroli M. temporibus, postquam cum religione Christiana, paulatim ad mansuetiora reducti essent, ad urbes vel novas extruendas vel à Romanis ante ad Rhenum in primis conditas, temporum injuria destructas, iterum ædificandas animum adjecere. *Kirchmajer.*

1 *Ut fons, ut campus, ut nemus placuit*] Hinc crebræ locorum appellationes à *bach*, *feld* & *holtz.* Rhenanus. Et ab illis tribus urbes, oppida, vici, castella nominata pleraque apud Germanos, *Bron*, *Feld*, *Wald.* Et familiæ quoque nobiliores. Apud Florum *Teutobocchus* Latine dicitur, qui erat, opinor, suis *Teutobachus*, sive, *Diethenbach.* Colerus.

2 *Aut tegularum usus*] Seneca de Prov. Dei. *Perpetua illos* (Germanos) *hiems, triste cœlum premit, maligne solum sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt.* Puto & multos libris arborum, vice tegularum usos. ut videmus etiamnum factitare quosdam. Hirtius an Oppius de bello Afric. *Quibus rebus attenuati illi, oppido perquam pauci sub pellibus acquiescebant, reliqui ex vestimentis tentoriolis factis atque arundinibus tegetibusque contecti.* Vulgo inepte scribitur *arundinibus coriisque.* Quod vitiatum esse Lipsius quoque viderat, sed vitium non sustulerat in Militia Rom. Ceterum de ædificiis antiquorum Germanorum consule etiam Herodianum lib. 7. Fuere etiam vestitui cortices non paucis gentibus. Plinius lib. 12. *hinc primum alimentum, harum fronde mollior specus, libro vestis. Etiamnum gentes sic degunt.* Colerus.

3 *Subterraneos specus aperire*] Idem Pomponius Mela de Sarmatis. *Atque ob sæva hiemis adsidua, demersis in humum sedibus, specus aut suffossa habitant.* Xenophon de frigida Armeniorum regione, lib. IV. Expedit. Cyri: Αἱ δ' οἰκίαι ἦσαν κατάγειοι, τὸ μὲν στόμα ὥσπερ φρέατος, κάτω δ' εὐρεῖαι, αἱ δ' εἴσοδοι τοῖς μὲν ὑποζυγίοις ὀρυκταί, οἱ δ' ἄνθρωποι κατὰ κλίμακος κατέβαινον. ἐν δὲ ταῖς οἰκίαις ἦσαν αἶγες, βόες, οἶες, ὄρνιθες, καὶ τὰ ἔκγονα τούτων. Frustra autem originem Stubarum (ita Ditmarus & illa ætas appellant) petunt istinc. quid enim simile? Quæ tamen antiquæ: & nisi fallor, Juliano intellectæ in Antiochico, ubi de Lutetia urbe: Ἐθάλπετο δὲ τὸ δωμάτιον οὐδαμῶς, ὅπερ ἐκάθευδον. ὅνπερ εἰώθει τρόπον ὑπὸ τοῖς καμίνοις τὰ πολλὰ τῶν οἰκημάτων ἐκεῖ θερμαίνεσθαι. Quamquam & Romanos ævo Senecæ nescio quid tale commentos reperio; effectu quidem pari cum Stubis, non prorsus forma. Seneca de Providentia, cap. IV. *Quem specularia semper à flatu vindicant, cujus canationes subditus & parietibus circumfusus calor temperavit.* Quod fieri solitum, per ambientes quosdam tubos. Idem epistola XCI. *Quædam nostra demum prodisse memoria scimus, ut speculariorum usum, ut suspensuras balneorum, & impressos parietibus tubos per quos circumfunderetur calor, qui ima simul & summa foveret æqualiter.* Quos tubos vidisse & notasse me in ruinis balnearum Romæ, probe memini. Ceterum quod hic legitur, *fimo onerant:* in Bambergensi est, *fimo operiunt.* Lipsius.

4 *Ejusmodi locis molliunt*] Malim, *loci.* Acidalius.

nit, aperta populatur, [1] abdita autem & defossa, aut ignorantur, aut eo ipso fal-
17 lunt: quod quærenda sunt. Tegumen [2] omnibus sagum, [3] fibula, aut si desit, [4] spina consertum. cetera intecti, totos dies [5] juxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, [6] non fluitante sicut [7] Sarmatæ ac Parthi, [8] sed stricta & singulos artus exprimente. Gerunt & [9] ferarum pelles, [10] proximi ripæ negli-

1 *Abdita autem & defossa*] Muretus *autem* delet. nec auctor, credo, quod brevitatis illi studium, addidit. *Acidalius.*

2 *Omnibus sagum*] Mela: *viri sagis velantur, aut libris arborum quamvis sæva hieme.* Virgatis sagulis Celtas usos, hieme quidem crassis, æstate subtilioribus adfirmat quoque Diodorus Siculus 5, 9. *Colerus.* Fuisse ex lana confectum, quadrum, densum, villosum exteriore sui parte, communiter Celtis usitatum Varronis, Strabonis, Hesychii, Juvenalis, Martialis, Persii & Isidori auctoritate probat Geographorum clarissimus. *Kirchmaier.*

3 *Fibula*] Sic Carolum illum Magnum tradit Eginhardus, *festis diebus usum fibula aurea sagum astringente.* Erat autem Germanici cultus is princeps longe retinentissimus. *Rhenanus.*

4 *Spina consertum*] Cur spina proprie & quæsite? an non aptius *pinna?* Sive è pisce sive è ligno, aut alia materie fuit. Certe hodieque ita à tenuibus aut sordidis factitatur. *Lipsius.*

5 *Juxta focum*] Similis Scytharum vita apud Virgilium 3. Georg.

*Ipsi in defossis specubus secura sub alta*
*Otia agunt terra, congestaque robora, totasque*
*Advolvere focis ulmos ignique dedere.* Colerus.

6 *Non fluitante*] Proprium hoc verbum vestitus laxi, sinuosi atque undantis. Tibullus: *Effluit effuse cui toga laxa sinu.* Virgilius *fluentes sinus.* Confer Gronov. 2. Observ. 7. Caussam & occasionem laxioris stolæ apud Parthos Diodorus Siculus lib. 2. prodidit. *Kirchmaier.*

7 *Sarmatæ ac Parthi*] Hæ enim duæ gentes habitu & armis persimiles, ut Mela scribit. De armatura dixi proprio libello Originum Sarmaticarum. *Colerus.*

8 *Sed stricta & singulos artus exprimente*] Exprimit vero egregie vestitum hunc nostrum, qui a nobilitate Germanica diffusus non dubie per Europam. Describit & Sidonius eleganter, in Panegyrico:

*Strictius assutæ vestes, procera coërcent*
*Membra virum: patet iis arctato tegmine poples.*

Pars tamen etiam quædam Germaniæ olim in laxis vestibus, Sarmatico ritu, sive braccis. Lucanus Batavis & Vangionibus hoc tribuit:

*Et qui te laxis imitantur, Sarmata, Braccis*
*Vangiones, Batavique truces.*

Quamquam de plebe id tantum ceperim. Ceterum ad adstrictas, & Sidonii verbo, assutas Germanorum vestes, facit Dionis locus, lib. XL. me quidem interprete: ubi Pannonios dictos affirmat, ὅτι τοὺς χιτῶνας χειριδωτοὺς ἐξ ἱματίων τινῶν ἐς πάννους ἐπιχωρίως πῶς καὶ κατατέμνοντες καὶ προσονομάζοντες συῤῥάπτουσι: *quod tunicas manuleatas ex centonibus quibusdam & Pannis (ita appellant) patrio more conscindunt & consuant.* Certum mihi est describi nostram tunicam, quam etiam nunc ab istis Pannis *Pantrok* vocamus, veterum Germanorum & Pannonum ipsam vestem. Ea sane, quod Dio ait, è variis panniculis, præter Romanum & Græcum morem, ad singula membra aptata. *Lipsius.*

*Singulos artus*] Non usi ita hodierni Sarmatæ? Nicetas Choniates de quodam Veneto: ἦν δὲ αὐτὸς ἐνδυτά τε τὸν πάτριον περιειμένος συνεσφιγμένον μικροῦ τῷ σώματι καὶ ῥαφιδευμένον ἑκάστῃ τῶν εἰς καρπούς, καὶ τὸ στῆθος ἀφεῖσθαι αὐτοῦ. i. *is patrio vestitu indutus erat qui corpus ita constringebat, ut assutus illi videretur, manibus duntaxat & pectore apertis.* Colerus.

9 *Ferarum pelles*] Mela de Scythis & Sarmatis, *totum braccati corpus, & nisi qua vident, etiam ora vestiti.* Et Ovidius: *Pellibus & sutis arcent mala frigora braccis.* Colerus. Ursorum, taurorum, cervorum, luporum, lyncium, aprorum &c. Et hoc genus tegumenti omnium antiquissimum, quod Deus ipse Protoplastis adoptavit, Genes. 3. Patriarchas etiam circumiisse ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν Epist. ad Hebr. c. 11. Apollonii Scholiastes non frustra σύνηθες τοῖς ἥρωσι τὸ δερματοφορεῖν. *Kirchm.*

10 *Proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius*] At hoc quidem contra rationem; quæ sequitur, *proximi ripæ, exquisitius; ulteriores, negligenter.* Nec dubitabis in hunc ordinem sensumque verba trajicere. Muretus etiam viderat. Locum hunc transpositione corruptum, sic in ordinem plane reponit L. Carrio Antiq. Lect. 3, 2. *Acidalius.* Profiteor mihi locum illum ita interpungendum videri *proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius. At quibus &c. cultus, eligunt feras.* interiores Germanos scilicet, ad quos nulli mercatores commeant, suopte studio ac venatione feras eligere, quarum detractis pellibus vestiantur, puta luporum, vulpium, caprearum. *Colerus.* Cluverius nimis audace manu: *Gerunt & ferarum pelles; ulteriores negligenter, ut quibus nullus per commercia cultus: proximi ripæ exquisitius eligunt feras.* Verum vulgata liquidissime clarent & hoc sibi volunt. Proximi ripæ Romanæ (Rheno Danubioque) negligenter pellibus se tegunt. quare? quia cultum & meliores jam vestes habent à Romanis aut provincialibus, commerciorum beneficio. Ulteriores autem sive interiores ac septentrionales Germani majore in pretio pelliceas vestes habent, iisque vestiuntur exquisitius & elegantius. quare? caussa simili: quia carent aliis vestimentorum generibus, nec ea importantur aliunde, nullo cum exteris intercedente commercio-

tum

negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. [1] Eligunt feras, & detracta velamina [2] spargunt maculis, [3] pellibusque belluarum, quas exte-

rum usu. Sic Spartæ, cum ex instituto Lycurgi luxus omnis excluderetur, opifices, ubi discesserunt ab inutilibus, expresserunt in necessariis elegantiam. Hinc apud eos instrumentum quotidianum & necessarium, velut lecti, sedes, mensæ, supra modum concinne fabricabantur & apud exteros etiam erant in pretio, teste Plutarcho. Sic nostri illi cultiores habebant vestes pelliceas, quod eas solas haberent. Quod etiamnum hodie verum: & ulteriores Sarmatæ omnesque adeo populi aquilonares, exquisitius & cum delectu pelliti sunt. *Berneggerus.* Mihi sæpe visum primo *multus* legere pro *nullus*. Sed expenso diligentius Tacito, nihil existimavi cum Cl. Berneggero, cujus interpretationi hic accedo, immutandum. *Kirchmaier.*

1 *Eligunt feras*] Mollioris pili, puto. Eas & Italis per Siculum mare advectas crediderim. Unde illud Eusebii commentum est, qui ait pellium ejusmodi usum Siculorum inventum esse. Fuisse arbitror pelles vulpium, castorum, aliorumque animalium, quæ uno ac generali nomine *mures* appellabantur. Seneca ep. 91. *Nonne hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac murium, quæ tactu mollia & impenetrabilia ventis sunt.* Mures autem erant castores, lutræ καὶ ἄλλα θηρία τετραγωνοπρόσωπα. Herodoto teste. Harum pellium Taciti etiam tempore non exigua per Germaniam fuisse mercimonia oportet. Illustriores quippe ac nobilissimos quosque Germanorum ejusmodi pellibus delicias fecisse existimo. Eginhardus in vita Caroli: *Ex pellibus lutrinis vel murinis muniebat.* Proinde quasi innueret alias non abusum per luxuriam, sed usum tantum frigoris causa. Saxo Grammaticus lib. 6. *Custerio cui tegmen erat chlamys obsita limbo.* Apud posterius ævum fuisse etiam Principibus honorarias vestes ex ejusmodi pellibus confectas, argumento sunt præter alia, Septem Electorum prisci operis picturæ. Helmoldus initio suæ Historiæ de Borussis: *aurum & argentum pro minimo ducunt. Pellibus abundant peregrinis; quarum odor letiferum nostro orbi superbiæ venenum propinavit. Et illi quidem ut stercora hæc habent, ad nostram credo damnationem, qui ad marturinam vestem anhelamus, quasi ad summam beatitudinem.* Hæc muliercularum nostrarum hodie etiam pompa. Et nonne etiam Africanarum jam olim? Tertullianus: *Et adornari tibi in mentem est super pelliceas tuas tunicas.* Colerus.

2 *Spargunt maculis pellibusque*] Suspectus mihi locus. nec sat scio quomodo detractis feris pelles, sparserint maculis & pellibus aliis piscium. An Tacitus ipse hæc parum intellexit? an *maculæ* vox non sine macula? Ego de Mastrucis aliquid libens supposuissem, si velificata mihi libri alicujus aura. Isidorus: *Mastruca, vestis Germanica ex pelliculis ferarum.* Prudentius:

—— *Mastrucis proceres vestire togatos.*

Cicero Sardis etiam tribuit: *Sardorum mastruca tentavit.* Ceterum non dubium, quin duplici ornatu eos usos Tacitus velit; sive e feris, sive è piscibus. Justinus clarius paullo idem tradidit de Scythis: *Lanæ iis usus ac vestium ignotus: pellibus tantum ferinis aut marinis vestiuntur.* Lipsius.

*Spargunt maculis*] Continuus color alio si distinguatur, eleganter id verbo spargendi fieri dicimus. Virgil. Ecl. 2.

*Præterea duo nec tuta mihi valle reperti*
*Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo.*

Quamobrem quum Oceani litoris accolæ, ornatus causa varient ferarum pelles, unde amiciuntur, squamis immanium belluarum; graphice Cornelius ait, *spargunt maculis.* Maculæ enim sive pelles in belluis sqamæ sunt: quibus cete aliaque id genus squalent: ad ultimum *fera* terrenum, *bellua* maritimum animal est. Horatius, *Te belluosus qui remotis Obstrepis Oceanus Britannis.* Salinerius. Diodorus scribit ἐνδύματα illa horrida fuisse & ποικιλόχροα. Unde suspicor vestimenta illa instar pellium ac macularum belluinarum picta fuisse. Plinius similiter 16, 41. *in eadem esse fruticem baculis tantum idonea crassitudinis, varium tigrium maculis.* Sed quid sibi docti viri volunt de istis pellibus piscium? Et quæ sparsio tantum fit ex pellibus? Nescio quid mihi de pelle belluarum in mentem veniebat. Sed redire serios & eruditos viros alias nolo. Poteterat etiam adferri aliquid de pellibus vituli marini & Hippopotami, quos solos piscium corio & pilis tectos fuisse docet Plinius 9, 12. *Colerus.* Pilos Germanicarum pellicearum antiquitus non introrsum, ut nobis, sed extrorsum fuisse conversos conjicio etiam hinc, quia maculis eos sparserunt, seu frustulis aliarum pellium versicoloribus distinxerunt, conciliandæ pulchritudini, quæ nulla si introrsum versa. Deinde quia renones pelliceæ vestis genus, quod Germanis Cæsar Gal. 6, 21. & Isidorus Orig. 19, 23. tribuunt, Isidorus ait intortis villis adeo fuisse hispidos, ut imbres respuerent. Ergo intus quoque pili foras conversi. Vir doctus huc trahit Ovid. 1. de Pont. 6. hirsutos Getas. Ut opinor, haud bene. nam ibi sermo de hirsutis, non veste, sed corpore. *Berneggerus.*

3 *Pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit*] Adde testimonium Philostrati de vita Apollonii Thyanei 3, 15. ubi ait, ad mare rubrum esse Ichthyophagos, id est, piscibus viventes populos, ac urbem incolentes nomine Staberam, qui ex magnorum piscium membranis vestes intexunt. *Pichena.* Jure suspectus Lipsio locus: nec tamen commode idem supposuerit nescio quid de *mastrucis*. Ego verbum deesse ad finem puto, *vestiuntur* aut *ornantur*, atque scribendum *pellibus quoque*, non *pellibusque*, adhibita insuper

alia

exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod [1] fœminæ sæpius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac
18 lacertos. sed & proxima pars pectoris patet. Quamquam severa illic matrimonia. [2] nec ullam morum partem magis laudaveris. nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem [3] plurimis nuptiis ambiuntur. [4] Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. Intersunt parentes & propinqui, ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus, [5] nova nupta comatur; [6] sed boves & frenatum equum, & scutum cum framea gladioque. In hæc munera uxor accipitur. atque invicem ipsa armorum [7] aliquid viro affert. hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtu-

tum

alia distinctione. Etiam vox *elignnt*, non mihi placet. Tacitus indubie scripsit *figunt*. Denique cum totam hanc partem inspicio diligentius, non modo mutilam, sed luxatam quoque deprehendo. Ac restituerim omnia hoc ordine: *Gerunt & ferarum pelles. figunt feras, & detracta velamina spargunt maculis. Pellibus quoque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit, ornantur, proximi ripa exquisitius, ulteriores negligenter, ut quibus nullus per commercia cultus. Nec alius feminis, quam viris habitus* &c. *Acidalius.* Mirum eruditissimum Lipsium apud Justinum legere: *pellibus tantum ferinis aut marinis*, pro *murinis*, ut legendum ex iis, quæ supra dixi, manifestum. Addit etiam Pichena Philostrati quoddam testimonium de piscium pellibus. Verum ego Ichthyophagis illis in vestitu quidem parum cum Germanis puto convenisse. Nostri enim membranis illis nudis relictis belluarum, pilosum quiddam requirebant, quod pellendo frigori esset. *Colerus.*

1 *Femina sæpius lineis*] Plinius. *Jam quidem & Transrhenani hostes vela è lino texunt, nec pulchriorem aliam vestem eorum fœminæ novere.* Linigeræ igitur fœminæ, nec tamen solæ. Bene ait, *sæpius.* Diaconus in viris agnoscit, lib. IV. cap. VII. *Vestimenta eis* (de priscis Longobardis ait, indubie Germanis) *erant laxa & maxime linea, qualia Angli-Saxones habere solent, ornata institis latioribus, vario colore contextis.* Sed profecto quæ hic de variegatis latisque institis dicit, nos qui vidimus, scimus etiam nunc proprium amictum esse Germanicarum mulierum. *Lipsius.*

*Fœmina sæpius lineis*] Plinius 19, 1. *Jam quidem & Transrhenani hostes, nec pulchriorem aliam vestem fœminæ eorum novere.* Idem de textura lini: *in Germania autem defossi & sub terra id opus agunt.* Sunt hodieque multorum opificum tabernæ subterraneæ. *Colerus.*

2 *Nec ullam morum partem*] Non temere hoc dictum. Horatii vera & feria vox 3. Od. 6. *Fecunda culpæ secula, nuptias Primum inquinavere & genus & domos. Hoc fonte derivata clades In patriam populumque fluxit.* Plinius 7, 25. *Romæ in Capitolio in capite bis bello Persei enata palma, victoriam triumphosque portendit: ac tempestatibus prostrata, eodem loco ficus enata est, M. Messala C. Cassii censorum lustro: A quo tempore pudicitiam subversam Piso gravis auctor prodidit.* Idem.

3 *Plurimis nuptiis ambiuntur*] Nota significationem verbi, *ambiri*, quasi ultro sibi offerri. Sic Annal. 2. *petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere.* Hist. 4. *magnificum latumque, tantis sociorum auxiliis ambiri, neque indigere.* Pichena. Sic Ariovistus rex memorante Cæsare uxores duas, Suevam unam, alteram Noricam habebat. Plus enim ubique permissum sibi præ reliquis mortalium esse potentiores credunt: cum sit ἀπροσωπολήπτης tamen Deus. *Kirchmajer.*

4 *Uxor marito*] Illud, *marito*, abest Bambergensi, & sine fraude. *Lipsius.*

*Dotem non uxor marito*] Solonis etiam lex in eam rem promulgata fuit: quia nolebat μισθοφόρον οὐδ' ὤνιον εἶναι τὸν γάμον. Similis lex Lycurgi apud Plutarchum, sed in alium finem. Sed eadem mens, quæ Soloni. procis illis Teutonis fuit haud dubie. Saxo Grammaticus lib. 8. *Altera Germanis quod venalia quondam solebant esse connubia.* Colerus. Apud Sinenses quoque esse more receptum, ut ad nuptias dotem non viro fœmina, sed vir fœminæ deferat, memorant Maffejus & Mendoza. *Bernegger.*

5 *Nova nupta comatur*] Allusum forsan ad hastam *celibarim*, qua comebantur peculiari ritu novæ nuptæ apud Romanos. Rationem explicat Plutarchus, non multum ab Germanorum donatione abhorrentem. *Colerus.*

6 *Sed boves & frenatum equum*] Suspicor excidisse vocem, *sed binos boves.* nam infra, ubi hæc dona recenset, ait; *hoc juncti boves, hoc paratus equus.* Pichena.

7 *Aliquid viro affert*] Credo melius *offert*, quod idem verbum de marito ante usurpaverat. *Acidalius.*

1 *Boves*

tum cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in prœlio passuram ausuramque. hoc juncti [1] boves, hoc [2] paratus equus, hoc [3] data arma denuntiant. [4] Sic vivendum, sic percundum. accipere se [5] quæ liberis inviolata [6] ac digna reddat, quæ nurus accipiant, [7] rursusque ad nepotes referant. Ergo [8] septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, [9] nullis 19
conviviorum irritationibus corruptæ. [10] Litterarum secreta viri pariter ac feminæ

1 *Boves*] Bella imagine, ad exprimendum illud jugum nuptiale. Nec Romani quidquam inter tot inventa solennium istorum æque idoneum excogitavere. *Colerus.*

2 *Paratus equus*] Qui alacritatem & promptitudinem quandam non obscure significabat. Quamvis inferiori ævo, hoc etiam honorarium munus principum ac nobilium fuerit. Helmoldus, *præmiserat autem dux munera multa & optima juxta morem terræ nostræ, equos pulcerrimos sellatos & vestitos.* Idem.

3 *Data arma denuntiant*] In codice manifeste scriptum erat, *renuntiant*, quod ego certe non mutassem. nam *renunciare* etiam *declarare* est. Renunciantur consules, quum declarantur. Hoc docet nos Plinius Cæcilius in Pan. *tuo judicio consules facti, tua voce renunciati sumus: ut idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator existeres.* Neque vero *re* semper iterationem significat in compositis. *Rhenanus.*

4 *Sic vivendum, sic pereundum*] Diversam lectionem ex annotatiunculis reperio, nempe hanc, *Sic viventes, sic parientes accipere se.* Tum legerim, *reddant*, atque sic distinxerim: *Sic viventes, sic parientes, accipere se quæ liberis inviolata, ac digna reddant, quæ nurus accipiant.* ut referatur ad *uxores.* nam & boves pariunt. Et plurative sequitur, *agunt, nullis conviviorum illecebris corruptæ.* Rhenanus. Haud moror, quod Rhenanus alicubi se legisse adfirmat. Et certum est mihi Tacitum sic scripsisse; *Si vivendum, si pereundum*, id est, seu vivendum, seu moriendum sit. Serenus apud Gellium; *Si Deus, si dea est.* Ennius.

*Hæc est illa dies, qua maxima gloria sese*
*Ostentat nobis, si vivimus, sive morimur.*

Colerus.

5 *Quæ liberis inviolata ac digna reddat*] Vox *digna* Lipsio non sincera. Mihi sincera, sed suo loco exturbata. Tu repone: *quæ liberis inviolata reddat, ac digna, quæ nurus* &c. *Acidalius.* Vox, *digna*, non sincera videtur, inquit Lipsius. Et recte judicat. Sed Tacitus plus pene debet hic illi nunquam satis laudato Heinsio, qui legit: *quæ liberis inviolata reddat; digna quæ nurus accipiant*; neque mihi dubium, quin sic scripserit Tacitus. *Boxhornius.* Vox *digna* non immerito Lipsio visa minus sincera. Et vero dixeris expungendam, vel aliam quandam voculam desiderari, quo illa respicit. Heinsius legit in hunc modum: *inviolata reddat, digna quæ nurus.* Non male. *Ceuring.* Nisi tamen non mendum hic sed specimen brevitatis Taciti, qua fit, ut vox *liberis*, ceu bis posita intelligi debeat; & quidem relata ad *τὸ reddat* dandi, ad *τὸ digna* auferendi casu. Sensus enim, quæ salva & honesta liberis atque iisdem digna (generosæ scilicet matris dignum magna indole ac spe filiorum donum) olim restituat, quæque ab his aliquando sponsis ac speratis suis rursus dotis vicem ferant nurus & suis filiis, illius nepotibus, pari cura sarta tecta præstent perhibeantque. *Gronovius.*

6 *Ac digna reddat*] Vox, *digna*, non sincera videtur. Sed & paullo ante Rhenanus, *sic viventes, sic* [illegible]*ientes*, alibi legisse ait. *Lipsius.*

[illegible]*sus que ad nepotes*] Mutius in Chronico citat: [illegible]*sus quæ ad nepotes referantur.* Sic & editio Veneta *Colerus.*

8 *Septa pudicitia agunt*] Eleganter scio *septa pudicitia* dicitur, sed haud puto convenienter de feminis Germanicis, quæ non custodiis ut illa vox adsignificat, sepiebantur aut claudebantur. Forte *certa* legendum, accommodatissimo epitheto. Martial. *Gaudeat & certa virginitate soror.* plura exempla ad Velleium p. 71. nostrarum lectionum attulimus. *Acidalius.* Livium imitatur lib. 3. *postquam omnia pudore septa animadverterat.* Est autem *septa pudicitia* tuta & inexpugnabilis, sive custodiis, sive moribus gentis, sive ingeniis ipsarum. *Gronovius.*

9 *Nullis conviviorum*] Duo illa tentamenta muliebris pudicitiæ apud Romanos innuit, Convivia & Spectacula. De his Ovidius copiose. De illis alter poeta Venusinus: *Mox juniores quærit adulteros Inter mariti vina, nec eligit Cui donet impermissa raptim Gaudia luminibus remotis.* Contra quam sancte & sincere conjugii fides coleretur apud Germanos testatur hic Tacitus. Florum etiam audi, de victoria Mariana loquentem & Val. Maximum 6, 1.

10 *Litterarum secreta*] Quare hoc matrimoniis, aut pudicitiæ, interserit? mireris. Nimirum quia & litteris occulte missis corrumpi fœminæ solent, sicut de Ludis & Conviviis præivit. At eæ non sunt. *Lipsius.*

*Literarum secreta*] Cur hoc loco de literatura? Quia feminis Romanis literæ ad nequitiam magistræ. Ergo igitur nec Annales, nec Historiæ ullæ scriptæ Germanis? Nullæ, idque Tacitus supra etiam monebat. Ex memoriæ penu deprompta narrabantur aut canebantur res gestæ. Narrabant

næ ignorant. Pauciſſima in tam numeroſa gente [1] adulteria, [2] quorum pœna præſens, & [3] maritis permiſſa. [4] Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. [5] publicatæ enim pudicitiæ nulla

patres filiis, hi patrum nepotibus. C. Fannii fragmentum eſt apud Nonium, quod de illo Annalium genere poſſit intelligi, *ſi quid à parentibus acceptum, pretinus antiqui memoria tradiderunt.* licet rectius hoc interpretatus ſim apud Salluſtium. Morem illum narrandi majorum facta filiis, etiam populo Dei notum fuiſſe diſco ex Pſalmo: *Majores noſtri narraverunt nobis, quod operatus ſit temporibus eorum, temporibus priſcis.* Poſſe tamen hoc etiam de Hiſtoria ſcripta accipi, non ambigo. De Cimbris antiquis Saxo Grammaticus: *Nec volo Danorum antiquiores conſpicuis fortitudinis operibus editis, gloria æmulatione ſuffuſos, Romani ſtili æmulatione, non ſolum rerum à ſe magnifice geſtarum titulos exquiſito contextus genere, veluti Poëtico quodam opere perſtrinxiſſe.* Carmina illa, quæ paſſim Hiſtoriæ ſuæ interſeruit Saxo, ex ejuſmodi ſaxoſis rupibus deſumta eſſe ac verſa ipſe fatetur. Sero apud Germanos Latinæ etiam literæ receptæ ſunt [illegible]ri-derico II. ut ſcribit Aventinus. Nam & [illegible] Annales ſuos filo quodam Poëtico contexebant. *Colerus.* Non præcipue de ſtudiis, ſed literis ipſis & earum ſcriptura accipiendum. Anteceſſit enim de conjugio & ſepta in eo pudicitia. Mox ſequitur de adulteriorum raritate ſimul & pœna. Cur autem his auctor interponit *literas?* Nimirum quia etiam literis occulte ultro citroque miſſis corrumpi fœminæ ſolent. Nec obſtat vocabulum *ſecreta.* nam etiam abſque ſtudiis conſideratas literas aliquid myſterii & ſecreti præ ſe ferre patet ex eleganti narratione hiſtorica Petri Ciezæ to. 2. hiſt. Peru. c. 34. Etſi non negandum ſecundario locum hunc ad ipſa quoque ſtudia trahi poſſe, ut quæ ſine litteris vix ac ne vix quidem ſubſiſtere poſſunt. Raras & vix ullas litteras Germanicas elegantiores inveniri ante tempora Cæſaris Rudolphi, eaſque majorem partem Latinis literis ſcriptas, qui querelis Germanicæ nationis permotus, quod cogerentur veluti ſub jugo exterorum ſcribarum, qui linguæ Latinæ notionem habebant, magna cum jactura rerum ſuarum ſervire, comitia habuit Norbergæ anno 1272, ubi omnium Ordinum imperii unanimi conſenſu decretum eſt, ut deinceps in Cancellariis & contractibus Germanicum idioma reciperetur, obſervavit Camerarius Subſec. cent. 3. cap. 65. *Berneggerus.* Hoc vult Tacitus: Scribere ac per epiſtolas ſuſpecta ſecreta fovere atque exercere neſciunt. Suetonius de Nicia: *quum codicillos Memmii ad Pompeji uxorem de ſtupro pertuliſſet.* Notum ἀλλότριον μικρὸν ἔξωθεν ἐπικομισθὲν altercanti cum Catone Cæſari, quod ille cum popoſciſſet quærens inde adverſario invidiam, Σερβιλίας τῆς ἀδελφῆς ἐπιστόλιον ἀκόλαστον, πρὸς τὸν Καίσαρα γεγραμμένον, ἐρώσης καὶ διεφθαρμένης ὑπ᾽ αὐτοῦ agnovit. Martialis: *Tunc triplices noſtros non vilia dona putabis, Cum ſe venturam ſcribet amica tibi.* Centum alii. *Gronovius.*

1 *Adulteria*] Sic apud Lacedæmonios. Multa adeo noſtri majores de moribus Spartanorum retulere. *Colerus.*

2 *Quorum pœna præſens*] Ad jus & Romanos mores propius in Bambergenſi ſcriptum, *quorum pœna parentibus & maritis.* Nam maritos ſolos hic eſſe arbitros, ſatis crudum. Tamen e Tacito non aliter apparet. *Lipſius.*

3 *Maritis permiſſa*] Neſcio an etiam in adulteros, ut apud quoſdam. Lex Frothonis Daniæ Regis apud Saxonem Grammaticum lib. 5. *Adulteros à veris conjugibus corporum parte ſpoliandos conſtituit, quo minus continentia flagitiis eliderentur.* Colerus.

4 *Accisis crinibus*] Pœna duplex; Crines acciſi, & Fuſtigatio. Quam reperio etiam alias uſurpatam Germanis in hoc ſexu. In Legibus Luitprandi regis Longobardorum, hæc eſt in fœminas violentas, & quæ ſæviunt aut feriunt. *Publicus, in quo loco factum fuerit, comprehendat ipſas mulieres, & faciat eas Decalvare & Fuſtare* (ita lego: vulgo, *Fruſtrare*) *per vicos vicinantes ipſius loci.* Paullo aliam & magis ſævam Adulterii pœnam tribuit priſcis Saxonibus Bonifacius Archiepiſcopus, Epiſtola ad Ethelbalaum Anglorum Regem: *In antiqua,* inquit, *Saxonia, ubi nulla Chriſti cognitio; ſi virgo in materna domo, vel maritata ſub conjuge ſit adulterata: manu propria ſtrangulatam cremant.* (& addit quod huc magis facit) *aut cingulo tenus veſtibus abſciſſis flagellans eam caſta matrona, & de villa in villam miſſa occurrunt novo flagellantes, & cultellis pungunt donec interimant.* Lipſius.

5 *Publicata enim*] Scribam, *publicata etiam.* Non enim hoc ad adulteras refero: ſed ad eas quæ adhuc injuges, vulgo tamen ſe vulgabant. *Idem.*

*Publicata enim pudicitia*] Doctiſſ. vir accipit de ſcortis, & legit *publicata etiam pudicitia* non me applaudente: nam etiam apud alias gentes ægre meretrix virum invenerit. Referenda igitur ſunt ad maritas, quæ ſecutæ compreſſus alienos, à viris crinium ſectione & fuſtibus domo expelluntur: has enim nemo Germanorum quaſcunque divitias mereat, ut uxores ducat: *quod apud eos plus boni mores valent, quam alibi bonæ leges.* At lex Julia illos quoque ulciſcebatur, qui adulterii damnatas in matrimonium accipiebant. *Damnatam adulterii ſi quis duxerit uxorem, ea lege tenetur.* Quam nihilominus ſperni ſolitam Satyrographus docet. Sat. 2.

*Non tulit ex illis torvum Laronia quendam*
*Clamantem toties, ubi nunc lex Julia? dormis?*

Vel legas: *publicata enim impudicitia.* Anſam enim corruptioni dare potuit ultima Syllaba τοῦ *enim.* eadem enim cum prima τοῦ *impudicitia* quum ſit, exſcriptor

In venia. non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic [1] vitia ridet: [2] nec corrumpere & corrumpi, [3] fæculum vocatur: [4] Melius quidem adhuc eæ civitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum fpe votoque uxoris femel tranfigitur. Sic unum accipiunt maritum, quomodo [5] unum corpus, unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, [6] ne tamquam maritum, fed

fcriptor poftrema *enim* exarata, credidit etiam feprimam *impudicitia* delineaffe: fenfu vero in idem recidit. *Salinerius.*

1 *Vitia ridet*] Ratio cur adulteræ viros non inveniant: non enim Germani adulteria fufque deque habent; fed præcipue deteftantur. Hac autem Germanorum laude Tacitus Romanos oblique fuggillat, qui adulteris & nequam hominibus flagitia vitio non dabant: quafi natura feculi talia ferret: in quo etiam errore verfatus eft Nero. Suet. 29. *Ex nonnullis comperi perfuafiffimum habuiffe eum neminem hominem pudicum aut alla corporis parte purum effe: verum plerofque diffimulare vitium & calliditate obtegere.* Tò *corrumpere* & *corrumpi* hic ad adulteria tantum, alibi latius, extenditur. lib. 14. Ann. *Ut quod ufquam corrumpi & corrumpere queat, in urbe vifatur.* Salinerius. Seneca de Tranq. vitæ lib. 1. *in hoc itaque flectendi fumus, ut omnia vulgi vitia non invifa nobis, fed ridicula videantur.* Colerus.

2 *Nec corrumpere & corrumpi feculum vocatur*] Quanto fanctiores fuere nobis ethnici! Nam quotus quifque hodie vel vitia non ridet, vel quantumvis enormibus flagitiis non prætexit illud; *Sic feculum eft.* Si quis aliena matrimonia contaminantem aut puellis illudentem damnet, ftatim audit, *Sic feculum eft.* Si bonus vir peffimam iftam potandi confuetudinem reprehendat, mox adeft, qui excufet, *quod fic hodie feculum fit.* Si quis improbet morem, quo juvenes in militiam temere proficifcuntur, ad nullum non fcelus patrandum erudiendi, huic mox dicetur; *Sic feculum eft:* Si quis miretur facerdotum in parandis præbendis infatiabilitatem, audit, *fic feculum eft.* Si quis immodicum mortalium ftudium in parandis divitiis, quæftum illicitum, atque contractuum iniquitatem deteftetur, huic tamquam nefcienti allegabitur, *Sic nunc feculum eft.* In fumma, nullis non erratis, nequitiis, criminibus, obtendimus, *Sic feculum eft.* Diffimiles igitur majoribus noftris vitia ridemus nobifque blandimur, & corrumpentes ac corrupti, decipientes alios ac circumfcribentes culpam in feculum rejicimus. Codex alter babebat, *vocantur.* Rhenanus. Id eft, communia ac reciproca vitia, prætextu fæculi, non excufabantur, quia apud Germanos fæculum ea non ferebat. Ann. lib. 14. *ut quod ufquam corrumpi & corrumpere queat, in urbe vifatur.* Seneca Contr. lib. 10. *Hoc genere, fæculi vitio, egregia figura, inquinatam & infamem reum, majorum criminum impunitate defendit.* Pichena. Cum vitia, non feculo, fed moribus hominum fint tribuenda, ut monet Sophus graviffime. Et Martial. in Cæcilianum:

> *Non noftri faciunt, tua quod tibi tempora fordent,*
> *Sed faciunt mores Cæciliane tui.*

Colerus.

3 *Sæculum vocatur*] Gravis & acuta fententia. Seneca fimiliter: *Defint effe remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores funt.* Lipfius.

4 *Melius ea civitates*] Inter quas civitates fuiffe Erulos reperio: apud quos adeo fecundo matrimonio non locus, uti uxor marito mortuo laqueo fefe ftatim juxta fepulchrum indueret: nifi invifa vivere mallet & infamis. Procopius tradit lib. 11. De bello Gothorum. *Idem.*

5 *Unum corpus*] Quomodo & re ipfa accipiunt Mufonius: τισὶ δὲ νενόμισται κοινὰ εἶναι πάντα καὶ σώματα καὶ ψυχὰς καὶ χρήματα, πλὴν ἀνδρὸς καὶ γυναικός. *Colerus.*

6 *Ne tanquam maritum*] Ita in omnibus antiquioribus editis. Et quoniam nonnulli ex recentibus habent, *ne tanquam meritum*, ego, ut manifeftum typographorum errorem rejiciebam. Sed cum in poftremis editionibus, eadem vox, *meritum*, retineatur, fufpicatus fum, eam fortaffe Lipfio probari. Ego tamen à prifca lectione non avellor. Senfus eft: Uxores matrimonium potius quam maritum amare. Simile quiddam in Agric. prope finem: *Id filiæ quoque uxorique præceperim, fic patris, fic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque ejus fecum revolvant, famamque ac figuram animi magis quam corporis complectantur.* Plinius junior 4. epift. 19. de uxore loquens: *non enim ætatem meam, aut corpus, quæ paulatim occidunt ac fenefcunt, fed gloriam diligit.* Pichena. Quem fenfum hic facit illud *meritum?* Lego *maritum.* Editio quædam Lipfii fic liquide habet. Maritum, inquit, non amant tanquam maritum, fed tanquam ipfum matrimonium, ut quibus, marito hoc defuncto, matrimonium ultra nullum fperandum. *Acidalius.* Sana fcriptura & merito à Pichena vindicata. Cujus dictis & hoc accedit Antipatri, ex differtatione ipfius nuptiali: αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι κοινωνίαι, καὶ ἑτέρας τινὰς ἀποστροφὰς ἔχουσι. ταύτας δὲ ἀνάγκη πρὸς μίαν ψυχὴν βλέπειν τὴν τοῦ ἀνδρός. Et elegantiffimum illud Phocionis dictum: ὡ δύναμαι τῇ αὐτῇ καὶ ὡς γαμετῇ καὶ ὡς ἑτέρᾳ συνῶν. Quæ vero fecus faciunt, illæ ut Themiftius ait, συνοικοῦσι δ᾽ οὐ συμβιοῦσι maritis fuis. *Colerus.* Tranfpofitæ voces efficiunt ne fani quid hinc elici poffit. At rectum & acutum hoc modo: *ne tanquam matrimonium, fed tanquam maritum ament.* Interdictæ erant apud quofdam Germanos regulos fecundæ nuptiæ, ut difcerent mulieres conjugium amare conjugis caufa, non conjugem

sed tamquam matrimonium ament. [1] Numerum liberorum finire, aut [2] quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur. plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges. In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrescunt. [3] Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora: in eadem humo degunt; [4] donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat. Sera juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas: nec [5] virgines festinantur; eadem juventa, [6] similis proceritas, pares validique miscentur. ac robora parentum liberi referunt.

jugem conjugii causa, sive ut personæ non rei affectus manciparetur. *Grotius.*

1 *Numerum liberorum finire* ] Contra eos, qui liberos aut exponunt, aut necant, invehitur Lactantius Firmianus 6, 20. Atque iis qui hujusmodi impietatem, ob angustias rei familiaris excusant, respondet, satius esse ab uxoris congressione se continere, quam sceleratis manibus opera Dei corrumpere. Ad hunc morem multa doctissime tradit Lipsius epist. 85 Cent. 10. ad Belgas, quam operæ pretium erit inspicere. *Pichena.* Hoc vult, opinor, Germanos nullo legis præmio invitatos, sicut Romani, & solis naturæ stimulis incitatos liberos quærere: quod quidem ἀπὸ φύσεως καὶ καταστάσιος τοῦ ἀρχαίης secundum Democritum. *Colerus.*

2 *Ex agnatis necare* ] Agnatos hic accipies non ἀγχιστεῖς aut συγγενεῖς, sed liberos qui adnascuntur. etsi mallem omnino scribi, *gnatis.* Illud autem mirum, Tacitum omittere insignitum illum ritum & peculiarem Germanis de exploratione liberorum. Prolem enim natam ad Rhenum ferebant, clypeoque imponebant. si undis abriperetur, notham censebant: si innataret, vere suam. Claudianus in Rufinum:

*Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.*

Julianus in epistola ad Maximum: Πάντας οἶδε ὁ Ῥῆνος ἀδικεῖ τοὺς Κελτοὺς, ὃς τὰ μὲν νόθα τῶν βρεφῶν ὑποβρύχια ταῖς δίναις πέμπει, καθάπερ ἀκολάστου λέχους τιμωρὸς πρέπων. Ὅσα δ' ἂν ἐπιγνῷ καθαροῦ σπέρματος, ἐπιπολῆς τοῦ ὕδατος αἰωρεῖ, καὶ τῇ μητρὶ τρεμούσῃ πάλιν ἐς χεῖρας δίδωσιν ὥσπερ ἀδέκαστόν τινα μαρτυρίαν αὐτῇ καθαροῦ καὶ ἀμέμπτου γάμου τὴν τοῦ παιδὸς σωτηρίαν ἀντιδωρούμενος. Meminit & Galenus De sanitate tuenda, & alibi Nazianzenus. Nonnus in Dionysiacis, ab hac caussa Rhenum ἐλεγχιγάμον agnominat, velut judicem vindicemque conjugii: & vidi, qui Rheni etymon hinc petendum adseveraret, quasi purgatoris. Purus quidem sermone nostro *reyn* dicitur. Sed addo, Valerium Flaccum ad Scythas & ad Phasim hunc ritum (nescio an ex vero) transferre. Ita enim ibi quispiam:

*— — subitam sævi duravimus amne*
*Progeniem, natosque rudes?*

Lipsius.

*Quemquam ex agnatis* ] Lipsius mallit: *ex gnatis.* Sed agnati quoque gnati dicuntur, hoc est, quicunque post nuptiarum solennitatem adnascuntur. Cic. de Orat. *Num quis eo testamento, quod paterfamilias ante fecit, quam ei filius natus est, hereditatem petet? nemo quia constat adnascendo rumpi testamentum.* Glossarium vetus: *Adgnatus* ἐπίγονος. Et: ἐπίγονοι *Soboles.* Colerus.

3 *Sua quemque mater* ] Nobilis est disputatio Phavorini apud Gellium 12, 1. ex qua non parum laudis ac ornamenti accedit feminis illis nostratibus. *Idem.*

4 *Donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat* ] Muretus: *donec separet ingenuos virtus*, reliquis deletis. Male, male. Elegantem hunc verbi *agnoscere* usum ignoraverit: quem tu ex Plinii simili loco, de re non dissimili intellige & nota lib. 5. epist. 17. *mireque cupio, ut nobiles nostri nihil in domibus suis pulchrum nisi imagines habeant: quæ nunc mihi hos adolescentes tacite laudare, adhortari, & quod amborum gloriæ satis magnum est, agnoscere videntur.* Seneca ep. 120. *Effice ut possis laudari, si minus, ut agnosci.* Acidalius. Vide, si libet, observationum nostrarum 1, 4. *Separet* est faciat, ut separentur: *agnoscat*, faciat ut agnoscantur. *Gronovius.*

5 *Virgines festinantur* ] Propiores puto trigesimo, quam vigesimo anno. Cur autem ita? Μακρὰ γὰρ ἰσχὺς μᾶλλον ἀρσένων μένει. Θήλεια δ' ἥβη θᾶττον ἐκλείπει δέμας. Ut Euripides dixit. Horrida illa ac bellicola terra pari robore atque vi mentis fœminas ac viros producebat. Varro de Re Rust. 2, 1. *Nec non etiam hoc, quas virgines ibi appellent nonnunquam annorum XX, quibus mos eorum non denegavit, ante nuptias ut succumberent quibus vellent, & incomitatis vagari ut liceret & filios habere.* Loquitur de virginibus Illyricis. Sed quid miri aut novi in illo numero deprehendit? Nonne videtur scripsisse potius, *annorum XXX?* quod pleræque illic virgines, sicut apud vicinos Germanos post trigesimum demum ætatis annum nupserint. Nicolaus de populis quibusdam Africanis: τὰς δὲ θυγατέρας ὁμίλους ποιοῦσι, τὰς πλεῖστον χρόνον μεμενηκυίας παρθένους. *Colerus.*

6 *Similis proceritas, pares validique miscentur* ] In Bon. legitur *validæque.* tamen vulgata magis placet. *Pichena.* Tolle τελείαν στιγμὴν post vocem *proceritas*, & distingue: *similis proceritas, pares v. miscentur.* Verbum enim *miscentur* ad omnia promiscue referendum. Simile quid in Indis, de quibus Curtius lib. 9. *nuptiis coeuntes, non genere ac nobilitate conjunctis, sed electa corporum specie: quia eadem æstimatur*

ferunt. [1] Sororum filiis idem apud avunculum, qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem artioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, & in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam ii, & animum firmius, & domum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi: & nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione, fratres, patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo major affinium numerus, tanto gratiosior senectus, [2] nec ulla orbitatis pretia. Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui, quam amicitias ne- 21
cesse est. Nec implacabiles durant. [3] luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiæ [4] juxta libertatem. Convictibus & [5] hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortalium [6] arcere tecto, nefas habetur, pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. [7] Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii & comes, proximam domum non invitati adeunt.

*tur in liberis.* Acidalius. Theodorus apud Stobæum apposite; ἔτεροι ἢ ἄπαιδας ἀνθρώπους, ἐπειδὰν ἐξ ἡλικίας ἀπέλθωσι πρὸς γάμους ὑπερεχθῶσι, πέρα τοῦ μετρίου πόθῳ ἐπιθύμιας ἡττᾶσθαι. *Colerus.*

1 *Sororum filiis*] Apud Æthiopes idem mos, ut ex Nicolao Stobæus refert. Sed ibi male interpretati sunt ἀδελφῶν υἱοὺς *fratrum filios*, cum *sororum* debuerint. *Idem.*

2 *Nec ulla orbitatis pretia*] Apud Germanos non erant, qui senes orbos captarent, quales multos Romæ fuisse produnt auctores. Hi sic ambiebant ac colebant eos, qui liberis caruissent, ut nihil esset tam servile, quod spe hæreditatis aut legati potiundi non paterentur. Unde de corruptis urbis Romæ moribus disserens Amm. Marcellinus lib. 14. refert, *suo seculo vile existimatum, quicquid extra urbis pomerium natum fuisset, præter orbos & cælibes: nec credi posse qua obsequiorum diversitate colantur homines sine liberis Romæ, at hi, qui patres sunt, tamquam in capita mendicorum acerbitas cælibes dominantur.* Captatorem notat in Paradoxis Cicero: *quem nutum locupletis orbi senis non observat? loquitur ad voluntatem, quicquid denuntiatum sit, facit, assectatur, assidet, miratur.* Indicat Ausonius Burdegalensis eum, cui non sit hæres, captatoribus obnoxium existere, quum canit, *Et captatoris præda est, hæredis egenus.* Plinius quadam ad Calvisium epist. M. Regulum tamquam impudentem ac sceleratum captatorem depingit, talium vulturum astutiam satis exprimens. Tacit. Ann. 14. de Pomponio Silvano, *valuitque pecuniosa orbitate & senecta, quam ultra eorum vitam produxit quorum ambitu evaserat.* Itaque Romæ erat aliquod orbitatis pretium, quum sic colerentur ab hæredipetis orbi senes opulentique. Verum integritas Germanorum nescia fuci, nihil tale admittebat. *Rhenanus.* Morem arguit Romanorum Marcellinus l. 14. Tacitus Ann. 13. *Roma testamenta & orbos velut indagine ejus capi.* lib. 15. *Satis pretii esse orbis, quod multa securitate, nullis oneribus gratiam, honores, cuncta prompta & obvia haberent.* Plinius 4. epist. 15. *plerisque etiam singulos filios, orbitatis præmia graves faciunt.* Cicero in Parad. De his facete Petronius: *Quoscunque in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos; nam aut captantur, aut captant.* & paulo post: *videbitis oppidum, tanquam in pestilentia campos, in quibus nihil aliud est, nisi cadavera quæ lacerantur, aut corvi qui lacerant.* Pichena. Recte hunc locum intelligit, & erudite exponit Curtius Pichena. Eodem, quo ille multa & Taciti imprimis retulit, illud refero Senecæ Consolat. ad Martiam: *ut minime probabili, sed vero solatio utar: in civitate nostra plus gratiæ orbitas confert, quam eripit. Adeoque senectutem solitudo, quæ solebat destruere, ad potentiam ducit; ut quidam odia filiorum simulent & liberos ejurent & orbitatem manu faciant.* Martialis ad istas orbitates respexit 4. Epigr. 56. Plinius lib. 14. *Postquam cœpere orbitas in auctoritate summa & potentia esse, captatio in quæstu fertilissimo.* Colerus.

3 *Luitur*] Luebatur homicidium apud Germanos multa pecuniaria. Ita receptum apud Cimbros fuit, usque ad Christianum III. Regem, qui capital serio introduxit. *Idem.*

4 *Juxta libertatem*] In liberis populis inimicitiæ periculosæ, quibus potentia dissolvitur, qua nisi integra solidaque hostibus obviam iri non potest. Videtur adumbrasse, ut solet ex Thucydide lib. 4. *Idem.*

5 *Hospitiis*] Nonne & reliquæ gentes Arctoæ. De Scythis ac Sarmatis, nulli ignotum. De Sclavis, testatur Leo Imperator, & Helmoldus. Salvianus lib. 7. *Franci mendaces, sed hospitales. Saxones crudelitate efferi, sed castitate mirandi.* Vindicant hodieque sibi laudem illam priscam Franci mei Orientales. Illud mirere, quod Nicolaus scribit de Celtis, id est, Gallo-Germanis: Μείζω δὲ ἐστὶν ἐπιτιμία αὐτοῖς τοῦ ξένον ἀποκτείναντος, ἢ πολίτου. ὑπὲρ τοῦ μὲν ξένου γὰρ θάνατος ἡ ζημία, ὑπὲρ τοῦ δὲ πολίτου φυγή. *Idem.*

6 *Arcere tecto*] Propterea τὰς θύρας τῶν οἰκιῶν οὐδέποτε κλείουσι, ut idem Nicolaus narrat. *Idem.*

7 *Cum defecere*] Ita ex veteribus reposui, ut ad

Eee 3 epulas

eunt. nec intereſt. pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad jus hoſpitii, nemo diſcernit. Abeunti, ſi quid popoſceris, concedere moris: & poſcendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus. ſed nec data imputant. nec acceptis obli-
22 gantur. Victus inter hoſpites comis. Statim è ſomno, quem [1] plerumque in diem extrahunt, lavantur, [2] ſæpius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Lauti, cibum capiunt. [3] ſeparatæ ſingulis ſedes, & ſua cuique menſa. Tum ad negotia, nec minus ſæpe ad convivia procedunt armati. [4] Diem noctemque continuare potando, nulli probrum. [5] Crebræ ut inter vinolentos rixæ, raro conviciis, [6] ſæpius cæde & [7] vulneribus tranſiguntur. [8] Sed & de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adſciſcendis principibus, [9] de pace denique ac bello plerumque in conviviis conſultant: tamquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat. Gens non aſtuta nec callida, [10] aperit adhuc ſecreta pectoris licentia loci. Ergo detecta & nuda omnium mens [11] poſtera die retractatur: [12] & ſalva utriuſque

epulas ſeferatur. Vulgo, *cum defecerit*. Pichena.

1 *Plerumque in diem*] Somniculoſum genus, Germani, Sarmatæ etiam & alii ſeptentrionales, opinione Italorum veterum. Cauſa in natura magis, quam conſuetudine. Neſcio quid Ariſtoteles de locis paluſtribus & frigidis, Problem. ὅτι περὶ κράτος. *Colerus.*

2 *Sæpius calida*] Res ea ipſis exitio fuit apud Aquas Sextias. Plutarchus Mario: τούτοις τὸ πρῶτον ὀλίγοι προσεμάχοντο τῶν πολεμίων. ἔτυχον γὰρ ἀριστῶντες οἱ πολλοὶ μετὰ λουτρὸν, οἱ δὲ ἐλούοντο. ῥήγνυσι γὰρ αὐτόθι ναμάτων θερμῶν πηγὰς ὁ χῶρος. *Idem.*

3 *Separata ſingulis ſedes*] Quæ ſedes è gramine aut frondibus, & proprie thori. Strabo ſuggerit, qui de Gallis: καθεζόμενοι δειπνοῦσιν ἐν στιβάσι: *ſedentes cibum capiunt in thoris gramineis.* Poſidonius apud Athenæum, fœnum ſibi ſubſtraviſſe ſcribit, ab eadem mente: Κελτοὶ τὰς τροφὰς προτίθενται, χόρτον ὑποβάλλοντες, καὶ ἐπὶ τραπεζῶν ξυλίνων, μικρὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπηρμένων, &c. Plura de ratione Germanici victus, ibi vide. lib. IV. inquam, cap. XIII. *Lipſius.*

4 *Diem noctemque*] Uti & de Perſis Xenophon ſcribit in Pædia, l. VIII. extremo. qui mirum (ſtudioſe enim notavi & comparavi) quam in pleraque omni ratione vitæ, imo & lingua, conſentiant cum Germanis. *Idem.*

5 *Crebra ut inter vinolentos rixa*] Hoc de Germanis, qui Rheno propiores ſunt, accipiendum. Sic Ann. I. de Marſis. *ut ne pax quidem niſi languida & ſoluta inter temulentos.* Alioqui legere malim, *ut inter violentos.* nam interiores Germani vino carebant. Et cædes & vulnera violentiam conſequuntur. *Rhenanus.*

6 *Sæpius cæde*] Credo doctiſſimo & acutiſſ. Lipſio, qui Perſarum mores ait perſimiles fuiſſe Germanorum. Ego idem fere de Thracibus adſeram. His enim hæ quoque ſanguinolentæ compotationes uſurpatæ. His Deorum maxime Mercurius cultus. Apud hos dotem non uxor marito, ſed maritus uxori offert. Agricultura nullo precio eſt. Otium otioſum etiam honori ducitur. Convivia & potationes creberrimæ & alia. *Colerus.*

7 *Vulneribus tranſiguntur*] Ex formula juris Romani, quibus ſollenniter utitur hoc libello Tacitus, legerim, *vulneribus tranſigunt.* Idem.

8 *Sed de reconciliatis invicem inimicitiis*] Scripſimus, *ſed & de reconciliandis invicem inimicis.* Et paulo poſt: *exercitatio artem paravit.* Rhenanus.

9 *De pace ac bello plerumque in conviviis*] Hæc eadem fere Perſæ. Herodotus lib. I. μεθυσκόμενοι δὲ ἐώθασι βουλεύεσθαι τὰ σπουδαιότατα τῶν πρηγμάτων. τὸ δ' ἂν ἅδῃ σφι βουλευομένοισι, τοῦτο τῇ ὑστεραίῃ νήφουσι προτιθεῖ ὁ στέγαρχος, ἐν τοῦ ἂν ἐόντες βουλεύωνται. καὶ ἢν μὲν ἅδῃ καὶ νήφουσι, χρέωνται αὐτῷ. ἢν δὲ μὴ ἅδῃ, μετιεῖσι. Hoc eſt, *de ſumma rerum inter pocula deliberant. quod autem ſibi conſiliantibus placuit, id domus dominus, ubi convenerunt, iiſdem ſobriis poſtridie proponit: & ſi ſobriis etiam placuerit, utuntur; ſin minus, miſſum faciunt. poſtero die retractatur.* irritando ſcil. & ſanciendo. *Salinerius.*

10 *Aperit adhuc ſecreta*] Suſpectum illud *adhuc.* Sed utcumque interpretari poteſt, noſtris etiam temporibus. *Pichena.* Parvula licentia lego, *adhoc* Salluſtianum eſt nec longius abeo cum Pichena. *Colerus.* Saniſſimum eſt illud *adhuc*: quamvis, inquit, à ſe apertus Germanus, magis tamen adhuc mentem labiis geſtat hilaratus poculis. *Adhuc* notat amplius, præterea, & inſuper. *Gruterus.*

11 *Poſtera die retractatur*] Jo. Bodinus levitatis notam Germanis impingit abuſus his verbis auctoris; quia, inquit, pridie deliberata poſtera die *retractant.* Quis autem adeo lippit, ut non videat *retractari* hic non eſſe refutari, repudiari, (quæ ſententiæ mutatio retractatioque μετανοία & παλινῳδία Græcis eſt) ſed denuo ſive diligentius tractari, in manum reſumi, recognoſci? Sic Plinius lib. 9. ep. 10. *Oratiunculam unam & alteram retractavi.* Sueton. Aug. 34. *Leges retractavit & quaſdam ex integro ſanxit.* Et Liv. lib. 10. *retractare arma,* iterum tractare. *Berneggerus.*

12 *Et ſalva utriuſque temporis ratio eſt*] Ego ſcribo,

utriusque temporis ratio est. Deliberant dum fingere nesciunt: constituunt dum errare non possunt. [1] Potui humor ex ordeo aut frumento, in quandam similitudinem 23
vini corruptus. Proximi ripæ, & vinum mercantur. [2] Cibi simplices, agrestia poma, [3] recens fera, aut lac concretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. adversus sitim, non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile [4] vitiis, quam armis, vincentur. Genus 24

bo, *& sua utriusque tempore.* Interpretor: Germani in conviviis & compotationibus deliberant quidem agitantque res graves: sed easdem sobrii recoquunt & retractant. utrique rei quædam ratio esto Rationem autem addit, *deliberant, dum fingere nesciunt; constituunt, dum errare non possunt.* Ex quo discimus, Germanos in convivii illa licentia proposuisse quidem seria: sed eadem conclusisse & finisse, non nisi matutinos & serios. Persarum similis mos, qui, ut Strabo ait, *ἐν οἴνῳ τὰ μέγιστα βυλεύονται, καὶ ταῦτα βεβαιότερα τῶν ἐν νήψει τίθενται.* idemque de iis Ammianus lib. XVIII. Sed & Cretensium: ex Athenæo l. IV. cap. V. Græcorum omnium veterum ex Homero, & Plutarcho diffuse Symposiacorum lib. VII. Propius ad Tacitum Herodotus I. *Quæ Persæ in conviviis deliberaverint, postridie proponi sobriis: & si tunc placuerint, rata esse.* Lipsius.

*Salva utriusque temporis*] Mihi vulgata sensum optimum habere videtur. Nam etiamsi in conviviis compotationibusque de gravioribus rebus Germani deliberant, salvum tamen & integrum ebrietatis tempus remanebat, eum eadem postera die retractarent. *Pichena.* Parum refert, *salva* sive sua *legatur.* Salinerius. Lipsius recte scribit, quod & Cluverio est probatum, *& sua.* Ut sensus sit; non deesse rationem, quare Germani inter pocula consultent, sobrii constituant; deliberare nempe, dum fingere nesciunt; constituere, dum errare non possunt. Salvus tamen etiam sensus est in *salva*; quod & Pichenæ visum. *Conringius.* Pro *salva* mavult *sua* Lipsius, quem sequor. *Kirchmaier. Rationem constare* & *Rationem salvam esse* sensu eodem dicuntur: & proprie in pecuniæ rationibus domicilium habent. *Constat* enim & *salva est ratio,* quæ non conturbata & implicita, sed explicata vel expedita est; ubi accepta & expensa quadrantur, ubi paria fiunt aut fieri possunt, ubi nulla reliqua, nec plus erogati est quam accepti. Sic *constare* ac *salvum esse* dicitur, quicquid utiliter expensum vel impensum est, ut ejus nomine actio vel crimen non detur, neque oriatur dolor aut pœnitentia; cujus nihil male collocatum vel insumptum. Ita Plinius in Paneg. cap. 92. *salva diligentia tua ratione,* id est, ut tibi ratio diligentiæ tuæ constet, ut nihil tibi videaris contra consuetam diligentiam tuam fecisse. Defendimus adversus optimum Buchnerum eidem Plinio lib. 2. epist. 7. *salvo & composito die,* ad Senecam de Ira 3, 36. Ergo & apud Tacitum, *Et salva utriusque temporis ratio est,* accipiendum, ut fit, Et utrumque tempus non omnino otiose atque inutiliter, & sic, ut nullam ejus operam edant, agunt: & utrumque tempus non male collocant aut sibi collocare videntur. Quum Romani & Græci convivantes *ἐς ἄυριον τὰ σπουδαῖα* proferant, & sic eis alterius temporis ratio non constet, nec salva sit, quippe quod & per merum lusum & lasciviam trabatur; boni Germani temperant, inquit, suas ferias utili negotio deliberandi, atque adeo non tantummodo, cum retractant consulta sobrii, sed etiam, dum consultant uvidi ac saucii, temporis salvam rationem habent. Allusit ad dictum Catonis, quod Justinus in præfatione ac pro Planco refert Cicero, *clarorum virorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem constare oportere.* Gronovius.

1 *Potui humor ex hordeo aut frumento*] Cervisiam intelligit, quæ etiam hodie in usu frequenti apud Germanos, Sarmatas, Belgas, & Anglos. Dio Cassius lib. 49. de Pannoniis ait: *hordeum & milium & edunt, & potum ex eis conficiunt.* Plinius 2. cap. ult. in fine: *ex iisdem* (frugibus) *fiunt & potus, Zythum in Ægypto, Cælia & Ceria in Hispania, Cervisia & plura genera in Gallia aliisque provinciis.* Ulpianis in l. 9. D. de tritico, vino, vel oleo legato: *si quis vinum legaverit, Zythum, quod in quibusdam provinciis ex tritico, vel ex hordeo, vel ex pane conficitur, non continebitur. Simili modo nec Carnum, nec Cervisia continebitur.* Amm. Marc. lib. 26. hujusmodi potum, Sabaiam vocat, his verbis: *est autem Sabaia ex hordeo vel frumento, in liquorem conversus, paupertinus in Illyrico potus.* Pichena. Dio de Pannoniis: *τὰς δὲ κριθὰς καὶ τὰς κέγχρους καὶ ἐσθίουσι ὁμοίως καὶ πίνουσι.* Cetera de cerevisia fusius Parergis cap. 10. *Colerus.*

2 *Cibi simplices*] Pultiphagos etiam fuisse constat. Plinius 18, 17. *primum omnium frumenti vitium avena est, & hordeum in eam degenerat, sicut ipsa frumenti fit instar: quippe cum Germania populi edant eam, neque alia pulte vivant.* Idem.

3 *Recens fera, aut lac concretum*] Danesius legebat, *recens caseus,* &c. *Ursinus.* Panegyrista ad Constantinum: *aut trucem Francum sola farina carne distentum.* De victu tali insolentius & asperius etiam Mela prodidit. *Colerus.*

4 *Vitiis, quam*] Bambergensis, *vino quam armis.* Lipsius.

*Quam armis vincentur*] Germani pugnis nunquam satis victi. *triumphati magis, quam victi sunt.* Dicturus itaque quam inexplebiles vini sint (quo

vitio.

nus spectaculorum unum atque in omni cœtu idem. Nudi juvenes, quibus id ludi-
crum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu jaciunt. Exercitatio artem pa-
ravit, ars decorem. non in quæstum tamen aut mercedem. quamvis audacis lasciviæ
pretium est, voluptas spectantium. Aleam (quod mirere) sobrii inter seria exercent,
1 tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo ac novissi-
mo jactu 2 de libertate & de corpore contendant. Victus 3 voluntariam servitutem
adit. quamvis junior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur. ea est in re prava
pervicacia: 4 ipsi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, 5 ut
25 se quoque pudore victoriæ exsolvant. Ceteris servis, non in nostrum morem descri-
ptis 6 per familiam ministeriis utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit.
Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono injungit: & servus
hactenus paret. Cetera domus officia, uxor ac liberi exsequuntur. Verberare ser-
vum, ac vinculis & opere coërcere, rarum. Occidere solent, non disciplina & se-
veritate, sed 7 impetu & ira, ut inimicum, nisi quod impune. Liberti non mul-
tum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in civitate, ex-
ceptis dumtaxat iis gentibus, quæ regnantur. Ibi enim & super ingenuos & super
26 nobiles ascendunt: apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt. Fe-
nus

vitio præcipue laborant) ut armis, inquit, vix vinci queunt, ita metum in se ingurgitando invicti sunt. *si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt.* quid sequitur? *haud minus facile vitiis, quam armis vincentur.* Salinerius. Hic sensus est: Germanos ubi processus magnos fecerint in potatione, ad varia vitia prolapsos. Nam ut gravissimus Seneca ad Lucillium scribit! *Omne vitium ebrietas & incendit & detegit.* Movet me tamen Lipsius ex libro Bambergensi adducens: *haud minus facile vino, quam armis vincentur.* Dicit Germanos ingentem vim meri capere, quod si suppeditaveris, eo hauriendo non minus invictos cluere, quam armis. Sane hoc loco de bibacitate & ebrietate Germanorum, non de ipsorum vitiis agit. *Colerus.* Quod Bambergensis codex habuit, *vino*, proposito videtur convenientius. *Conringius.* Vix est, ut τὸ *vino* non sit à mala Scholiastæ manu. Nam *vitiis* prorsus est nimio vino & hoc amplius τὴν οἰνοφλυγίαν consequentibus malis. Justinus de Philippo & Alexandro: *Vini nimis uterque avidus, sed ebrietatis diversa vitia.* Quorum & Horatius quædam decantat: *Quid non ebrietas* &c. *Vinci* autem suis eos *vitiis* dicit, ut apud eundem Justinum Scythæ *prius ebrietate quam bello vincuntur.* Et Antiochus Floro *rex jam luxuria sua debellatus.* Neque enim invictos & vino & armis significari puto, (nam si vino invicti, cur crebræ inter vinolentos rixæ? cur cædes? vino utique sunt hæc succumbentium, ἡττόνων non κρειττόνων) neque tamen etiam facile armis vinci Germanos; sed si quis ea irretire possit eos illecebra, juxta facile victum iri hoc genere vitiorum quam inexsuperabili vi armorum, quam *armis*, id est, ea mole armorum, quibus vinci possunt. *Gronovius.*

1 *Tanta lucrandi*] Sidonius de Theodorico: *putes illum & in calculis arma tractare. Sola est illi cura vincendi.* Colerus.

2 *De libertate & de corpore*] Hoc aleæ studium pertinax Hunnis attribuit D. Ambrosius, de Tobia cap. XI. *Ferunt Hunnos, cum sine legibus vivant, aleæ solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul & arma portare, & plures suis, quam hostilibus ictibus interire. In victoria sua captivos fieri, & spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste nequiverint.* Et statim: *Frequenter autem tanto ardore rapi, ut cum ea quæ sola magna æstimant, arma victus tradiderit, ad unum aleæ jactum vitam suam potestati vel victoris, vel fœneratoris, addicat. Denique constat, quod quidam & Imperatori Romano cognitus, in fide pretium servitutis, quod sibi tali sorte superatus intulerat, suppliciis imperata mortis exsolverit.* O fœda, ô barbara. & scio apud quosdam Septemtrionalium hodie hanc insaniam pro parte vigere. *Lipsius.*

3 *Voluntariam servitutem*] Seneca: *nulla servitus turpior est, quam voluntaria.* Colerus.

4 *Ipsi fidem vocant*] Prave quidem in re prava. Sed tamen ipsis in ipso Romanæ urbis theatro quoque visum *Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse* Tacit. Ann. 16. Sueton. Claudio. *Idem.*

5 *Ut se quoque pudore victoriæ exsolvant*] Ad quid referatur illud, *quoque*, non satis liquet. Ambigo, num, *quisque*. Tamen pro vulgata lectione potest intelligi, ut etiam in victis pudorem ac dedecus projectæ libertatis notet. *Pichena.*

6 *Per familiam ministeriis*] De his ministeriis eleganter Seneca ad Lucillium epist. 46. *Colerus.*

7 *Impetu & ira*] Hoc ita in Septemtrionis tractu, ut Hollatia atque alibi, etiam hodie Germani; & per mores licet. *Lipsius.*

1 *Ideoque*

nus agitare & in usuras extendere ignotum: [1] ideoque magis servatur, quam si vetitum esset. [2] Agri pro numero cultorum ab universis [3] per vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. facilitatem partiendi, camporum spatia præstant. [4] Arva per annos mutant, & superest ager. nec enim cum ubertate & [5] amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant, & [6] prata separent, &

1 *Ideoque magis servatur*] Quid servatur? imo non servatur fœnus, nec est ejus usus. Aliquid in hac scriptura vitii: an *spernitur*, vel *spernatur*? ac tale sententia petit. Aut pro sensu capiendum, quasi de interdicto præivisset. *Idem.*

*Ideoque magis servatur*] Hæc ad votum ignotum referenda. Illa, inquit, ignorantia magis servatur, id est, minus facit peccare, quam legum auctoritas. Fit enim nescio quo humani ingenii vitio, ut magis vetita persequamur vitia. Peccare autem in leges, id vero hominibus non familiare tantum, sed naturale etiam. καὶ οὐκ ἔστι νόμος, ὅστις ἀπείρξει τούτου, ut præclare Thucydides lib. 3. Sic vulgatam lectionem defenderim. *Colerus.* Lipsius malit *spernitur*. Et vero sensus hic subest. Sed hunc haud incommode dat etiam illud *servatur*. Itaque non est, quod mutes: quod & Colero est visum. *Conringius.* Lege: *ideoque magis aversantur*. Ita obiter mendo liberamus Tacitum. nam sensu caret, quod editum est. *Salmasius.* Quomodo *aversantur*, si sibi est *ignotum*? Loquendi ratio elliptica est, nec infrequens apud auctores, maxime apud Græcos: Sumendum igitur aliquid ἀπὸ κοινοῦ. Magis ergo servatur mos ille non agitandi fœnoris & in usuras extendendi, quam si vetitum esset. Quare magis servatur? quia iis est ignotum. Sic Homerus: ἡ μὲν ἔπειτα εἰς ἅλα ἆλτο βαθεῖαν ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου, Ζεὺς δὲ ἑὸν πρὸς δῶμα. Αἴϊεν scilicet. Sophocles Electra: Καὶ μὴ ἄτιμοι τῆς δ' ἀποστείλητε γῆς. Ἀλλ' ἀρχέπλουτον καὶ καταστάτην δόμων. Δέξασθε scilicet. Apostolus ad Timotheum: κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων, *prohibentium nubere, abstinere a cibis.* Heraldus.

2 *Agri ab universis*] Bambergensis, *ab universis vicis occupantur.* longe alia, nec deteriore sententia, *Lipsius.*

3 *Per vices occupantur*] Quomodo vicissitudo hæc intelligenda est? An quia plerumque contingeret, agrum aliquem ab uno populo derelictum, & ab alio vicissim occupatum? An quia per annos arva mutant? Dubito, an rectius legas, *per vicos*, id est, vicatim. *Pichena.* Quomodo id factum sit, quærunt viri doctissimi. Cæsarem id declarare existimo lib. 4. ubi de Suevis, *hi centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum, bellandi caussa, suis ex finibus educunt. reliqui domi manent, pro se atque illis colunt. hi rursus invicem anno post in armis sunt, illi domi remanent.* An enim hoc non est agros per vices occupari à pagis seu vicis? Ne blanditur quidem altera lectio libri Bambergensis. De vicariis ejusmodi agris Getarum Horatius: *Nec cultura placet longior annua: Defunctumque laboribus Æquali reparat forte vicarius.* Colerus. Lege *per vicos.* Primum enim regiones universim occupant: eas deinde inter se per fundos dividunt. Seneca de Beneficiis lib. 4. *Fines Atheniensium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini privata terminatione distinguunt.* Grotius. Forte scribendum *per vicos.* Quæ ratio agri colendi planior est & propius accedit ad ea, quæ Cæsar de eadem narrat lib. 6. Imo optime convenit cum illa, quam subjungit Tacitus, partitione inter singulos. Prima scil. agri in quolibet populo divisio fuit secundum vicos, altera inter singulos secundum dignationem. Consensit conjecturæ meæ Pichena & Cluverius. *Conring.* Satis placet *per vices.* Cæsar l. 6. Gall. *Agriculturæ non student: neque quisquam agri modum certum ac fines proprios habet: sed magistratus in annos singulos gentibus nationibusque hominum, qui una coierunt, quantum eis & quo loco visum est, attribuunt agri, atque anno post alio transire cogunt.* Ergo, quia nulla perpetua possessio, & quotannis aliis tribus patrisvefamilias in alterius arationem successio, *vices.* Sic *vices excipere* succedere Phædro. Idem de veteribus Ægyptiis Herodotus lib. II. Ταῦτα μὲν (τὰ ἱερέων γέρα) ἀεὶ τοῖσι αὐτοῖσι ἐξαραιρημένα· τάδε δὲ ἐν περιτροπῇ ἐκαρποῦντο, καὶ οὐδαμὰ ὡυτοί. Scilicet ἐν περιτροπῇ per vices est, ἐν περιόδῳ. Simile quid de Dalmatis Strabo, etsi vices istæ octo annorum essent, lib. 7. Ἴδιον δὲ τῶν Δαλματέων, τὸ διὰ τῆς ὀκταετηρίδος χώρας ἀναδασμὸν ποιεῖσθαι. Gronovius.

4 *Arva per annos mutant*] Mutatio ista jussu magistratuum fiebat, ut colligitur ex Cæsare lib. 6. *atque anno post, alio transire cogunt.* Ne scil. agriculturæ studio homines caperentur. *Pichena.*

5 *Amplitudine soli labore contendunt*] In Ven. ac Bon. legitur, *laborare.* Pichena. Columella, 1. de re rust. 3. *Acutissimam gentem Pœnos dixisse convenit, imbecilliorem agrum quam agricolam esse debere: quoniam cum sit colluctandum cum eo, si fundus prævaleat, allidi dominum.* Gronovius.

6 *Prata separent*] Nisi fallunt annotatiunculæ quondam exceptæ, legitur illic, *prata sepiant.* Rhenanus. Sic libri meliores. Rhenanus tamen reposuit, *sepiant.* quod ego improbo. Sensus est: populos illos, in magna soli ubertate atque amplitudine, solitos non fuisse, pomaria conserere, hortos rigare, & prata à reliquis agris separare animi causa; sed segeti tantum operam insumere, ideoque semper supererat ager. *Pichena.* Restituit ex lib. vet. Rhenanus, *sepiant.* Mihi videtur vis quædam facta Tacito, in transpositione verborum, & primitus ita exaratum fuisse censuerim: *ut pomaria con-*

& hortos rigent. [1] sola terræ seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species: hiems & ver & æstas intellectum ac vocabula habent: au-
27 tumni perinde nomen ac bona ignorantur. Funerum nulla ambitio. id solum observatur, ut corpora clarorum virorum [2] certis lignis crementur. Struem rogi nec vestibus, nec odoribus cumulant. [3] sua cuique arma, quorundam igni & equus adjicitur. Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum [4] arduum & operosum honorem, [5] ut gravem defunctis, aspernantur. Lamenta ac lacrymas cito; dolorem & tristitiam tarde ponunt. [6] Feminis lugere honestum est; [7] viris meminisse. Hæc in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. nunc singularum gentium instituta, ritusque quatenus differant: quæ nationes è Germania in Gallias com-
28 migraverint, expediam. Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctorum [8] divus Julius tradit: eoque credibile est, etiam [9] Gallos in Germaniam transgressos. Quap-

*conserant, prata rigent, hortos sepiant.* Non æque notæ irrigationes hortorum ac sunt pratorum. De sepibus hortorum plena manu Columella passim. Unde & ipsi horti sepes dicuntur. Virgilius: *Sepibus in nostris.* Sed appositissime Tertullianus adversus Marcionem: *Flosculus de sepibus, non de prato.* Colerus.

1 *Sola terra seges imperatur*] Elegantissime: imperat enim agricola, & parent arva. *Ut quamvis avido parerent arva colono.* Salinerius.

2 *Certis lignis*] Idem Saxo: *deinde rogum exstruit, Danis inauratam Regis sui puppim in flamma fomentum conjicere jussis.* Colerus.

3 *Sua cuique arma*] Saxo Grammaticus lib. 8. *Cumque superjectum ignis cadaver absumeret, mærentes circuire proceres impensiusque hortari cunctos cœpit, uti arma, aurum & quodcunque optimum esset, liberaliter in nutrimentum rogi sub tanti taliterque apud omnes meriti Regis transmitterent.* Idem.

4 *Arduum & operosum honorem*] In codice legitur tantum *operosum*: non, *peroperosum*. Rhenanus. In nonnullis antiquioribus legitur, *peroperosum*, fortasse non spernendum. amat enim similes voces Tacitus. ut Ann. 15. *persæverum imperium.* & eodem libro juxta veteres libros, *persimplici victu.* Pichena.

5 *Et gravem defunctis*] Castigavimus, *ut gravem defunctis.* Rhenanus.

6 *Feminis lugere honestum est*] Seneca epist. 64. *Annum feminis ad lugendum constituere majores, non ut tam diu lugerent, sed ne diutius. Viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum.* Idem epist. 100. *Vir prudens meminisse perseveret, lugere desinat.* Pichena. Nihil Tacitus de opinione Germanorum, circa animæ statum; quod miror. Credebant enim cum Gallis animas esse immortales, ob quam caussam fortissime etiam in acie pugnantes, vitæ satis prodigi erant. Appianus eo nomine de iis scripsit: καὶ τὴν τόλμαν θρασύτατοι, καὶ θανάτου καταφρονηταὶ δι' ἐλπίδα ἀναβιώσεως. Mela de Druidis 3, 2. *unum ex iis, quæ præcipiunt, in vulgus effluit, videlicet ut forent ad bella meliores, æternas esse animas, vitamque alteram apud manes.* Colerus.

7 *Viris meminisse*] Acute. Seneca communiter ita præcipit, epistola c. *Meminisse perseveret, lugere desinat.* Lipsius.

8 *Divus Julius tradit*] Ejus verba sunt comm. 6. *ac fuit antea tempus quum Germanos Galli virtute superarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent.* Et subdit paulo post: *nunc quod in eadem inopia, egestate, patientiaque Germani permanent, eodem victu & cultu corporis utuntur, Gallis autem propinquitas & transmarinarum rerum notitia, multa ad copiam atque usus largitur, paulatim assuefacti superari multisque victi prœliis, ne se quidem ipsi cum illis virtute comparant.* Rhenanus. Locum illum C. Jul. Cæsaris perstringit lib. 6. Hæc est migratio illa Bellovesi & Sigovesi Celtarum, de qua Livius. *Colerus.*

9 *Gallos in Germaniam transgressos*] Sane T. Livius 5, 34. quum Ambigatus Biturix rex Celtarum magno natu ipse regnum prægravante multitudine exonerare cupiens, quæ jam vix regi videbatur posse, Bellovesum ac Sigovesum Sororis filios impigros juvenes, missurum se esse in quas dii dedissent auguriis sedes, ostendisset, Sigoveso sortibus datos Hercynios saltus. Cæterum quos Gallorum populos secum eduxerit, non commemorat nominatim propter institutam de primum transcensis Alpibus narrationem, id quod à Belloveso factum. At mihi fit probabile è Celtis Sigovesum habuisse & Andegavos, quando horum nomen hodieque extat in Hercynio saltu, qua Galliam aspectat. Siquidem amœnissimam vallem eam illam, quæ est oppidulo Noppenaugiæ vicina, subjecta Cniebiso monasteriolo Benedictinæ factionis, vernacula Germanorum lingua *Andegast* appellat. In cujus extremo thermæ repertæ sunt ætate patrum nostrorum, recentibus vulneribus sanandis mirum in modum conducibiles. Quod si liqueret Belovacos quoque è Belgis una cum illo transisse Rhenum, tribueremus illis vicinam vallem, quam vulgus *Volvacensem* vocat, quasi dicas Beluacensem, à Voluaco seu fluvio, seu oppidulo, hoc est, Belouaco. Ut Senonibus Gallis proximam Hercynii saltus partem, quam

Quantulum enim amnis obstabat, quo minus, [1] ut quæque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc, & nulla regnorum [2] potentia divisas? Igitur inter [3] Hercyniam silvam, Rhenumque & [4] Mœnum amnes Helvetii; [5] ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. [6] Manet adhuc *Boiemi* nomen, significatque

quam hæc ætas *Simonis nemus* cognominat. Porro de *Tectosagibus Gallis*, qui trans Rhenum coloniam miserint, testatur Cæsar comment. 6. *Itaque ea, quæ fertilissima sunt Germaniæ loca circum Herciniam silvam (quam Eratostheni & quibusdam Græcis fama notam esse video, quam illi Orcyniam appellant) vulgo Tectosages occuparunt, atque ibi consederunt.* Cæterum penitioribus illos, cultioribusque locis habitasse ad Nicrum fluvium argumento Decensis arcis in nostris rerum Germ. libris annotavimus. Atque hic observandum ab idoneis esse relatum autoribus, inde nomen Alpium ortum, quod sua lingua montes Galli vocent *Albas*. Itaque montis, qui Nicro fluvio vicinus est, & haud procul Rutelinga ascenditur, illa longe lateque patens planities, tritici inprimis ferax, indubie etiamnum *Alba* nomen à cultoribus olim Gallis retinet. Suspicorque montem hunc à Flavio Vopisco designatum in vita Probi Imp. *cæsis Alemannorum in Gallia multis millibus, reliquias ultra Nicrum* (sic enim illic legimus, non *Nigrum*) *& Albam fuisse remotas.* Significat enim Probum eos, qui ex Alemannis supererant, in ulteriorem Germaniæ regionem, & *transnicrinam* sive ut hodie loquimur *transnecaranam* atque *transalbanam* Ducatus Wirtenbergensis partem submovisse, versus Danubium, cui propter securitatem Galliarum præstabat illos esse viciniores quam Rheno. Et Rhætiæ provinciæ sterilior minus erat periculi à Germanis. Siquidem de Albi inclito flumine non videtur accipiendum, quem a recentioribus Albiam vocari haud ignoro. Sub Augusto certe semel contigit ut Albis esset limes Imperii Romani, qui mox Varo Quintilio occiso vix in Rheno stetit. Et Tacitus notum olim fuisse dicit, *sed nunc*, inquit, *tantum auditur* Neque enim poëticæ laudes Claudiani Panegyristæ ad historiæ veritatem ubique sunt trahendæ. Quanquam vero Probus ipse in epist. ad senatum gloriatur *subactam esse omnem, qua tenditur late, Germaniam, novemque reges gentium diversarum ad suos pedes stratos jacuisse.* Arbitror tamen quod *de submotis reliquiis* indicat Vopiscus, accipiendum de Alemannis potius quam Germanis inferioribus: cum quibus & Francis aliter intervenire pax potuit, nempe per fœdus aut certas conditiones. Igitur de numero fertilissimorum Germaniæ locorum circum Hercynium saltum, in quibus Tectosages seu cæteri Galli consederunt, illa *Alba* est, pars postea *Martianarum silvarum.* Sic enim plurative Marcellinus appellat, indicans per has Julianum Aug. transisse, quum Danubium ex Rauracis adiret, navigaturus in Illyricum. *Rhenanus.*

1 *Ut quæque gens evaluerat*] Μεταναστάσεις γὰρ δὲ δεικνυσι τῶν πλανητοχώρων εἰς τὰς ἀνθρωπείους ἐξανιστάντων, inquit Strabo. *Colerus.*

2 *Potentia divisas*] Codex ille ipse, *diversas.* quod probum scio. *Lipsius.*

3 *Herciniam silvam*] *Orciniam* appellasse Græcos Cæsar scribit lib. 6. Pravius etiam quam Latini. Hi enim Germanicum vocabulum. *Hirtsenwald*, in saltum Hercinium haud dubie corrupere. significat autem ea vox cervorum silvam. Alii de hac silva ἐτυμολογοῦντες mirifice nugantur. *Colerus.*

4 *Mœnumque amnes*] Ante Tacitum & Plinium paucis dictum hoc flumen. Atqui post Danubium, Rhenum, Albim, præcipuum Germaniæ. His enim tribus hoc quartum addo: cum ita etiam haud dubie sentiat Marcianus, qui scribit in Germania esse ποταμοὺς ἐπισήμους δ'. *Mœnim* appellat Mela lib. 3. Guntherus, Regino, alii posteriores *Meganum.* Hinc Moguntiaci nomen, quamvis veteres maluerint *Maguntiacum.* Idem.

5 *Ulteriora Boii*] Ipsa illa loca esse, quæ nunc Boiemia dicitur, non amplius est quærendum. Hæc regio ultra Mœni fontes continuo incipiebat, Herciniæque bona parte insinuabatur. Strabo lib. 7. ex Posidonio: Φησὶ δὲ Βοΐους τὸν Ἑρκύνιον δρυμὸν οἰκεῖν πρότερον. Eo autem commigraverant Boii, cum à Camillo pulsi Pannoniam eique vicinas regiones occupaverant. Lege Appianum in Illyricis. Pausaniam in Phocide. Justinum lib. 33. Athenæum Dipnosoph. lib. 5. *Idem.*

6 *Manet adhuc Boiemi nomen*] Latere aliud videtur in scriptura Bambergensi, *manet adhuc Boiis è munere nomen.* Scribo, *manet adhuc Boiiasmi è re nomen.* vel *Boyasmum è re.* Apte ad hæc vestigia, & rem ipsam. Strabo quidem clare Βουίαιμον regiam Marobodui nominat: quam dictam à Boiis vult nunc noster. Potius & *Boyaimum* scribere, verius propiusque ad etymon, quasi Boiorum domum. *Lipsius.*

*Boiemi nomen*] Populos hos esse Germaniæ, non Tacitus tantum, sed & Ptolemæus auctor est. Hi ex Germanorum instituto sedes mutaverunt, montanosque locos occupavere juxta Albis fluvii fontes. Servatur adhuc nomen, ut Pium pont. non parum admirer, de eorum origine fabulosa quædam memoriæ prodentem & id in historia. *Alciatus.* Vell. Paterculus *Bojohemum* vocat. *Heimum* sive *heim* Germaniæ vox patriam significat & *domicilium.* Unde nusquam non obviæ locorum appellationes in Germania. Depravatum Pauli Diaconi codicem, in quo sic legitur historiæ Langob. 1, 13. *dicuntur post hæc Anthaib & Banthaib, pari modo Nurgundaib per annos aliquot possedisse*, tu sic emenda: *dicuntur posthac Anthaim & Banthaim, pari mo-*

catque [1] loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis Germanorum natione; an [2] Osi ab [3] Araviscis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone, institutis, moribus utantur, incertum est: quia pari olim [4] inopia ac libertate, eadem utriusque ripæ bona malaque erant. [5] Treveri & Nervii circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis, à similitudine & [6] inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, [7] Vangiones,

*do Burgundhaim* & hoc est, *Antarum*, *Vandilorum*, (ut sit *Banthaim* pro *Vandhaim*) atque Burgundiorum regiones. Loquitur de Langobardis è Scandinavia progressis. Quemadmodum enim Tacitus hic *Beiemum* dixit, sic possemus juxta Latinam inflexionem, *Anthemum* & *Burgundhemum* usurpare. Sunt autem hæ veteres Burgundionum sedes priusquam per Germaniam in Sequanos commigrarunt. Sic etiam restituenda sunt illa locorum nomina, quorum fit in lege Salica mentio circa principium, ubi mendose scriptum à librariis Gallicis in loco cognominato *Salechamne*, *Bedocamne*, & *Vuidocamne*: quum debeat esse, *Salinghaim*, *Bodinghaim*, & *Vuidinghaim*, ut intelligas *Salingorum*, *Bodingorum*, & *Vuidingorum vicos* sive *tractus*. Nam Franci, quum germanissimi Germani fuerint, hujusmodi appellationibus inferioris Germaniæ loca, in quam primum transgressi sunt, insignivere. Nec aliud est ibidem *Salegaste* sive *Vuidagaste* quam *Salingorum* sive *Vuidingorum præfectus*. Sed de his in nostris rerum Germ. libellis amplius. *Rhenanus*. Strabo l. 5. ἐν οἷς ἐστὶ καὶ τὸ Βουίαιμον, τὸ τοῦ Μαροβόδου βασίλειον. Sic in antiquioribus lib legi eruditissimi viri testes sunt. Quo nomine hodie tota natio appellatur, nec dubium quin a veteri illo Bojæmo, vel Boiemo Puto Teutonas illos dixisse *Boihaim*. Eginhardus: *Welatabi*, *Sorabi*, *Abotriti*, *Beihemi*. Paterculus; *Sentio Saturnino mandatum ut per Chattos, excisis continentibus Hercinia silvis legiones Boiohamum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen est) duceret.* Ptolemæus tamen: μέγα ἔθνος, οἱ Βαῖμοι. Herciniam etiam Κολδούους habitasse ait Strabo. Obscuri populi, fateor. Nec temerarium est viros doctos de mendo suspicari. Liber vetus Casauboni Κολδοὺς habet. *Coldaos* legerat apud Strabonem Mutius in chronico. *Colerus*.

1 *Loci veterem memoriam*] Voculam inserit Bambergens. *veterem via memoriam*: qua quid faciam, sum incertus. *Lipsius*.

*Loci veterem*] Bambergensis vocula auctior: *veterem via memoriam*. Videant eruditi an non veram excogitaverim lectionem. hoc scio non esse absurdam: *significatque loci & veterem viciniæ memoriam*. Fuerit *via* per compendium literarum scriptum *vicinia*. Si bene conjicio, vult Tacitus indicare & urbem & vicinam regionem dictam fuisse Boiæmum. Nam Strabo *regiam*, & Paterculus *regionem* nominat. Videant, inquam, an probe conjecerim, doctiores & acutiores. Ego me non commemini sub Parnasso somniasse, unde sic repente vates prodirem. *Colerus*.

2 *Osi*] Verisimile est ab his populis *Osenfurtum Franconiæ* appellatum, ut *Suevifurtum*. Verisimilius sane quam à *Fosis*, ut ariolatur Rhenanus, sic *Francofurtum* & *Hassofurtum* à populis trajicientibus idem flumen. *Colerus*

3 *Aravisci*] Gentem Gallicam intelligit manifesto. At nulla hoc nomine, quod sciam, usquam. plane *Taurisci* legendum aut intelligendum certe videtur. Hi cum Boiis ejectis postea ad propiora Istro loca se contulerunt. Strabo lib. 5. Plinius eos à tergo montis claudi collocat 3. 12. Ptolemæus ad Carpathum montem. Stephanus cum Strabone & Plinio facit: Ναυπορτινὴ χώρα τῶν Ταυρίσκων τῶν πρὸς τὰ Ἄλπεια ὄρη. οἱ οἰκήτορες Ναυπόρτιοι οἱ τοῖς Γερμανοῖς ὁμοροῦσι. Plinius tamen *Araviscos* nominat lib. 4. *Colerus*.

4 *Inopia ac libertate*] Si animum diligentius hic advertas, facile legendum esse suspiceris *inopia ac ubertate*. ita aptius ad illa cadent: *eadem utriusque ripa bona malaque*. Quibus postremis imitatus est Sallustium Catil. *quia vobis eadem, quæ mihi, bona malaque esse intellexi*. Colerus.

5 *Treveri*] Apud Strabonem legendum lib. 4. παροικοῦσι τὸν Ῥῆνον Τρηούηροι non Τριήνγροι. Dio etiam male Τρηνηγίρες scribit. Sed *Treveros* rectius Plinius, Ammianus, Mela, Itinerarium vetus, & Inscriptiones appellant. Licet Salvianus quoque dixerit *Urbs Gallorum Trevir*. Horum virtus sita maxime in equitatu. ideoque vicinis Nerviis, Belgarum fortissimis æmuli illi in asserenda origine Germanica. Haud dubie enim Nervios Strabo quoque Germanos facit: Νερβίοι, inquit, συνεχεῖς Νερβίοι, καὶ τοῦτο Γερμανικὸν ἔθνος. Appianus de ipsis Νερβίοι δὲ τῶν Κίμβρων καὶ Τευτόνων ἔκγονοι. Et Julio Cæsare l. 2. *Colerus*.

6 *Inertia Gallorum*] In Agric. *nam Gallos quoque floruisse in bellis accepimus, mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate*. Idem.

7 *Vangiones*] Cæsar alio ordine *Triboces*, *Vangiones*, *Nemetes*. Appellatio populi Germanica, quasi captores hostium denotat *Vanger*, sive *Fanger*. Gaudebant majores illi nostri nominibus à militari aliquo facinore sumtis & ad terrorem factis. In illum finem *Angrivarii* & *Usipetes* composita sunt vocabula, quorum illos *Angrifer*, hoc est, excursores & in principiis consistentes: hos *Uspieter*, id est, prælii aut certaminis pullulatores interpretari non verear.

nes, [1] Triboci, [2] Nemetes. [3] Ubii quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint, ac libentius *Agrippinenses* [4] conditoris sui nomine vocentur, [5] origine erubescunt, transgressi olim, & experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut

verear. Vangionum urbs Βοϐητόμαγος Ptolemæo est. In veteri Itinerario *Borbitomagum*. Quod imperite quidam confuderunt cum Brotomago, inter Tres Tabernas & Argentoratum sito, ut in Itinerario videre est, & apud Ammianum. Hodie *Vormatia* detritis & detortis literulis, ut fit. *Colerus.*

1 *Triboci*] Ita scripsi, ut idem Tacitus. hist. 4. *Tribocorum delectu auctas.* Sic etiam apud alios auctores. Male vulgo, *Treboci.* Pichena. Cæsar & Tacitus ordinem locorum non observant. Apte refert Ammianus lib. 15. *dein prima Germania ubi præter alia municipia Moguntiacus est, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus, barbaricis cladibus nota* Sunt autem Treboci inferioris Alsatiæ populi, à tribus forsan pagis, quos habitabant ita dicti. Terminatio erat frequens *Bach* locorum & civitatum. Inde Triboci sonant, quasi *Tribachi.* Fallor an illis ipsis Tribus Tabernis ab eadem caussa nomen? In Tribocis enim sitæ fuerunt. *Colerus.*

2 *Nemetes*] Ita dicti populi inter Vangiones & Tribocos positi quasi dicas raptores hostium. *Nomen* enim rapere significat. Ex præpostera Cæsaris & Taciti relatione, docti viri novam hoc loco populorum transcriptionem comminisci non debuere. Illud minus notum in vulgus Nemetum civitatem, & Noviomagum dictum fuisse. Hoc ita esse fidem facit vetus Itinerarium, quod vulgo Antonini esse ferunt. In eo iter à Mediolano Moguntiacum usque hoc urbium ordine distinguitur & continuatur; *Argentoratum, Salettionem, Tabernas, Noviomagum, Banconicum, Moguntiacum* Et contraria via a Treveris Argentoratum: *Moguntiacum, Brotomagum, Noviomagum, Argentoratum.* Cui enim Rheni trajectus ille notus, & ignotum hoc Noviomagum esse Nemetes? Illam autem Bauconicam nonne *Oppenheimium* esse dicemus? Alterum Noviomagum Belgicum videtur Cæsar *Nemetocennam* appellare lib. 9. *his rebus confectis ad legiones in Belgium se recipit, hybernavitque Nemetocenna.* Forte ita legendum aliquoties in Itinerario veteri pro *Nemetacum* quamvis haud nesciam doctissimum Suritam emendasse ibi *Menotacum.* *Genna Longa* in vicinia castri Norici hodieque oppidulum vocatur. An à Cennis populis Germaniæ? Apud Xiphilinum lego *Cennos* Κελτικὸν ἔθνος appellari. Ad Noviomagum redeo. Viderint utraque hodie non ignobilis civitas, an non nihi nomen suum, jam prope vetustate abolitum restitutum acceptumque merito referant. *Idem.*

3 *Ubii*] Hi quasi *Vuii* dicti apparent, quasi tu Ripenses dicas. Strabo lib. 4. πέραν δὲ ὤκουν Οὔϐιοι κατὰ τοῦτον τὸν τόπον, οὓς μετήγαγεν Ἀγρίππας ἑκόντας εἰς τὸ ἐντὸς τοῦ Ῥήνου. An potius a transitu Rheni appellati? *Uber* enim Germanis transitum significat. Fuisse è Germania non dubito. *Colerus.*

4 *Conditoris sui nomine*] Agrippam intellegit, qui Rhenum eos primus traduxit, & in iis sedibus collocavit. Illa tamen non est Coloniæ conditor, neque auctor nominis: sed ab Agrippina id habent, ejus filia, ut Tacitus clare in XII. Annalium scripsit. Itaque dubitavi, num *conditoris suæ* legerem: neque novum, ejus flexus verba in fœmineum etiam genus usurpari. Virgilius de Junone:

*Auctor ego audendi.*

Ovidius de Venere:

*Sponsor conjugii stat dea picta sui.*

Et plura sunt ejusmodi. *Lipsius.*

*Conditoris sui*] Salva regula sermonis posterior vocula abesse potest, ut intelligatur Agrippina non Agrippa huic urbi nomen dedisse, secundum testimonium Taciti Annal. 12. Claudiam etiam appellatam, Lipsius docuit. *Colerus.*

5 *Origine erubescunt*] Imo vero, *non erubescunt.* Quamvis, inquit, Ubii nomen mutarint, & colonico jam jure, libentius Agrippinenses dicantur, à conditore: tamen nec Germanicæ originis eos pudet, libenterque se iis inserunt. *Lipsius.*

*Origine erubescunt*] Non usus est negatione. Ubii licet de nomine matris Neronis malint Agrippinenses vocari; tamen fere probro ducunt haberi pro Romanis, seque dictitant Germanos. *quæ prima libertatis facultas data est, avidius quam cautius sumpsimus, ut nobis, cæterisque Germanis consanguineis nostris jungeremur.* In caussa fuit vetustas & nobilitas conditorum. *Celebrant Tuistonem Deum terra editum, & filium Mannum terra editum; originem gentis, & conditorem.* quæ etiam impulere Treveros & Nervios, ut illinc sua principia ducerent. *Treveri & Nervii circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitiosi sunt.* At Romani (quamvis immerito) apud multos de originis obscuritate male audiebant. Dionysius lib. 1. Antiq. δόξαι τινὲς οὐκ ἀληθεῖς, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων τὴν ἀρχὴν λαβοῦσαι τοὺς πολλοὺς ἐξηπατήκασι, ὡς ἀνεστίους μέν τινας καὶ πλανήτας, καὶ βαρβάρους, καὶ οὐδὲ τούτους ἐλευθέρους οἰκιστὰς εὑρομένης. id est, *& opiniones quadam non vera, immo è fortuitis rumoribus originem ducentes, multis imponunt, tanquam fuerint ejus conditores quidam sine lare, errones, barbari, atque non ingenui.* Salinerius. Optimo judicio Lipsius negativam inferendam putat. nam superiora verba, *quamquam,* & deinde, *ac libentius,* id omnino postulare videntur. Ego suspicor, plura huic loco deesse, cum sententia vellet, origine eos Germanos fuisse, neque ea erubescere. Salinerius vulgatam lectionem conatur defendere. Sed quod originem Ubiorum refert ad ipsam coloniam, non placet, nam locus ori-

29 ut arcerent, non ut custodirentur. Omnium harum gentium virtute præcipui Batavi, [1] non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos, & antiquæ societatis insigne. nam [2] nec tributis contemnun-

originis proprie dicitur, ex quo quis est oriundus, primumque profectus, non in quem commigravit. Sic in vita Agricolæ: *rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus Germanicam originem asseverant.* Pichena. Rectissime Lipsius negatione inserta, *non erubescunt.* Ego particulam etiam aliam inseram, sed momenti minoris: *Agrippinenses e conditoris sui nomine &c.* Liquet mihi, non aliter scripsisse Tacitum. supra; *Manno tres filios assignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Herminones, cæteri Istævones vocentur.* Acidalius. Rectissime Lipsius censet voculam *non* excidisse. Quare autem non erubescunt? Rationem aliquam reddit vir eruditissimus. Sed remotior caussa illa videtur fuisse, quia scit ad experiendam fidem illorum, cum Germanici essent sanguinis, adversus Germanos collocati fuerunt in ipsorum solo, ut scribit Tacitus Annal. Germani vero illi fuerant Sicambri. Dio: καὶ Οὔβιοι ὅμοιοί τε τοῖς Συγάμβροις οἰκοῦντες, καὶ διάφοροι αὐτοῖς ὄντες. *Colerus.* Particula superior, *quidem* consuadet negativam immittendam & Lipsio quidem visum est eam ponere ante *erubescunt.* Sed enim cum reflet in editionum prima; *Nubii quidem*; quivis videt dictionem illam resolvendam in duas; *Ne Ubii quidem.* optime. neque obstat quod sequitur; *transgressi olim & experimento fidei super ipsam ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur*, referendum quippe id non ad caussam, cur erubescant (ut Lampugnano visum; silentioque deinde Lipsii, tantum non confirmatum) verum cur facta fuerit colonia Romana. Scitur enim earum plerasque tali titulo donatos, ut custodirentur, non ut arcerent: in pœnam, non in præmium. *Gruterus.* Lipsius eumque secutus Chr. Colerus, *origine non erubescunt.* Ubios enim maluisse Germanos censeri. Et vero ita est: nec tamen est, cur mutes quidquam. Loquitur enim Tacitus de *origine* Ubiorum, non illa Germanica, quod Lipsius existimavit, sed qua colonia cœpit esse Romana. Ejus, quamvis honoratæ, tamen Ubios puduit. Ita si capias, non opus fuerit vel illa Gruteri medela: *Ne Ubii quidem* &c. Conringius. Meo judicio Gruterus hic πέπονθε. τοῖς δὲ φυσικοῖς εἴρηται. Sic & ipsi olim conjeceramus. *Origo* sine dubio est avita statio & incolatus Germaniæ, antequam colonia fierent. Nam pudere quemquam populum, quod coloniæ Romanæ honorem adeptus esset, præsertim Ubios (qui essent sponte translati, *ut arcerent, non ut custodirentur*; non ut essent in obsidione ipsi, sed ut seque commodius tuerentur ac fines Romanos, & unum imperantis populi pars, non servientium accessio forent: qui inter Vitelli & Vespasiani arma Galliarum simul & Batavorum defectione & conjuratione grassante tam constantes in fide atque integri manserint & specioso nomini libertatis præsentia prætulerint: qui denique Agrippinenses quam Ubii vocari mallent) nemo Romanorum, illo utique seculo, diceret. Necessario igitur requiritur negandi particula: quam melius poni à fronte hujus orationis, quam ubi Lipsius inseruit, non obscurum esse censeo consideranti τὸ *quidem.* Hoc libro: *ne fratribus quidem mansuram concordiam.* Ne Ubii quidem, inquit, patriam ejurant aut Germanum sanguinem sedemque veterem diffitentur: etsi ad id nobilitatis evecti, ut jus coloniæ meritis & beneficiis erga populum Romanum impetraverint, placeantque sibi magis, cum Agrippinenses quam cum Ubii salutantur. Est autem hæc nimium vulgaris vanitas & hominum & populorum, ut successibus suis deesse auctoritatem existiment, si humiliora prima incrementa confiteantur. *Grenovius.*

1 *Non multum ex ripa*] Tacit. hist. 4, 11. de illa sedium mutatione: *Extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupavere.* Varii illic libri veteres apud Lipsium. In lib. Budensi scriptum; *Insulam juvata situm.* Et: *Insulam vacasitam.* In aliis legebatur: *Insulam vocasam sitam. Vada*, quidem loci nomen esse apud eundem Tacitum non ignoto. Et infra sic locutus est de Æstyis: *Inter vada atque in ipso litore legunt.* Ut ut est, vix lectio vulgata sincera aut germana Cornelii sit. Legendumne igitur, doctissime Lipsi, te interrogo, *simulque insulam Batavam dictam.* Dio à mea sententia non alienus, imo pro ea: οἷς τὸ τῶν Βατάβων ἀπὸ τῆς Βατάβας νήσου ἐν τῷ Ῥήνῳ ὄνομα. *Colerus.*

2 *Nec tributis contemnuntur*] Sive, *continentur.* In promptu erat, *conteruntur.* sed parum elegans, cum idem verbi statim sequatur, *nec publicanus atterit.* Ferri & vulgata potest. Nam quibus tributa imponuntur, hoc ipso, ut victi, pro contemtis habentur & despretis. Steph. Pighius, in Hercule Prodicio, mallet, *contenuantur.* Lipsius.

*Tributis contemnuntur*] Suspicor à Tacito scriptum, *condemnantur.* Nam *damnare* Livius etiam pro *multare* usurpat, ut lib 35 10. *multos pecuarios damnarunt.* Nisi quis malit, *comminuuntur.* Rhenanus. Paullo post videtur legendum: *nec tributis conteruntur*, non, ut in vulgatis, *contemnuntur.* Ursinus. Non tantum hoc Latine, sed etiam eleganter dictum. Et nimia profecto cura magni Lipsii: si licet hoc saltem minutum ejus non probare, non placet. Tertullianus nescio quo libro: *agri tributo onusti, viliores; & hominum capita stipendio censa, ignobiliora. nam hæ sunt notæ captivitatis.*

Co-

temnuntur, nec publicanus atterit. exempti oneribus & collationibus, & tantum [1] in usum prœliorum sepositi, [2] velut tela atque arma, bellis reservantur. Est in eodem obsequio & [3] Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani [4] ultra Rhenum, ultraque veteres terminos [5] imperii reverentiam. Ita sede finibusque in sua ripa, [6] mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batavis, nisi quod

Colerus. Lipsius in notis posterioribus judicat posse ferri hanc lectionem. Idem sentit Chr. Colerus. Videtur tamen Lipsius malle *continentur* vel *contunduntur*. Jamdudum ante illum Rhenanus suspicabatur legendum, *condemnantur* vel *comminuuntur*. Step. Pighius in Hercule Prodicio maluerat *contemnantur*. Verum hoc posterius quidem admitti non potest, quum paulo post sequatur: *nec publicanus atterit*. Ego vel non sollicitaverim vulgatam lectionem, vel aliquam illarum vocularum admiserim à Rhenano, Pighio, Lipsio adductarum. *Conringius*. Post omnes τὸ ἐπὶ φανῷ μῦζον Lud. Aurelius, *consternantur*. Recte Colerus & δευτέραι φροντίδες Lipsii. Placuit antiquis verba λόγον τόν τε σφγόμενον καὶ ἔνδον ἐπιφερόμενον καὶ τὸν προφερόμενον τε καὶ ἀκουόμενον, oris puta vocem aut animi sensum significantia ita transferre interdum, ut facta demonstrent. Ut *objurgare ferula, colapho, flagris, laudare armis* supra hoc libro, *increpare saltu* apud Florum, *petauroque iubente modo superior* (ubi male conjiciunt *juvante*) apud Petronium, *jussum as spirare caminis* Statio & similia. *Laudare armis* est in honorem alicujus collisis armis sonitum edere, quod valet atque est pro laude. *Increpare saltu*, transilire, quod signum est arguentis atque improbantis & opus & vetitum. *Objurgare flagro*, severe atque aspere accipere verbere, ut verbis & vultu fit in jurgio. Sic *tributis contemnere* est tributa imponere, quod est insultantium victis & pro vilibus, ignavis, obnoxiis eos tractantium & contemnentium. Vellejus 2, 39. de Gallis: *quippe ejus ductu auspiciisque infracta pœne idem, quod totus orbis, ignavum conferunt stipendium*. quod etiam frustra tentatur. *Ignavum stipendium*, quod argumentum est in bello segnes minusque fortes constantesque fuisse atque esse, quod non facerent, si viri essent. Ipsum verbum etiam sic Cicero 4. Attic. 17. *In monumentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus & usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus sexcenties sestertium.* id est, vile habuimus, & libenter erogavimus, impendimus, unde apparet tantum pecuniæ præ istius monumenti adjectione ad aream fori Cæsariani vile nobis & contemptum fuisse. Simillimum Claudian. de bello Get. *facili contemptum Strymona saltu*. Gronovius.

1 *In usum prœliorum*] Lib. 4. hist. *nec opibus Romanis, societate validiorum adtriti viros tantum armaque imperio ministrant*. Et alicubi Batavi, *sibi non tributa, sed virtutem & vires indici*. In priori exemplo inutilem arbitror vocem τὸ *Romanis*. Colerus.

2 *Velut tela atque arma*] Licet tela & arma plerunque sine discrimine à scriptoribus usurpentur, proprie tamen telis ferimus, armis tegimur. Sallust. in Jug. *neque his, secus atque aliis armis, adversus tela hostium munitis*. Livius lib. 1. *Arma his imperata, galea, clypeum, ocreæ, lorica, omnia ex ære, hæc, ut tegumenta corporis essent; tela in hostem, hastaque & gladius*. Pichena.

3 *Mattiacorum gens*] Mattiacos locat circa Artanum & Novesium oppida Ptolemæus. Martialis *Mattiacas* pilas, lemmate celebravit. iis rufabant Romæ capillos. Inde & aliud ejusdem distichon interpreteris:

*Caustica Teutonicos accendit spuma capillos:*
*Captivis poteris cultior esse comis.*

Plinius 31, 2. *Sunt & Mattiaci in Germania fontes trans Rhenum, quorum haustus triduo fervet*. Qui Mattiacos illos Marpurgo convenire arbitrantur, næ illi parum fidei Ptolemæo & Plinio gravissimis auctoribus, tribuere videntur. *Colerus*. In Zelandiam quidam Geographi historicique hos reposuerunt. Sed primum, non ratione situs, sed reverentiæ & obsequii jungit Batavis Mattiacos Tacitus. Deinde non modo citra medium Rheni alveum, sed & citra Mosam sita Zelandia est. Tertium non tam *solo suo* quam salo potius Oceanoque circumfusos undique Zelandos *acrius animari* dicere debuisset noster. Adde quod Plinius lib. 31, 2. calidas trans Rhenum partes in Germania Mattiacis assignet: quod ad Selandos trahere attributum nequeas. Erunt igitur Mattiaci quærendi trans Rhenum, ex adverso Moguntiaci. Plura Pontan. Orig. 1, 6. Cluver. 3, 7. *Kirchmajer*.

4 *Ultra Rhenum*] Ergo non sunt *Mattiaci* (ut doctis viris visum) qui nunc Zelandi appellantur: etsi *Matiorum* vox, familiari appellatione, inter eos duret. Taciti hæc lustra: abnuet, atque ultra Rhenum propinqui Batavis, an ubi pars *Northollandia* nunc est, & vicini sinus? *Lipsius*.

5 *Imperii reverentiam*] Ex quo tempore Germanicus illos Transrhenanos populos debellaverat. Strabo lib. 7. ἐςὶ δὲ καὶ Σάλας ποταμὸς ὃ μεταξὺ καὶ τοῦ Ῥήνου πολεμῶν καὶ κατορθῶν Δροῦσος ἐτελεύτησεν ὁ Γερμανικὸς. Referre volebam ad Domitianum, sed deterruit, conatum infamia illius victoriæ. Pichena hæc omnia ad Trajanum refert. quod nihil me movet. Scio enim illam limitis & imperii Romani amplificationem Ælianam, ad orientem potius & rubrum mare, quam ad Germanos spectare. Orosius lib. 7. de Trajano: *mox Germaniam trans Rhenum in pristinum statum reduxit*. Ita est. non limitem promovit, sed præsidia nova imposuit. *Colerus*.

6 *Mente animoque nobiscum agunt*] Cassiodorus 5. epist.

quod ipso adhuc terræ suæ [1] solo & cœlo [2] acrius animantur. [3] Non numeraverim inter Germaniæ populos, quamquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos [4] qui Decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum, & inopia audax, [5] dubiæ possessionis solum occupavere. [6] Mox limite aucto, promotisque præsidiis, [1] sinus

epist. 2. *ut in Oceani literibus constituti, cum nostra meate jungamini.* Pichena.

1 *Solo & cœlo*] Feroculos adhuc esse ait Mattiacos & Batavis acriores, quod veteri solo & cœlo animentur. In Batavos autem cadere illud Græcorum dictum: *οἱ τρόποι ἐξομοιοῦνται τοῖς τόποις. Colerus.*

2 *Acrius animantur*] Quia mari & frigori propiores. Neque opinor equidem vel ex hoc Taciti loco, Zelandos esse, sed *ultra Rhenum*, Septemtrionem versus populos: qui nunc in Frisiis, aut *Northollandis* censentur. At mare multa abrasit. *Lipsius.*

*Acrius animantur*] Id est, acriorem & ferociorem animum gerunt, soli cœlique natura. Althamerus Germanus in Commentario suo ad hunc libellum ait: ut solum ipsum frigidius, & aër crassior est, ita homines crassiores, duriores, ac tolerantiores edere. Plinius Paneg. *Quum feræ gentes, non telis magis, quam suo cœlo, suo sidere armantur.* Pichena.

3 *Non numeramus*] Reposuimus ex auctoritate vetustioris illius editionis, *Non numeraverim.* Rhenanus.

4 *Qui Decumates agros*] Errare censeo, qui proprium hic gentis aut loci nomen quærunt. Quo modo vero iidem populi sive agri, trans Rhenum & Danubium simul sint? quod tamen ponit noster. Ego communiter Decumates agros interpreter, qui decumas solvunt. Cicero Decumanos dixit: *Omnis*, inquit, *ager Siciliæ decumanus est.* Nam hi agri non aliud sunt, quam trans limitem capti ab hoste, & militibus dati, si qui ex iis fructus Qui haud multi aut uberes, quoniam hostibus expositi, & ut ipse ait, dubiæ possessionis id solum. Tacitum de his ipsis loqui ego sentio XIII. Annali: *Frisii imbellem ætatem admovere ripæ, agrosque vacuos & militum usui sepositos insedere.* Hos ipsos agros non fructu tantum, sed mancipio militum esse jussit Imp. Alexander. de quo Lampridius. *Sola quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus & militibus donavit, ita ut eorum essent, si heredes militarent: nec unquam ad privatos pertinerent. Addidit sane his animalia & servos, ut possent colere quod acceperant* Videntur autem id securitatis caussa fecisse Romani, & ne hostes aut suspecti prope colerent. Itaque vacua loca, ad multa milliaria, sæpe relinquebant. In Fragm. Dionis LXXIV. Commodus Imp. Buris populis Germaniæ ea lege, inter alias, pacem dat: *Ὥστε μὴ ἐνοικῆσαι ποτὲ, μήτε ἐπινέμειν τεσσαράκοντα σταδίων τῆς χώρας σφῶν, τῆς πρὸς τῇ Δακίᾳ οὔσης: Ne incolerent unquam, neve pascerent, in quadraginta stadiis terra, qua Daciæ proxima esset.* De Germanis priscis, Cæsar simile lib. VI. *Lipsius.*

*Eos qui Decumates agros exercent*] Hi agri indicari certe non possunt: sed tamen fuere propinqui Rheno, argumento Gallorum occupantium. Mihi, quod ante dixi, non contigit inspicere codicem vetustum manuscriptum, qui nos hic adjuvaret. nam fieri potest ut pro *Devinates* aliquis scripserit *Deumates*, quod postea versum sit in *Decumates.* Ut fortasse *Devinam* accipiatur pro *Daventria. Devonam* vocat Ptolemæus in illa confusa Germaniæ oppidorum nomenclatura. Sed hic te frustra torqueas, nisi ansam cogitandi præbeat scriptura vetusta. Adjuvare quoque poterit, quod addit, *sinus imperii.* Ergo Rhenus, ut videtur, illic sinum facit. Sed & immensorum lacuum prope Frisios infra facit mentionem Tacitus. Paulo post, ubi nos habemus *intelligere occasiones*, illic erat *necessitates.* lib. I. Ann. *jussosque dicta cum silentio accipere, temporis ac necessitatis monet.* Rhenanus. Congrua interpretatio Lipsiana & opido quam erudita. Eo ipso autem quod Decumates agros colerent, Germanis minus annumerandos censuit Tacitus Tantum enim aberat, ut alienos agros occuparet possideretque colendi causa, cupidissima belli gens, ut etiam proprios susque deque faceret. At apud Gallos singulare studium fuit agriculturæ. Quod Germani usque eo non probarunt, ut ob id Gallis inertiæ nomen imponerent. *Colerus.*

5 *Dubiæ possessionis*] Eodem argumento alibi usus est, *quantulum enim amnis obstabat, quo minus, ut quæque gens evaluerat, occuparet, permutaretque sedes promiscuas adhuc & nulla regnorum potentia diversas.* Colerus. Ferax & fœcundus inter Danubium Rhenumque ac Mœnum amnes ager, audaciores levitate & inopia Gallos ad occupationem sui *ἀκοσμοούμενος* illexit. Jam enim Sequani, jam Rauraci, jam Helvetii aliique incursionem fecerant in dubiæ possessionis solum; quod ita dicitur, non quasi ad Germaniam non spectasset liquido, (continebatur enim intra Germanorum limites Danubium Rhenumque) sed quod à compluribus Galliæ nationibus, alias superantibus identidem aliis, aliquamdiu tenetur. Fueruntne autem universim Alemanni dicti, regioque isthæc num antiquissima Alemannia quæstio intricatior est, de qua Cluverius G. A. 3. 4. agit. *Kirchmajer.*

6 *Mox limite aucto promotisque præsidiis*] Emendavit Lipsius, *aucto.* Male vulgo, *acto.* Ostendit enim Tacitus, Trajani tempore, quo ipse hunc libellum scripsit, auctos imperii limites, & ulterius, quam antea, Romana præsidia promota. Sic lib. 2. Ann. *Exin ventum Elephantinem, ac Syenem, claustra olim Romani imperii, quod nunc Rubrum ad mare*

[1] sinus imperii, & pars provinciæ habentur. Ultra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, ut ceteræ civitates, in quas Germania patescit. [2] durant siquidem colles, paulatimque rarescunt: & Cattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus, & major animi vigor. Multum (ut inter Germanos) [3] rationis ac solertiæ: præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, [4] disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rarissimum, [5] nec nisi ratione disciplinæ

*mare patescit.* Huc refertur etiam quod dixit lib. 4. *quæ tum Romana copia in armis, qui socii Reges, quanto sit angustius imperitatum:* scilicet, præ quam hoc ævo Trajani: nam is fines imperii promovit. *Pichena.* Nil mutem. Nonne eadem forma Cæsar dixit, *vineas & turres agere?* Virgilius *agere testudinem?* Colerus. Alii legunt *limite aucto.* Et vero Trajani Tacitique ætate promota erant præsidia & aucti Romani imperii limites. *Cenringius.* Certe *promotis præsidiis* dixit Tacitus, & tamen *limite acto.* non *aucto.* Proprium enim id verbum, & non potest sine culpa mutari. Agrimensores pag. 3. *Sabinorum ager, qui dicitur quæstorius, eum limitibus actis diviserunt.* Pag. 19. *Itaque limitibus actis cum centuriæ eximerentur.* Pag. 162. habes *limites actuarios & lineares.* Et, *hi qui sunt per viam publicam militarem acti.* Pag. 187. *Multi perpetuos limites egerunt.* Et sequenti: *plurimum enim agentibus præstat acti limitis perpetua rectura.* Pag. 263. *quem actis limitibus quibusque laterculis quinquagena jugera incluserunt.* Frontinus 1. Strateg 3. *limitibus per 120000. passuum actis.* & cap. 5. *ab altera limitem agere cœpit, tanquam per eum erupturus.* Sic utrobique recte P. Scriverius. Alludunt Virgilius lib. 10. *latumque per agmen Ardens limitem agit ferro* Ovidius 3. de arte: *idem limes agendus erit.* Et imitati Silius ac Statius. Quid autem hic proprie sit Tacito *limes*, cognosces ex dictis ad cap. 50 annalis primi. Hoc ergo significat, extra præsidia Romana, quippe trans Rhenum Danubiumque, jacuisse spatium campi diu incultum, dum & Romani omittunt, neque barbari, quippe nimis vicinum castellis & præsidiis ripensibus, vindicare audent: donec ab hominibus quibusdam temerariis & inopia audacibus occuparetur concessu quodam & connivventia hinc Romanorum, inde Germanorum: tandem transgressos utrumque amnem Romanos, nec contentos naturalibus terminis vindicasse alteram ripam, & quatenus ipsis visum fuit limitem egisse manu, qui barbaricum à Romano discerneret, ac promovisse præsidia; quem intra limitem quæque intra præsidia recepti decumates isti agri cultoresque pars provinciæ Germaniæ Romanis & *sinus imperii*, hoc est, extremum & quasi reconditum aliquid habeantur. *Gronovius.*

1 *Sinus imperii*] *Sinus* hoc loco pars ultima & extrema velut lacinia, expositore Cl. Gronovio 1. Observ. 4. Sic in vita Agricolæ noster: *Nos terrarum & libertatis extremos recessus ipse ac sinus famæ* (id est, recessus oræ habitabilis) *defendit.* Ubi *sinus* partem secretam & locum maxime remotum notat. *Kirchmajer.*

2 *Durant siquidem*] Albertus Krantzius locum hunc ita distinctum apud Tacitum legerat: *Non ita effusis ac palustribus locis, ut ceteræ civitates, in quas Germania patescit, durant.* Siquidem colles paulatim rarescunt. Magis clara sententia. Loquitur Tacitus de civitate, quæ initium sedis & caput gentis illius fuerat. *Colerus.*

3 *Rationis ac solertiæ*] Quæ hic largiter in laudem Cattorum effundit, ea idem Albertus ille Saxonibus unde vi impertienda esse contendit. Quod nihil aliud est, quam quæ singulis populis debentur singula, ea universis promiscue tribuere. Atqui Tacitus supra testatus est, se singularum gentium mores & instituta expositurum, qui ne Cheruscos quidem, Usipetes, Tencteros, Sicambros, Chaucos vicinos Cattorum hujus laudis compotes facit. Tanta nonnullorum ambitio est, ut vel falsarii fieri præoptent, dummodo patriam peregrinis & alienigenis laudibus extollant. *Colerus.*

4 *Disponere diem*] Suetonius in Tiber. XI. *forte quodam in disponendo die, mane prædixerat, quicquid ægrorum in civitate esset, visitare se velle.* Seneca de Consol. ad Polybium 25. *non licet tibi tuo arbitrio diem disponere.* Pichena. Persius Sat. 5. *Una opus & requiem pariter disponimus ambo.* Plinius lib. 9. epist. 36. *Quæris quemadmodum in Thuscis diem æstate disponam.* Idem *ordinare diem* Senecæ ep. 12. *Gronovius.*

5 *Nec nisi ratione disciplinæ*] Bambergensis, *nec nisi Romana disciplina.* Et neutram sane lectionem jure spernas. *Lipsius.*

*Ratione disciplinæ concessum*] Bambergensis sane scriptura non etiam spernenda, *nec nisi Romana discip.* &c. Sed ego magis de verbo *concessum* sum sollicitus: pro quo vide an melius scribi possit *consensum:* quod non nisi ratione disciplinæ in consensum venit, in quod sola ratione & disciplina consenserunt. Vide ne *concessum* sit non, permissum, sed, *concessit.* Positum apud Senecam Herc. Oetæo 599. *Et spicifera concessa Dea Attica mystas claudit Eleusis.* & 1891. *Velata* pro *velatus.* *Alesque sequi jussa sagittas, Totum pennis velata diem.* Iterum *concessa.* sic ibid. vers. 365. *Dilecta Priami nempe Dardanis soror concessa famulo est.* &c. Et sic passi-

plinæ concessum: [5] plus reponere in duce quam in exercitu. omne robur in pedite, quem super arma, [2] ferramentis quoque & [3] copiis coonerant. Alios ad prœlium ire videas, Cattos ad bellum. rari excursus & fortuita pugna. Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas juxta formidinem,
31 cunctatio propior constantiæ est. Et aliis Germanorum populis usurpatum [4] rara & privata cujusque audentia, apud Cattos in consensum vertit, ut primum adoleverint [1] cri-

va sæpe capiuntur active. *Acidalius.* Verior haud dubie lectio altera ex cod. Bamberg. *nec nisi Romana disciplina concessum.* Severus apud Lampridium: *disciplina majorum remp. tenet, quæ si dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittemus.* Colerus. Malim, *ratione & disciplina.* id est, per rationem & disciplinam, beneficio rationis & disciplinæ. Seneca: *Illis corporibus, illis animis, delicias, opes, luxum, ignorantibus da rationem, da disciplinam.* Cicero 5. Verr. *neque ad Paulli rationem atque disciplinam.* Schelius. Teneo mordicus, ut olim, Bambergensem. *Concessum* est à fatis datum. Ut lib. 13. *sibi concessam dictans nobilitatem, pulcritudinem, vota omnium & gaudia felicium.* Silius, *propiusque fuere periculum, Queis superare datum.* Nec mirum Romanos scriptores fatorum erga se indulgentiam prædicare. Livius in persona Asdrubalis: *Raro simul hominibus bonam fortunam bonamque mentem dari. Populum Romanum invictum esse, quod in secundis rebus sapere ac consulere didicisset.* Tacitus 13. an. *Id diis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret.* Ita ergo ait etiam Romanæ disciplinæ à fatis maximum telum ad res gerendas datum, ut scirent plus referre qui regerent, quam quot regerentur. Livius lib. 2. *ut facile appareret ducibus validiorem quam exercitu rem Romanam esse.* Eodem pertinet Severi dictum in Britannia: *Tandem sensistis caput imperare, non pedes.* Imitatur autem & Livii lib. 24. *vir acer & qui plus in eo, ne posset decipi, quam in fide seculorum reponeret.* Gronov.

5 *Plus reponere in duce*] Eam rationem & reliquos Germanos tenuisse verisimile mihi fit, qui quidem duces ex virtute, non ex nobilitate sumserint. Philippus Macedo prudentissimus & callidissimus belli dux dictitabat, Meliorem esse exercitum cervorum duce leone, quam leonum exercitum duce cervo. *Colerus.*

2 *Ferramentis quoque*] Apparet de industria Cattos Romanorum disciplinam æmulatos fuisse: cum ceteri victi etiam tale quid minime fecerint aut pertulerint. Florus lib. 4. *quippe Germani victi magis, quam domiti erant: moresque nostros magis, quam arma sub imperatore Druso suspiciebant.* Cura Romanorum non postrema erat, ut devictis nationibus armorum suorum disciplinam traderent, electis ad id negotii certis magistris. In Agric. de cohorte Usipiorum, *occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum & rectores habebantur.* Idem.

3 *Copiis coonerant*] Ita libri antiquiores. Vulgo, *onerant.* Sic histor. lib. 1. dixit: *coaspernantes veterem disciplinam,* lib. 3. *tum confossum conlaceratumque &c.* Sæpe etiam apud illum invenias, *cooriri.* Pichena. Quomodo *copiis?* an iis quæ ad victum pertinent. Sane Romanis peditibus cibaria portabantur: nec hoc aliquid puto apud ullas gentes novi esse. Nemo doctorum hic de mendo suspicatus est, quorum mihi quidem copia sit; at subolet ferramenta & telorum genus indicari, atque Tacitum scripsisse *ferramentis quoque & copidis onerant.* Copides, quæ vox apud Pannonas hodieque & alias ejus regionis gentes permansit, teli genus sonans veteri linguæ Gallorum. Plutarchus in Camillo de M. Manlio: *alterius, qui sustulerat securim, quam copida vocant, dextram ense detruncat.* Barthius. Certe per *copias* intelligit & cibaria & quæ salubris in castris cura corporis desiderat, &, si necesse sit, vallum. Id onus barbaræ nationes detrectabant. Cur enim potissimum Virgilius: *Non secus ac patriis acer Romanus in armis Injusto sub fasce viam dum carpit.* Cur potissimum *acer* Romanus sub injusto fasce, si nihil hoc apud quasvis gentes novi? Eundem in Romano milite imputat declamator apud Fabium: *Nemo nostrum recusat itinerum laborem, nec injustum super arma fascem.* ut ibi legendum docebamus. Jam *copidis* quasi à *Copida*, quæ *Κοπὶς* est, quale? quale copides vocem veteris linguæ Gallorum esse? atque hoc tradere Plutarchum, apud quem hoc tantum est: *τῦ μὲν ἔφθασε ἐμπεσὼν κοπίδι τῷ ξίφει τὴν δεξιὰν ἀποκόψας. Gronovius.*

4 *Rara & privata*] Hæc clausula sic recte distinguitur. Hoc tamen attendendum, *rara & privata audentia,* septimo casu dictum esse, id est, per raram & privatam audentiam. nam *vertit* hic absolute protulit & Ann. 11. *verterat pernicies in accusatorem.* Sic enim illic legendum docuimus ex man. cod. non *perniciem.* Eod. lib. paulo ante, *seu forte lapsa vox in præsagium vertit,* & multis aliis in locis. Sic & Livius lib. 30. *induratus præter spem resistendo timor hostium, ac ne vertat in audaciam.* Ubi vulgo *vertatur.* Porro facit ad hunc locum de crine apud Cattos summittendo, quod 4. hist. scribit: *Civilis barbaro voto, post cœpta adversus Romanos arma propexum rutilatumque crinem patrata demum cæde legionum deposuit.* Erat autem Civilis ille natione Batavus: & Cattorum pars quondam Batavi fuere. *Rhenanus.* Nescio quæ mihi nebulæ hic objectæ. Dispellam non aliter, quam Interpunctione, sed & emendatiuncula fortassis: *& aliis Germanorum populis*

[1] crinem barbamque summittere, [2] nec nisi hoste cæso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem & spolia revelant frontem, seque *tum demum pretia nascendi rettulisse, dignosque patria ac parentibus* ferunt. Ignavis & imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum ( [3] ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se cæde hostis absolvat. [4] Plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamque canent insignes, & hostibus simul suisque monstrati. omnium penes hos initia pugnarum. hæc prima semper [5] acies, visu nova. Nam

*pulis usurpata rara est privata cuiusque audentia apud Cattos in consensum vertit.* Ait raro ceteris Germanis singulis, usurpari in prælis audentiam: apud Cattos ita contra esse, ut in consensum verterit. Meliorem qui attulerit vulgaris lectionis interpretationem eum lubentius sequar. *Colerus.* Plane pervertit sensum Colerus sua illa emendatione. *Conringius.*

1 *Crinem barbamque summittere, &c.*] Hist. 4. *Civilis, barbaro voto, post cœpta adversus Romanos arma, propexum rutilatumque crinem patrata demum cæde legionum, deposuit.* Vide etiam quæ ibi Lipsius notat. *Pichena.* Fuit ergo virtutis argumentum apud Germanos tonsi capilli & barba rasa. Tondebantur non totum caput, sed sinciput tantum. Reliqui capilli promissiores à plerisque in nodum constringebantur obliquati, ut præter ceteros usurpasse refert Cattos, Cornelius noster. Tondendi sincipitis antiquissimus est mos, & de Abantibus ab Homero celebratus: Mysis etiam & Arabibus non ignotus. Sed ab illa caussa Germanis patrius communisque, à qua & his fuit, de quibus Plutarchus in Theseo. Ἀλλ' οὗτοι πολεμικοὶ καὶ ἀγχέμαχοι, καὶ μάλιστα δὴ πάντων εἰς χεῖρας ὠθεῖσθαι τοῖς ἐναντίοις μεμαθηκότες. Et deinde: ὅπως ἂν μὴ παρέχοιεν ἐκ τῶν τριχῶν ἀντίληψιν τοῖς πολεμίοις, ἀπεκείραντο. Sic intelligimus Germanos etiam, crines quos in fronte alebant, constrictos, in posteriorem partem rejicere solitos, ne in prælio obessent. Sed Francos in fronte sparsisse legimus apicem illum, credo ut terribiliores viderentur. Cum enim vultu truci à se essent, hoc etiam ferociam augere vibatur, ut vere apud Plutarchum Lysander dixerit: ἡ κόμη τοὺς μὲν καλοὺς εὐπρεπεστέρους ὁρᾶσθαι ποιεῖ, τοὺς δὲ αἰσχροὺς φοβερωτέρους. Quod de Francis dixi, verum esse probo Sidonii versibus:

*Hic quoque monstra domat, rutili quibus arce cerebri*
*Ad frontem coma tracta jacet, nudataque cervix*
*Setarum per damna nitet.*

Colerus.

2 *Nec nisi hoste cæso*] Hoc teneo, præ eo quod scriptis, *nec non hoste.* At de more ipso, supra dixi. *Lipsius.*

3 *Ignominiosum*] Scire libeat caussam. Fallor ego, an hoc ideo fecere Catti, quia oculis auribusve acceperant, gestamen id servorum peculiare esse apud Romanos. Igitur servili quoque insigni in cædem hostilem caput obligabatur. *Colerus.*

4 *Plurimis Cattorum hic placet habitus*] An iis, qui nulla occasione belli, hostem occidere non potuerunt; habitumque illum libenter gerebant, quasi se prœliorum cupidos ostenderent, ut se voto exuere citius possent? Crediderim verius, intelligi de iis, qui etiamsi hostem occidissent, tamen, ut sæpius voto se obligarent, crinem barbamque iterum summittebant: sed culte nitideque, ad differentiam ignavorum, & imbellium, quibus manebat squalor. *Pichena.* Distinguendum: *plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamque canent insignes.* De habitu plurium dixit, nunc & de paucorum insigniumque subjicit. Suspecta tamen mihi vox, *jamque*, quæ nullo modo exprimit habitum insignium illum Cattorum. *Canent*, inquit, *insignes.* An capite tantum & cristis? An toto corpore? Plutarchus in Mario de Cimbris an Teutonis: Κράνη μὲν εἰκασμένα θηρίων φοβερῶν χάσμασι καὶ προτομαῖς ἰδιομόρφοις ἔχοντες ἐπαιρόμενοι λόφοις πτερωτοῖς εἰς ὕψος ἐφαίνοντο μείζους. Non ausim tamen legere apud Tacitum: *Casside canent insignes.* Colerus. Lipsius in notis prioribus suspicatus est depravationem; in posterioribus nihil movet. Nec video quicquam, quare suspicari sequius hic debeamus. *Conringius.* Conjiciebam: *Jamque canent, insignibus his hostibus simul suisque, monstrati.* Et sunt, inquit, jam cruda senectute quidam canescentes, *his insignibus*, nempe squalore crinium & annulo ferreo ex voto tali sumptis, conspecti ac notabiles tam suis quam hostibus. Non enim tantum eam adolescentium disciplinam esse significat, sed & provectioris ætatis, quoties scilicet hostis exoriri visus, & bellum exspectatur: aut etiam quoties libuit sumere superbiam meritis quæsitam aut fiduciam ostentare. *Gronovius.*

5 *Acies visu nova*] Credideram olim legendum *nota.* Sed socer meus præfert, *torva*, adstipulante & Hispanica versione: *terribiles à la vista. Terribiles visu forma.* Virgil. Pro mea tamen conjectura faciunt & sequentia, si ita legas; *hac prima semper acies, visu nota.* (ratio) *nam ne pace quidem* &c. altera ratio: *prout ad quemque venere, aluntur.* Freinshemius. Videtur nihil mutandum. Sententia est habitum ejusmodi *visu novum*, hoc est, mirum esse; præsertim quum ne in pace quidem mitiore cultu emollescant. *Conringius.*

 1 *Vultu*

Nam ne in pace quidem [1] vultu mitiore mansuescunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura, prout ad quemque venere aluntur, [2] prodigi alieni, contemptores sui,
32 donec exsanguis senectus tam duræ virtuti impares faciat. Proximi Cattis certum jam alveo Rhenum, [3] quique terminus esse sufficiat, [4] Usipii ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus, equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec major apud Cattos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic instituere majores, posteri imitantur. Hi lusus infantium, hæc juvenum æmulatio, perseverant senes. inter familiam, & penates, & jura successionum, equi traduntur, excipit filius, non ut cetera maxi-
33 mus natu, sed prout [5] ferox bello & melior. Juxta Tencteros [6] Bructeri olim occurrebant: nunc [7] Chamauos & [8] Angriuarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris

1 *Vultu mitiore*] Suspicor legendum, *cultu mitiore*. Sic supra. *nulla cultus jactatio*. & in Agric. *cultu modicus*. Sed & vulgatam fero: dixit enim, *oris habitum*. Pichena. Mutant in *cultu mitiore*. Non placet. Apud Plutarchum dicuntur: *ἀνεπρόσωποι τὰ ἴδη*. *Colerus*. Ratio adjecta videtur poscere, *visu non nova*. Quare? quia eodem cultu habituque, barbis puta ac crinibus submissis annulisque ferreis, virtutem promittentes & ante bellum visi sunt, neque alio vitæ genere, quam armis tractandis, se mitiores mansuetioresque præstiterunt. *Gronovius*.

2 *Prodigi alieni*] Talia Helmoldus de Sclavis: *Eo fortiorem quemque, quo profusiorem jactitantes*. Colerus.

3 *Quique terminus esse sufficiat, Usipii ac Tencteri colunt*] Hæ nationes omnes in ditionem postea ac nomen Francorum concessere, seu Græcorum provincias, hodie *Turciam* vocamus. Sub inclinationem enim Romani imperii regnarunt in Germania potenter Saxones cum Toringis, Franci ac Alemanni, qui & Suevi, propriis adhuc subjectarum aut fœderatarum nationum appellationibus discreti. Nam Francorum quibus *Ausibariis* nomen fuerit, quibus item *Saliis* meminit Amm. Marcellinus. Liber, qui formulam Romani imperii in occidente continet, ostendit *Ampsiuarios* aliquando militasse intra Gallias, sub Magistro peditum in præsenti. Sicut & *Bructeros*. Dubito num *Angriuarii* sint. *Rhenanus*. Rhenus enim, à suis fontibus, usque ad illas gentes, incertus est alveo & nomine, pluresque efficit lacus. Et quod initio dixit, Germaniam Rheno terminari, verus non censetur terminus, nisi ultra Usipios ac Tencteros. *Pichena*. Mela: *mox diu solidus & certo alveo lapsus*. Colerus.

4 *Usipii*] Alii Usipetes appellant, cujus nominis rationem supra explicavi. Eos Dio collocat *κατὰ τῶν Βατάβων νῆσον*. Mart. lib. 6. *Sic leve flavorum valeat genus Usipiorum*. Apud Strabonem depravate legitur adhuc *Νουσιπων* pro *Οὐσιπίων*. *Colerus*.

5 *Ferox bello & melior*] Transpone copulam, *ferox & bello melior*. ita Muretus. *Acidalius*.

6 *Bructeri*] Ariolabar supra, an dicti potius essent *Bruteri*. Constat enim hos cum Cheruscis ea loca habitasse, ubi hodie *Westphalia*. Apud Strabonem vulgo excudebatur *Βουσίρων*. quod nescio an recte mutaverit eruditissimus Casaubonus in *Βουσακτέρων*. Nec tamen negaverim populos aliquos *Βουσακίρους* fuisse, à malo & sterili agro sic dictos. Hinc familia haud dubie, illustris *Busecherorum*, cujus & Dithmarus meminit lib. 6. *Colerus*.

7 *Chamauos*] *Chamaui* sicut *Brisgaui*. Chamauorum cohortem XI. agentem Pearni, sub duce Thebaidos militasse liber indicat de præfecturis Romanis. Ausonius in Mosella: *Accedent vires, quas Francia, quasque Chamaues, Germanique tremant*. Rhenanus. Qui aliquando Frisiorum arva incoluere, teste Tacito 16. Ann. Apud Strabonem isti populi recensentur *Συγάμβροι τε καὶ Χαῦβοι καὶ Βρούκτεροι καὶ Κίμβροι Καῦκοί τε καὶ Καῦλκοι καὶ Καμψιανοί*. Fateor me nescire, & qui sint *Chaubi* & qui *Caulci* illi. De Chaubis quidem malebam *Chamauos* facere, quam illi qui essent perpetuo ignorare. Non est verosimile Strabonem nullam plane mentionem fecisse Chamauorum, qui satis clari populi fuere. Meminit eorum aliquoties Tacit. lib. 13. Ergo sicut apud Strabonem subiere *Chaubi* pro *Chamauis*, ita apud Eumenium Rhetorem *Cauni*. utrunque vitium ex compendio literarum provenit. Eumenius ad Constantinum: *Arat ergo nunc mihi Caunus & Frisius*. Æque monstrifica lectio apud Nazarium, alterum Panegyristam: *quid memorem Bructeros, quid Clamosos, quid Eruscos, Vangionas, Alemannos, Tubantos? Bellicum strepunt nomina*. Quid ni enim legendum dicam? *quid Chamauos, quid Cheruscos*. Eosdem populos conjungit in Annal. Alio loco idem Strabo commemorat nescio quos *Ἀμψάνους*, ubi scil. *Καμψιανοὺς* ex hoc loco restituerim. Et apud Stobæum citat aliquoties *Καυσιανὸς* Nicolaus, depravate opinor *ἀντὶ τῶν Καμψιανῶν*. Nusquam enim *Causiani* fuere: Amo Strabonem & admiror. Liceat igitur & istum ipsius locum per hanc occasionem (magni tamen Æsculapii ipsius Casauboni venia & favore) sanare, cum id tentaverim tantum nuper in Animadversionibus in Val. Maximum. Scribit itaque Strabo lib. 2. *τῶν δὲ Ῥωμαίων καὶ εἰς τὴν εὐδαίμονα Ἀραβίαν ἐμβαλλόντων μετὰ στρατιᾶς νεωστὶ ἧς ἡγεῖτο ἀνὴρ φίλος ἡμῖν καὶ ἑταῖρος Ἄελιος Γάλλος*. Commemorat ecce Ælium Gallum amicum ac sodalem suum, Romanæ militiæ ducem in Arabia Felici. Celebris fuit ista ætate Ælius

ris ac penitus excisis, vicinarum consensu nationum, seu superbiæ odio, seu prædæ dulcedine, seu favore quodam erga nos deorum. nam ne spectaculo quidem prœlii invidere. super sexaginta millia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. [1] Maneat quæso, duretque gentibus si non amor nostri, at certe odium sui: quando [2] urgentibus imperii fatis, nihil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordiam. Angriuarios & Chamauos à ter- 34
go [3] Dulgibini, & Chasuari cludunt, [4] aliæque gentes haud perinde memoratæ. à fronte Frisii excipiunt. [5] *Majoribus minoribusque Frisiis* vocabulum est, ex modo virium. utræque nationes usque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus, & [6] Romanis classibus navigatos. Ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus. & superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit: sive adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est, in claritatem ejus [7] referre consuevimus. Nec defuit audentia [8] Druso Germanico, sed obstitit Oceanus in se simul

lius ille Gallus, & rei militaris peritia insignis, & tamen ejus nomen apud eundem Strabonem lib. 7. non tantum obscuratum hactenus, sed penitus sublatum. locus ita habet: ἔτι γὰρ ἐφ' ὑμῶν γοῦν Αἴλιος Κάτος μετῴκισεν ἐκ τῆς περαίας τοῦ Ἴστρου, &c. Alias legi Αἴλιος Κάτων ait Casaubonus. Ego satis intelligo Strabonem de illo ipso suo Ælio Gallo loqui. ideoque legendum esse apud Geographum Αἴλιος Γάλλος. De hoc ipso Gallo Plinius 7, 28. Sed ejusdem alterum nomen lib. 15. Ann. corruptum exstat usque huc: *huic à Considio pratura functo objectabatur Velsi Gallii* (lego audacter *Ælii Galli*) *amicitia*. Colerus.

8 *Angriuarii*] *Angrivarios* juxta Germaniæ linguæ etymon interpretari licet, *Aggressores*. Archiepiscopus Agrippinensis Coloniæ, quæ in Ubiis est, se *ducem Angeria* scribit. quasi dicat, *Angrivaria*. Rhenanus. Alii sunt *Ansuarii* apud Tacitum. *Angermarii* apud Orosium dicuntur. *Angrarii* in Annalibus priscis Francicis: *Angrarii cum suis primoribus ei occurrunt*. Colerus.

1 *Maneat quæso*] Simile votum Mamertini in Genethliaco ad Maximianum: *undique se barbara nationes vicissim lacerent & excidant alternis dimicationibus & insidiis clades suas duplicent, & instaurent*. Idem.

2 *Urgentibus imperii fatis*] Scriptus liber non male, *vergentibus*. Lipsius.

3 *Dulgibini*] Et hi *Dulgibini* & illi *Chasuari*, nusquam mihi præterquam hic lecti. Affert ex Tacito in Chronico suo Mutius *Tasuarios*. Si vulgatæ lectioni magis standum, erunt *Chasuarii*, illi quos Strabo Χαττουαρίους appellat. *Colerus*. Dulgumnias vocat Ptolomæus. Eorum vel deletorum postea vel in nomen aliud mutatorum inter Saxones Westphalosque ad Visurgim fines describunt. Partem maximam Lemgoviensis agri sedibus illorum vindicat Cluverius. Chattuarios, ut & Paterculus nominat, ex nationibus Cattorum velut coloniam fuisse censet idem. Althamerus agrum Gottingensem aut Mindensis ac Verdensis diœceseon ad Visurgim incoluisse putat. *Kirchmajer*.

4 *Aliaque gentes haud perinde memorata*] Hujusmodi gentium haud perinde memoratarum una fuere Franci, qui circumjectarum nationum aucti primum imperio, deinde una cum Alemannis superiorem tenentibus Rheni ripam, quum ipsi inferiorem possiderent, transgressi in Gallias, ut nulla fides regni sociis, ad Tolbiacum memorabili prœlio, quo de summa rerum decernebatur, copias Alemannorum deleverunt, duce Ludovico, quem vulgus *Clodoveum* appellat. Tandem ita devictis Saxonibus nullo usquam resistente populo, totius prope Occidentis potiri sunt ditione. Poternot Romani, qui, ceu Justinus scribit, *finitimis populis armis subjectis primum Italia, mox orbis imperium quæsivere*, & hactenus esse nobis exemplum Turcæ, quorum item initio neque obscurius quicquam, neque incertius: si modo licet citra piaculum, nostratem optimeque meritam de Christiana pietate gentem, cum truculentissimis hostibus nostris conferre: cum quibus nuper, quod bene ac feliciter vertat, justum piumque bellum suscepimus, auspiciis & ductu Caroli Augusti atque Ferdinandi Cæsaris. *Rhenanus*.

5 *Majoribus minoribusque*] Sic & Plinius distinguit 18, 1. *Colerus*.

6 *Romanis classibus*] A Germanico ut Ann. 2. refert. Dio ait ipsum διὰ τῆς λίμνης ad Chaucos tantum pervenisse. *Idem*.

7 *Referre consensimus*] Scriptus liber, *referre consuevimus*. Lipsius.

*Referre consuevimus*] Testatur Lips. in MS. ita legi. quod magis placuit, quam, *consensimus*, ut in vulgatis. *Pichena*.

8 *Druso Germanico*] Lego, *Druso & Germanico*: haud enim omisisset auctor Germanici expeditionem ingenti clade insignitam, eum Drusianam, absque successu quidem illam, sed clade non infamem, non reticuisset. Simile mendum advertit Lipsius supra 55, 71. *Freinshemius*. Vir doctissimus mavult, *Druso & Germanico*. Non improbaverim: tan-

ſimul atque [1] in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit: ſanctiuſque ac reverentius viſum, de actis deorum [2] credere, quam ſcire. Hactenus in Occidentem Germa-
35 niam novimus. In Septemtrionem ingenti flexu redit. Ac primo ſtatim Chaucorum gens, quamquam incipiat à Friſiis, ac partem litoris occupet, omnium quas expoſui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos uſque ſinuetur. tam immenſum terrarum ſpatium non tenent tantum Chauci, ſed & implent: populus inter Germanos nobiliſſimus, quique magnitudinem ſuam malit juſtitia tueri. ſine cupiditate, ſine impotentia, [3] quieti ſecretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum eſt, quod [4] ut ſuperiores agant, non per injurias aſſequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac ſi res poſcat exercitus: plurimum virorum equorumque: & quieſcentibus eadem fa-
36 ma. In latere Chaucorum Cattorumque, Cheruſci nimiam ac marcentem diu pacem illaceſſiti nutrierunt. idque jocundius quam tutius fuit: quia [5] inter impotentes & validos falſo quieſcas; ubi manu agitur, [6] modeſtia ac probitas nomina ſuperioris ſunt. Ita qui olim *boni æquique Cheruſci*, nunc [7] *inertes ac ſtulti* vocantur: Cattis victori-

tantum dubito, num Germanicus columnarum Herculis quærendarum cauſa quidquam fuerit conatus: de alia vero expeditione Tacito hic quidem non eſt ſermo. *Couringius.*

1 *In Herculem inquiri*] Arrianus Periplum maris Rubri ſic finit: *τὰ μετὰ τοὺς τόπους τούτους διά τε ὑπερβολὰς χειμώνων, καὶ πάγους μεγίστους δυσβάτων τε τόπων, ἔστι καὶ θείᾳ τινὶ δυνάμει θεῶν ἀνερεύνητά ἐστι.* Credebant enim antiqui nefas eſſe ac Deorum menti contrarium, maris ac terrarum ſecretiora & abſtruſa perſcrutari. *Colerus.*

2 *Credere quam ſcire*] Præceptum illud Philetæ videtur in mentem fuiſſe Tacito: *Θεὸν σέβιζε, καὶ πίθου, ζήτει δὲ μή.* i. *Deum tole atque crede, noli quærere.* Colerus.

3 *Quieti ſecretique*] Tacitus magis ſuum tempus quam præterita conſideravit, cum iſta de Chaucis ſcripſit. Ait enim Ann. 11. *per idem tempus Chauci nulla diſſenſione domi & morte Sanquinii alacres, inferiorem Germaniam incurſavere.* Sic lib. 4. *narrantur Anſibarii quoque à Chaucis, ſedibus deturbati.* Idem.

4 *Ut ſuperiores agant*] Conſectatur fronticulos Thucydidis, apud quem Corinthii diſſerunt: *τὸ γὰρ μὴ ἀδικεῖν τοὺς ὁμοίους, ἐχυρωτέρα δύναμις.* Idem.

5 *Inter impotentes*] Sic paulo ante de Chaucis; *ſine cupiditate, ſine impotentia.* Idem *πολιτικώτατος* Thucydides ait jus naturæ eſſe *τὸν ἥσσω ὑπὸ τοῦ δυνατωτέρου κατείργεσθαι.* Idem. Accipio heic *impotentes* Chattos, qui ſe defendere non poſſunt: contra *validos* Cheruſcos, qui ſuo robore fiſi, & validi quidem & acres, ſed impotentia animi aliena invadunt ſuiſque viribus abutuntur, nec quieſcunt. quales ſunt barbari plerique: & quales hoc loco Chatti fuere adverſus Cheruſcos. *Aurelius.* Rationem auctor exhibet, cur non adeo ſecuri, ob vicinum impotentem, h. e. affectibus non imperantem ſuis, ſed vehementem Cattum, vivere Cheruſci debuiſſent. Male inter lupos ovibus; male conſultum inter vulpes & aquilas columbis eſt. *Kirchmayer.*

6 *Modeſtia ac probitas*] Acuta ſententia. Solet cum victoria bona fama victorem ſequi, armiſque ſuperior etiam cauſſa melior videri. Contra in victo Modeſtia ac Probitas viguere? illa ignaviæ, hæc ſimplicitatis vocabulo eluditur. Non multum diſſimile in illo Corn. Nepotis dicto, in Datami: *hac eſt conditio regum, ut caſus tantum adverſos hominibus tribuant: ſecundos Fortunæ ſuæ.* Colerus. Id eſt, in bello quod manu agitur, qui viribus eſt ſuperior, vexat agitatque modeſtos & probos victos, uti creditor durus per *nomina* debitores inopes, & tamen de ipſa modeſtia & probitate laudatur ac ſi probus exiſtat. *Aurelius.* Scio quid de *nominibus* dici poſſit, cum pro debitis aut debitoribus ſumuntur: quid aliud habeas, non video. Sed illa explicatio huic certe loco abſona eſt. At vide quæſo, an non ſcripſerit Tacitus, *Ubi manu agitur, modeſtia & probitas nomina ſequioris ſunt.* id eſt, deterioris, inferioris: ea enim hujus vocis ſignificatio eſt, ſubnectit enim: *Ita qui olim boni æquique Cheruſci, nunc inertes & ſtulti vocantur.* Vides Tacitum ſibi interpretem eſſe: *boni* vocantur *inertes*, *modeſti ſtultorum* nomen ferunt. *Tan. Faber.*

7 *Inertes ac ſtulti*] Docta & prudens monitio an reprehenſio illa Athenienſium ad Melios apud Thucydidem lib. 5. *τῆς δ' ἐς Λακεδαιμονίους δόξης, ἣν διὰ τὸ αἰσχρὸν δὴ βοηθήσειν ὑμῖν πιστεύετε αὐτούς, μακαρίσαντες ὑμῶν τὸ ἀπειρόκακον, οὐ ζηλοῦμεν τὸ ἄφρον.* i. *quod vero pertinet ad opinionem, quam de Lacedæmoniis concepiſtis, ſuapte verecundia impulſos vobis auxiliaturos, in ea re veſtram quidem ſimplicitatem probamus, ſtultitiam non laudamus, nec imitamur.* Colerus. Cheruſcos ait pace longa & à nemine turbata in torporem ſegnitiamque ſolutos armorum curam intermiſiſſe imprudenter & majore cum ſua voluptate ad tempus quam in perpetuum ſecuritate. Nam qui circumdatus hominibus ad injuriam promptis & robuſtis marcet, nec ſe parat adverſus ea, quæ necopinanti poſſunt ingruere, non tam quietus eſt quam

victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tacti ruina Cheruscorum [1] & Fosi contermina gens, adversarum rerum ex æquo socii, cum in secundis minores fuissent. [2] Eundem Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, 37
sed gloria ingens. veterisque famæ late vestigia manent, [3] utraque ripa castra, ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis & [4] tam magni exercitus fidem. Sexcentesimum & quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum [5] Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. Ex quo si ad alterum imperatoris Trajani consulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur. tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi spatio, [6] multa invicem damna. non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ, Galliæve,

[1] ne

quam obnoxius. Igitur in his quoque tum bonitas videbatur & modestia, contentos suis & nemini graves esse. Et mansisset illis ea existimatio, si post diuturnum illud otium tandem lacessiti fortiter restitissent, & statum tenuissent. Postquam vero succubuerunt, ne prius quidem bene considerata ratione ac tranquillitate insita, sed pravitate consilii & tædio belli laborum quiesse feruntur. Etenim ubi majorem partem res vi tractantur (ut inter bellicosos Germaniæ populos) non qui sedent, incerto possintne an nequeant *μέγα τι καὶ ἰσοῤῥόποις κυδῆσθαι* patrare, probi & modesti censentur, sed qui cum plus valeant & superiores sint, sibi temperant. *Ita* factum, ut *qui olim boni æquique Cherusci* (dum rebus secundis in alta pace fruuntur & ferociam dediscunt) vocabantur, *nunc* (postquam prosperis corrupti & emolliti atque ad vim sustinendam imparati Cattis cesserunt,) *inertes ac stulti vocantur.* Gronovius.

1 *Et Fosi*] Fracti & ruina illa Cheruscorum, & oblivione simul ita tecti ac sepulti, ut vix nomen superesset, absque Tacito foret. Idem de Osis dico. *Colerus.* Mirum, cur *Fosorum*, qui scriptoribus ignoti sunt reliquis, fecerit mentionem, nullam vero Saxonum? qui nihilominus à Ptolomæo inter claros appositi Cauchos (quorum & partem eos fecit lib. 3. Zosimus) super cervicem Cimbricæ peninsulæ sitiolim teferuntur. Hic enim ille Germaniæ sinus, Oceano proximus, quem juxta Cimbros omnium consensu paludosi quondam Saxones incoluerunt, & h. l. intellexit Tacitus. Credendum est videlicet nomen *Saxonum*, ut & *Francorum*, nondum floruisse adeo, ut sequenti ævo invalescere cœpit. Secus id tam supina negligentia non præteriisset Tacitus. Liceat ruentem interim aperire & suspicando rem implicitam experiri. Pro SASI mendo librariorum irrepsisse FOSI in codices conjiciebam aliquando; ut qui inter se *die Sachsen* aut *Sassen*, SASI Latine à Cornelio, rectius deinde *Saxones* à Ptolemæo dicerentur. *Sass* autem possidentem habitatoremque vulgo notat. Inde & *Holsatia*, quasi *Holsassia*, quæ Saxonum etiam antiqua sedes fuit, descendit. Tametsi à brevi gladio aut cultro aliis sic fuisse appellatos non nesciam. Quemadmodum vero *Teutoni* & *Teutones*, sic *Saxones* & *Sasi*, litera duplici in simplicem tanquam molliorem mutata, scribi potuerunt. *Kirchmajer.*

2 *Eumdem Germaniæ sinum*] *Eumdem* intellige cum Chaucis. & quia supra dixit, in *Septemtrionem ingenti flexu redit:* ac sequitur, *utraque ripa castra ac spacia:* minus placet quod in annotatiunculis reperi quondam collati codicis *eumdem Germaniæ situm.* Rhenanus. Strabo ait omnium populorum ad Oceanum vergentium, & à Rheni ostiis ad Albim pertinentium *γνωριμώτατοι εἰσὶ Σύγαμβροι καὶ Κίμβροι.* *Colerus.* Vellem, quorum in manu MSS. librorum copia, attentiores hic fuissent. Nam quin *eumdem Germaniæ sinum* bene dicatur, nemo ambigit: sed si calamo exarati & fide digni codices *eundem Germaniæ situm* habuere, male omnino mutatum est, nec translatitiæ propinatiunis sermo est. Vide quæ notavimus ad Plinii hist. nat. lib. 21. cap. 13. *Gronovius.*

3 *Utraque ripa castra ac spacia*] Hic pro utraque ripa intelligit litora Oceani Orientalis & Occidentalis ad Cimbricam Chersonesum. quæ angusta quidem, sed plurimum in longitudinem extenditur, Boream versus. & in ejus utroque litore, vestigia castrorum, quæ Cimbri complexi fuerant, adhuc apparebant. *Pichena.* Proprie de flumine *ripa*, de mari *litus* dicitur. Sed non Columellæ tantum hæc promiscue usurpantur: verum & Virgilius *litora* fluminibus, *ripas* mari Pontico assignat Plinius. Sinuosi maris utriusque ergo littora spaciaque, inter quæ Cimbrica Chersonesus tractu longissimo protenditur in Aquilonem, noster indicat. *Kirchmajer.*

4 *Tam magni exercitus fidem*] A conjectura reposui: cum in libris sit, *magni exitus.* Lipsius.

*Magni exercitus*] Hanc lectionem debemus conjecturæ Lipsii, cum in libris esset *magni exitus.* Non tamen contempseris illa vulgata. *Coringius.*

5 *Cimbrorum arma audita sunt*] Breviarium Livianum: *Cimbri gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt. ab iis Papyrius Carbo Cos cum exercitu fusus est.* Hoc eo anno accidisse consentit cum Tacito Julius Obsequens & Eutropius. *Colerus.*

6 *Multa invicem damna*] Paterculus: *multis mox nostris suisque cladibus nobiles.* Multos ingentes duces & exercitus in parte Romanorum obtritos Plutarchus

[1] ne Parthi quidem sæpius admonuere. quippe [2] regno Arsacis [3] acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam cædem Crassi, amisso & ipse Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At Germani Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, & Servilio Cæpione, [4] M. quoque Manlio fusis vel captis, quinque simul consulareis exercitus Populo Romano; Varum tresque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt. nec impune C. Marius in Italia, divus Julius in Gallia, Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ [5] in ludibrium versæ. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ & civilium armorum, [6] expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavere: ac
38 rursus pulsi inde, [7] proximis temporibus [8] triumphati magis quam victi sunt. Nunc de Suevis dicendum est, quorum non una ut Cattorum Tencterorumve gens: majorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam [9] in communi *Suevi* vocentur. Insigne gentis [10] obliquare crinem,

tarchus in Mario scribit. *Colerus.*

1 *Sæpius admonuere*] Recta, imo & sapiens scriptura est. Admonemur in felicitate sortis humanæ, per adversa: hoc, inquit, Parthi nobis fecere, ne invictos nos putaremus; neque tamen sæpius, quam Germani. *Lipsius.*

*Ne Parthi quidem sæpius admonuere*] Arbitror Tacitum *admovere* simpliciter usurpasse, quod Livius dicere solet, *admovere exercitum*, & *admovere castra.* Sane quum veterem Germaniam à Danubio provinciæ Romanæ, duæ Rhætiæ, Noricum, & duæ Pannoniæ, à Rheno contigerint, Sequanus tractus, qui Helvetios & Rauricos complectebatur, Tractus Argentoratensis, in quo Argentoratum & Selestadium veteris Elcebi colonia, unde Elsatiæ *vernaculum* nomen, ac Germaniæ duæ; nihil mirum si subinde admoverunt Germani, non tam propulsantes pericula Romanis impugnantibus quam prædarum dulcedine provincias Romanas incursantes. *Rhenanus.* Rhenano suspectum visum est verbum. *admonuere:* adeo ut corrigendum putaret, *admovere*, eo sensu, quo apud Livium, *admovere exercitum*, vel *castra.* Cui opinioni ego aures non admoveo. & quamvis novitas quædam sit in lectione vulgata, illam tamen libenter amplector, ut sit, *admonere*, vigilantem & experrectum tenere, nec quietum sinere: seu potius, negotium facessere. *Pichena.*

2 *Regno Arsacis*] Civilis apud Tacitum composita illa oratione ad Gallos: *Servirent Syria Asiaque, & suetus Regibus Oriens.* Colerus.

3 *Acrior est Germanorum libertas*] Acrimoniam illam Germanorum expendit & extollit in immensum Plutarchus: *θυμῷ δὲ καὶ τόλμαις ἀνυπόστατοι καὶ χειρῶν ἔργα παρὰ τὰς μάχας ὀξύτητι καὶ βίᾳ πυρὸς ἐοικότες ἐπῄεσαν.* Idem Civilis apud Tacitum jacit: *multos adhuc in Gallia vivere ante tributa genitos. Nuper certe cæso Quintilio Varo, pulsam è Germania servitutem.* Plinius 16. de Chaucorum miseria: *& hæ gentes certe si vincantur hodie à populo Rom. servire se dicunt. Ita est profecto, multis fortuna parcit in pœnam.* Colerus.

4 *M. quoque Manlio*] Potius Epitomæ Livianæ 67. crediderim, prænomen isti Manlio fuisse *Caio*, cum *Marci* prænomen isti familiæ ob Capitolini casum profanum obscœnumque fuerit. Vide Livium 6, 20. *Freinshemius.* Forte tamen nihil est mutandum: ejusmodi enim *ἁμαρτήματα μνημονικὰ* optimis etiam auctoribus interdum obrepunt. *Conringius.*

5 *In ludibrium versa*] Idem nomen imponit Hist. 4. *pater ejus multa hostilia ausus, Caianarum expeditionum ludibrium impune spreverat.* Colerus.

6 *Expugnatis legionum hibernis*] Spectat huc quod Tacitus narrat in Agric. *tot militares viri cum tot cohortibus expugnati & capti, nec jam de limite imperii & ripa, sed de hibernis legionum & possessione dubitatum.* Idem.

7 *Proximis temporibus*] Referendum ad Domitiani tempora, qui de *Cattis* triumphum duxit: sed vanum & irrisum. Suetonius, & noster Tacitus in Agricola: *Inerat conscientia, derisui nuper fuisse falsum è Germania triumphum.* Lipsius.

8 *Triumphati magis quam victi*] Fuit egregius ille triumphus Romæ & in Italia tota deridiculo. Suggillat Plinius ad Trajanum & Tacitus in Agric. *Colerus.*

9 *In commune Suevi*] Dio idem scribit: *καὶ οἱ μὲν πέραν τοῦ Ῥήνου, ὅτῳ τ' ἀκριβῶς εἰπεῖν, πολλοὶ γὰρ καὶ ἄλλοι τοῦτο τὸ Σουήβων ὄνομα ἀντιποιοῦνται. Idem.*

10 *Obliquare crinem*] Perperam capiunt de crine calamistris vibrato. Nec altera melior interpretatio, ut crinem non in rectum passi sint descendere, sed reduxerint in posteriorem verticem & obliquaverint. Nugæ. *Obliquant crinem & nodo substringunt*, quia nodo aliter substringere nequeunt, nisi obliquatum ac tortum. Ideo *obliquandi* crinis meminit, ut ostenderet ex ipso crine nodum eos facere solitos, non alio vinculo nodare. Nam vinculo aut tænia potest nodari ac religari crinis etiam rectus, & in rectum descendens. At ex ipso crine nodum facere non datur nisi obliquato & torto. Nodo substringendi crinis morem, (non etiam flectendi

nem, [1] nodoque substringere. Sic Suevi à ceteris Germanis: [2] sic Suevorum ingenui à servis separantur. In aliis gentibus seu cognatione aliqua Suevorum, seu (quod accidit) imitatione, rarum & intra juventæ spatium; apud Suevos usque ad caniciem horrentem capillum [3] retro sequuntur, ac sæpe in ipso solo vertice religant. [4] principes

ctendi aut ferro calido rotandi) Germanis auctores passim tribuunt. Seneca de ira 3, 26. & Epist. 126. Juvenalis, Martialis, Tertullianus de Virginibus velandis. *Salmasius.*

1 *Nodoque substringere*] Quod Suevis proprie tribuit noster, alii Germanis vulgo. Seneca de Ira. *Non est Æthiopis insignitus inter suos color, nec crinis ruffus & in nodum coactus apud Germanos.* Idem epistola CXXVI. *Quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel nodo Germanorum vinxeris, vel ut Scythæ solent, sparseris.* Martialis etiam Sigambris:

*Crinibus in nodum tortis venere Sigambri.*

Idem universe alibi: *Rhenique nodos.* Tertullianus Cirros in Germanis agnoscit, fortasse ab hac crinium obliquatione & flexu. De virginibus velandis: *Debebunt & ipsi aliqua insignia sibi defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirros Germanorum.* ideo quia, ut hic scriptum, crinem obliquabant. Juvenalis:

*Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam*
*Cæsariem, & madido torquentem cornua cirro?*

Taciti tamen locum huncce de obliquando crine, fateor ita etiam capi posse, ut crinem non in rectum passi sint descendere, sed reduxerint in posteriorem verticem & obliquarint. *Lipsius.*

*Nodoque substringere*] Suevorum hoc proprium erat. licet ita reliqui imitarentur, ut verius Germanicus quam Suevicus mos dici posset: Seneca: *crinis rufus & in nodum coactus apud Germanos.* De Suevis intelligo Martialem: *Rhenique nodos auream-que vitellam:* Suevi enim Rheno viciniores. Quod porro Tacito *nodo substringere.* id est Suetonio *subnectere comam.* de C. Caligula. *Colerus.* Vocarunt veteres Larini *nitelam* quem Græci *μυωξὸν καὶ ἐλειὸν μῦν.* Glossæ: *Nitela, δενδρογάλη.* Servius 1 Georg. v. 181. *Nitela, mus agrestis robeus, cujus Cicero meminit in Sestiana.* Verba Ciceronis: *illa ex vepreculis extracta nitela.* De ea accipiendum in Martialis versu *auroamque nitelam.* Rutilos ac rufos puellæ crines comparar Bætico velleri, Germanorum capillis, & nitelæ pilo. *Salmasius.*

2 *Sic Suevorum ingenui à servis separantur. In aliis gentibus*] Repetitum fuerat in vulgatis, *sic in aliis gentibus*, præter librorum veterum fidem, qui particulam illam, *sic*, minime habent. ergo ut supervacuam, & orationem sensumque confundentem, delevimus. *Pichena.* Lege & distingue: *si in aliis gentibus, seu cognatione aliqua Suevorum, seu (quod sæpe accidit) imitatione; rarum &c. Acidalius.*

3 *Retro sequuntur*] Obscurus sermo & jam olim censuræ subditus a Theodoro Marcilio. Emendat ille: *apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum, retrorsum ac sæpe in solo vertice ligant.* Duplicem Tacitus capillitii ligaturam describit, relicinam & nodatam. Ea etiam apud veteres Gallos usurpata, ut videre est apud Diodorum Siculum. Ego Eruditissimi Galli emendationem lubens amplector. *Colerus.* Verissima mihi magni Scaligeri correctio; *capillum retro sequus, ac sæpe in ipso solo vertice religant.* Freinshemius. Placet illa & mihi præ Marciliana, quod propius accedat ad vulgatam lectionem & morem Suevicum pulchre exprimat. Alii scilicet Suevorum unico nodo in solo vertice, alii pluribus retrosecus flexum crinem substrinxerunt, qui sunt illi *cirri* & *cornua* Germanorum priscis scriptoribus memorata. *Conringius.* Si quid video, discrimen non est in numero nodorum, sed in loco, ubi firmantur nodi, nempe aliis *retrosecus* sive circa occiput, aliis *in vertice ipso.* Et in vertice autem & retrosecus collecti & renodati vel religati capilli, *cirri;* non posterius tantummodo genus. *Cornua* autem nihil aliud sunt quam *nodi* capillorum & implicationes. Vide Salmasium ad Solinum pag. 762. *Gronovius.*

4 *Principes & ornatiorem*] Hoc ad cirros spectare arbitror, quos Juvenalis *cornua* appellat Sat. 13. *madido torquentem cornua cirro.* Nec clarissimo Lipsio adsentior, qui ad intorsionem nodorum cirros refert. Principum inquam tantum cirros fuisse credo, & nobilissimarum more gentium, apud quas eminentiores capillitii insigni à vulgo discernebantur. Tertullianus de Virgin. veland. *debebunt & ipsi insignia defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos Barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirros Germanorum.* Juvat quod Tacitus etiam *ornandi* verbo utitur, quo veteres in omni illa capitis cura frequenter utuntur. Unde ancillæ, quibus capillorum herilium curatio, *ornatrices* dictæ. *Colerus.* Hæc merito scrupulum injecerunt varia eruditione Viro Cluverio, qui tamen distinctione rem perfici posse putat. Sic enim scribit Germ. Antiquæ lib. 1, 16, p. 131. Ceterum verba Taciti, dicto loco, sic vulgo distingui video: *apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso solo vertice religant, principes & ornatiorem habent.* Male, meo judicio. nam ornatior iste principum capillus qualis fuerit, omnino debebat indicasse auctor. Sic igitur distinguo: *Apud Suevos, usque ad canitiem, horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso solo vertice religant principes, & ornatiorem habent* Sed hoc modo maneret adhuc istud *retro sequuntur*, quod tolerari vix ullo modo queat. Ego verissimam scripturam, simulque antiquorum nostrorum innocentissimi luxus

cipes & ornatiorem habent. ea cura formæ, [1] sed innoxiæ. Neque enim ut ament amenturve; [2] in altitudinem quandam & terrorem adituri bella compti, [3] ut hostium
39 oculis, ornantur. *Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum* [4] Semnones memorant. Fides antiquitatis, religione firmatur. Stato tempore in silvam [5] auguriis patrum & prisca formidine sacram, omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coëunt, cæsoque publice homine celebrant [6] barbari ritus horrenda primordia. Est & alia luco reve-

morem reperisse videor. Certe enim sic scripsit Tacitus: *capillum retrosequus, ac sæpe in ipso solo vertice religant. Principes & ornatorem habent.* Adverte sis sequentia: *ea cura formæ* &c. *neque enim ut ament amenturve* (quomodo Romani Romanæve) *ornantur.* Nam apud Rom. etiam viri *ornatores* habebant, de quibus vide Pignorium de servis, cui adde l. 65. §. 3. de legat. 3. Quo & illud Ovidii tendit: *Sint procul à nobis juvenes, ut femina, compti.* Ergo ex his omnibus, quod ornari eos dicit, nec tamen ut ament amenturve (sunt ergo alii qui ad hoc ornantur, nec alios quam suos cives, ut aliis hujus libelli locis, incesserit auctor) sed innoxia forma, cui tamen curam tribuit, necessario sequitur pro *ornatiorem*, quod nunc legitur, scribendum esse, *ornatorem*. Freinshemius. Sane ornatum aliquem Principibus accessisse certum est; num vero in id singulares illi habuerint ornatores, dubitare me facit prisca simplicitas. Videtur sic satis commoda vulgata lectio. *Conring.* Legerim *ornatorem* cum Freinshemio. Neque id à prisca ruditate nimis forte alienum. *Kirchm.*

1 *Sed innoxia*] Malo cum Mureto, *innoxia.* Acidalius.

2 *In altitudinem quandam & terrorem adituri bella compti*] Vis verborum efficacior & clarior, si transponas: *adituri bella in altitudinem quandam & terrorem compti.* Nec mihi dubium, Tacitum sic ordinasse. Silius: *Triplex crista jubas effundit crine Suevo.* Solebant opinor nodos illos aliquando religare, modo quodam Parthorum & Persarum. Unde Saxo Grammaticus lib. 7. *sparsamque renodat Cæsariem & laxos patitur fluitare capillos.* Colerus.

3 *Ut hostium oculis, ornantur*] Placet Bambergensis, *armantur.* Lipsius.

*Hostium oculis ornantur*] Proba lectio. Hostium oculis ornati argute dicuntur, qui ornantur ut terrori sint. Igitur infra etiam dixit: *nam primi in omnibus prœliis oculi vincuntur.* Nazarius ad Constantinum: *illa armorum ostentatio & opersi ferro exercitus, qui imbelles oculos vulnerassent.* Colerus. Non bene capio auctoris sensum. Suevi bella adituri ornantur in altitudinem quandam & terrorem, compti, ut hostium oculis. An pro *ornantur*, lectitabimus *armantur?* Sed non tollitur hac ratione ἀνωμαλογία, ut hostium oculis. Dispiciat lector eruditus an non sit *ad hostium oculos*, vel *in oculis* legendum. *Kirchmajer.* Possis suspicari *comati:* sed hæc sententia est: Hoc unum formæ adhibent lenocinium, sed innocens, haudquaquam enim, ut vel suam eo pudicitiam prostituant vel alienæ insidias struant: sed ut staturæ aliquid adjiciant & terrorem sui augeant hostiumque oculis formidabiliores occurrant, tum maxime comuntur & ornantur, quum in aciem ituri sunt. *Ut hostium oculis ornantur*, id est tanquam hostibus approbaturi terrificam speciem. *Gronovius.*

4 *Semnones*] Recte. etsi in Vellejo lib. II. *Senonos* scriptum legas, qui eos cum Hermunduris conjungit. In Dionis Fragmentis Electo LXXI. probissime scriptum erat: Πρὸς Σέμνονας ἐπιχωρήσαντας: de Antonini bello in Quados & Marcomannos. Item Electo XLIX. Μάσυος ὁ Σεμνόνων βασιλεύς. Late errat vir doctus, qui utrobique Nasamones substituit & edidit, Africæ nimirum gentem. At illi Semnones ad Albim sunt: & manifesto illa Dionis spectant ad Germanica bella. *Lipsius.*

*Semnones*] Strabo quoque ita appellat. Sed *Senones*, vel *Sennones* rectius est. iidem enim populi sunt cum illis, quos ultra Nervios habitare idem Geographus testatur. De illis autem Suevicis Paterculus lib. 2. Et Florus lib. 4. *sed omnes illius cardinis populos, Brennos, Senones, atque Vindelicos.* Varias Gallorum in Germaniam migrationes fuisse alibi & Tacitus & ego demonstrabimus. Quidni enim assentiamur Lazio, qui Suevos Senonas fuisse illos colligit, quorum superbum illud responsum ad Alexandri Magni legatos à Q. Curtio memoratur? Adriæ sinum & Japodum viciniam tunc habebant. *Colerus.*

5 *Auguriis patrum & prisca formidine sacram*] Legitimus versus longus est (monuit me G. Falckenburgius) sponte effusus, an à veteri Poëta? *Lipsius.*

*Auguriis patrum*] Spontaneusne an fortuitus versiculus? Fortuitus certe. Talis illa Plinii ad Trajanum Paneg.

*Credite si cursu quondam provectus ab illo*,

quem adulescentulus pridem animadvertebam. Et hoc lib. Taciti, *atras ad prœlia noctes.* Magis apposite & sonore Virgilius non diceret. *Colerus.*

6 *Barbari ritus*] Facit hoc ad meam adsertionem de origine Senonum Gallicana. Galli enim *Esum* atque *Teutatem* humano cruore placabant, teste Lactantio. Lege præterea Strabonem lib. 4. Cæsarem lib. 6. Amplius etiam adfirmarim Gallos Mercurii cultum ac honores in Germaniam invexisse, cum eundem maxime coluerint, ut oculatus testis est Jul. Cæsar. Usus autem simili argumento in Agric. *Gallos vicinum solum occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione.* Loquitur de vicino Britanniæ solo. *Colerus.*

1 *Cen-*

reverentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, & potestatem numinis præ se ferens. si forte prolapsus est, attolli & insurgere haud licitum. per humum evolvuntur. eoque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subjecta atque parentia. Adjicit auctoritatem fortuna Semnonum. [1] centum pagis habitantur: magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant. [2] Contra Langobardos paucitas nobilitat, quod plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed prœliis & periclitando tuti sunt. [3] Reudigni deinde & [4] Aviones, & [5] Angli, & [6] Varini, & [7] Eudoses, & [1] Suar-

1 *Centum pagis habitantur* ] Ita Venetus ac Bon. Vulgo, *habitatur*. Pichena. Cæsar hoc de Suevis in commune tradit, sed ex fama, non ex vero. Plus Tacito credimus, qui & viderat partim & ex propinquo expiscatus fuerat pleraque, aut denique apud Plinium, qui pleraque illa loca oculis usurpaverat, legere potuit. Si illos diligentissimi auctoris xx. libros De bellis Germanicis superstites haberemus, non esset opus nunc animadversiunculis ejusmodi in Tacitum. Livius quoque in posterioribus libris non leviter de Germania scripserat, ut ostendit Sidonius 4. Epist. 18. *revolve Patavini scriptoris extrema. quibus res C. Cæsaris explicantur: aut si is impar est desiderio suo, sume ephemeridem C. Cæsaris, decerptam Bibliothecula mea, ut tibi muneri mitteretur. Hæc te origines, situs, pugnas, & quicquid fuit in moribus aut legibus Galliarum, docebit.* Ephemeridem Cæsaris nescio quid esse intelligendum sit, nisi ipsos Commentarios de bello Gallico. Nulla enim ephemeridis alterius mentio apud Suetonium, nulla apud Plutarchum. *Idem.*

2 *Paucitas nobilitat* ] Ita Farnesianus. Vulgo erat, *paucitas nobilitasque*. Lipsius.

*Contra Longobardos* ] Ex Scandavia insula venisse Paulus Diaconus scribit: à *barba longitudine*, quod eam promitterent, dictos existimavit Georgius Merula. addit quisquis fuit Theodatus, cum Vuinili dicerentur, cumque Erulis congredi pararent, deæ cujusdam Godæ impulsu mutasse nomen. quæ omnia fabulosa sunt, quandoquidem puri puti Germani fuere, barbara appellatione nuncupati, quæ de Latino idiomate minime sit trahenda. Christianos ætate sua fuisse Procopius, non uno in loco est auctor, cum recentiores omnes in Italia suscepisse fidei rudimenta perquam incuriose scripserint. *Alciatus.* Suevicum genus etiam Ptolemæo lib. 2. c. 11. Strabo eorum sedem ultra Albim locat. Legendum enim ibi *Λαγγοβάρδοι*, non *Λαγγοσάρνοι*. Sed pergit ibi Strabo: *νῦν δὲ καὶ τελέως εἰς τὴν περαίαν ἐκπεπτώκασι φεύγοντες.* Fuga illa facta Tiberii & ipsius Strabonis tempore, cum circa Albim magna variaque strage arma Romanorum grassarentur. Vell. Paterc. *Fracti Langobardi, gens etiam Germana feritate ferocior.* Falsi hinc illi videntur, qui priscos Langobardos ripis Suevicis Rheni admovent. Strabo sane longe etiam ultra Albim aufugisse testatur, quod Tacitum miror tacuisse. Strabonis sententiæ confirmandæ & illustrandæ sunt, quæ ex Paulo Diacono mutuatus est Saxo Grammaticus lib. 8. *Primum itaque Blekingiam advecti, ac deinde Moringiam præternavigantes ad Gutlandiam se appulerunt, ubi* & Paulo teste *auctore Fria Dea, Longobardorum vocabulum, quorum postea gentem condiderunt, traduntur adepti.* Colerus.

*Contra Langobardis paucitas, nobilitas: quod*] Scripsimus, *nobilitasque quod*. Rhenanus. E Farnesiano verum *Contra Longobardos paucitas nobilitat*. Muretus tamen ex vulgato r *Longobardis paucitas nobilitas.* Acidalius. Lazius citat: *Contra Longobardis paucitas, nobilitas.* Unde illa lectionis olim vulgatæ corruptela, *paucitas nobilitasque*. Colerus.

3 *Reudigni* ] Pro iis videbatur esse; *Vendigni.* Rhenanus. Non minus olim etiam cognitæ hæ gentes. Nec mirum si hodie caligemus ad nomina tantam vetustatem ferentia, aut reliquis scriptoribus incognita vel neglecta. Paterculus de illis gentibus: *perlustrata armis tota Germania est. Victa gentes pene nominibus incognita.* Idem.

4 *Aviones* ] Mutius citat: *Avianos.* supine. Legendum & rescribendum apud Tacitum videatur, *Chaivones*, sive *Chaibones.* Illustravere postea hos populos Maximiani & Diocletiani victoriæ. Mamertinus in Genethliaco: *cum omnes barbaræ nationes excidium universæ Galliæ minarentur, neque solum Burgundiones & Alemanni, sed etiam Chaibones Erulique, viribus primi Barbarorum, locis ultimi.* Paulo post illa: *Ita cuncti Chaibones Erulique.* Idem Panegyrista alia orat. *Iisdem hic gens Caiuvonum Erulorumque deleta.* Lego iterum: *Chaiuonum.* Colerus. Cluverius emendat, sed non nisi ex conjectura, *Deuringi & Caviones.* Conringius.

5 *Angli* ] Populus hic fuit Saxonum maritimorum. de quibus illud Marciani Heracleotæ accipio: *κατὰ τοῦτο τὸ μέρος κεῖνται οὗτοι αἱ καλούμεναι Σαξόνων.* Hi postea occupata insula, nomen Britanniæ novum classe advexerunt. Witigindus cum hoc idem cum aliis tradat, ridicule tamen postea subjicit de etymo: *Et quia illa insula in angulo quodam maris sita est, Anglo-Saxones usque hodie vocitantur.* O inquam ineptam insulsamque Anglo-Saxonum etymologiam. Et tamen repetit eam libro 7. *Angli enim Saxones dicti erant, à quodam rege Angul,* ut scribit Saxo. *Colerus.*

6 *Varini* ] Plinius lib. 4. *Genera Germanorum sunt quinque, Primum Vandali; quorum pars sunt Burgundiones, Varini, Guttones, Carini.* An iidem sint

[1] Suardones, & [2] Nuithones, fluminibus aut silvis muniuntur. nec quidquam notabile in singulis, nisi quod [3] in commune Herthum, id est, Terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Est [4] in insula Oceani [5] Castum nemus, [6] dicatumque in eo vehiculum veste contectum, attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali deam intelligit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. Læti tunc dies, festa loca. [7] quæcunque adventu hospitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum: pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium deam templo reddat. mox vehiculum & vestes, & si

*Varini*, gens Gothica nescio. *Varingi* etiam videntur dicti postex & *Caringi*. Mutius somniculose legit *Varinos*. Idem.

7 *Eudoses*] Quid si legamus? *Endosos*. Quasi dicas finitimos Osis aut extremos Osorum? Idem Muretus male, *Eudosios*. Colerus.

1 *Suardones*] Pro iis videbatur esse *Suarines*. Rhenanus. Mutius ridicule descripsit, an finxit: *Suarmos*. Atque vellem ita legisset xpud Tacitum. Suspicxrer è populo vetustissimo reliqua nobis facta esse nomina Germanica *Guarm*, id est, turba vel exercitus. & *Guarmen* turbare. Sed nugæ hæ sunt fortxssis, & propius est ut scripserit Historicus: *Suarinos*. Manet hodieque nomen. Memorat Saxo etiam quendxm Suarinum Gothiæ præfectum. *Colerus*. Num rectius, *Suartones & Vithones?* populari lingua, Albi & Nigri. Utriusque ixne populi vestigia hodieque dixeris superesse iis locis, quæ ab utroque illo colore per omnem Germaniam nomen acceperunt. *Conringius*.

2 *Nuithones*] Apud Mutium sunt: *Nuithomi*. Munsterus inepte hos in Helvetiam transcribit. Nec mibi tam nominis ratio aliter constat, quam ut *Nuithomes*, quasi *Nuithaimer* dictos existimem. Sicut *Nuithardus*, *Nuithiger*, & *Nuithestaim*. non ignota familia. *Colerus*.

3 *In commune Herthum*] Libri xlii, *Nerthum*, aut *Verthum*. ego veram vocem censeo, *Aerthum*. Ita enim nostratem eam vocem efferimus scribimusque. Cum adspiratione, focum nobis signet non terram. Martianus Capella an huc xspexerit, dum Heroës ab Hera derivat, id est terra, nescio. Verba ejus lib. 11. *A medietate aëris usque in montium terraque confinia Hemithei Heroësque versantur, qui ex eo quod Heram Terram veteres dixerunt, Heroes nuncupati*. Nam alias certe à crasso errore eum non excuses. *Lipsius*.

*Herthum*] Ad priscæ linguæ Teutonicæ terminxtionem scripserim: *Erthun*, vel *Erdun*. vetus versiculus ille est Germanicus: *Teungino nupesh seue geburts za erdun*. Colerus. Ego veram vocem censeo. *Aerthum*, inquit accuratissimus Lipsius. Nempe, quia id vocabulum cum aspiratione non terram nobis significat, sed focum. At *Hertam* scripserunt veteres Germani. Antiquissimæ illæ Glossæ nostræ, *folum*, *herda*, *herdi*. Itaque nihil hic mutandum. *Boxhornius*.

4 *In insula Oceani*] In qua insula? An in Scandinavia, quam reliquarum μεγίστην καὶ ὑπεροχωτάτην Marciauus appellat. *Colerus*.

5 *Castum nemus*] Allusum ad Castum Cereris apud Romxnos. Fuit tamen cum suspicarer *Castum nemus* proprixm quandam appellationem Teutonicam fuisse, quæ arcani illius vehiculi nomen exprimeret, dictumque adeo *Castenwalt*. Vocatur hodie silvæ etiam Martianæ pars xpud Brisiacum eo nomine. An x simili ratione? Nam de Castaneis nugæ sunt, cum silva tota obsita quercubus. *Colerus*. Idem mecum dubium dubitasse hoc loco Cluverium video. nam in recensione libelli hujus descriptioni suæ Germ. Antiquæ præmissa legit; *sacrum nemus*: quia nempe juxia mecum vocem illam *castum* non habebat pro proprio nemoris nomine. Ego autem propius abibam à scriptura, & legendum censebam *vastum nemus*, etiam sensu, nisi fallor, commodiore; ea enim vastitas præcipue sit augendo terrori religionique. Ergo Seneca etiam ex voce usus epist. 57. *Caligabit, si vastam altitudinem, in crepidine ejus constitutus despexeris*. tritum est vastissimas quasque silvas cultibus ejusmodi dicari consuevisse. *Freinshemius*. Minus sane nemori aptum est ἐπίθετον castum, eoque Cluverius legit *sacrum*. Perplacet Freinshemiana emendatio *vastum*. quoniam quam minimum recedit x vulgato, & tritissimum est vasta nemora quondam religiosa habita fuisse. *Conringius*. *Castum nemus* est sanctum, religiosum, non impune violaudum. Vix accommodatiori voce uti potuisset. *Fidem servare castam* Silius, *flumen* propter inhabitatrices Nymphas *castum* Claudianus, *sacris accedere castis* Statius. Virg. l. 3. Æn. *Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto: Hac casti maneant in relligione nepotes*. Vario: *Ergo tum sacra, religiosa castaque fuerunt res omnes*. In Insula (maris nempe Balthici) fuisse ait, cujus nomen non exprimit. Rugiam vult Cluverius. Ac vide etiam Helmoldum 1, 6. Chron. Slav. sed quare infra specialem Rugiorum mentionem facit? *Kirchmajer*.

6 *Dicatumque in eo vehiculum*] Ex Veneto restitui copulam, *que*. Pichena.

7 *Quæcumque adventu*] Illic legebatur, *Quemcumque*. subaudi *locum*. cogitxndum an pro *adventu* scribendum sit *advectu*, qua voce etiam utitur hist. lib. 4. *Hac de origine & advectu dei celeberrima*. Sic enim

ſi credere velis, numen ipſum [1] ſecreto lacu abluitur. Servi miniſtrant, quos ſtatim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, ſanctaque ignorantia, quid ſit illud quod tantum perituri vident. Et hæc quidem pars Suevorum in ſecretiora Germa- 41
niæ porrigitur. Propior (ut quo modo [2] paulo ante Rhenum, ſic nunc Danubium ſequar) [3] Hermundurorum civitas, fida Romanis, eoque ſolis Germanorum non in ripa commercium, ſed penitus, atque [4] in ſplendidiſſima Rætiæ provinciæ [5] colonia. paſſim & ſine cuſtode tranſeunt; & cum ceteris gentibus arma modo caſtraque noſtra oſtendamus, his domos, villaſque patefecimus, non concupiſcentibus. In Hermunduris [6] Albis oritur flumen inclitum & [7] notum olim: nunc tantum auditur. Juxta Hermunduros [8] Nariſci, ac deinde [9] Marcomani & Quadi agunt. Præcipua 42
Marcoma-

enim & illic legendum pro adventu, quemadmodum nos caſtigavimus. Adjuvat hic indubiam conjecturam, quod præcedit, *Invehi populis arbitrantur*. Rhenanus.

1 *Secreto lacu*] Invenio lacus ejuſmodi templis ſive delubris conjunctos fuiſſe. Dithmarus de Luiticis lib. 6. *duæ ejuſdem portæ cunctis introeuntibus patent. Tertia, quæ orientem reſpicit & minima eſt, tramitem & mare juxta poſitum & nimis horribile monſtrat*. Sic lib. 7. *Fana idolorum deſtruens incendit & mare Dæmonibus cultum*. Mare appellat iſtos lacus. *Colerus*.

2 *Paulo ante Rhenum*] Hoc de Chattis, Tencteris, Friſiis magis dictum puto, quam de Longobardis. Itaque cave ſtatim credas Lazio de hoc loco diſſertanti. *Colerus*.

3 *Hermundurorum civitas*] Repoſuit eruditiſſimus vir apud Strabonem quoque legitime Ἑρμονδόρους pro Εὐμονδόρους. Hi ſunt inter illos quos medios Tacitus alibi eſſe dixit, i. ſub Hermionibus. *Colerus*.

4 *In ſplendidiſſima Rhætiæ provinciæ colonia*] Putatur eſſe *Auguſta*, quam vulgo *Vindelicorum* appellant, quod Vindeliciæ ſit proxima, ſed tamen in Rhætia prima. Notum etiam è recentioribus chronographis Lixum amnem ſeparare Baioarios à Suevis, poſtquam videlicet Germanici juris factæ ſunt provinciæ, quum ſub Romanis idem fluvius Rhætiam primam à ſecunda, quæ eadem Vindelicia fuit, indubie diſterminaret. Ex hoc vero cognoſcere potes, quam late diffuſa fuerit Hermundurorum natio, plurimum occupans ſoli. *Rhenanus*. Quæ illa *colonia*? An Auguſta Vindelicorum, quæ in ſecunda Rhætia erat? Hoc tu videris, nobiliſſime Velſere; qui Vindelicis tuis decorem veterem unice vindicaſti. Vocat autem *ſplendidiſſimam*, quia & aliæ in Rhætia coloniæ Romanorum. Una ex iis deſcribitur in fragmento, ſi fides Lazio, Paterculi, inſigni antiquitatis monumento: *dum hæc circa Rhætiam geruntur, in Noricorum finibus, grave vulnus populus Rom. accipit. Num Germanorum gentes, quæ Rhætias occupaverant, non longe ab Alpibus tractu pari patentibus campis, ubi duo rapidiſſimi amnes inter ſe confluunt in ipſis Noricorum finibus, civitatem non quidem muro, ſed vallo foſſaque cinxerunt, quam appellabant Ciſara, ex nomine Deæ Ciſæ, quam religioſiſſime colebant*. Cogitabam an hic legendum eſſet, *quam appellabant Ciſa aram*. Colerus.

5 *Colonia paſſim ſine cuſtode*] Diſtingue, *colonia. paſſim ſine cuſtode tranſeunt*. Quod ait, ſine cuſtode: morem ingerit rarum & notabilem. Romani enim in limite imperii hoc ſervabant, ut externum neminem admitterent exciperentve, niſi cuſtode dato & arbitro actionum. Diſcis ex hoc loco, & lib. IV. Hiſtoriarum, ubi acris querela de hac re Germanorum, ad Ubios: *Nam ad hunc diem flumina ac terras & quodammodo cælum ipſum clauſerant Romani, ut colloquia congreſſuſque noſtros arcerent: vel quod contumelioſius eſt viris ad arma natis, inermes ac prope nudi ſub cuſtode & pretio coiremus*. Et in reſponſo Agrippinenſium: *Sint tranſitus incuſtoditi, ſed diurni & inermes*. fuit alioqui & alia Romanorum cautio in hac re, ne conventus haberent ſuſpecti populi, niſi certo loco, & numero: idque coram aliquo Romano. Fragmentum Dionis LXXIII. Commodus pacem Marcomannis & Quadis dedit, ſed cum lege, *Ne ſæpe aut pluribus locis conventus haberent*: Ἀλλ' ἅπαξ ἐν ἑκάστῳ μηνὶ, καὶ ἐς τόπον ἕνα, ἑκατοντάρχου τινὸς Ῥωμαίου παρόντος: Sed ſemel in menſe dumtaxat, & in uno certo loco, idque Centurione aliquo Romano præſente. *Lipſius*.

*Paſſim & ſine cuſtode*] Et hic à vulgatis abeſt copula, &, quam ex veteribus repoſui. *Pichena*.

6 *Albis oritur*] Dio ſcribit Albim oriri ἐκ τῶν Οὐανδαλικῶν ὀρῶν. Vandalicos iſtos montes dici non novum: cum ipſi etiam Bohemi & Moravi nomine Vandalorum eo tempore cenſiti fuerint. Helmoldus ita: *oritur in profundiſſimo ſaltu Maharorum, qui ſunt ab oriente Bohemiæ, ubi & Albia ſortitur principium: Mahari* illi ſunt Moravi noſtri. Dicti & *Maruarii* in priſcis Annalibus. *Colerus*.

7 *Notum olim*] Vell. Paterc. *denique quod nunquam antea ſpe conceptum nedum opere tentatum erat, ad quadrageſimum milliarium à Rheno uſque ad flumen Albim*. Strabo Albim à Rheno περὶ τρισχιλίους σταδίους diſtare autumat. *Idem*.

8 *Nariſci*] Ita in Capitolini M. Antonino dicuntur: Ptolemæo, οὐαρισταί. *Lipſius*.

*Nariſci*] Terram Advocatorum poſteriores voci-


cita-

Marcomanorum gloria viresque, atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Boiis, virtute parta. Nec Narisci Quadive degenerant. Eaque Germaniæ velut frons est: [1] quatenus Danubio pergitur. [2] Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui [3] & Tudri genus: [4] jam & externos patiuntur. Sed [5] vis & potentia regibus ex auctoritate Romana. raro armis nostris,
43 sæpius pecunia juvantur. Nec minus valent retro [6] Marsigni, [7] Gothini, Osi, [8] Burii: terga Marcomanorum Quadorumque claudunt. è quibus Marsigni, & Burii sermone cultuque Suevos referunt. Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos; & quod tributa patiuntur: partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Gothini, quo magis pudeat, & ferrum effodiunt.

citarunt; horum caput fuisse Egram censent. Et hæc quoque priscorum Suevorum portio imo & posteriorum. Legi apud Gothefridum Monachum, quod & hic lectu dignum censeo: *Anno Domini MCXX. Henricus Rex natale Domini in Suevia apud Egram agit.* Æque admiretur quisquam hodie apud eundem Gothefridum legens, *in Suevia apud Hagenoam.* Apud Hagenoam, inquam, in Suevia, ubi tamen Gothefridi tempore ultra mille annos jam coaluerant Suevi. Eo translati constitutique fuerant ab Augusto. Suet. *Germanosque ultra Albim fluvium summovit. Ex quibus Suevos & Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit.* Colerus.

9 *Marcomanni & Quadi agunt*] Liber qui continet formulam imperii in Occidente, docet postea *Marcomannos Seniores* & *Juniores* intra Italiam sub Magistro peditum in præsenti, *Marcomannos* equites in Africam sub Comite & Magistro equitum præsentali, *Alam* vero primam *Quadorum* in Oasi minore militasse, sub duce Thebaidos. *Rhenanus.*

1 *Danubio prætexitur*] Scriptus liber, *peragitur.* Male. Quidam, *pergitur:* nec id tam probe. *Lipsius.*

*Quatenus Danubio pergitur*] Hæc librorum veterum lectio, quæ mihi magis probatur, quam recenter substituta, *prætexitur.* Nam *Danubio pergere*, idem videtur, quod secus Danubium pergere. *Pichena.* Scriptus liber Bambergensis: *Danubio peragitur.* Reliqui etiam, *pergitur.* Mihi eleganter dictum, terræ aut regionis partem flumine *peragi:* licet secus videatur doctiss. Lipsio. Et aperte innuit Tacitus frontem Germanicæ terræ, quatenus Danubio alluitur terminaturque. Ipsam abstrusiorem verbi significationem notavit etiam vetus Glossarium: *Peragit περαιοῖ. Colerus.*

2 *Marcomannis Quadisve usque ad nostram memoriam*] Scribendum: *Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam.* Ursinus. Scripsi, *Quadisque*, sententia ita exigente. Vulgo, *Quadisve.* Pichena. Lego cum Mureto *Quadisque.* Acidalius. Retinenda lectio hæc *Quadisve.* Vult Marcomannis & Quadis unum fuisse Regem. Vell. de Maroboduo: *finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris sui fecit.* Marcomanni autem dicti fuere à Marca, quam incolebant, ut inquit Helmoldus lib. 1. Vitiose Xiphilinus *Μαρκομάνους* scribit, ut & Silius. Situm terræ delineavit Ptolemæus. Et Velleji ista lucem dent Cornelio: *eratque eo etiam timendus, quod, cum Germaniam ad levam & in fronte, Pannoniam ad dextram, à tergo sedium suarum haberet Noricos.* Colerus.

3 *Et Tudri genus*] Legebatur, *& Trudi.* Proximis sane seculis *Trutenii* & *Trutemanni* nomen apud majores nostros auditum est. testimonio sunt veteres donationum & contractuum tabellæ. Hincque heroinarum Germanicarum vocabula *Adeltrudis* & *Gertrudis*, à sincero videlicet amore fideque. *Rhenanus.*

4 *Jam & externos*] Prope est, ut credam cœpisse externos reges habere Trajani principatu. Hic enim devictis aliquot trans Danubium populis reges dedit, ut Sarmatis quoque Plinius lib. 10. epist. *Colerus.*

5 *Vis & potentia*] Meliori ergo conditione hi Germanici reges, quam olim Numidiæ illi. Atherbal apud Sallustium Jug. 14. *Micipsa pater meus moriens mihi præcepit, uti regni Numidiæ tantummodo procurationem existimarem meam: ceterum jus & imperium penes vos esse.* Ratio quia nondum provincia erat Marcomannia, quam facere cogitabat M. Antoninus apud Capitolinum. *Colerus.*

6 *Marsigni*] Rectius forte: *Marsingi.* Colerus.

7 *Gothini*] Gothuni semper Claudiano. *Lipsius.*

*Gothini*] Hi sunt Claudiano Poëtæ: *Gothuni.* Nisi ibi verius est scribendum *Gothunni*, composita voce. Sic *Gothalani* apud Prudentium. Sic *Rhoxalani* apud Tacitum, non *Rhoxolani* apud Tacitum, non *Rhoxolani* ut prave scriptum apud Strabonem. *Colerus.*

8 *Burii*] *Buri* hi scribuntur apud Murium. Ab eadem origine sunt *Buringi* in veteri Diplomate Caroli Crassi, à Frehero vulgato. Dicebant enim Germani hoc *Bur* sive *Baver*, & *Buringer. Etelingi, Frelingi*, qui vulgo *Eslen*, *Freien.* Ex Ptolemæo colligas Burios, ad ripam Vistulæ habitasse, forte, ubi nunc Varsavia. De his & aliis nec Tacito ut puto cognitis, Capitolinus: *gentes omnes Illyrici limite usque in Galliam conspiraverant, ut Marcomanni, Narisci, Hermunduri, Quadi, Suevi, Sarmatæ, Burii. Hi aliique cum Victobalis, Sosibes,*

*Rhoxa-*

fodiunt. omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus & vertices montium [1] jugumque insederunt. Dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium jugum, ultra quod plurimæ gentes agunt. ex quibus latissime patet [2] Lygiorum nomen in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, [3] Arios, [4] Helveconas, [5] Manimos, [6] Elysios, [7] Naharvalos. Apud Naharvalos antiquæ religionis lucus ostenditur. Præsidet sacerdos muliebri ornatu, sed *deos* [8] *interpretatione Romana* [9] *Castorem Pollucemque* memorant. Ejus numinis nomen *Alcis*. nulla simulacra,

*Rhoxalani*, *Bastarna*, *Alani*, *Beucini*, *Costoboci*. Colerus.

1 *Jugumque insederunt*] Mirum ni illud *jugumque* abundat, repetitum ex sequentibus: *Dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium jugum*. Acidalius.

2 *Lygiorum nomen*] Quod ex Corn. Nepote tradit Plinius, Q. Metello Celeri tum Galliæ proconsuli, *Indos à rege Suevorum dono datos*; affirmat eruditissimus candidissimusque vir Hermolaus Barbarus, in quodam Pomponii Melæ codice eamdem rem narrantis legisse, non *à rege Suevorum*, sed *Lydorum*. Quid si quis *à rege Lygiorum* scripsisse Melam putet? nam *Suevorum* nomen generalius est, etiam *Lygios* complectens ut auctor uterque recte scripserit. *Rhenanus*. Igitur horum posteritas civitas *Lignicensis*? Strabo ait Λοΐους esse μέγα ἔθνος. quo loco viri docti emendant Λυγίους. Sane Tacitus quoque scribit: *Vis innumera Ligii*, Ann. 12. Apud Ptolemæum excuduntur Λῦγοι. Non multum il quidem literis & limite distant ab illis quos Dithmarus aliique *Lutzicos* appellant, nonnulli etiam *Luiticos*. Ab his *Lusinerisz*, & *Luitzelburg* dicta patet. *Colerus*.

3 *Arios*] Diu illi *Arii* cari fidique Romanis, quemadmodum à Procopio annotatum. qui tamen flexu quodam vocis Germanico *Aborichos* appellat; seu potius ibi etiam scribendum *Ariorichos*. Sic Austrios nos *Ostrichos* vocamus. Sed faciliot est pronuntiatio *Arborichus*, quam *Ariorichus*. Itaque illud Græculus maluit. Eadem scribendi ratio est in verbis *Ariovistus*, *Ariogastus*, *Ariobindus*. Sæpe etiam cogito, an non eadem fuerint vocabula *Ariovistus* & *Arbogastus*. Nam vulgare interpretamentum *Ernuestus* non satis placet, cum illud *Arnfastus* scribatur apud Saxonem Grammaticum. Termi natio illa *gast* fuit frequentissima & hospitem significabat. Ab ea etiam est *Sigast*, ex quo Tacitus & Strabo fecerunt Segestes. sed apud hunc quidem corrigo: Σιγιμουντός τε καὶ Σεγέστου υἱὸς Χηρούσκων ἡγεμών. Ad Arios redeo, quos & *Arudos* nominavere. Hi sedibus suis, ob societatem & amicitiam Romanorum ejecti à Francis, oram maritimam Belgicæ occupavere. Nuncupati autem sunt à vicinis corruptius etiam quam ante *Armorici* sive *Armorichi*, pro *Ariorichi*. Colerus.

4 *Helveconas*] Video Mutium suo exemplari deprompsisse, *Helvetianos*. vitiosissime. Bartolinus *Eluones* legerat: quocunque libro usus fuerit. *Et nimium pugna sævos Eluonas equestri*. Ego probem magis *Eluingonas*, à quibus *Elvingam* nobilissimam Prussorum civitatem dictam existimare possumus. Plinius *Hillleviones* appellavit lib. 4. *Colerus*.

5 *Manimos*] Mutins protulit *Manumos*. Lazius vero ex eodem Cornelio: *Manymos*. Equidem nihil hic diffindere possum, ut cum Trebatio illo Horatiano loquar. Tantum dico nomina illa, quæ in Annalibus antiquis Germanorum leguntur *Mainbars*, *Mainingen*, *Mainfrid* arguere auctores aliquos populos *Manos*. Quid ego de *Mainsfeld* veteri Saxoniæ castello & postea comitatu dicam? *Idem*.

6 *Elysios*] Cogitandum an *Selisios* aut *Slesios* fortassis hic potius scribendum sit. nam hæ gentes mihi videntur ad Danubium vergere Est autem hodie *Slesiorum* populus insignis, unde nobis C. Ursinus Velius prodiit Musarum alumnus, & alii complusculi literarum studiis celebres. *Rhenanus*. Mutius legit; *Helisios*. Bartolinus *Lysios*. In Elysios docti viri consentiunt faciuntque *Silesias*. Sed hoc vocabulum recenter fictum, nec satis ad primogeniam illius gentis appellationem exprimendam idoneum. In Annalibus Fuldensibus *Sorabos* & *Siuslos* conjunctos invenias. Alibi etiam *Linones* & *Siuslos*. Quæ posteriot vox seu corrupta seu integra sit, Taciti *Elysios* significat. Quod si aliquis *Sluisos* potius fuisse quam *Suislos* velit, non repugnem. Nam ex *Sluisiis* vel *Sluisiis* postea molliori, vel potius Latiniori vocabulo procudere nobis *Silesios*. Si horum aliqua per Turingiam migratio contigisset, possemus ab iis apte opidi Franconici *Sluisinga* appellationem repetere. Non ovum ovo magis simile. *Colerus*.

7 *Naharvalos*] Ita reliqui omnes, qui ex Tacito hausere. *Maharuanis* tamen ego locum hic dederim. Postea iidem varia appellati *Marauans* in Annalibus Ludovici, *Marahabita* in Annalibus Fuldensibus. Apud nonnullos etiam recentiores *Marahensos* & *Margensos*. Maharuali tamen si apud Tacitum retinendi, erunt dicti ut *VVestuals*, *Taiuali*, qui vulgo *VVestfali* & *Taifali*. Idem.

8 *Interpretatione Romana*] Ita Ven. ac Bon. Vulgo, *Romani*. Pichena. Veneta edit. *interpretatione Romana*, concinnius. *Colerus*.

9 *Castorem & Pollucem*] Mela lib. 1. *In Heniochorum finibus Dioscurias, à Castore, & Polluce pontum cum Jasone ingressis*. Fortassis igitur sacrum peregrinum à Sarmatis aut Scythis accepere nostri. *Idem*.

1 *Tencta*

sacra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium. ut fratres tamen, ut juvenes venerantur. Ceterum Arii super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, insitæ feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra scuta, [1] tincta corpora, atras [2] ad prœlia noctes legunt: ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum. nam primi in omnibus prœliis oculi vincuntur [3] Trans Lygios [4] Gothones regnantur, [5] paulo jam adductius [6] quam ceteræ Germanorum gentes. nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano [7] Rugii, & [8] Lemovii: omniumque harum

1 *Tincta corpora*] Fusco aut nigro colore faciem illinebant, ut hæe quoque furvæ nocti æquaretur. Diodorus quoque de quibusdam Germanorum pueris scribit eos colore candido nitere. postquam ex ephebis excesserint belloque habiles habeantur patrium induere colorem. Quem colorem, nisi nigricantem illum? Sidonins: *Hic glaucis Herulus genis vagatur, Algoso prope concolor profundo.* Cæsar de Britannis lib. 5. de bell. Gall. Plinius 22, 1. *illinunt certe aliis alia faciem in populis, Barbarorum fœminæ maresque etiam apud Dacos Sarmatasque corpora sua inscribunt.* Idem.

2 *Ad prœlia noctes*] Videndum, num sint hi populi, qui postea *Abotriti*, scriptoribus satis celebrati. Argumentum præbet ipsa nominis ratio. Germanice enim *Abentritter* est, eques vespertinus sive nocturnus. Similis moris pugnandi studiosi fuere Basylienses Africæ populi, de quibus apud Stobæum Nicolaus Damascenus. *Idem.* Lego, *Nigro scuta & tincta corpora*; dein, *noxium ac velut infernum.* Barthius.

3 *Trans Lygios Gothones regnantur*] Inter mediterraneas aut littorales gentes, quum Langobardos tum Gothones annumerat Tacitus. Sed mirum an ab his insulares olim, an ab insularibus hi ante prodierint. *Rhenanus.* Plinio, Saxoni, & aliis, *Guttones.* Pars eorum Vandalorum terras occupaverat, expulsis inde Francis, ut scribit Jornandes. Sed antea quoque sæpius, Danubio superato, in Romanas terras impetum fecerant, puta in Daciam, Illyricum vel Pannonias ipsas. Et de iis opinor Lentuli victoria & triumphus, de quo Tacitus. Unde idem *paulo addictius* eos *regnare.* quam ceteras Germanorum gentes ait: quia scilicet jam aliquam jugi Romani partem subierant. *Colerus.* Male, nam *regnantur* (inquit, non *regnant*) *adductius*, id est, adductioribus habenis, minori specie libertatis & majore solutioteque potestate regia. *Gronovius.*

4 *Gothones*] Alias & *Guttones*, *Gottones Gythonesque* nuncupantur Plinio, Straboni, Ptolemæo; scriptoribus posteriorum seculorum *Gothi.* *Getarum* autem proprie gens alia. De originibus Gothorum Jornandes, non nimium vere tamen. Fide digniora, quæ 2. Hod. 3. exponit hanc in rem Cl. Olearius. *Kirchmajer.*

5 *Paullo jam addictius*] Bambergens. & Rom. *adductius.* etiam recte. & dixi de eo verbo supra. *Lipsius.*

*Paulo jam adductius*] Vulgo, *addictius.* at ex iisdem libris magis placuit, *adductius.* ac Lipsio probatur. *Pichena.*

6 *Quam cetera Germanorum*] Thucydides de Græcis l. 1. *καὶ ξυνῆθη τὴν δίαιταν μεθ' ὅπλων ἐποιήσαντο, ὥσπερ οἱ Βάρβαροι.* *Colerus.*

7 *Rugii*] Fuere hi olim strenui Milesii proximi Quadis. Fuere genera eorum *Etolengi & Turcilingi.* Sed hi à Theodorico, quem nostri Bernensem vocant, penitus absumti. Rex eorum erat tunc Ottocarus. Hodie parvam insulam colunt, non ita pridem ad eam fortunam redacti Rugii. Helmoldus lib. 1. *altera insula longe major est, contra Wiltzos posita, quam incolunt Rani. qui & Rugiani, gens fortissima Sclavorum, qui soli regem habent.* Vox *Rugiorum* est Germanica & significat quietos. Nam *Ruga* quies est. Cedrenus & Zonaras non dubitarunt hanc vocem è patria nostra usque arcessere, eaque emeritorum stipendia, quietæque vitæ subsidia appellitare, nimirum *Ῥογάς.* Simile vocabulum Germanicum legas apud Nicetam Choniatem. De cohorte loquitur. *ἣν Ῥῶτας ὠνόμαζον*, inquit. Non ignotum quid apud Germanos *Rotta* sit. *Idem.* Est amnis *Roege* vulgo dictus ibi, à quo denominatos *Rugios* existimat Cluverius, sed posteris temporibus *Rugiorum* intra insulam istam & insulanos contractum nomen. *Kirchmajer.*

8 *Lemovii*] Mutius *Lemones* citat. Utrinsque vocabuli notio, limosa regio. *Lemen* enim Germani lutum sive limum vocant. Nescio tamen an non sint *Linones* Helmoldi, vel potius *Luinones*, quod & propius Taciti scripturam. Scribit Helmoldus: *hi quatuor populi à fortitudine Wilizi, sive Lutici appellantur. ultra illos sunt Linguones & Warnavi.* Et alibi: *porro illi Sclavi sunt dicti Livi, sive Linoges.* Saxo Grammaticus l. 8. *Nam Sclavi ac Livi Saxonumque septem millia.* Lego: *nam Sclavi ac Luini.* Et apud Helmoldum profecto legendum videtur: *Lini* sive *Linones.* seu potius ad priscam Germanorum pronuntiationem *Luini.* Dithmarus lib. 6. *in civitate Bernhardi Ducis Luinberg.* Satin' manifestum dictam ab istis populis illustrissimam Domum Luneburgensem? Annales Fuldenses: *Carolus cum exercitu Saxoniam ingenti populatione vastando pervenit usque ad locum quem vocant Linni.* Legendum iterum dico: *Luini.* Et fortasse ipsum Luineburgum innuitur. Linonum porro sive Linoviorum Latina æque ac Germanica est, & significat, illos populos

harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, & erga reges obsequium.
[1] Suionum hinc civitates, ipso in Oceano, præter viros armaque classibus valent. 44
forma navium eo differt, quod utrimque prora paratam semper appulsui frontem
agit: [2] nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adjungunt. Solu-
tum ut in quibusdam fluminum, & mutabile ut res poscit, hinc vel illinc remi-
gium. Est apud illos & opibus honos. [3] eoque unus imperitat, nullis jam exce-
ptionibus, [4] non precario jure parendi. nec arma ut apud ceteros Germanos in pro-
miscuo, sed [5] clausa sub custode, [6] & quidem servo: quia subitos hostium incur-
sus prohibet Oceanus. [7] otiosa porro armatorum manus facile lasciviunt. enimvero
neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem armis præponere regia
utilitas est. Trans Suionas aliud mare, pigrum, ac prope immotum, quo cingi 45
cludique terrarum orbem hinc fides; quod extremus cadentis jam solis fulgor [8] in
ortus

los præter ceteros lini culturæ deditos fuisse. Leguntur inter gentium istarum Sclavicarum multas frequenter, *certa lini pondera*, ut apud Helmoldum & ceteros. Quod factum ob lini mercimonia & proventum uberiorem in istis regionibus. *Colerus.* Lemoviorum spatia constituunt magnam Cassubiæ partem & Pomeraniæ portionem juxta oppida Lewenburg, Stolpen, Colberg &c. Lemovios ipsos Herulos, perpetuos & Rugiorum asseclas fuisse sententia Cluveriana docet. *Kirchmajer.*

1 *Suionum hinc civitates, ipso in Oceano*] Forte melius legatur, *Suionum hinc civitates sita in Oceano.* Eginhardus in vita Caroli Magni *Suevones* recentiori vocabulo *Normannos* ostendit appellari, quum ait, *sinus quidam ab Oceano Orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incomperta, latitudinis vero qua nusquam centum millia passuum excedat, quum in multis locis contractior inveniatur. Hunc multa circumsident nationes. Dani siquidem & Sueones quos Nortmannos vocamus, & Septemtrionale littus, & omnes in eo insulas tenent.* Rhenanus. *Sueones* alii vocant. Helmoldus: *Dani siquidem ac Sueones quos Normannos vocamus, septentrionale littus & omnes in eo obtinent insulas.* Sumpsit bonus vir de verbo ad verbum ab Eginhardo in vita Caroli. *Suetas* & *Suetiam* solet appellare Saxo Grammaticus. *Colerus.*

2 *Nec velis ministrantur*] Melius, *ministrant.* Virgilianum est,

——— *velisque ministrant.*

Lipsius.

3 *Eoque unus imperitat*] Prudenter, ut omnia Tacitus in Agric. *olim regibus parebant, nunc per principes factionibus & studiis trahuntur. nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt.* Colerus.

4 *Non precario iure parendi*] Sic lib. 1. hist. dixit *precarium seni imperium, & brevi transiturum.* In Agric. *indecorus atque humilis, precario mox præfuit.* Pichena.

5 *Clausa sub custode*] Ceteri Germaniæ populi singuli sua arma promiscue habebant. Sueones in publico armamentario condebant. Quæ ratio? Quia alias securiores adversus hostiles invasiones ob maris munimenta. Eam caussam esse puto, ut armamentaria ab iis primum instituta fuerint, qui maris imperio pollebant. Philonis illud multo pulcerrimum & celeberrimum fuit, quod Sulla diripuit postea. Athenienses hodie non imitantur, sed superant præstantissimi illi *θαλαττοκράτορες* Veneti. *Coler.*

6 *Et quidem servo*] Cum apud Romanos, tantum militiæ gradu honoratiores id munus gererent. Ii custodes armorum dicebantur. ut L. 14. D. de Re Milit. *Idem.*

7 *Otiosa porro*] Alia ratio, cur arma Sueonum sub custode, ne otiosæ armatorum manus in lasciviam & petulantiam verterent. puta in latrocinia ceteramque ferri licentiam. Thucydides, fons quidam ingenuus civilis & bellicæ prudentiæ, ita refert de plerisque Græcis: *τό, τε σιδηροφορεῖσθαι τούτοις τοῖς ἠπειρώταις ἀπὸ τῆς παλαιᾶς λῃστείας ἐμμεμένηκε.* *Idem.*

8 *In ortus edurat*] Non sperno pluralem vocem, *ortus:* mallem tamen *ortum.* Pichena. Saxo Gramm. de Norvegia: *in cujus parte extima, ne noctu quidem diurnum sidus occulitur, ita ut continui solis præsentia alternos horarum dedignata successus utrique tempori pari luminis administratione deserviat.* Intelligit idem cum Tacito cœli marisve spatium. *Colerus.* *Cadentis solis* hic non recte fit mentio: *cadere* enim sol dicitur in sphæra recta, aut saltem non admodum obliqua. At vero in septentrionali tractu non tantum juxta veterum hypothesin, sed etiam rei ipsius veritatem, sol circuit & lambit potius, quam subit, Horizontem. Recte igitur in libro veteri sic concipiuntur hæc verba: *quod extremum radens jam solis fulgor in ortus edurat, adeo clare, ut sidera hebetet.* Vossius. *In ortum* (sic forte etenim legendum) extremus cadentis solis fulgor edurare clarus dicitur. Quo enim propius Polo clima, hoc longiores stato tempore vel dies aliquandiu vel noctes esse oportere & ratio loquitur & experientia: sic, ut directe suppolares (modo ob immane frigus degere mortales ibi possint) diem in toto anno unicum sex mensibus constantem, noctemque unicam, prout ex signis vel ascendentibus vel descendentibus versatur Sol, obtineant.

ortus edurat, adeo clarus, ut fidera hebetet. [1] Sonum insuper emergentis audiri, [2] formasque deorum, & radios capitis aspici persuasio adjicit. [3] Illuc usque

Proprio experti id incommodo susceptis A. 1594. 95. & 96. in novam Zemblam navigationibus Hollandi, per septentrionis cardinem in Orientales Indias penetraturi: qui ut inauditas passi sunt calamitates, ita tum à IV. Novemb. die A. 1595. usque ad XX. Januarii sequentis anni unam continuam noctem, trium fere mensium habuere. Non mirum igitur hoc contingere, ubi cum vix infra Horizontem mersus Sol est, jam mox affuturus iterum, relictis, queis sidera stringit, radiis, caliginem facile omnem arcet fugatque. *Kirchmajer.*

1 *Sonum insuper emergentis*] Malim, *se mergentis.* Nam hæc persuasio rudis & cascæ plebis fuit, Solem dum in Oceanum cadit, stridorem edere non aliter quam si ignitum ferrum condatur in aquam Posidonius apud Strabonem lib. III. *Λέγειν φησὶ Ποσειδώνιος τοὺς πολλοὺς, μείζω δύνειν τὸν ἥλιον ἐν τῇ παρωκεανίτιδι μετὰ ψόφου παραπλησίως, ὡσανεὶ σίζοντος τοῦ πελάγους κατὰ σβέσιν αὐτοῦ, διὰ τὸ ἐμπίπτειν εἰς τὸν βυθόν.* Florus de Decimo Bruto in Hispaniis bellante: *Non prius signa convertit, quam cadentem in maria Solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu & horrore deprehendit.* Juvenalis ab illo ævo:

*Audiet Herculeo stridentem gurgite Solem.*

Quid D. Hieronymus, nonne in eodem errore, aut sermone? In Eccles. cap. I. *Sol ipse, postquam ardentem rotam Oceano tinxerit, per incognitas nobis vias, ad locum unde exierat regreditur.* Lipsius.

*Sonum insuper emergentis audiri*] Verbum, *emergentis*, à Ven. ac Bon. codicibus abest. Si vero retinendum sit, aut cum Lipsio legerim, *se mergentis*: aut potius, *mergentis*. Pichena. Lipsius rationem habuit, cur legeret: *se mergentis.* Sed potuit verius: *immergentis.* Colerus. Cum non visatur in antiquitus editis verbum *emergentis*, certe hinc tolli debebat, nam intelligunt tam prope se occidere solem, ut strepitum currus equorumve hinnitum exaudiant aliaque. *Gruterus.* Et vero illa cascæ fuit plebis persuasio, mergi solem cadentem, & hinc stridorem nasci, perinde ut fit, si quando candens ferrum aqua extinguitur. Sonus itaque fuerit non *emergentis*, sed *se mergentis.* Conringius. Nihil tritius ea formula poëtis, quam solem occasum Ponto Oceanove mergi; quorsum haud dubie respexit Tacitus. *Kirchmajer.*

2 *Formasque Deorum*] Quorum Deorum? nugæ. Nam de Sole tantum loquitur. Nullum à libria veteribus auxilium. Itaque timidius legerim: *formasque equorum* apud Virgil. *formas ululare luporum.* Superstitiosa gens equos Solis & capitis divini radios cernere se somniabat. *Colerus.* Non male suspicatur legendum *formasque equorum*, qui nempe crediti trahere Solis currum. *Conringius.* Affirmem juratus scripsisse Tacitum: *sonum insuper emergentis audiri, formas equorum & radios in capite aspici, persuasio adjicit.* Tan. Faber. Cum pace dictum sit, salva lectio & mens auctoris paullo altior videtur. Per *deorum* enim *formas* spectra Tacitus & dæmonum apparitiones designavit. Semper enim ista per naturam frigoribus damnata loca Finniæ, Lappiæ, Norvagiæ, Islandiæ &c. exercitiis infesta magicis & dæmoniacis illusionibus fuere. *Kirchmajer.*

3 *Illuc usque (& fama vera) tantum natura*] Ajunt corruptum locum, si quem alium in his libris. At ego silentio transieram, ut purum & liquentem. Et sane est. Loquitur ut Physicus, sed illius ævi: qui censebant Oceanum finem rerum, neque ultra Naturam (hanc inseram) esse. Avitus declamator: *Ita est rerum Natura, post omnia Oceanus, post Oceanum nihil.* Albutius Alexandrum Magnum compellans: *Eundem fortuna victoriæ tuæ, quem Natura finem facis*: de hoc ipso Oceano. Fabianus ad eumdem, dissuadens tentare Oceanum: *Sine potius rerum Naturam, quam Fortunam tuam deficere.* Pedo Albinovanus, Carmine, quo Germanicum revocat ab Oceano:

*Dii revocant, RERUMQUE vetant cognoscere FINEM.*

Crassuli fuerunt, nec orbem hunc vere orbem esse satis sciverunt. Facit, quod jam nunc de Sole in Oceanum lapso dixit. *Lipsius.*

*Illuc usque & fama vera, tantum natura. Ergo jam dextro*] Vere depravatus locus, neque ego medicinam affero, sed quandam divinatiunculam profero. quæ tamen à corruptorum verborum vestigiis non longe recedit. Ea est: *illuc usque est fama: verum tantum tradita exponam. Dextro* &c. quasi dicat: Sic ajunt, ego autem non affirmaverim, sed tantum quæ mihi tradita sunt, referam. Simile aliquid dixit, Ann. XI. *Sed nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam.* Pichena. Locus corruptissimus. Pichena aliquam emendationem adornavit. Arbitrentur tamen acutiores an mea quoque emendatio ab amica magis Venere & Apolline veriore: *illuc usque & fama. verum tantum natura arguit. Jam dextro Suevici.* Illic usque & famæ sua constitit fides & auctoritas, inquit. Ipsum verum seu veritatem tantum natura arguit: quia qui ipsi viderint præsertim Italici generis homines haud ferme invenias. *Colerus.* Erudite ut multa hoc explicat Lipsius. Tamen non placet sermonis cohærentia & omnino putem scribendum, *illuc usque, si vera fama, tantum natura.* Si verum est, inquit, illud quod ajunt de stridore radiisque Solis, sane sequitur ibi deficere hoc universum, nec ultra protendi. *Grotius.* Pichenæ & Coleri lectio & duri sensus est & multum valde à recepta abit. Num satis est, si ita leviter immutes: *Illuc usque fama vera, & tantum natura.* Vel, *Illuc usque, ut fama fert, tantum natura.* Vel denique: *Illuc usque, ut fama vera, tantum natura.*

Con-

que (& fama vera) tantum natura. Ergo jam dextro Suevici maris litore [3] Æstyorum gentes alluuntur: quibus ritus habitusque Suevorum, [4] lingua Britannicæ propior. Matrem deum venerantur. insigne superstitionis, formas Aprorum gestant. Id pro armis [5] omniumque tutela, securum deæ cultorem etiam inter hostes præstat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. Sed & mare scrutantur, ac [*] soli omnium succinum, [7] quod ipsi *Glesum* vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. Nec quæ natura, quæve ratio gignat, ut Barbaris, quæsitum compertumve. diu quin-etiam inter cetera ejectamenta maris jacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. ipsis in nullo usu, rude legitur; informe perfertur; pretiumque mirantes accipiunt. [6] Succum

Conringius. Perperam vulgo scribitur. Scribe ex libro MS. *Illuc usque, ut fama, non tamen natura.* Ait Oceano hoc glaciali terminari quidem famam, sed non rerum naturam; illam enim etiam ulterius extendi. *If. Vossius.*

3 *Estuorum gentes*] Reposuimus, *Æstyorum gentes.* Putaverim *Æstyos* esse qui Eginhardo *Aisti* modo citato loco dicuntur. Nam ipse pergens in narratione, *At littus australe Sclavi, & Aisti, & alia diversa incolunt nationes.* Apparet autem in archetypo fuisse, *Æstuorum* pro *Æstyorum:* ex quo alius fecerit, *Estuorum.* nam *u* pro *y* veteres librarii ponebant. *Rhenanus.* Meminit harum Cassiodorus lib. 1. epist. 2. Eginhardus: *at littus australe Sclavi & Aistis & alia diversa nationes incolunt.* Saxo Grammaticus Estonum piraticæ gentis meminit aliquoties lib. 14. Et illo etiam versu lib. 8. *Obtrivi Kyrios vel quos alit Estia gentes.* Colerus.

4 *Lingua Britannica propior*] Fuit autem Britannica haud multum diversa à Gallica, ut idem in Agricolæ soceri sui vita scribit. *Idem.*

5 *Omniumque tutela*] Fortasse melius, *Omnique tutela.* Lipsius.

6 *Succinum legunt*] Hic locus est, quem Cassiodorus indicatum voluit, lib. v. epist. 11. *Hoc Succinum, quodam Cornelio scribente, legitur in interioribus insulis Oceani, ex arboris succo defluens, unde & Succinum dicitur, paullatim Solis ardore coalescens.* Sed itane contemptim ille de nostro, *quodam Cornelio?* non scripsit, sed *quondam.* Quod autem inscriptione ejus epistolæ est, *Hastis Theodericus rex:* è Tacito esset, *Æstyis*, qui appellat *Æstyorum gentes*, Succinum hoc legentes. *Idem.*

*Soli omnium succinum*] Hodie Borussi, ubi Sambia in litoribus ad Sudaviam, cujus unum latus expositum est Zephyro versus Occidentem, & huic continuo adhæret litus Gedanicum & Pomeranicum; alterum versus Septentrionem Livonico contiguum. In Sudavico litore, & non ubivis, venas succini sub aquis esse, tametsi tempestatibus ad litus Pomeranicum, Gedanense, Livonicum nonnihil ejus extrudatur, loquitur experientia. Non negandum tamen ad quædam Hispaniæ Britanniæque litora lectum fuisse & adhuc quandoque legi succinum, sed ignobile, quodque vix nomen præ illo vero mereatur. In litoribus Indiæ nonnullis etiam reperiri Plinius 37, 3. auctor est. Adde quod in mediterraneis quibusdam locis, ubi lacus & paludes, arenosis etiam frusta succini inventa sint, ut & in solo urbis Witebergensis. Modum succini legendi inter vada atque tempestates descripsit Jo. Wigandus. Ex Herodoto patet jam ante 2000. annorum constitisse Græcis fluvium in extrema Europa ad Septentrionem esse, quem Eridanum barbari appellent, (*Raddune* vel *Radaune* dicere debebat) ubi succinum legatur. *Kirchmajer.*

7 *Quod ipsi Glesum vocant*] A similitudine vitri simplicitate quadam barbara, quod Germani *Glas* vocant. Insula etiam, in qua legebatur, *Glesaria* à Romanis circa ea loca degentibus appellata fuit. Nostri vero succinum illud *Aistein* vocant, claro gentis Aistiorum argumento. Plinii locum lib. 37. corrigam lubens, ubi scribit Glesariam *Austraniam* quoque à barbaris dictam, cum ibi plane legendum videatur *Austraviam*, & alio loco, ubi *Austerania* scribitur. Austravia igitur Plinio, quæ vulgo *Austrau*, vel *Ostrau*. Inde Ostroviorum familia Polonica, ex profundo quodam antiquitatis emergit. Plinius idem scribit: *Mithridates in Germania litoribus esse insulam, vocarique eam Oserictam.* Lego haud dubie: *Ostericam.* Germanis illis veteribus dictam non ambigo *Osterick*. quod alii *Osterich.* Colerus. Salmasius in Solinum *glasum* malit, indeque *Glasarias insulas* denominatas non ex vano conjicit. Ob vitream enim perspicuitatem à vitro nomen traxisse creditur. Sic & Dalecampius & Mat. Martinius. A *Glebis* nihilominus K in G mutato descendisse vocem Libavius existimavit. Alias & *Austein*, *Agstein*, *Aydstein*, *Agesten*, *Pornstein*, vel *Bernstein*, ipsis Borussis *genitar* vel *gentar* dicitur. *Kirchmajer.*

8 *Succum tamen arborum*] Non Romanorum tantum, sed nostrorum quoque plurimorum error, ex resinosis ac pinei generis arboribus lacrimarum instar destillare succum, cogique & densari in frusta marina aqua, impetuque fluctuum ac tempestatum in illa Baltici maris litora exturbari: populum, alnum, cedrum arbores eas statuebant. Hunc errorem confutavit Wigandus in vera succini historia. *Idem.*

cum tamen arborum esse intelligas: quia [1] terrena quædam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ implicita humore, mox durescente materia, cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi thura balsamaque sudantur, [2] ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim; quæ vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa litora exundant. Si naturam succini admoto igne tentes; in modum tedæ accenditur, alitque flammam pinguem & olentem: mox ut in picem resinamve lentescit. Suionibus [3] Sitonum gentes continuantur. Cetera similes, uno differunt, [4] quod femina dominatur: in tantum [5] non modo à libertate, sed etiam à servitute
46 degenerant. [6] hic Sueviæ finis. [7] Peucinorum, [8] Venedorumque, [9] & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam dubito: quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede, ac domiciliis, ut Germani agunt. [10] sordes

1 *Terrena quædam animalia*] Plinius lacerti meminit electro inclusi. Martialis formicæ 6. Ep. 15. & 4. Epigr. 59. viperæ. Idem 11. epig. 9. *Succina virginea, quod regelata manu.* Ita legendum, quod & Domitius animadverterat, non *relegata*. Idem verbi usurpavit in quandam vetulam vere Vetustinam lib 2. epig. 93. Columella bis etiam usurpavit. Effecta autem succina illa optime olentia fuisse adtritu manuum. idem Martialis innuit, lib. 3, 65. *quod messor Arabs, quod succina trita.* Gestabantur igitur succina manibus delicatiorum & ut Tertullianus loquitur, narinosorum Romanorum, sed præcipue feminarum nobilium. Ingeniosissimus Poeta in Metamorphosi morem istum sui ævi significat lib. 2, 366. *Colerus.*

2 *Ita Occidentis insulis*] Non vanam esse hanc conjecturam, cognoscas etiam ex Diodoro Siculo 5, 9. *Idem.*

3 *Sitones*] *Sintones*, vel *Sindi* Plinio, Melæ, Dionysio dicuntur Scylax; μετὰ δὲ Μαιώτας Σινδοὶ ἔθνος. Dubito an iidem sint, qui in Annalibus priscis regum Francorum *Sinlendi* nominantur, qui in terra Nortmannorum trans fluvium Egiduram habitarunt. *Idem.*

4 *Quod fœmina dominatur*] Alii idem de Sarmatis scripsere, sed non de omnibus. Illi adeo γυναικοκρατούμενοι dicti. *Idem.*

5 *Non modo à libertate, sed etiam à servitute degenerant*] Degenerant à libertate, quia ceteri Germani fere omnes liberi, hi servi. Degenerant à servitute, quia servientes populi, Regibus, ideoque hominibus, servire solent, hi feminis. *Pichena.* Fortasse recte Pichena. Ego tamen ambigebam mecum, an non scripsisset Tacitus: *non modo à libertate, sed etiam in servitute degenerant.* Gronovius.

6 *Hic Sueviæ finis*] Longissimum ergo & amplissimum Suevorum regnum fuit. quod quidem à Borussia etiam procedens Sueciam cum vicinis insulis ambiverit, vastissimique maris dominatum complexum fuerit. Colligas id ex eo, quod Pompon. Mela de Corn. Nepote sumptum refert lib. 3. *Corn. Nepos ut recentior auctoritate, sic certior, tradit. testem autem rei Q. Metellum Celerem adjicit, eumque ita retulisse commemorat, cum Gallis proconsul præesset, Indos quosdam à rege Suevorum dono sibi datos. unde in eas terras devenissent requirendo, cognosse, vi tempestatum ex Indicis æquoribus abreptos, emensosque quæ intererant, tandem in Germaniæ littora exiisse.* Quem locum ex Plinio descripsit lib. 2. cap. 67. *Colerus*

7 *Peucinorum*] Si sunt iidem cum Bastarnis, caussæ non est, quin Germanos fuisse credamus. Sic enim Strabo: Σχεδόν τι καὶ αὐτοὶ τοῦ Γερμανικοῦ γένους ὄντες, εἰς πλείω φῦλα διῃρημένοι. Peucini autem isti dicti à Peuce insula. Dio tamen Cassius Bastarnas Scythicæ originis facit lib. 38. Et Plinius lib. 4. *Ex adverso Bastarnæ tenent Italique, inde Germani.* Idem.

8 *Venedorum*] Eorum mentio quoque fit Plinio. *Rhenanus.* Antiquissimi & *Henetes* appellarunt. Alii *Venetos & Winitos.* Helmoldus ejusque coævi, *Winulos.* Sed male idem Helmoldus cum Vandalis confundit., Imo fortasse non male. cum ita vagi illi Vinidæ à Germanis dicti fuerint. *Vagari* enim apud illos est *Vandalen.* *Vendos* etiam dictos fuisse credo. Unde apud Strabonem lib. 4. Οὐένδοι civitas. In mendo est Martiani locus in Peripio Sarmatiæ: ὅντοι δὲ οἱ ποταμοὶ εἰς τὸν Οὐελικὸν κόλπον. Scribendum enim, Οὐενδικὸν κόλπον. Loquitur aperte de sinu Venedico. cujus & infra sic meminit: Τόντε Οὐενδικὸν τὸν εἰρημένον κόλπον καὶ ἄλλως τρεῖς. Jornandes: *Vinidarum natio populosa consedit, quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Slavi & Antes nominantur.* Colerus.

9 *Et Ferninorum nationes*] Castigavimus, *& Fennorum nationes.* Rhenanus. Alis *Finnes* aut *Finnones* vocant. Plinius lib. 4. *Nec minor est opinione Eningia.* Quid censeant de illo loco Critici, nunc non recordor. Ego legerim: *Finningia.* *Finnia* dicit Saxo Grammaticus. Puto & *Finnoniam* Plinium scripsisse illo loco: *insulæ complures sine nominibus eo situ traduntur. ex quibus ante Scythiam quæ appellatur Finnonia.* Vulgo legebatur: *Pannonia.* Colerus.

10 *Sordes omnium*] Nicolaus Damascenus de vicinis

des omnium ac torpor. [1] procerum connubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam quicquid inter Peucinos Fennoſque ſilvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia & [2] domos figunt, & [3] ſcuta geſtant, & [4] pedum uſu ac pernicitate gaudent, quæ omnia diverſa Sarmatis ſunt, in plauſtro equoque viventibus. [5] Fennis mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates: victui herba, veſtitui pelles, cubile humus. ſola in ſagittis ſpes, quas [6] inopia ferri oſſibus aſperant. [7] Idemque venatus viros pariter ac feminas alit. Paſſim enim comitantur, partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque ſuffugium, quam ut in [8] aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt juvenes, hoc ſenum receptaculum. Id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, ſuas alienaſque fortunas ſpe metuque verſare. Securi adverſus homines, [9] ſecuri

nis quibuſdam Scythiæ populis: *τρὶς ἐν τῷ βίῳ λούονται μόνον. ὅταν γεννῶνται, καὶ ἐπὶ γάμοις, καὶ τελευτῶντες.* Sic de Getis Ovid. *Stricto ſqualidus enſe Getes.* Idem.

1 *Procerum connubiis mixtis*] Conjicio ſic fuiſſe ſcriptum, *Ceterum connubiis mixtis* &c. *Rhenanus.* Rhenanus atque etiam Althamerus, legendum putant, *ceterum connubiis mixtis.* mihi vulgata lectio probatur: veriſimile enim eſt, non à plebejis hominibus uxores ex Sarmatia uſque ductas, ſed à proceribus tantum. & ideo ait, *mixtis procerum connubiis*, id eſt inter proceres Baſtarnas & Sarmatas. *Pichena.* Muretus *ceterum* vicem τῶ *procerum.* Ego diſtinctionem muto ſaltem: *torpor procerum. Connubiis mixtis* &c. Eaque vera omnino lectio. *Acidalius.* Verius legeris: *procerum connubiis mixti.* Intelligit autem fœdum illum braccarum uſum, quem & apud ceteros nonnullos Germanorum viguiſſe conſtat. Lucanus,

*Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis,*
*Vangiones Batavique truces.*

Colerus.

2 *Domos figunt*] Sarmatæ enim ἀμαξόβιοι erant plerique. Mela de hac gente: *non ſe urbibus tenet & ne ſtatis quidem ſedibus.* Idem.

3 *Scuta geſtant*] Quæ Sarmatis nulla, ut alibi docui ex Tacito. Strabo tamen Γεῤῥοφόρυς indigetavit. Cauſſam hic nolo repetere. *Idem.*

4 *Pedum uſu*] Cum ad uſum pedum nihil Sarmatis inertius. Tacitus Hiſt. lib. 1. *Idem.*

5 *Fennis mira feritas*] Apud Jornandem involutum atque mendoſum ſcriptorem *Finni* inter mitiores Scanciæ cultores enumerantur. *Finni*, inquit, *mitiſſimi.* Quando vero libellus hic à Tacito Germanis dicatus eſt, propter ſtudioſos antiquitatis Germanicæ non poſſum omittere quin Pauli Diaconi locum explicem. Is ſtatim in hiſtoriæ Langobardicæ exordio, Scritoſinnos inſulæ Scandinaviæ vicinos facit. quamquam illic mendoſe ſcriptum eſt *Scriſobini.* *Huic*, inquit, *loco Scritofinni, ſic enim gens illa nominatur, vicini ſunt; qui etiam æſtatis tempore nivibus non carent, nec aliud, utpote feris ipſis ratione non diſpares, quam crudis animantium carnibus veſcuntur, de quorum etiam hirtis pellibus ſibi indumenta coaptant. Hi à ſaliendo, juxta linguam barbaram, etymologiam ducunt. Saltibus enim utentes, arte quadam, ligno incurvo ad arcus ſimilitudinem feras aſſequuntur.* Non diſſentiunt hæc cum his, quæ Tacitus ſcribit *Sola in ſagittis ſpes. Idemque venatus viros pariter ac fœminas alit.* Quod vero dicit de *barbaro nominis etymo*, facile eſt intelligere *Finnis* iſtis à *faciendo paſſu* contigiſſe appellationem. nam *ſcriten* Germanis eſt *paſſum facere.* Emenda prodigioſe corruptum locum apud Jornandem non longe à principio Gothicæ hiſtoriæ: *Alia vero ibi gentes tres Crefenna.* tu ſcribe: *Alia vero ibi gentes Scritofenna, quæ frumentorum non quæritant victum, ſed carnibus ferarum atque avium vivunt. Ubi tanta paludibus fœtura ponitur, ut & augmentum præſtent generi, & ſatietatem ac copiam genti.* Rhenanus.

6 *Inopia ferri oſſibus*] Aut urorum cornibus, ut ſupra ex Plinio oſtendi. Puto enim prope illum locum de his ipſis Fennis intelligendum. *Colerus.*

7 *Idemque venatus*] Apud Sarmatides etiam *Arcus tendere, equitare, venari, puellaria penſa ſunt.* ut Mela tradit lib. 3. *Idem.*

8 *Aliquo ramorum nexu*] Scribit de Septempaganis ſive Moſynis idem Strabo. De quibus & Xenophon. *Idem.*

9 *Securi adverſus homines, ſecuri adverſus deos*] In fœda enim paupertate, ſecuri adverſus raptores fureſque agebant, quibus nihil quæſtui apud eos. Et dum agriculturæ non ſtudebant, ſecuri etiam erant adverſus deos, id eſt, adverſus grandines ac tempeſtates, ceteraſque cœli injurias, quæ ſegetes, atque omnes alios terræ fructus aliquando deſtruere ſolent. *Pichena.* Nulla cura eſt, ne quis auferat res, cum nihil habeant. Vere enim apud Euripidem: δειλὸν δ' ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν. Cum nullos agros poſſideant, nullam metuunt tempeſtatem aut calamitatem. Nihil enim aliud ὁ βίος γεωργικὸς, quam ſecundum alium veterem quendam Poëtam: ταῖς ἐλπίσιν τ' ἄλγεινα παραμυθούμενος. Hæc obſcurioris loci clara ſententia. De Helluſiis & Oxionibus operæ non eſt anxie me inquirere, ut fabuloſis: qui veris ac neceſſariis for-

curi adverſus deos, rem difficillimam aſſecuti ſunt, [1] ut illis ne voto quidem opus ſit. Cetera jam fabuloſa: *Helluſios & Oxionas ora hominum vultuſque, corpora atque artus ferarum gerere.* quod ego ut incompertum, in medium relinquam.

taſſe nimio plus impendi verborum. *Colerus.*

1 *Ut illis ne voto quidem opus eſſet* ] Scripſimus, *opus ſit.* nam vetus editio cum qua noſtram conferebamus, manifeſte habebat, *ut.* Quid ſi Tacitus ſcripſit, *ut illis ne voto quidem opus. Sed* &c. *Rhenanus.* An intelligit, barbaras iſtas gentes, non ſolum civiliorem humanioremque vitam penitus aſpernari, ſed nullarum rerum deſiderio teneri, quod difficillimum habetur inter mortales? Potius videtur ſenſus: his gentibus. quippe adverſus hominum cœlique injurias ob paupertatem ſecuris, Deos votis fatigare non opus fuiſſe. *Pichena.*



JULII

# JULII AGRICOLÆ VITA,

SCRIPTORE

## C. CORNELIO TACITO

larorum virorum facta moresque posteris tradere antiquitus usitatum, nec noſtris quidem temporibus, quamquam [1] incurioſa ſuorum ætas omiſit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus [2] vicit ac ſupergreſſa eſt, [3] vitium parvis magniſque civitatibus commune, [4] ignorantiam recti & invidiam.

Sed

### COMMENTARIUS.

*ibellus* hic, ſi quis alius, vere diſertus, vere diſertus, vere prudens, ſcriptus videtur ſub idem tempus eum illo de Germania: vel certe haud louge ſecus. Nam quadriennio poſt mortem Agricolæ hunc contexuiſſe videtur, ipſo quidem indice, hoc libro: *Nobis tam longa abſentia conditione, ante quadriennium amiſſus eſt.* Atque obiit Agricola Pompejo Collega & Corn. Priſco Coſſ. Uti hac ratione, ſcriptum ſyntagma hoc eſſe oporteat ſub ipſum initium imperii Trajani. *Lipſius.* Hunc libellum quo ſoceri ſui Julii Agricolæ vitam poſteritati tradidit, non eſſe ſubdiatium, ipſa phraſis eſt argumento; vere Lydius lapis, quod dicitur, in hoc probandi genere. Scripſit autem ſenex. Nobis defuit exemplar vetus ad quod conferremus. Itaque vulgatam editionem, quando aliud non dabatur, diligenter percurri, meoque Marte quædam errata deprehendi. Monui nonnulla; quædam tantum indico, lectori judicium relinquens: id fit in ambiguis. Sunt & quæ exponuntur, obſcuriora videlicet. *Rhenanus.*

1 *Incurioſa ſuorum ætas*] Sic fine 2. annal. *dum vetera extollimus, recentium incurioſi.* Cæterum hoc ſeculorum omnium vitium fuit, viventes adhuc faſtidire, veteres & olim defunctos admirari. De quo pulchre Demoſthenes in Orat. de Corona. Nimirum *præſentia invidia, præterita veneratione proſequimur; & his nos obrui, illis inſtrui credimus*, inquit Vellejus. Cui ſuccinens Horatius: *Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quærimus invidi.* Virdungus.

2 *Vicit ac ſupergreſſa eſt vitium*] Cur non potius? *vicit ac ſupergreſſa eſt vitia.* Meo judicio vult, *quotiens magna aliqua, ac nobilis virtus vicit vitium, ignorantiam recti* ſcilicet: *ac ſupergreſſa eſt vitium*, quod? *invidiam.* Quo loco quis non miretur ἀμίμητον (non pudet dicere) verborum proprietatem. *Vicit*, inquit, *ignorantiam recti:* Eſt enim ignorantia *Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.* Quod arte vincendum eſt, & Marte. Arte, id eſt, induſtria, labore, vigilantia, ſudore, & algore: Marte, nempe laceſſendo, luctando, pugnando, expugnando. Addit auctor: *Supergreſſa eſt invidiam.* Pulchre *ſupergreſſa.* vincit enim virtus invidiam, non ſanguine, non cæde, ut ita dicam, ſed aſcenſu, & ſui quaſi quadam elatione. ſuperat cum ſupergraditur, tropæum, cum etiam non pugnat, pangit & θριαμβεύει φθόνον χωρὶς φόνου. Barclaius.

3 *Vitium parvis magniſque civitatibus*] Corn. Nepos in Chabria: *Eſt enim hoc commune vitium magnis liberiſque civitatibus, ut invidia gloria comes ſit, & libenter de his detrahant, quos emergere videant altius.* Si credimus Plutarcho, πανταχοῦ δήμῳ τὸ κακόηθες καὶ τὸ φιλαίτιον ἔνεστι πρὸς τοὺς πολιτευομένους. Eſtque adeo δῆμος, ἀχάριστον, ἁψίκορον, ὠμόν, βάσκανον, ἀπαίδευτον, ut Socrati ingerit Axiochus. *Virdungus.*

4 *Ignorantiam recti & invidiam*] Ut ad exile objectum hebet æger oculus, ſic minutas virtutes non capit triviale ingenium. Illic compactior quicquid materies craſſiuſculum fecit, ipſa ſui mole ferit ſenſum; hic fatum idem eſt mentis ex viliori luto confictæ. Jam vero ſimulac ignorationis latebras egreſſa eſt virtus, protinus invidiæ occurrit. In faſtigio perfectionis conſtituta, ut directos jaciens radios Sol umbram fugat, illa quoque odium & invidiam diſcutit. *Savil.*

1 *Apud*

Sed [1] apud priores ut agere memoratu digna pronum, magisque in aperto erat; ita celeberrimus quisque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam [2] sine gratia aut ambitione, bonæ tantum conscientiæ pretio ducebatur. Ac plerique [3] suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt. nec id [4] Rutilio & [5] Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit. adeo virtutes iisdem temporibus optime æstimantur, quibus facillime gignuntur. At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis, [6] venia opus fuit. quam non petissem, [7] ni cursaturus tam

[1] sæva

1 *Apud priores*] Qui vivente adhuc libertate & stante republ. vixerunt. *Virdungus.*

2 *Sine gratia aut ambitione*] In hanc sententiam acute admodum, suo more, hic ipse Tacit. 2. Ann. *Sed veteris reip. prospera & adversa claris scriptoribus memorata sunt, temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrentur.* Lego, *detenerentur.* ne viri docti diutius dimicent περὶ φιταυιτμῶ. Veteres autem *deteneo* dixisse, non detineo, testantur versus hi Propert. 3. eleg. 1.

*Orphea detenuisse feras, & concita dicunt*
*Flumina Threicia detenuisse lyra.*

Velim *ambitionem* pro sordibus hic capias, non pro cupidine honoris, qui pretium non esset, sed incentivum scriptionis. Ann. 14. *dilectumque militarem pretio, & ambitione corruptum.* Festus ubi de ambitu: *eodem vocabulo crimen avaritia, vel adfectati honoris appellatur.* Barclaius.

3 *Suam ipsi vitam narrare*] Vide de his judicium Ciceronis lib. 5. famil. epist. 12. ad Lucceium. *Virdungus.*

4 *Rutilio*] Rutilium Rufum intellegit, qui & Historias scripsit, & Orationes, & De vita sua. Citant eum Latini Græcique scriptores passim, & nominatim Charisius hæc De vita. Etiam Isidorus, sed corruptus, lib. xx. Orig. *Lectica sive plutei lecti. de quibus Satilius Rufus De vita sua: Primum, inquit, consuetudine Imperatorum ipse pro lecticis utebatur.* emenda, *Rutilius Rufus.* Lipsius.

5 *Scauro*] De quo Cicero in Bruto. *Hujus & orationes sunt, & tres ad L. Fusidium libri scripti De vita ipsius acta, sane utiles.* Plinius lib. xxxiv. *L. Fusidium illum, ad quem Scaurus De vita sua scripsit.* Valerius Maximus lib. iv. *M. Scaurus quantulam à patre hereditatem acceperit, in primo libro eorum quos De vita sua scripsit, refert.* Idem.

6 *Venia opus fuit.*] Metuebat fortassis? Et cur quæso? ne incideret in *sæva & infesta virtutibus tempora* sub Domitiano. Sed scripsit hæc sub Trajano, *in beatissimi seculi luce*, ut vocat. Neque rationis quicquam solidæ dispicio cur cum plenam securitatem tempora indulgerent quibus scripsit, terrorem ex iis, de quibus scribebat, temporibus conciperet; aut ex iis quæ secuta sunt, *legimus cum Aruleno Rustico* &c. quæ diu post gesta in recenti ejus memoria, & velut conspectu versabantur. Sic enim ait c. 45. hujus libri, *Nos Maurici, Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit,* Savilius.

7 *Ni cursaturus tam sæva*] Hic inprimis scribe *incursaturus*, & clausulam, aut quæsitive sic lege, *incursaturus tam sæva & infesta virtutibus tempora?* aut, quod mihi simplicius videtur, hoc modo, *ni incursaturus tam sæva & infesta virt. tempora.* Nunc apte cohærent quæ sequuntur, *Legimus quum Arul.* Sensus est, non petissem veniam, ni cogerer incidere in Domitiani tempora, ac referre, quæ illius tyranni principatu contigere, quum omnis honesta exularet Roma. *Rhenanus.* Suspectum omnibus verbum, *cursaturus.* Sed in eo veteres omnes codices consentiunt. Rhenanum deinde omnes vulgati secuti sunt. Mihi neque verbum, *incursare*, hoc ipsum videtur exprimere, neque in Rhenani sententia ullam vim esse. Nam quæ causa veniæ opus erat ei, qui tantum dicat, se in sæva tempora scribendo incidere debere? Sane unusquisque potest adulatorie, & citra obtrectationem, tempora cujuslibet sævi principis memorare. Ceterum, aut Rhenani verbum, *incursare*, interpretandum est, boum vel arietum more, hoc est impetere, vel incessere, aut certe legendum, ut Lipsius dubitat, *ni incusaturus.* Excusatio enim, ac venia proprie convenit ei, qui vitia moresque hominum incusaturus est, ac scripta sua maledictis implere cogitat cogiturque. nam viventes posterique aliena malefacta sibi objectari putant. Veniam autem petebat, ne socerum Agricolam laudando, arrogantiæ ambitionisque argueretur: cum jam ea tempora non essent, quibus unicuique vitam alienam suamque narrare in proclivi erat. nam etsi Trajanus quotidie felicitatem imperii augebat, tamen ut inferius ait, *tardiora sunt remedia, quam mala: &, ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris.* Pichena. Μεταφορικῶς tu viros insignes Trajano imperante laudare times? an ille (ut Domitianus) in eorum celebratores sævire solitus? igitur, *tam sæva & infesta virtutibus tempora*, suggillant imperium Domitiani: verum quonam pacto Cornelio ejusmodi sub Trajano scribenti, timori esse poterat immanis sævitia Domitiani? Audi: noster se dignum venia dicit, quod ad id locorum distulerit scriptionem soceri vita functi. *ac mihi nunc narraturo.* Vis enim in τῷ *nunc.* mihi vitio (inquit) ne vertatis si Agricolæ gesta non composui statim atque is vita cessit: nam tunc deterrebat immiti illo ingenio Domitiani, quo pessundati sunt Rusticus & Senecio Thraseæ, Priscique Helvidii laudatores. *Salinerius.* Stigmatiam locum fecerunt, nec

est

[1] sæva & infesta virtutibus tempora. [2] Legimus cum Aruleno Rustico Pætus Thra- 2
sea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse: neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum sævitum, delegato triumviris ministerio, [3] ut monumenta clarissimorum ingeniorum [4] in comitio ac foro urerentur.
Scilicet

est integer fortasse: videri tamen poterit, si *incusaturus* una litera detracta scribamus. nihil enim sunt sequentia nisi incusatio & insectatio superiorum temporum cum præsentium comparatione. Et in hoc saltem veniam se petisse, eaque sibi opus fuisse ait, ut occasionem haberet, insectandi priora tempora, quibus quod nunc liceat, non licuerit. Videtur & hoc confieri ex iis ad finem præfatiunculæ: *Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis, ac testimonia præsentium bonorum composuisse.* Acidalius.

1 *Sæva & infesta virtutibus*] Habuit in animo locum ex Oratore Ciceronis, ubi ille Catonis mentione injecta, *Itaque hos*, inquit, *sum aggressus statim Catone absoluto, quem ipsum nunquam attigissem, tempora timens inimica virtuti.* Virdungus.

2 *Legimus cum*] Itane *legimus?* imo, *vidimus.* nam hæc sub Domitiano gesta, ut in extremo libello indicas, te vivo, atque adeo præsente. *Lipsius.*

*Legimus quum Aruleno Rustico*] Hoc est, ab Aruleno Rustico, & Her. Senecione. Optimus senator fuit Pætus Thrasea liberrimæ linguæ. Vitam hujus conscripsit Jun. Arulenus Rusticus, pulsus in exilium ea de causa. Helvidius Priscus Tacito non vulgariter laudatus initio l. 4. histor. gener Thraseæ extitit, ob cujus laudationem Herennius Senecio capitis pœnam luit sub Domitiano, libris utrorumque exustis. Ejus Senecionis in fine quoque hujus libelli mentionem facit. Ubi plura dicemus. *Rhenanus.* Thrasea obtruncatus à Nerone *virtutem ipsam exscindere cupiente*, inquit Tacit. 16. Ann. Helvidius Priscus à Vespasiano, quod consilio Eprii Marcelli recte in Senatu suadentis, aliquot ante annis obsequi detrectasset, narrante Tacit. 4. Hist. 8. *Savillius.* Ἡμεῖς. nos scil. qui nunc sub Trajano vitam degimus, quibusque tandem legere licet flagitia Domitiani: jam enim aureum illud seculum advenerat: *ubi sentire quæ velis, & quæ sentias, dicere licet.* Nec de se tantum hæc Cornelius dicit, (ut voluit doctiss. vir) sed de aliis etiam, qui ea non videre. At mentio Senecionis me admonet, ne corruptum sinam elegantissimum Plinii locum 1. Epist. 5. *Lacerat* (loquitur de M. Regulo) *Herennium Senecionem tam intemperanter quidem, ut ei dixerit Metius Carus, quid tibi cum meis mortuis?* ad quæ non adspiravit Claudius Minoes vir apprime doctus, ibique legit *cum eis mortuis.* sive, *cum mortuis.* Subfrigide, pace hominis dixerim, cum vulgatis lenocinetur acritas non invenusta. Carus delatione Senecionem præter modum lacerabat. cujusmodi autem insectationem fuisse dicemus, quæ ita Metio nimia visa est, ut cum talibus carpere coactus sit? *quid tibi cum meis mortuis?* Salinerius..

3 *Ut monumenta*] Herodotus Terpsich. Clisthenes Sicyoniorum Rex cum decrevisset in Argivos bellum, edicto vetuit, ne Homeri versus aut canerentur aut legerentur, quod passim Argos & Argivos deprædicent; prudenter secum cum animo reputans, quantum turbandis subditorum animis, etiam cum regni periculo, faceret poëma, dictantibus quasi facundiæ Gratiis conditum. Romani quoque cum inter omnia sollicitandæ per intestinos motus Reip. instrumenta nullum deprehenderent aptius, quam si per editos libros disseminaretur seditionis materia, & res novas molientibus tacitum sic admoveretur calcar, voluerunt Ædiles & Triumviros Capitales operam dare, ne quieti publicæ ex illis noxa crearetur. Punico bello secundo cum mali fatidicorum libri novis sacris licentiam fecissent, scribit Livius lib. 25. *Incusati graviter ab Senatu Ædiles Triumvirique Capitales, quod non prohiberent.* Atque hic apud Tacitum locus Triumviros, alius apud eundem designat Ædiles, 4. Ann. *Libros Cremutii Cordi per Ædiles cremandos censuere Patres.* Destinatus autem rei isti locus erat in Comitio parte fori Romani Liv. lib. 40. *Libri Numæ de jure Pontificio in Comitio igne à victimariis facto in conspectu populi cremati sunt.* Savilius.

4 *In Comitio ac foro*] Ambigitur, num in foro Comitium, an juxta forum: ego sentio in foro fuisse, & quidem in Romano foro. Adscribam de Comitio, quæ memini me legere, ex quibus quid fuerit, & ubi fuerit facile quis intelliget. Asconius Ped. in 3. contra Verr. *Comitium, locus propter Senatum, quo coire equitibus, & populo Rom. licet.* Tangit perite vocis originem, dum *coire equitibus & populo licere* dicit. Fest. *Comitiales dies appellabant, cum in Comitio conveniebant, qui locus à coeundo, id est, insimul veniendo dictus est.* Sex. Rufus in regione VIII. quæ fori Romani est, locat Comitium. Belle, nam in Comitio erat ficus Ruminalis P. Victore teste: Ficus autem in foro, si Plinio credimus XV, 18. *Colitur ficus arbor in foro ipso ac Comitio & Romæ nata, sacra fulguribus ibi conditis.* Quid dico ficum in foro? Plinius ipse dicit *in foro ac Comitio.* Res probata est. Addo Cic. IV. ad Att. III. non obscure, quod assertum volumus, confirmare. *Metellus tamen postulat, ut sibi postero die in foro obnuntietur: nihil esse quod in campum nocte veniretur: se hora prima in Comitium. Mane de nocte venit.* Venit in Comitium, atque adeo in forum: postulaverat enim Metellus, ut in foro sibi obnuntiaretur. Præter hæc, solent in optimis scriptoribus, nescio qua quasi cognatione, hæc duo non raren-

Scilicet illo igne vocem Pop. Rom. & libertatem Senatus, & conscientiam generis humani [1] aboleri arbitrabantur, [2] expulsis insuper sapientiæ professoribus, atque omni bona arte in exsilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiæ documentum, & sicut vetus ætas vidit. [3] quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones [4] & loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in no-
3 stra potestate esset [5] oblivisci quam tacere. Nunc demum redit animus, & quamquam primo statim beatissimi sæculi ortu Nerva Cæsar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, [6] augeatque cottidie [7] felicitatem imperii Nerva Trajanus,

ter jungi, *forum & Comitium*. Tullius in Verrem, & alibi non semel. Sueton. Jul. x. *ædilis præter Comitium ac forum* &c. Item Tacitus hoc loco & Plinius loco jam adducto. Jam Comitii quis usus? Varro docet 4. de L. L. *Comitium, ab eo, quod coibant eo comitiis curiatis, & litium causa.* Plautus Pœn. 3, 2, 7. *Jam istorum nullus nefastu'st, comitiales sunt meri.* (id est, in litigiis versatissimi) *Ibi habitavit* (in comitio scil.) *ibi eos conspicias quam prætorem sæpius. Hodie juris doctiores* (apage *coctiores* cum Lambino) *non sunt, qui lites creant.* Comitium ergo locus in foro est, & is locus, in quo lites, ut ille ait, discingebantur. Libros vero combustos narrat hic Auctor *in Comitio ac foro*, sermonis quodam impulsu vehementioris. Docet me Suetonius publicasse Octavium Aug. *Anguem quinquaginta cubitorum pro Comitio:* & Domitianum jussisse stupratores Vestalium *Virgis in Comitio ad necem cædi.* Et isthæc nolui nescires, lector. *Barclaius.*

1 *Aboleri arbitrabantur*] Rescribo, *arbitrabatur.* Quis vero? Domitianus. Sermo enim totus de illo est. *Idem.*

2 *Expulsis insuper sapientiæ professoribus*] Nam propter Pætum Thraseam & Helvidium Priscum laudatos, illius criminis occasione Philosophos omnes urbe Italiaque summovit Domitianus, auctore Suetonio. *Rhenanus.* Suet. Dom. 10. *Junium* (Tacito *Arulenus* est) *Rusticum* (interemit Domit.) *quod Pæti Thraseæ, & Helvidii Prisci* (ex Taciti sententia non Helvidii Prisci sed Thraseæ solius) *laudes edidisset, appellaretque eos sanctissimos viros, cujus criminis occasione Philosophos omnes urbe Italiaque summovit.* Sulpitia istius temporis poëtria:

*Nunc igitur qui res Rom. imperat inter*
*Et studia, & sapiens hominum nomenque genusque*
*Omnia abire foras atque urbe excedere jussit.*

Xiphilinus: Ῥούστικον Ἀρουλῆνον ἀπέκτεινεν ὅτι ἐφιλοσόφει, καὶ ὅτι τὸν Θρασέαν ἱερὸν ὠνόμαζε. καὶ Ἑρέννιον Σενεκίωνα ὅτι τὸν Πρίσκου τοῦ Ἑλουιδίου τὸν βίον συνέγραψεν. ἄλλοι τε ἐκ τῆς αὐτῆς ταύτης κατὰ φιλοσοφίαν αἰτίας συχνοὶ διώλοντο, καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ἐξηλάθησαν αὖθις ἐκ τῆς Ῥώμης, i. *Nero Arul. Rusticum interemit, quod operam daret Philosophiæ, & Thraseam appellaret virum sanctum. è medio quoque sustulit Her. Senecionem, quod literis mandasset vitam Helvidii Prisci. Plures insuper alios perdidit idem Philosophiæ studium; & quotquot illud profitebantur Urbe pulsi.* Savilius. In hanc rem exstat Sulpiciæ veteris saporis Satyra, de qua Sulpicia Martialis x, 35. *Barclaius.*

3 *Quid ultimum in libertate*] Hoc dicit: illi qui sub primis principibus, exspirante libertate, vixerunt, experti sunt, quis esset rerum status, cum rigida adhuc cervice jugum subeuntibus principes suam potestatem temperarent, & multa per senatum, nonnulla etiam per populum administrari & fieri paterentur, nec ad sese solos omnium rerum jus revocarent, aut negotiorum omnium judices essent; denique cum adhuc semilibera videretur respublica. Potest etiam ad illa tempora, & quidem ut reor, melius referri, quibus respublica per bella civilia jam animam agebat, & libertas in exitium suum turbis & dissensionibus civium præceps agebatur. *Ultimum* vero *in servitute* vocat idem, cum veluti frenis exsoluto tyrannis in omne nefas prorupit, cum viri boni clarique exsilio, morte, suppliciis afficiuntur; cum delatores præmiis eliciuntur: cumque ipsi servi in dominorum capita subornantur; cum denique princeps avaritia, libidine, sævitia intestabilis, uno quasi ictu rempublicam exhaurit. Tales enim rerum status sub Domitiano. Virdungus. *Ultimum in libertate*, cujus felicitati, in servitute, cujus calamitati nihil adjici potest. Utrumque illud cum est, utriusque mutationem portendit. Cui in summa libertate est, quia aliud non restat, proxime exspectat servitutem. ad quam viam sternunt vel artes principum insidiantium libertati vel licentia subjectorum, qui futurorum incauti præsentibus tantum abutuntur. Qui in summa servitute est, acceptis à desperatione viribus, magno animo ad libertatem eluctatur, mala enim omnia & pericula contemnit, qui in summis versatur. *Boxhornius.*

4 *Et loquendi commercio*] Malo, *etiam loquendi.* Lipsius.

*Et loquendi audiendique commercio*] Lipsius pro *&*, *etiam* mavult. quasi non idem & illud valeat. *Acidalius.*

5 *Oblivisci quam tacere*] Tritum est, quod de Themistocle narrat Plutarchus in ejus vita, & ante eum Cicero in 2. de Oratore. *Barclaius.*

6 *Augeatque quotidie felicitatem*] Vulgo, *facilitatem.* tamen juxta Venetum, alteram vocem prætuli, quæ aptiorem sensum habere videtur. *Pichena.*

Trajanus, [1] nec ſpem modo ac votum Securitas publica, ſed ipſius voti fiduciam, ac robur aſſumpſerit; natura tamen infirmitatis humanæ, tardiora ſunt remedia quam mala, & ut corpora lente augeſcunt, cito extinguuntur, ſic ingenia ſtudiaque oppreſſeris facilius, quam revocaveris. [2] Subit quippe etiam ipſius inertiæ dulcedo: & inviſa primo deſidia poſtremo amatur. Quid ſi [3] per quindecim annos, grande mortalis ævi ſpatium, [4] multi fortuitis caſibus, [5] promptiſſimus quiſque ſævitia principis interciderunt? [6] Pauci, & ut ita dixerim, non modo aliorum, ſed etiam [7] noſtri ſuperſtites ſumus, exemptis è media vita tot annis, quibus juvenes ad ſenectutem, ſenes prope ad ipſos exactæ ætatis terminos per ſilentium venimus. non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce [8] memoriam prioris ſervitutis ac teſtimonium præſentium

*na.* Omnino ſcripſerat Tacitus *facilitatem:* nec audio qui volunt inſercire *felicitatem.* Aperte Trajani τὴν ἁπλότητα τῶν ἠθῶν alludit, quam ei tribuunt omnes Hiſtorici. Poteſt & *facilitas* illa de imperii ipſius tranquillitate accipi? Arrianus in Epict. l. 3. c. 13. ὁρᾶτε γὰρ ὅτι εἰρήνην μεγάλην ὁ Καῖσαρ ἡμῖν δοκεῖ παρέχειν, ὅτι οὐκ εἰσὶν οὐκέτι πόλεμοι, οὐδὲ μάχαι, οὐδὲ λῃστήρια μεγάλα, οὐδὲ πειρατικά· ἀλλ' ἔξεστι πάσῃ ὥρᾳ ὁδεύειν πλεῖν ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ δυσμάς. *Colerus.* Ne hic quidem cum Lipſio mutandum *felicitatem.* quanquam ipſe denique fatetur, aptum & illud ad ſcriptoris mentem. Illud vero aptum, ſed non etiam alterum. *Facilitatem imperii* ſcripſit, quia de miſtione principatus ac libertatis præmiſerat. *Acidalius.* Facilitas imperii maxime cernitur in eo, ſi princeps non ad ſuum unius nutum & arbitrium omnia revocet, ſed & cum cæteris rempublicam communicet, adeoque infinitam poteſtatem ac liberam reſtringat ac veluti in ordinem cogat. *Virdungus.* Vide, ſi lubet, quæ notavimus ad Livii lib. 23, 11. *Gronovius.*

7 *Facilitatem imperii*] Anne, *felicitatem imperii?* tametſi vulgatum quoque aptum ad ſcriptoris mentem. *Lipſius.*

1 *Nec ſpem modo, ac votum ſecuritas publica*] Loci hujus vim, neutiquam adſequetur qui non conſuluit marmora, quorum literas produximus Inſcriptionum pag. cv. 5. & cvi. 6. Sed inprimis antiqua viſentur numiſmata. *Gruterus.*

2 *Subit quippe ipſius inertia dulcedo*] Eſt ſententia quam in me aliquoties experior: & conſonat Auſonius ad Paulinum:

*——— agnoſco pudorem,*
*Quod vitium fovet ipſa ſuum ceſſatio jugis,*
*Dumque pudet tacuiſſe diu, placet officiorum,*
*Non ſervare vices. & AMANT LONGA OTIA CULPAM.*

Apuleji hoc etiam ſimile: *Deſuetudo omnibus pigritiam, pigritia veternum parit.* Lipſius.

3 *Per quindecim annos*] Hoc enim temporis ambitu definitur Domitiani Imperium. *Savilius.* Auſonius:

*Te dominante Tito cingit nova laurea Janum,*
*Quindecies ſævus, potitur dum frater habenis.*

Barclajus. Simillima huic querelæ in Plinii epiſtola ad Ariſtionem lib. 8. *Virdungus.*

4 *Multi fortuitis caſibus*] Vulgati hic confuſi, nec ſani nos ab ingenio reſtituimus: ut pleraque alia in hoc libello, quem non invenimus in illis manuſcriptis, etſi germaniſſimum Taciti fœtum. *Lipſius.*

5 *Promptiſſimus quiſque*] Hoc eſt, ut quiſque magis in promptu virtutem habuit. Tales enim tyrannis ſunt formidoloſi, ideoque è medio tolluntur. *Virdungus.*

6 *Pauci & uti dixerim*] Lego, *pauci, ut ita dixerim.* Rhenanus.

7 *Noſtri ſuperſtites ſumus*] Seneca Ep. 30. *vivere tanquam ſuperſtes ſibi.* Apulejus Metam. lib. 1. *ipſe mihi ſupervivens & poſtumus.* Sedulius lib. 3. carm. de Lazaro ſuſcitato:

*Ipſe ſibi moriens, & poſtumus extat & hæres.*

Et de eodem in hymno: *Cunctiſque liber vinculis, Factus ſuperſtes eſt ſibi.* Pichena.

8 *Memoriam prioris ſervitutis*] Correximus vere: cum in libris eſſet, *prioribus ſenectutis.* niſi quod Venetus, *prioris.* At non de ſenectute ſua Tacitus, ſed de priorum temporum ſervitute clare loquitur, & præſentium ſub Nerva felicitate. *Lipſius.*

*Memoriam prioris ſenectutis*] Intelligit primam ſenectutem, hoc eſt, crudam & viridem. Nam præcedit, *prope ad ipſos exactæ ætatis terminos p. ſ. venimus.* Ergo ſenex hunc libellum conſcripſit. *Rhenanus.* Per hanc *ſervitutis memoriam* intelligit, niſi fallor, hiſtoriarum libros. Per *teſtimonium præſentium bonorum*, volumen animo deſignatum, ſcribendis Nervæ & Trajani temporibus (ut hiſtoriarum docet præfatio) ſed, ut ego quidem ſentio, non perfectum. *Savilius.* V. C. habet *prioris ſervitutis.* Urſinus. Agricolæ vita Cornelio componitur, dum Trajanus orbem Rom. moderabatur: *Augetque* &c. Eique prima elucubratio fuit poſt cædem Domitiani: *Non tamen* &c. Ita tempore prior annalibus & hiſtoriis: hiſtoriæ enim à Titi morte uſque ad id loci quo vitam ſoceri concinnat, elaboratæ non fuerunt: partim Domitiani timore: *Quid ſi per quindecim* &c. partim deſidia deſuetudineque ſcribendi: *ſubit quippe* &c. Ante præfata tempora multo minus: clarum ex terminis, quos ſibi noſter in prima hiſtoria præfinivit. *Mihi Galba,*

tium bonorum composuisse. Hic interim liber honori Agricolæ soceri mei destinatus, professione pietatis, aut laudatus erit, aut excusatus.

4 [1] Cnæus Julius Agricola vetere & illustri [2] Forojuliensium colonia ortus, utrumque [3] avum procuratorem Cæsarum habuit: quæ [4] equestris nobilitas est. pater [5] Julius Græcinus senatorii ordinis, studio eloquentiæ sapientiæque notus. iisque virtutibus

*Galba*, &c. idque per initia Trajani: *principatum divi Nervæ & imperium Trajani.* En cum opus aggreditur Nerva jam divus dicebatur. Annales vero historiis posteriores habentur, annal. 11, 11. Nunc quid hæc sibi volunt, *memoriam prioris senectutis?* Trajano jam regnante (Cornelius ait) mihi prima spatia senectutis ingredienti fixum erat literis consignare imperium Galbæ, cæteraque usque ad eam ætatem: quæ omnia prius metu Domitiani, deinde inertia subrepente scribere supersedi. At *memoriam* respicit Nervam, Domitianum, Titum, Vespasianum, Vitellium, Othonem & Galbam: *testimonium* autem Trajanum, cujus bonitatis nunc Tacitus potiebatur. Dixi Cornelium vix tunc senem fuisse; hæc suasere, *quibus juvenem ad senectutem.* nam sequentia, *senes prope ad ipsos exactæ ætatis terminos venimus*, ad eum referri minime possunt, qui sub Trajano decrepitus non erat. *Quod si vita suppeditet, principatum Divi Nervæ & imperium Trajani uberiorem securioremque materiam senectuti seposui.* Sed quid iis immoramur? facile probatur ex collectione doctissimi viri Tacitum primam tunc senectutem ingressum, maxime addita ætatis definitione, quam Servio Tullio debemus. Gell. 10, 29. *eosque ad annum quadragesimum sextum juniores, supraque eum annum seniores appellari.* Oritur enim Cornelius extremo anno Claudi, socerum laudat jam cognito Trajani imperatoris ingenio, scil. anno minimum ejus imperii secundo: *Augeatque quotidie* &c. Numerum igitur judices eum tunc minorem non fuisse annis 46. Ad ultimum doctissimus vir hic intrusit, *priores servitutis*; sed liberis de eo quæsierim, servitusne fuerit imperium Nervæ, Vespasiani, Titi, quos omnes posteritati noster commendavit. *Salmerius.* Hunc locum aliquot ante annos à morte revocavit litterarum vita, litteratorum lumen columenque Justus Lipsius, cujus tempore nasci, longe mihi largius beneficium, quam nasci fuit. Per *memoriam prioris servitutis* videtur Tacitus Savilio, Anglorum, si quid video, litteratissimo, libros historiarum intelligere. Addo & ego Annales (fortasse commode) nam & Tiberio non minus servivit princeps ille populus, quam Domitiano. *Testimonium præsentium bonorum* Savilius interpretatur librum de Nerva & de Trajano; quem concepit solum Tacitus, nunquam peperit. Præfatione ad historias: *quod si vita suppeditet, principatum D. Nervæ & imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam senectuti seposui.* Barclajus.

1 *Cnæus Julius Agricola*] Ad quem pertinere videri Epigramma quoddam Antiphili, probabiliter observavit Jo. Brodæus lib. 1. Ἀιθάλου, ἐις θάνατον. *Lipsius.*

2 *Forojuliensium*] Forum Julium urbs in littore Narbonensi sita, Massilia distans 75. milliaribus, ex Strabonis lib. 4. sententia. Fuerunt ejusdem nominis aliæ, sed infra hujus celebritatem. Ut nunc se habet, describit optime (ut & alia omnia) eximius Galliæ Cancellarius Michael Hospitalius epist. lib. 5.

*Inde forum Juli parvam nunc venimus urbem.*
*Apparent veteris vestigia magna theatri*
*Ingentes arcus, & therma, & ductus aquarum;*
*Apparet moles antiqui diruta portus,*
*Atque ubi portus erat, siccum nunc littus & horti.*

Savilius. Hujus nominibus oppidum à Julio Cæsare conditum, cum Gallias proconsul obtinuit, supra Aquilejam, Septentrionem versus, inter montes ad Natisonem situm, quod Φόρον Ἰούλιον Ptolomæo, *Castrum Juliense* Paulo Diacono dicitur; hodie *civita d'Austria.* Ab eo universæ regioni nomen, Italis *Friuli*, nostris *Friaul.* Venetis aliisque *Patria* nuncupata, ab ortu Istriam, ab Aquilone montes lapideos contingit: qua occasus, Alpes Vindelicæ Noricæque, qua auster sinus Hadriaticus finiunt. Verum Agricolæ *Forum Julii* Galliæ Narbonensis est celebre oppidum, eodem procul dubio conditore, cujus mentio in quadam Planci epistola ad Ciceronem. Hæc etiam Φόρον Ἰούλιον *Commonorum* Ptolomæo, *Octavanorum colonia*, quæ *Pacensis* appellatur & *Classica* Plinio lib. 3. nat. hist. cap. 4. Straboni inter Olbia & Antipolim, à Massilia stadiis circiter sexcentis, quæ sunt milliaria Germanica viginti præterpropter. *Forojuls* hodie incolis. Adeundus Sigonius lib. 3. de antiquo jure Italiæ cap. ult. *Virdungus.*

3 *Avum procuratorem*] De officio & jure procuratorum, remitto lectores ad ea quæ distincte ac diligenter docuit Lipsius ad lib. 12. Ann. 60. *Pichena.*

4 *Equestris nobilitas*] Improprie aut certe non pro more ævi prioris locutus est. Nobilitas enim non nisi ex imaginibus, imagines autem è magistratu curuli. Consule Lipsium lib. 1. Elector. Neque tamen semper equites à Cæsaribus procuratores in provincias, immo & plerumque liberti, ut ex historia Augusta constat. *Virdungus.*

5 *Julius Græcinus*] De quo Seneca de Benefic. lib. 11. *Si exemplo magis animi opus est, utemur Græcini Julii viri egregii, quem C. Cæsar occidit ob hoc unum, quod melior vir esset, quam esse quemquam tyranno expediret.* Et ep. XXIX. *Julius Græcinus vir egregius.* Scripsit de re Rustica, aut certe de Vineis, ex

virtutibus iram Caii Cæsaris meritus. Namque [1] Marcum Silanum accusare jussus. [2] & quia abnuerat, interfectus est. [3] Mater Julia Procilla fuit, raræ castitatis. [4] in hujus sinu indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium præter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum [5] Massiliam habuerit, locum Græca comitate & [6] provinciali parcimonia mistum, ac bene compositum. Memoria teneo solitum ipsum narrare, *se in prima juventa [7] studium philosophiæ ac juris, ultra quam concessum Rom. ac senatori hausisse: ni pruden-*

ex Columella. lib. 1. cap. 1. *Julii Attici velut discipulus, duo volumina similium præceptorum De vineis, Julius Græcinus composita facetius & eruditius posteritati tradenda curavit.* Citat & Plinius eumdem inter scriptores, Indice lib. XIV. & XV. *Lipsius.*

*Græcinus*] Arbitror esse eumdem, cujus auctoritate sæpius utitur Columella in libris de Re Rustica. Seneca de benef. lib. 2. 21. *Si exemplo magni animi opus est, utemur Græcini Julii viri egregii, quem C. Cæsar occidit ob hoc unum, quod melior vir esset, quam esse quemquam Tyranno expediret.* Savilius.

1 *M. Silanum accusare*] M. iste Silanus socer Caligulæ, quibus rebus ejus iram incurrerit, exponit Dio Cassius lib. 59. ubi eundem fuisse in tanto honore apud Tiberium refert, ut is nunquam ferre sententiam de causa, in qua facta fuisset ab illo provocatio, voluerit; sed ipsi omnes hujusmodi causas remiserit. Meminit ejusdem & noster lib. 3. annal. cum elogio insignis nobilitatis & eloquentiæ, quibus præcelluerit. Male autem hunc M. Silanum cum Junio Silano, quem idem noster lib. 13. à C. Cæsare pecudem auream propter segnitiem appellatum scribit, confundit ibidem Dio. *Virdungus.* Proconsulem Africæ, quæ dignitas ei ablata à Cajo Cæsare teste Tacito lib. 4. hist. Quod initium offensionum fuit. *Boxhornius.*

2 *Et quia abnuerat*] Potes commode delere τὸ &. Acidalius.

3 *Mater Julia Procilla*] Fœminas Romanas duobus usas fuisse nominibus non est cur probem: res satis nota est Antiquitatis studiosis. Moneo solum *Procillam* à Proculo formatam esse: ut & *Procillus* apud patrem facetiarum aliquot epigrammatis. Fuit autem *Proculus* prænomen Juliorum, & hoc prænomine ille Julius appellabatur, quia *affirmavit se Romulum vidisse augustiore forma quam fuisset*, ut Florus loquitur, unde mater Agricolæ prænomine suæ gentis *Procilla* docte nominatur. Prænomina vero tam fœminarum quam virorum modo præponere, modo postponere Romanis scriptoribus satis est familiare. Quamquam meo animo, id fieri in titulis librorum decorum ipsum vetare videatur. Unde subodoror non novum vitium in ipsa fronte Pap. Statii. Omnes enim libri & prœlo cusi & calamo exarati inscribuntur *P. Statii Papinii* &c. ubi nomina mutatis sedibus collocantur. rescribendus in omnibus exemplaribus est titulus *P. Papinii Statii.* Invenio nomen *Proculi* (sicut pleraque alia Romanorum) transductum in cognomen, sed in cognomen gentis Juliæ. Mart. lib. XI, 37. *Cajus ut fiat Julius & Proculus.* Tot enim cyathos exhauriri voluit, quot erant litteræ in tribus nominibus C. Julii Proculi. Tacit. 2. histor. Lucinium quendam *Proculum* lectum Prætorii alterum præfectum narrat. quo loco, sitne *Proculus* prænomen, an cognomen, relinquo curiosis discutiendum. *Barclajus.*

4 *In hujus sinu*] Sidonius Apoll. ep. 16. lib. 5. *Rescia te salutat, quæ in aviæ amitarumque indulgentissimo sinu, quod rare nepotibus contingit alienis, & cum severitate nutritur.* Pichena. Auctor de causis cor. eloq. *non in cella empta nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur.* Virdungus.

5 *Massiliam habuerit*] Strabo lib. 4. ἐν τῷ παρόντι καὶ τοὺς γνωριμωτάτους Ῥωμαίων πέπεικεν ἡ Μασσαλία ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας ἐκεῖσε φοιτᾶν φιλομαθεῖς ὄντας. i. *hoc tempore Romana nobilitas literarum studiosa Massiliam se confert, ante solita se conferre Athenas.* Alibi idem tribuit Massiliensibus laudem τῆς λιτότητος τῶν βίων καὶ τῆς σωφροσύνης, i. *temperantiæ & modestiæ.* Savilius. Ita libri veteres. Vulgo *habuerat.* Pichena. L. Antonius in *eam civitatem sepositus ab Augusto, specie studiorum nomen exsilii tegebat*, lib. 4. annal. *Boxhornius.*

6 *Provincialis parcimonia*] De hac lib. 3. ann. ubi simul cum hominibus novis è municipiis & coloniis atque etiam provinciis in senatum adsumptis parcimoniam Romæ inlatam disertim prodit. *Boxhornius.*

7 *Acrius ultra quam*] Nihil verius, quam legi, utraque, cum copula. *Lipsius.*

*Studium Philosophiæ ac Juris, ultra quam concessum Romano*] Vulgo, *studium philosophiæ acrius ultra quam* &c. Quod vox, *acrius*, corrupta sit, nemo, ut opinor, ambiget, Lipsius tollendam censet, quasi glossema. Mihi restituendum, *philosophiæ ac juris.* Quam conjecturam, alioquin rerum mearum nequaquam admirator, omnino amplector recipioque. Constat illius ævi oratores philosophiæ ac juri operam dedisse. Auctor dialogi de causis corr. el. *ideoque & juris civilis scientiam veteres Oratores comprehendebant, & grammatica, musica, & geometria imbuebantur.* & adhuc alibi clarius: *qui si forte hoc audierint, certum habeo dicturos, me dum juris & philosophiæ scientiam, tanquam Oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse.* Ciceronem etiam utramque facultatem didicisse, omnes sciunt,

*prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset.* scilicet sublime & erectum ingenium, pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ vehementius quam caute appetebat. mox mitigavit ratio & ætas: [1] retinuitque, [2] quod est difficillimum, [3] ex sapientia modum. Prima castrorum rudimenta in Britannia [4] Suetonio Paullino diligenti ac moderato duci approbavit, electus, quem [5] contubernio æstimaret. Nec Agricola licenter more juvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segni-

de philosophia res non indiget probatione. de jure ipsemet lib. 1. de leg. Atticum inducit ita loquentem: *Nam à primo tempore ætatis juri studere te memini, cum ipse etiam ad Scævolam ventitarem. neque unquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse, ut jus civile contemneres.* Quod ipse Agricola utrique scientiæ studuisset, testatur Tacitus infra: *frustra fori, & civilium artium decus, in silentium acta, si militarem gloriam altius occuparet.* Pichena. Pichena acute quidem, *Philosophia ac juris.* Non existimo tamen vitio datum cuiquam Rom. ac senatori, si studio juris etiam acrius invigilasset. Et si ex animi sententia mihi pronunciandum sit, de solo Philosophiæ studio Tacitum loqui ausim adfirmare. Itaque Lipsii correctio nullo modo spernenda: ipse Tacitus infra ignorantiam illam Jurisprudentiæ subtilioris ita excusat cap. 9. *Credunt plerique.* Calliditatem istam forensem ita perstringit Martialis lib. 11. ad Priscum. *Illam judiciorum subtilitatem, illud materiarum ingenium.* Spartianus de Salvio Juliano: *bis consul, præfectus Urbi, & Jurisconsultus, quod magis eum nobilem fecit.* Colerus. Velim ista considerent, qui ducunt nobilitatem per avia argutiarum: quique Philosophiam tanquam Minotaurum in Labyrinthum subtiliratum aliquot compingunt, ex quo nec ipse sese expediat Dædalus: *Faciuntne intelligendo ut nihil intelligant?* Profecto faciunt. Et male philosophantur, qui ad remp. nec accedunt, nec mittunt. Plane simile est, quod narrat Suet. Ner. 52. *à Philosophia eum mater avertit, monens imperaturo contrariam esse.* Barclajus. Haudquaquam arguerim τὸ *acrius* aut mutaverim. est enim *studium acrius*. interius, subtilius, vehementius: & vocabulum ea in re amatum antiquis. Cicero 2. de Orat. *quisquam summis ingeniis, acerrimis studiis, optima doctrina, maximo usu cognosci ac percipi potuisse arbitraretur.* Trogus de Alexandro: *Puer acerrimis literarum studiis eruditus fuit.* Auctor dialogi: *acerrima & facundissima eorum studia.* Vita Persii: *doctissimorum & sanctissimorum virorum, acriter tum philosophantium.* Gronovius.

1 *Retinuitque*] Intellige, non solum frenasse Agricolam, coërcente matre, immodicam discendi cupiditatem, sed etiam provecta jam ætate, abstinuisse ab ostentatione eorum, quæ didicerat. Id clarius infra: *frustra studia fori, & civilium artium decus in silentium acta.* Cujus cautæ moderationis præcipua causa fuit, Infensus virtutibus Princeps, & majus periculum ex magna fama, quam ex mala: ut sæpe in hoc ipso libello testatur & execratur auctor. Simile quiddam Seneca epist. CIV. *Quid autem ipsam Philosophiam? non debebis jactare multis fuit periculi causa insolenter jactata. licet sapere sine pompa, sine invidia.* Pichena. Imo hoc vult, non omnia scire Agricolam voluisse, quia omnia scire non expediebat, & modum sapientiæ intra usum ejus constringendum existimabat. *Boxhornius.*

2 *Quod est difficillimum*] Quasi à recenti lectione Ciceronis calu stet, 2. Tuscul. *Difficile est in philosophia pauca esse ei nota, cur non sint aut pleraque aut omnia: nam nec pauca nisi è multis elui possunt; nec qui pauca percepit, non idem reliqua eodem studio persequitur.* Et 1. de finib. *Qui autem, si maxime hoc placeat, moderatius tamen id volunt fieri, difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum coërcere reprimique non potest: ut propemodum justioribus utimur illis, qui omnino avocent à philosophia, quam iis, qui rebus infinitis modum constituant, in reque eo meliore, quo major sit mediocritatem desiderant.* Virdungus.

3 *Ex sapientia modum*] Imo hoc docet & præit Sapientia, servare modum. Fortasse, *& sapientia modum.* Difficile omnibus studiis temperare, sed huic utique. *Lipsius.*

4 *Suetonio Paullino*] Meminit hujus præter alios noster diversis locis, in primis lib. 14. annal. à c. 29. cujus & elogium vide lib. 2. histor. 25. & 31. Adi & Dionem lib. 60. & initio lib. 63. ubi Coss. Suetonium Paulinum & Pontium Telesinum ponit a. v. c. 19. Sed & apud Plinium lib. 5. nat. hist. cap. 1. expeditionis ejus in Mauros & superari ab eodem primo Romanorum Atlantis montis fit mentio. *Virdungus.*

5 *Contubernio æstimaret*] Inter comites imperatoris erant honestiores multi, qui amicitiæ causa aut militiæ sponte eum secuti. Hi *è contubernio* prætoris aut *contubernales* ejus dicebantur, quoniam eadem illi pedatura (de qua Polyb. lib. 6.) tendebant. Immo senatorum filii & tale nobiliorum genus comitari ita magistratus solebant. Et sane hic utilitas clara, quod juventus caste modesteque agebat oculis & in latere ducis; quod sermonibus sæpe militaribus & interdum consiliis intererat: denique duces agere, ut Plinius admonet, parendo discebat. Similiter Cicero inter laudes Plancii, quod *adolescentulus cum A. Torquato profectus in Africam sic ab illo sanctissimo viro dilectus est, ut & contubernii necessitudo & adolescentuli modestissimi pudor postulavit.* Vide Sigonium de jure Provinc. cap. 2. &

segniter ad voluptates [1] & commeatus [2] titulum tribunatus & inscitiam rettulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere à peritis, sequi optimos, [3] nihil appetere jactatione, nihil ob formidinem recusare, simulque [4] anxius & intentus agere. [5] Non sane alias exercitatior, magisque in ambiguo Britannia fuit. trucidati veterani, [6] incensæ coloniæ, [7] intercepti exercitus. tum de salute, mox de victoria certavere. Quæ cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur, ac summa rerum & reciperatæ provinciæ gloria in ducem cessit; [8] artem & usum & stimulos addidere juveni: intravitque animum militaris gloriæ cupido, ingrata temporibus, quibus [9] sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala. Hinc ad capessendos magistratus in urbem digressus, [10] Domitiam Decidianam

& Lipsium 5. de militia dial. 2. *Verdungus.*

1 *Et commeatus*] Hoc est, ut posset abesse & vagari. *Rhenanus.* Per *commeatus* forsan intelligit luxum epularum. Sed *voluptatum* nomine id jam videtur complexus. *Commeatus* igitur hoc loco sint promiscuæ & non necessariæ, taoquam ad petendos commeatus, militum excursiones. Quas cum sæpe permitterent militiæ præfecti, sæpe peccabant. Annal. 15. *Legiones promiscuis militum commeatibus infirmaverat.* Boxhornius. Jejune & imperite. nam *commeatus* utrisque nihil est aliud quam venia & jus absentiæ à signis concessæ ducum, per causam quamcumque. Sic & 1. histor. *Pars manipuli sparsa per commeatus.* Donatus ad Hecyram Terentii. *Commeatus est ex aliqua commerutione temporalis ubsessus.* Cicero lib. 5. in Verrem: *qui propter gravem morbum oculorum tum non nuvigarit, & jussu ejus, qui potestatem habuit, in commeatu Syracusis remanserit.* Vegetios & leges constitutionesque Romanæ passim. *Grenovius.*

2 *Titulum Tribunatus*] Vide Lipsium lib. 2. de Militia Romana dial. 9. ubi plane de tribunis & tribunatus honore. *Virdungus.*

3 *Ob jactationem*] Ita Rhenanus. Venetus, *in jactationem*: alii libri particula utraque vacui. Scribo, *appetere jactatione.* Lipsius.

*Nihil appetere jactationem*] Forte leg. *nihil appetere jactatione.* Rhenanus. Ex v. c. legendum: *Nihil appetere in jactationem.* Ursinus. Vulgo, *ob jactationem.* At quoniam à veteribus abest particula, *ob*, Rhenano assensi, qui legit, *jactatione*, & Lipsio probator. *Pichena.* Venetam ego lectionem optimam putem, *in jactationem.* Sic postea: *copiis instruxis in spem magis, quam ob formidinem.* Acidalius.

4 *Anxius & intentus*] Huc pertinet illud Ennianum: *At Remanus homo, tametsi res bene gesta est, Corde suo trepidat.* Virdungus.

5 *Non sane alias exercitatior*] Non convenit, *exercitatior?* magis *exercitior:* quomodo Tacitus certe scripsit. Neque enim rogit ejusmodi flexus vocum, sed amat. lib. 4. Hist. *Nunquam apud vos verba feci aut pro vobis sollicitior, aut pro me securior.* Jam quid inter *exercitatum* & *exercitum* sit, pueri septennes sciunt. *Acidalius.*

6 *Incensæ coloniæ*] Coloniam unicam deletam reperio Camalodunum Tacito ipsi id crede lib. XIV. atque hoc ipso libello, infra. Magis ergo ex rei fide scribes, *incensa colonia.* Lipsius.

*Incensa colonia*] Camalodunum & Verulamium. Sed posterius hoc erat municipium, non colonia, si voces stricte sumimus. *Savilius.* Lipsius legendum admonet, *incensa colonia:* cum unica tantum colonia Camalodunum à Britannis deleta reperiatur, teste ipso Tac. Ann. 14. & in hoc ipso libello infra. Dubitavi num pluralis numerus hic pro singulari accipiatur, ut aliquando historici solent, narrationis augendæ causa, ut Annal. l. 1. *interfectis Roma Varrones. Egnatios, Julos.* & alibi. Sed potius arbitror recte se habere lectionem vulgatam. nam præter Camalodunum, invenio etiam Londinium coloniam, de quo eodem lib. 14. *at Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit, cognomente quidem colonia non insigne, sed copia negotiatorum & commeatuum maxime celebre.* & statim ostendit, oppidum à Britannis captum atque direptum. Infra etiam eodem libello dixit: *vacua castella, senum colonia.* Pichena. Non equidem, etsi magis ex fide rei, etiam ex veritate lectionis putem scribi, *incensa colonia*, quod Lipsius suasit. Auctor numerum pluralivum servavit, ut & concinnior oratio esset, & ut velut Britanniæ mala, quæ describit, augeret: non insolito etiam Historicis, etsi Oratoribus magis proprio more. *Acidalius.*

7 *Intercepti exercitus*] Hoc verbum *intercipiendi* aliam significationem habere videtur, quam quæ huc quadret. unde dubito legendum; *intersepti exercitus.* quæ lectio firmatur ex historia Britannicarum rerum, Annali quartodecimo comprehensa. *Freinshemius.*

8 *Artem & usum & stimulos*] Commodius, ni fallor: *artamen & usum.* Lipsius.

9 *Sinistra interpretatio*] Cujusmodi est illa Tiberii lib. 1. Annalium de Agrippina cap. 69. & Claudii revocantis ex hostico Corbulonem lib. 11. 19. Vide & Dionem lib. 60. Denique plerique tunc principes sibi imminere, sibi intendi putabant, quod in hostes pararetur, ut ait Plinius in Paneg. Talis & Domitianus, hoc libello cap. 39. *Virdungus.*

10 *Domitiam Decidianam*] Puto fuisse filiam Decidii alicujus, adoptatam ab aliquo ex gente Domitia, sed non illa veteri. *Idem.* Mihi generis hujus

nam splendidis natalibus ortam sibi junxit. idque matrimonium ad majora nitenti, decus ac robur fuit. vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem, & [1] invicem se anteponendo, nisi quod [2] in bona uxore tanto major laus, quanto in mala plus

jus splendor promicare videtur ex lapide antiquo, quamvis flagitiose habito, ubi lego: *Domitio. T. F. Vol. Decidio.* ut hic sit pater hujus Domitiæ. Et cum temporibus Claudianis virum illustrem fuisse satis ostendat lapis, patet, cur dixerit Tacitus *splendidis natalibus ortam*; nec opus ut adoptionem nobis fingamus. *Rupertus.*

1 *Invicem se anteponendo*] Yeelding preeminence the one to the other *cedentes partes priores utrimque alteri.* Aut alio sensu Latinorum verborum, quod potest dubium videri: each preferring the other both vertuous alike. *se invicem praeferentes, cum ambo essent eximia probitate, scientes tanto majorem commendationem esse* &c. *Savilius.* Henr. Savilius hunc locum popularibus explicuit, certe eleganti sensu; & fortasse ad mentem Tacici, sed meo judicio, non item ad horum verborum mentem. Excidit haud dubie verbum aliquod. Si locus exponi potest, clarissime Thuane, tu expones; quo beneficio vincies me novo nodo, & conferes in litterarium veluti ærarium hoc tributum. *Barclajus.*

2 *Tanto major laus*] Assentior vero Pichenæ, *tanto minor laus*, ingeniose adstruenti. Quod ego tamen aliter ab illo explico. Non est maxima laus in fœmina bonam esse, & mariti sequentem. quid ita? quia sic facta à natura est, mitis, mollis, imbecilla, ad parendum. Si ergo non facit; tanto plus culpanda, quia & in naturam pugnat. At ille vult, vitiis carere, laudem non esse: quod ita est; sed nihil ad istam fæminam, quam non dicit non malam, sed bonam fuisse. *Lipsius.*

*In bona uxore tanto major laus*] Præclaram sententiam male affectam à librariis suspicor. Nam cur maxima culpa in malis uxoribus, nisi quia naturali quodam ingenio bonæ plerumque soleant ac debeant esse? quod cum ita sit, laudem quidem merentur bonæ, sed non magnam? Consideranda etiam particula, *nisi*, quæ aliquid exceptionis semper affert. Si quis ergo diligenter introspiciat, fatebitur legendum, *tanto minor laus.* lucem huic sententiæ afferunt verba quædam Philostrati in vita Apollonii l. 6, 11. Ait enim Latine conversus: *Neque prudentia opus est, stulte aliquid non cogitare: neque fortitudinis, aciem non relinquere: neque temperantia, in mœchorum turpitudines non incidere; nec omnino laude dignum est, quod non esse malus videaris: omne enim quod æque ab honore pœnaque distat, virtus non est.* Pichena. Vir ingenui candoris Curtius Pichena legit, *minor.* Sed me dissentiente. Verissima & è re omnium gnome. Laude quavis dignus ille vir est, qui morem gerit optimæ uxori, contra omnibus conviciis inclamandus est, qui ab ore malæ pendet. At illa, *nisi quod*, correctio eorum sunt. *& invicem se anteponendo.* eo modo, quo Terent. Eun. *At nesciebam id dicere illam, nisi quia Correxit miles quod intellexi minus.* Salinerius. Nihil in his verbis video, nisi particulam *nisi* detraham, quomodo fit & perspicua & elegans sententia. Atque ita video & Muretum censuisse. Quanquam forte non abjiciendum *nisi*, sed mutandum *sivi*, id est, sibi, quæ antiqua scribendi ratio, mendum peperisse potest. Legatur igitur: *& invicem se anteponendo sibi.* quod in bonam & longe aliam, nec tamen ipsam forte spernendam sententiam fecceris, retento *nisi*, & immisso *non*: *Et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore non tanto major laus* &c. Ego prius teneo. *Acidalius.* Emendationem Pichenæ probo: ratio illa de bonitate naturali mulierum supra viros, vereor ut cuiquam probari possit. Potius, quia mulier natura facta est ad parendum viro: itaque Aristoteles viri imperium in uxorem aristocraticum esse dicit lib. 1. Pol. Facit igitur & naturæ convenienter & institutis moribusque omnium gentium uxor, si viro pareat: ideoque in re usitata & debita & necessario, non tanta ejus videri laus potest, quanta, si contra faceret, vituperatio foret. Non enim de omni virtute loquitur, sed de modestia tantum & obsequio erga maritum: Quare & in hoc parte Agricolam laudat, quod tam humaniter comiterque uxorem tractarit. At ea re pari major tamen viri laus est quam uxoris: eoque pertinet particula *Nisi*, quæ temperamenti potius quam exceptionis vim habet. *Sc. Gentilis.* Euripides: Τῆς μὲν κακῆς κάκιον οὐδὲν γίνεται Γυναικός. ἐσθλῆς δ' οὐδὲν εἰς ὑπερβολὴν Πέφυκ' ἄμεινον. Cæterum hic quoque cumulum de laudibus mulierum, quamvis bonarum, demit Hippocrates epist. ad Dionysium. In cujus fine (ut id obiter moneam) interpres non videtur assecutus mentem auctoris, sed locus corruptus est, quem ita rescribo: Φρονιμώτερον δ' ἐν παντὶ τὸ ἀπαθέστερον, ἢ ἐὰν μὴ ἐπικλώμενον ὑπὸ ἐκείνης. Particula enim ἢ omissa totum sensum pervertit. Sed forsan illa ἐὰν ἢ melius expunxeris. *Virdungus.* Assentior vero doctissimis viris, qui legebant; *tanto minor laus*; sed ita explico, ut putem laudem hanc referre Tacitum ad maritum Agricolam, de quo institutus sermo, non ad uxorem: quod ne hæc quidem patiantur, quod non *bonæ uxoris laudem*: sed *in bona uxore laudem* dicit. Ergo hoc dicere videtur, qui bonam uxorem habet, haud magnam inde laudem capit, quare? videtur enim sponte bona fuisse, vel ipse, si correxit, fecisse quod oportuerat facere unumquemque. at si malam habet, omnia ejus vitia marito imputantur, ut supra 3, 34. quin & flagitia atque dedecora, ut ipse reus eorum non sit, infeste exprobrantur. *Freinshemius.* Optime Pichena. Laudem

plus culpæ est. Sors quæsturæ provinciam Asiam, proconsulem [1] Salvium Titianum dedit, quorum [2] neutro corruptus est: quamquam & provincia dives ac [3] parata peccantibus, & proconsul in omnem aviditatem pronus, quantalibet facilitate [4] redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filia, in subsidium & solatium simul. nam filium ante sublatum, brevi amisit. Mox inter quæsturam, ac tribunatum plebis, atque etiam ipsum tribunatus annum [5] quiete & otio transit, gnarus sub Nerone temporum, quibus [6] inertia pro sapientia fuit. Idem præturæ tenor, & silentium. [7] nec enim jurisdictio obvenerat. [8] Ludos, & inania honoris, [1] modo

dem bona uxor non meretur; quippe talis modo est, qualis esse debet. . Sed & ideo plus culpæ in mala; quippe talis non est qualis esse debet. Propter concordiam & mutuam caritatem uxor Agricolæ operosa laudari non debet. Quemadmodum enim mala uxor reprehensionem summam, ita bona vel nullam vel modicam laudem meretur; dum hæc tantum sequitur, illa autem evertit naturam. *Boxhornius.* Admirabile illud invicem se anteponere, non conjugalis modo Societatis, sed & omnium amicitiarum verique amoris unicum glutinum & coagulam. quod, quoniam, quo magis ætate procedo, eo minus terrarum aut gentium usquam reperio, propemodum in eam desperationem venio, ut neminem cuiquam & nemini quemquam, ut nunc vivitur, amicum esse censeam. Græcis eleganter, ut omnia, [illegible], divina Apostolo ad Rom. 12. τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι. Quod sequitur, ex judicio vulgi accipio, nam apud sanos sapientesque dubium non est laudem mereri quemvis, qui est, qualis, cum optimo more modoque est, esse debet. Vulgus neque intelligit bona quibus fruitur, neque grates habet pro illis, quæ interpretatur deberi. Quem sensum præclare exprimit Herodianus ore Pertinacis lib. 2. Ἔστι μὲν ὁμοίως εὐφραίνει ἐλευθερία, ὡς λυπεῖ δουλεία. οὐδεὶς ἀθρόως τὰ ἑαυτῷ ἔχων ἐν χάριτι μοῖραν τίθεται, τὰ ἴδια καρποῦσθαι νομίζων. Ὁ δὲ τῶν οἰκείων στερηθεὶς ἀΐδιον ἔχει τὴν μνήμην τοῦ λελυπηκότος. Eodem pertinet Livii l. 30. *segnius homines bona quam mala sentire* &c. cap. 21. Cæterum brevitas Taciti sic supplenda est: *invicem se ante ponendo, quod utrique honestum, nisi quod vulgo bona uxoris multo dilutior habetur gloria quam mala culpa.* In Hippocrate video edi: τὸ ἀπαθέστερον, ὅτι μὴ ἐπικαλούμενοι ὑπὸ ἑτέρων: &, puto, recte. *Gronovius.*

1 *Salvium Titianum*] Fratrem Othonis, qui postea imperator. Meminit noster variis locis lib. 1. & 2. historiarum. *Virdungus.*

2 *Neutro corruptus est*] Quod magna laude dignum, *tam depravatis moribus, tam corruptrice provincia*, ut loquitur M. Tullius epistola illa nobili ad Q. Fratrem, ubi de hac ipsa Asia verba facit. *Idem.*

3 *Parata peccantibus*] Hoc est, exposita rapinis magistratuum: inde enim fere repetundarum rei redibant. Vel, ubi provincialium plerique promptos se administros scelerum magistratibus præbebant. Plinius lib. 3. ep. ad Minutianum. *Idem.*

4 *Redempturus mutuam dissimulationem*] Lib. 2. histor. *Valens ob lucra & quæstus infamis, eoque alienæ etiam culpæ dissimulator.* Boxhornius.

5 *Quiete & otio transit*] Malim, *transiit.* Rhenanus.

6 *Inertia pro sapientia fuit*] Tac. 1. hist. de Galba & iisdem agens temporibus, *Claritas natalium & metus temporum obtentui, ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur.* Savilius. Sub tyrannis vita actuosa intuta, at contra inertia ipso contemptu tuta & secura est. Sic lib. 6. ann. 4. Haterius Agrippa *ob segnitiam quamvis crudelem principem non metuens.* Item Junius Silanus *segnis & dominationibus aliis fastiditus* lib. 13. Memmius Regulus *quiete defensus* 14, 47. Sic Galba sub Nerone *in desidiam segnitiamque conversus est, quod nemo rationem otii sui reddere cogeretur*, Sueton. c. 9. Revera tunc consideratum ac sapientem fuisse, qui ætatem in tenebris ageret & Plinius in Pan. testatur, & vox vulgi apud Senecam cap. 55. *O Vatia, solus scis vivere.* Virdungus.

7 *Nec enim jurisdictio obvenerat*] Id est, nec prætor Urbanus nec Peregrinus erat; quæ duo rerum civilium munia erant, *jurisdictionis* proprie vocabulo comprehendi solita. Alia vindicabat sibi criminalis cognitio, ut de ambitu, repetundis, falso, veneficiis, &c. distinctoque *quæstiones* nomine vocantur, quibus sub Imperatoribus vacabat præfectus Urbis potius, quam suus prætor, cui illo tempore tantum umbra nominis restabat sine re. *Savilius.* Verum est, Prætores alios urbanos fuisse, alios peregrinos, quorum propria erat *jurisdictio:* sed & hoc quoque verissimum est. Prætores quosdam de causis cognovisse majoris rei, quæ *quæstiones* dicebantur. v. g. de repetundis, de falso, de ambitu, &c. Sed hæc Prætorum divisio nihil ad hunc locum. Ergo præturæ annum transiit Agricola *quiete & otio*, quoniam *jurisdictio non obvenerat*, hoc est, jus non dixit, sed *ludos & inania honores*, ut loquitur Tacitus, *modo rationis & abundantiæ duxit.* Barclajus.

8 *Ludos & inania*] Per ludos & oblectamenta studere populari gratiæ videtur proprium fuisse Ædilium, transiitque postmodum consuetudo ad omnes pene magistratus, ut Quæstores, Prætores, Consules, &c. De Prætoribus dubitare non patitur Plutarchi locus in illis Cassii ad Brutum verbis;

[1] modo rationis atque abundantiæ duxit, [2] uti longe à luxuria, ita famæ propior. Tum electus à Galba [3] ad dona templorum recognoscenda, diligentissima conquisi-
7 tione fecit, [4] ne cujus alterius sacrilegium respublica quam Neronis sensisset. Sequens annus gravi vulnere animum domumque ejus afflixit. nam [5] classis Othoniana licenter vaga [6] dum in Templo (Liguriæ pars est) hostiliter populatur, matrem Agricolæ in prædiis

*παρὰ μὲν τῶν ἄλλων στρατηγῶν ἐπιδόσεις, καὶ θέατρα, καὶ μονομάχους, παρὰ σοῦ δὲ τὴν κατάλυσιν τῆς τυραννίδος ἀπαιτοῦνται.* l. *ab aliis quidem Prætoribus exspectat populus donaria, ludos, gladiatores, sed à te rem majoris momenti.* Savilius. Hi sunt ludi, quos *honorarios* vocat Suetonius lib. 2. ut *jus honorarium*. Virdungus.

1 *Modo rationis atque abundantiæ*] Id esset, modo quodam & temperie inter rationem, & abundantiam. Rationem, quæ dissuadet in talibus effundere. Subiit aliquando legere: *moderationis suæ atque*, vel potius, *moderationi, satisque abundantiæ*. Utrique satisfecit, & Moderationi, & Abundantiæ: medius igitur. *Lipsius.*

*Modo rationis atque abundantiæ duxit*] Sunt qui *abundantiæ* vocem interpretentur magnificentiam: quasi Agricola duxerit ludos, temperamento quodam adhibito, intra terminos à ratione consuetudineque præscriptos, ac magnificum liberalemque apparatum. Ego vero hanc non fuisse Taciti mentem arbitror: sed *abundantiam*, ad ipsius Agricolæ opes & rem familiarem referri: ut scil. ludos atque inanes honores exercuerit, modo quodam convenientis rationis, & suarum facultatum. Cicero de leg. lib. 2. de liberalitate loquens præcipit, *ut modus adhibeatur, isque referatur ad facultates*. Et inferius eod. lib. de iis ipsis ludis præscribit, ut pro facultatibus fiant. Huic sensui lucem affert Lex xxi. Cod. Theod. de præt. & quæst. *Cum enim populo fuerit intimatum, conlata à nobis editionis necessitate cum subsidiis facultatum, & professionis modo; rite poterit definiri, quid unusquisque expensa pro captu virium debeat sustinere. Sane eodem arbitrio, nulla lege præscribimus, qui pro consideratione patrimonii, natalium que merito, secundum splendorem honoris proprii, enormitatem imperii non recusant.* Quumodocunque, tangere videtur Tacitus corruptum sæculi morem, quo magistratibus ineundis, sumptus intolerabiles Romæ fiebant in ludorum spectaculorumque editionibus: cum omnis generis feras, nobiles equos, multaque alia sumptuosa, ex longinquis transmarinisque provinciis, unusquisque designatorum certatim mercari curaret, præter immensa dona, quæ sportularum nomine amicis post editiones mittebantur, ut ea historia est notissimum. *Pichena.* Fateur me nescire quid sibi velit Tacitus. Legerim: *Ludos & inania honoris, moderationis neque abundantia duxit.* Ludos Agricola & honores potius cum modo, quam abundantia exhibendos censuit. Inveteratam lectionem sic etiam non male constituas: *modo rationis neque abundantia duxit.* Colerus. Id est, pro patrimonii modo & viribus, quas plerumque ista editio spectaculorum exhauriebat. Hinc Boëtius præturam *Senatorii census gravem sarcinam* vocat. Nam quæ olim magna vis imperii jurisdictionisque fuit prætoriæ, ea postea cœpit esse onus senatorum in edendis populo scenicis & circensibus voluptatibus. Vid. Cujacius Paratit. C. de off. præt. item Notis ad l. 1. C. de præt. & hon. præt. Postremo si prætores & quæstores des. non adessent, quando ob dignitatem ludos exhibere debebant, plectebantur condemnatione frumentaria sive triticaria ex Constantini l. 1. & l. 2. de prætor. & Quæst. C. Th. confirmata à Constantio l. 3. & 7. eod. mox à Valentiniano l. 18. eod. Fiscus quoque eorum nomine expendebat sumptus, quos absentes postea refundere cogebantur, l. 6. eod. Vide Not. Fr. Jureti ad Symmachum. *Virdungus.* Scriverius malebat, *moderatiora quam abundantia.* Sed vulgatam mutare non est necesse. Sententia enim; ita ut rationis & opum suarum rationem haberet. *Boxhornius.*

2 *Uti longe à luxuria, ita*] Ut, etiamsi non nimis profusus esset in his ludis, tamen eos potius fama celebraret, ut magnificos, quam ut de parvi sumptus parceque adhibitis sileret. Ex præscripto scilicet Ciceronis hic se gessisse Agricolam, lib. 2. Offic. 16. *Virdungus.*

3 *Ad dona temporum*] Constituimus, *templorum*. Rhenanus.

4 *Ne cujus alterius sacrilegium respublica*] Suet. Ner. 32. *templis compluribus dona detraxit, simulacraque ex auro, vel argento fabricata conflavit, in his Penatum Deorum, quæ mox Galba restituit.* Barclajus.

5 *Classis Othoniana*] Extant hæc, quæ Tacitus designat. 2. hist. *Savilius.*

6 *Dum in Templo*] Audio Savilium (videre nondum contigit, etsi valde optanti) correxisse: *Dum Intemelis*: certe acute & sagaciter, quantum potest. Fulvius tamen in veteri codice repperisse ait: *Dum Intemelium, Liguriæ urbs est.* In re consentio, in verbo mutem: *Dum Intemelios.* Nam populi sunt hoc nomine: & pro urbe, aut singulariè si legas, via phrasis & textus admittit. *Lipsius.*

*Dum in templo, Liguriæ pars est*] V. C. habet. *Dum Intemelium, Liguriæ urbs est.* Ursinus. Savilius ingeniosissime & levissima mutatione, *Intemelio.* Mercerus. Monet Mercerus ab Henrico Savilio rectius legi, *dum Intemelio.* Pichena. Savilius Anglus, ut ajunt, correxerat: *dum Intemelio.* Sed ante ipsum ita quoque legendum esse censuerat Hieronymus Surita, in accuratissimis illis ad Itinerarium vetus Emendationibus. Fulvius *Intemelium.* Rectius

prædiis suis interfecit: prædiaque ipsa & magnam patrimonii partem diripuit, quæ caussa cædis fuerat. Igitur ad solemnia pietatis profectus Agricola, nuntio affectati à Vespasiano imperii deprehensus, ac [1] statim in partes transgressus est. [2] Initia principatus ac statum urbis Mucianus regebat, admodum juvene Domitiano, & ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. Is missum ad delectus agendos Agricolam, integreque ac strenue versatum, [3] vicesimæ legioni tarde ad sacramentum transgressæ præposuit, [4] ubi decessor seditiose agere narrabatur: quippe [5] legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat. Nec legatus prætorius ad cohibendum potens, [6] incertum suo an militum ingenio: ita successor simul & ultor electus, rarissima moderatione maluit videri [7] invenisse bonos quam fecisse. Præerat tunc Britanniæ Vectius Bolanus, [8] placidius quam feroci provincia [9] dignum est. temperavit Agricola vim suam, ardoremque compescuit, ne incresceret, [10] peritus obsequi, eruditusque utilia honestis miscere. Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. [11] Habuerunt virtutes spatium exemplorum. Sed primo Cerialis [1] modo

ctius puto correxisse Anglum & Hispanum. Et tamen hi etiam cur non potius scripsere *Intemelios?* Strabo à me stat lib. 4. *Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰντεμέλιοι. Colerus.* Ituriebam, quid *Templi* vocabulum hic rerum ageret, rogaturus Pythium; & incidi in Pithæum, Franciscum ajo, bonum Gallorum, qui primus me monuit, non *in Templo*, sed *Intemelium* legendum. Quod vidit etiam Savilius. Plinius 3, 5. *Intemelii* meminit. *Barclajus.*

1 *Statim in partes*] Nam splendidissimus quisque in Vespasiani proni, lib. 4. hist *Boxhornius.*

2 *Initia principatus*] Per absentiam Vespasiani, qui adhuc in Ægypto morabatur lib. 4. histor. Hujus Muciani, præter nostrum, qui eum graphice depingit 1. histor. varii meminerunt, velut Suetonius in Vespasiano, Josephus lib. 5. de bello Judaic. Dio Cass. lib. 65. & seq. Aurelius victor, Plinius & plerique alii. *Virdungus.*

3 *Vicesima legioni tarde*] Erat ea legio in Britannia. Ergo subintelligendum est, eo missum Agricolam, licet Tacitus non exprimat. Sed ex sequentibus patet. *Pichena.*

4 *Ubi decessor*] Roscius Celer, qui legatus vicesimæ legionis & discors Trebellio dicitur 1. hist. 60. *Boxhornius.*

5 *Legatis quoque consularibus*] Sub principibus duo genera legatorum, Consulares & Prætorii. ille toti exercitui præerat, isti legionibus singulis. Vide Lipsium de mil. Rom. 2. dial. 11. & 15. dial. 18. *Pichena.*

6 *Incertum suo*] Quod aut ille imperandi, aut hi parendi nescii. *Virdungus.*

7 *Invenisse bonos*] Quod Marcus imperator, moderatissimus in hominibus deterrendis à malo, invitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis, ex malis bonos, ex bonis optimos reddens, ut scribit Capitolinus. Nec secus Metellus exercitum, quem corruptissimum acceperat, prohibendo à delictis magis quam vindicando brevi confirmavit, teste Sallustio. *Virdungus.* Moderatione opus erat quia ultionem ratio belli non permittebat. Sic Valens *utili moderatione non supplicium* &c. 2. hist. 29. *Boxhornius.*

8 *Placidius quam feroci*] Absurdum est dicere Bolanum nimis imperasse molliter & ei rei fuisse remedium, quod Agricola refrenaverit ardorem suæ virtutis, ne ultra, quam par erat, sese exsereret. Corrigo igitur: *paullo durius q. f. pr. dignum. Ast temperavit.* Quasi vellet, Bolani severitatem & rigorem in regenda provincia, cujus incolis inerat multa ferocitas, mitigasse ac temperasse prudentiam Agricolæ. Aut certe, cum Bolanus clementius præesset, Agricolam alia ratione usum, sed ita, ut spiritus impetusque animi reprimeret contineretque. Etsi Tacitus brevitatem consuetam sectatus hic non ita clare exprimat. *Harlaus.* Hoc vero nec clare nec obscure exprimit Tacitus. Sed *placidius*, est, non tam alacris arrectusque & intentus ad bellandum, quam oportebat esse ducem, ubi quotidie hostis ante oculos exsultabat & lacessebat. Ab hoc torpore longissime remotus Agricola, ardebat ille quidem cupidine rei gerendæ, non tamen eam sic prætulit, ut legatum consularem offenderet, & vel audendo vel contendo fortia & ferocia segnitiem ei suam exprobraret. *Gronovius.*

9 *Dignum est*] Malo, *esset.* Acidalius.

10 *Peritus obsequi*] Talis Hephæstio describitur Q. Curtio lib. 3. c. 12. & Annius Bassus legionis legatus apud Poppæum Silvanum 3. histor. 50. *Virdungus.*

11 *Habuerunt virtutes*] Ego sic lego: *Habuerunt virtutes spatium & exemplum. Sed primo Cerialis modo labores,* &c. Hac sententia: Cerialis & spatium campumque exercendis virtutibus dedit, & exemplum. Ipse enim bonus strenuusque dux. Sed tamen initio, labores duntaxat & pericula cum Agricola partiebatur: mox, virtute ejus clare cognita etiam laudem. Pichena autem retinet vulgatam,

 &

[1] modo labores & discrimina, mox & gloriam communicabat: [2] sæpe parti exercitus in experimentum, aliquando majoribus copiis ex eventu præfecit. [3] nec Agricola umquam in suam famam gestis exsultavit; [4] ad auctorem & ducem, ut minister fortunam referebat: ita virtute in obsequendo, verecundia in prædicando, extra in-
9 vidiam, nec extra gloriam erat. Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus [5] inter patricios ascivit, ac deinde [6] provinciæ Aquitaniæ præposuit, splendidæ in

& capit de utriusque virtutibus, Cerialis & Agricolæ, quæ spatium habuerint exempla prodendi. *Lipsius.*

*Habuerunt virtutes spatium exemplorum*] Lipsius legit, *spatium & exemplum*, & de Ceriale tantum intelligere videtur, qui scil. spatium campumque exercendis virtutibus dederit. Ego vulgatam lectionem probam censeo, ut de utriusque virtutibus loquatur, quæ spatium habuerint, multa de se ipsis exempla prodendi. Ideo statim sequitur, de Cerialis humanitate ac facilitate erga Agricolam, & de hujus modestia atque obsequio erga illum. *Pichena.* Optime vulgata, Agricola licet ingenii militaris, sub Vectio tamen, qui placidiora respiciebat, sese continuit. post illa vero ducem nactus Cerialem, qui, ut lib. 3 hist. *pugna avidus, & contemnendis quam cavendis hostibus melior*, potuit (quasi perruptis angustiis) spatiose suas exercere virtutes, & nunc pugnam capessendo, nunc rem Romanam consiliis juvando aliis exemplo esse. *Salinerius.* Lipsii emendatio non spernenda, quam eleganter ipse explicat. Ego tamen, si dissentire fas, præoptem scribere, *spatium experimentorum.* Atque etiam ne membrum hoc orationis ita sit nudum, & parum cum superiore cohærens, addam initio voculam, quæ perire facillime potuit. Lego, *Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. ibi habuerunt virtutes spatium experimentorum.* Sub Vectio Bolano, inquit, vim ardoremque suum compescuit Agricola: sub Ceriali vero spatium campumque habuit, ubi se virtutes ejus experirentur. *Acidalius.*

1 *Modo labores & discrimina*] Huc pertinet Aristophanis in Equitibus: ἐρέτην χρὴ πρῶτα γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν. Κᾆτ' ἐντεῦθεν πρῳρατεῦσαι καὶ τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι. Κᾆτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ. *Remigem oportet ante esse quam clavum in puppi tenere: Ac postea demum proretam agere atque observare ventos, Ac deinde gubernare ipsum se ipso.* Virdungus.

2 *Sæpe parti*] Ductorum periculum faciendum in minoribus, antequam majora eis concedas. Q. Fabius ad T. Otacilium apud Livium 24, 8. *Idem.*

3 *Nec Agricola unquam*] Sicut stolide Antonius Primus literis ad Vespasianum compositis 3. hist. 53. *Idem.*

4 *Ad auctorem & ducem*] Agrippa duorum admonebat virum in aula ἐνθυμούμενον, τῆς μὲν δυσχερείας αὐτὸν τῶν πραγμάτων ἀντιλαμβάνεσθαι, τοῦ δὲ κατορθοῦντος σφᾶς ἐκείνῳ φυλάττειν. *salvum futurum, unius ut difficultatem rerum ipse susciperet atque amoliretur, alterius ut gloriam summa manus imposita principi relinqueret.* Dio lib. 49. Aurelius Victor de Juliano: *Qua, quanquam vi ejus, fortuna principis tamen & consilio accidere. Quod adeo præstat, ut Tiberius Galeriusque subjecti aliis egregia pleraque, suo autem ductu atque auspicio minus paria experti sint.* Idem.

5 *Inter Patritios adscivit*] Ex præcipuis populi Rom. divisionibus hæc erat, qua dispescebatur inter Patres, Patritios, & plebejos. Patritios omnes Romulus, narrante Livio, in Senatum & Publicum Consilium cooptaverat. Dionysius vero ex Patritiis vult Senatores electos. Hostilius cum Albam transferret Romam, Principes Albanorum in Patres, ut ea quoque pars Reip. cresceret, legit, Julios, Servilios, Quinctios, Geganios, Curatios, Clœlios. Post quem Tarquinius Priscus non minus regni sui firmandi, quam augendæ Reip. memor, centum in Patres legit, qui deinde minorum gentium sunt appellati. Liv. lib. 1. ejectis deinde Regibus, *quo plus virium in Senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus Regis deminutum Patrum numerum primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit Brutus.* Livius lib. 2. Quinquennio post, Appius Claudius cum sua factione ex Sabinis Romam profugus, *inter partes lectus est*; ultimus, quantum ex lectione recordor, quem libera Resp. patritiatus honore dignata est. Cæsares longo post tempore, exolescentem morem revocarunt similes ob causas, vel ut amicis gratificarentur. *Julius* (Sueton. 41.) *Senatum supplevit, Patricios allegit.* Tum Augustus, τό, τε τῶν εὐπατριδῶν γένος συνεπλήθυνε, τῆς βουλῆς οἱ δῆθεν ἐπιτρεψάσης τοῦτο ποιῆσαι, ἐπειδὴ τότε πλεῖστοι ἀπολώλεσαν σφῶν. οὐδὲν γὰρ οὕτως ὡς τὸ γενναῖον ἐμφυλίοις πολέμοις ἀναλίσκεται. i. *permittente Senatu, ut præ se ferebat, supplevit Patritiorum numerum, quorum maxima pars perierat, cum nulli bellis civilibus magis absumantur quam antiqua nobilitas.* Dio lib. 52. *iisdem diebus in numerum Patritiorum adscivit Cæsar* (Claudius) *vetustissimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverat, exhaustis etiam quas Dictator Cæsar lege Cassia, & Princeps Augustus lege Senia sublegere.* Tac. 11. Ann. Tandem Vespasianus, ut fidem facit hic locus, post quem in subrogationis similis nulla deprehendo vestigia. Solum invenio excogitatum Constantino Magno novum dignitatis genus, sub prisco quidem Patritiatus titulo, sed quod honores præfecti Prætorio excederet. Zosimus. Ὀπτᾶτος παρὰ Κωνσταντίνου τῆς ἀξίας τετυχήκει τοῦ Πατρικίου, πρώτη ταύτην ἐξευρόντος τὴν τιμὴν, καὶ προκαθῆσθαι τῶν

ὑπάρχων

in primis dignitatis administratione, ac spe consulatus cui destinarat. Credunt plerique [1] militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia [2] castrensis jurisdictio secura & obtusior, ac plura manu agens, [3] calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis [4] inter togatos, facile justeque agebat. Jam vero tempora [5] curarum remissionumque divisa. ubi conventus ac judicia poscerent, gravis, intentus, severus, & [6] sæpius misericors: ubi officio satisfactum, [7] nulla ultra potestatis persona, [8] tristitiam, & [9] arrogantiam, & avaritiam exuerat: nec illi, quod est rarissi-
mum

*ταύτης ἀξίω μόνα τῶν τῆς αὐλῆς ἐπιτυχὼν νομοθετήσαν-τ.π.* i. *Optatus obtinuerat Patritiatus dignitatem Constantini beneficio, qui honoris id commentus erat, eique supra Præfectum Prætorio concessit loci prærogativam* lib. 2. Et crebra Patritiorum in hunc sensum mentio sub posterioribus Imperatoribus *Savilius.*

6 *Provinciæ Aquitaniæ*] Hæc latissima ditissimaque regio à Pirenæis montibus ad Ligerim usque tunc ex instituto Augusti pertinebat, Auctores Strabo & Ptolemæus. Prius enim Celtas & Aquitanos disterminabat Garumna, ut ex Cæsare, Mela aliisque notum. De ejus provinciæ nobilitate Ausonius inde oriundus, Salvianus lib. 7. Ammianus lib. 15. & Sidonius lib. 4. ep. 22. Augustus Aquitaniam triplicem instituit: Primam, cujus caput Avaricum fuit, Biturigum Cuborum; secundam, cujus primaria urbs Burdigala, Biturigum Viviscorum; tertiam Transgarumnanam, in qua principem tenebat locum Augusta Auscorum, quæ provincia ab Augusti temporibus ad Pipinum usque nominata fuit Novempopulania; inde ad hunc diem Vasconia. *Virdungus.*

1 *Militaribus ingeniis*] *Milites arma magis quam jura scire usitatum esse*, scribit Imp. l. ult. C. de I. delib. Atque adeo in quovis milite juris ignorantia & error præsumitur sine alia probatione, ut tradit Baldus. *Idem.*

2 *Castrensis jurisdictio secura*] De qua adi Sigonium lib. 2. de antiquo jure provinc. c. 6. & in primis Lipsium de milit. 5. dial. 18. *Virdungus.* Corrigo *severa* pro *secura*. Harlæus. *Secura* ea minus anxia, sollicita, *μικρολογοῦσα*, in apicibus nodisque & ænigmatibus commenticii juris. *Gronovius.*

3 *Calliditatem fori*] Præsertim in formulis illis, in quibus qui uno verbo errarat, causa cadebat. Has formulas, ut & alias solennitates juris, in jurisdictione castrensi non ita stricte observari solitas innuit. sed neque callida juris interpretatione milites alium ab alio, ut in foro, supplantatos. *Virdungus.*

4 *Inter Togatos*] Aquitania enim tum pacata erat Provincia, & belli expers nec militibus infessa. *Savilius.* Imo *inter sagatos*, aut *quamvis non inter togatos*, nam de castrensi jurisdictione sermo, in qua Agricolæ æquitas non minus quam aliorum in foro eluxit, quod ut rarum merito notat Tacitus. *Grotius.*

5 *Curarum & remissionum divisa*] Id est, utrumque tempus, & otii & negotii recte dispensatum & in utroque *τὸ πρέπον* observatum. Nimirum, ut canit poeta, *Temporibus servire decet. qui tempora certis Ponderibus pensavit, cum si bella vocabunt, Miles erit; si pax, positis toga vestiet armis.* Quare mox idem Pisonem deprædicans: *Mira subest gravitas inter fora: mirus omissa paulisper gravitate lepos.* Talem L. Crassum Cicero describit 1. de Orat. & Africanum juniorem Vellejus; ubi *neminem eo elegantius intervalla negotiorum otio dispunxisse refert.* Virdungus.

6 *Sæpius misericors*] Judicis boni est, quantum fides & religio permittunt, absolvendi quam condemnandi reum causas quærere: de qua re multæ præclaræ sententiæ apud Senecam in libris de Ira & Clementia. *Idem.*

7 *Nullam ultra potestatis personam, tristitiam & arrog.*] Conjicio scribendum; *ubi officio satisfactum nulla ultra potestatis personam tristitia. Et arrogantiam.* Nam si quis malit *ultra* adverbialiter accipere pro *ulterius*, *nulla ultra potestatis persona, tristitiam, & arrog. & avarit.* Rhenanus. Importuna hic *avaritiæ* mentio, ubi moderatio morum adversus alios intra facilitatem & severitatem describitur. Mutanda igitur vox, si commode potest: si non, ejicienda potius, ut insititia. Mutare ego volebam, *amaritiem*: ut non acerbum fuisse dicat. Sed non placet. Præcedentia & sequentia qui legit paullo attentius, quale quid requiratur, tam facile, quam *avaritiam* non convenire videt. Probari tamen videtur iis, quæ statim subduntur, *integritatem atque abstinentiam.* Acidalius. Sic Catonem Uticensem describit Plutarchus, *ἄχρι τοῦ βήματος καὶ τοῦ συνεδρίου χαλεπὸν ὄντα καὶ φοβερὸν ὑπὲρ τῶν δικαίων, εἶτα πᾶσιν εὐνοικῶς καὶ φιλανθρώπως προσφερόμενον.* *Virdungus.*

8 *Tristitiam*] Tristitia est nimia morum austeritas sive asperitas: qualem cum in Xenocrate animadverteret Plato jubebat eum *θύειν ταῖς χάρισιν.* Hujusmodi indoles eminebat in filio Philippi Augusti C. Julio Saturnino vere Saturnina, ut habes in Aurelii Victoris epitome. In primis Tiberius hoc nomine male audiit. Sueton. 21. & 59. *Virdungus.*

9 *Arrogantiam*] Ob quam Tarquinium & *libidine præcipitem* & *avaritia cæcum* & *immanem crudelitate vocaverunt Superbum: & putaverunt sufficere convicium*, inquit Panegyristes. Lucullo quoque, summo alioquin imperatori, ea res pessime vertit apud suos: & ante eum Pausaniæ non minus cele-

 bri

mum, aut [1] facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, [2] injuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, [3] cui etiam sæpe boni indulgent, [4] ostentanda virtute, [5] aut per artem quæsivit: [6] procul ab æmulatione adversus collegas, procul à contentione [7] adversus procuratores. & vincere inglorium, & [8] atteri sordidum arbitrabatur. [9] Minus triennium [10] in ea legatione detentus, ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione, Britanniam ei provinciam dari; nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. haud semper errat fama, [11] aliquando & eligit. [12] Consul egregiæ tum spei filiam juveni mihi despondit, ac post consulatum collocavit, & statim Britanniæ præpositus est, [13] adjecto pontificatus sacerdotio. Britanniæ situm populosque

bri victori Persarum, & Perdiccæ intèr duces Alexandri primi nominis. *Idem.*

1 *Facilitas auctoritatem aut severitas amorem*] Cicero ad Brutum in Orat. *Quid enim tam distans, quam à severitate comitas? quis tamen unquam te aut sanctior est habitus aut dulcior*; Et hunc virtutum diversarum concentum in Trajano prædicat Plinius. Omnes autem de fonte Isocratis ad Nicoclem potasse videntur. *Idem.*

2 *Injuria virtutum fuerit*] Hoc est, longe excellentioribus virtutibus exsplendescebat Agricola, quam ut in ejus laudibus hæ commemorari debeant, quibus qui præditus est, non tam laudandus, quam vituperandus, qui præditus non est. *Idem.*

3 *Cui etiam sæpe boni*] Quippe etiam sapientibus cupido gloriæ novissima exuitur, lib. 4. hist. ex illo Platonis, τὸν κενοδοξίας, ὡς τελευταῖον χιτῶνα. Etenim ut ait Cicero pro Archia cap. 11. *insidet quædam in optimo quoque virtus* &c. Qui quidem locus totidem fere verbis exstat etiam in Rabiriana perduell. cap. 10. Augustin. de civ. dei. 5, 17. *Idem.*

4 *Ostentanda virtute*] Ita lego, pro *ostentandam*. Rhenanus.

5 *Aut per artem*] Ut Africanus superior. Livius lib. 26. & Polybius lib. 9. apud nostrum lib. 13. Domitius Corbulo, *super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus.* Cæterum hi tales, ni fallor, jure excusantur, quibus scenæ serviendum. At illos artifices, qui probitatis famam aucupantes, pauperes humilesque simulant, pleni intus immanis cujusdam ambitionis & φιλαυτίας, facile averseris. *Virdungus.*

6 *Procul ab æmulatione adversus collegas*] quid ergo ait Tacitus de collegis? nam omnes alii ejusdem provinciæ ministri sub illo erant. Censeo collegas vocari legatos alios, qui finitimis provinciis præerant. *Pichena.*

7 *Adversus procuratores*] Exemplum apud nostrum lib. 14, 38. Nota autem procuratorum improbitas ex dicto Alexandri Severi apud Lamptid. *malum necessarium* eos vocantis. *Virdungus.*

8 *Atteri sordidum*] Senecæ est: *cum superiore contendere, furiosum; cum pare, anceps; cum inferiore, sordidum.* Et lib. 1. de clem. cap. 21. monet, *à quibusdam non aliter quam ab animalibus parvis & obterentem inquinantibus reducendam manum esse.* Generose Metellus apud A. Gellium 6, 11. *Idem.*

9 *Minus triennium*] De Procos. Augustus constituit, ut eorum Præfecturæ essent annuæ: de suis legatis (quos Proprætores, etsi consulatum gessissent, nominari voluit) ut plures annos cum imperio essent. Tiberius in ea re vel nimius; causas exponit Josephus 18. Antiq. Laudatur ob id & Pius Antoninus Capitolino cap. 5. Et ausus similia Pescennius Niger ad Marium & Commodum scribere, Spartiano teste cap. 7. Sed huic commodo ingens periculum adjunctum, quod multos diuturna consuetudo imperii corruperit & ad rerum novarum consilia impulerit. *Idem.*

10 *In ea legatione*] Legationem vocat, cum tamen præses provinciæ fuerit Agricola. Sed nota est divisio provinciarum ab Augusto facta, sic, ut aliæ Cæsaris, aliæ populi dicerentur; Cæsaris, quæ validiores erant, & quas annuis imperiis regi nec facile nec tutum erat. Has igitur ipse suscepit in easque rectores mittere instituit viros (ut est apud Strabonem) qua consulares qua prætorios, sed & equites, quos ille generali nomine ἡγεμόνας, jurisconsulti in Pandectis *Præsides* appellant. Iidem speciali nomine *legati Cæsaris* dicti. At qui in provincias populi missi, ii *Proconsules* dicebantur: unde tit. lib. 1. Pandect. de offic. Procos. qui ad populi provinciarum rectores solos pertinet. Dio lib. 53. Sueton. Aug. 47. alii. *Idem.*

11 *Aliquando & elegit*] Opinor scribi debere, *eligit.* Nisi quis suspicetur fuisse, *ferit*, ut sit translatio à sagittariis. Ibid. pro *collavit* scripsi, *collocavit.* Rhenanus. Hesiodus: Φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται ἥν τινα πολλοὶ Λαοὶ φημίζωσι. Vulgo jactatum, *Vox populi, vox Dei.* Virdungus.

12 *Consul egregiæ tum spei filiam juveni mihi despondit*] Dubites, utrum jungas, *consul egregiæ spei*, an, *filiam egregiæ spei.* Quod si hoc potius, magis etiam dubites, an non *speciei* pro *spei* scribendum. Sed *filia egregiæ spei*, quæ in præclarum matrimonium spe & voto multorum destinabatur. *Acidalius.*

13 *Adjecto Pontificatus sacerdotio*] Omnia Sacerdotum collegia, quorum ingens Romæ turba, illud Pontificum anteibat dignitate, quatuor constans viris, quibus mox similis numeri data accessio, post-

losque multis scriptoribus memoratos, non in comparationem curæ ingeniive referam: sed quia tum primum perdomita est. itaque quæ priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia [1] insularum quas Romana notitia complectitur maxima, [2] spatio ac cælo in Orientem Germaniæ, in Occidentem Hispaniæ obtenditur: Gallis in Meridiem etiam inspicitur: [3] Septemtrionalia ejus, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniæ Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores, [4] oblongæ scutulæ

postmodum etiam sub Sylla auctis. Successoris electio penes ipsos fuit, quandoque penes populum, tandem penes Principem. Collegio isti præerat Pontifex Maximus, stabilita in ipsis Cæsaribus dignitas jam à Julii usque temporibus, in quo Imperium & Pontificatus primum coaluerant, per mutationum vices, more in Christianos Cæsaris propagato, donec cum habitu sacro ipsum quoque nomen Gratianus rejicit. Zosimus lib. *προσαγαγόντων αὐτῷ τῶν Ποντιφίκων κατὰ τὸ σύνηθες τὴν ἱερατικὴν στολὴν, ἀπεσείσατο τὴν αἴτησιν, ἀθέμιτον εἶναι τῷ Χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας* i. *cum Pontifices ad ipsum ex more deferrent usitatam Pontificibus vestem, renuit, Christiano indignum ratus ea indui.* Postea Theodosius, ut idem Zosimus & Symmachus auctor est, collegium illud Pontificum dissolvit. neque alios Sacerdotes superesse passus est, in fiscum redactis eorum bonis. Nomen Pontificis scribit Varro lib. 4. de Ling. Lat. deductum esse à ponte, *nam ab iis Sublicius est factus primum, & restitutus sæpe.* Zosimus derivat à prisca apud Thessalos consuetudine ubi, templis nondum exstructis, imagines Deorum locabantur in ponte fluminis Penei, Sacerdotesque dicebantur *γεφυραῖοι. Savillius.*

1 *Insularum maxima*] Ambitus decies ter centena triginta sex millia passuum colligit. Ex Cambdeno. *Virdungus.*

2 *Spatio ac cælo*] Quid sibi velint hæc verba, quærunt: nec immerito. Ajo distinctione illustranda: *maxima spatio, ac cælo in Orientem.* Est maxima spatio: si cælum intueare, & ab eo situm, in Orientem Germaniæ objacet. *Lipsius.*

*Spatio ac cælo in Orientem Germaniæ*] Quid sibi velint verba, *spatio ac cælo*, non facile liquet. Tamen arbitror sensum esse: Britanniam Germaniæ, Hispaniæque obtendi, non quidem ex proximo, sed spatio ac cælo mediante, id est, per longum intervallum maris atque aeris. Quoniam autem de Gallia, quæ vicina est, idem dicere non potuit, propterea sequitur: *Gallis in meridiem etiam inspicitur.* Pichena. Sic Mela 2. 2. *diversas spatio pelagoque terras.* Male hæc Taciti Lipsius corrigit. *Is. Voss.*

3 *Septentrionalia ejus: nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur.*] Vera narrat, si vera sunt, quæ etiam hodie asserunt Incolæ: quod ego scio. Nam Collonia (sic castrum vocatur in quo primum terram tetigi) sita est in littore quod *tam vasto atque aperto mari pulsatur.* Quo loco, ut obiter dicam, non pauca sunt vestigia veterum bellorum cum Anglis præsertim. Est in eodem littore, in territorio gentis Barclayanæ portus quidam, qui nostra lingua *Auld heaven* appellatur, quem qui viderit longe facillime intelliget, quæ scribit Virgil. 1. Æn. v. 163. quibus versibus tam graphice depinxit portum nostrum, quam natura finxit. *Barclajus.*

4 *Oblonga scutula vel bipenni assimilavere*] *Scutula* hic usurpata Tacito & Martial. lib. 11, 32. & *scutella* Tullio, notat paropsidem, vulgo mensis adhiberi solitam, qua inferantur fercula, & scutella est *ἑτερομήκει* quadrilatero oblongo apud Censorinum cap. 18. comparata, cujus hæc est apud Euclidem definitio (Censorini enim locus corruptus est) *τετράπλευρον ὃ ὀρθογώνιον μέν ἐστιν, οὐκ ἰσόπλευρον*

A

Scutula

Cuneus

3. i. *figura quadrilatera rectangula, sed lateribus inæqualibus*, qualem exhibet litera A. quamquam hic Taciti locus ostendere videatur, non omnes scutulas fuisse *ἑτερομήκεις*, sed alia nonnullas figura. Addit enim *oblongæ*, limitata vocabuli generalioris significatione. *Bipennis*, ait Quintil. Inst. Orat. lib. 1. *securis utrinque habens aciem, à pinna quod est acutum.* Jam vero descripta hic Britanniæ pars quam habeat cum securi aut cuneo, aut alterutro, (cum tamen ex Geometriæ placitis duo uni tertio proportionalia, etiam inter se talia esse deberent) conformitatem, quia dispicere nequeo, aliis libenter illud examen defero. Unum id re doctus animadverti multis Scriptoribus male cessisse ejusmodi similitudinum commenta. Strabo notam Orbis partem *χλαμυδοειδῆ*. i. *chlamydi* comparat. Aristoteles 2. meteor. *tympano. καὶ οὖσαν οἷον τυμπάνου. τοιοῦτον γὰρ σχῆμα τῆς γῆς.* Dionysius Afer *fundæ σφεν-*

δόνῃ

ſcutulæ vel bipenni aſſimilavere. & eſt ea facies [1] citra Caledoniam, [2] unde & in univerſum fama eſt tranſgreſſa. ſed immenſum & enorme ſpatium procurrentium extremo jam litore terrarum, velut in cuneum tenuatur. Hanc oram noviſſimi maris [3] tunc primum Romana claſſis circumvecta, [4] inſulam eſſe Britanniam affirmavit, ac ſimul [5] incognitas ad id tempus inſulas, quas Orcadas vocant, invenit, domuitque. [7] diſpecta eſt & Thyle, quam hactenus [8] nix, & hiems abdebat. [9] ſed mare pigrum & grave remigantibus perhibent. [10] ne ventis quidem proinde attolli: credo quod [11] rariores terræ monteſque, cauſſa ac materia tempeſtatum, & [12] profunda moles

δὸν ἰσαῦως (miro ſcil. paritatis conſenſu) & uterque Hiſpaniam bovis tergori; Rutilius Numatianus Italiam frondi quernæ; idem Dionyſius Africam & Europam cono Iſoſceli verſu 277. Peloponneſum Πλατάνοιο μυουρίζοντι πετήλῳ. l. *Platani folio muris caudam referenti.* Savilius. Lances fuiſſe & quadratas, & rotundas, qui Juriſprudentiam vel libavit, non poteſt ignorare, ſic *ſcutulas* vel *ſcutellas* quadratas quoque fuiſſe & rotundas audeo affirmare, quoniam Tacitus videtur vocem *ſcutulæ* temperare adjiciendo *oblonga*, quod ſuperfluum videretur, ſi omnes ſcutulæ oblongæ. Ajo ergo ſcutulas & lances non figura diverſas fuiſſe ſed profunditate. Mart. XI, 32. *leves ſcutulas, cavaſque lances.* De bipenni quid dicam? certe fuit anceps; auctor mihi Feſtus. *Anceps ſignificare mihi id videtur, quod ex utraque parte caput habeat, ut ſecuris, bipennis.* quibus verbis recte dicit ſecurim ancipitem, ut & Ovid. 8. Met. *Ancipitemque manu tollens utraque ſecurim.* Formam ſecuris nihil æque repræſentat, atque Securidaca, quam à ſimilitudine pelecinon vocant Plinius 29, 25. & Mathiolus in lib 3. Dioſcoridis. Ceterum totius Britanniæ formam ſcutulæ, aut bipenni non pictores, ſed hiſtoriographi aſſimilavere: quibus non minus credo quam calceolario de crure differenti. *Barlaius.*

1 *Citra Caledoniam*] Caledonia Scotiæ pars Septentrionalis, nunc Albania. *Savilius.*

2 *Unde & in univerſum fama eſt tranſgreſſa*] Lego, *unde & in univerſum fama, è tranſgreſſis.* Quaſi diceret. ſic narrant qui tranſgreſſi ſunt. *Rhenanus.* Hoc ideo, quia ad id ævi ulterior pars inſulæ Romanis fuerat ignota. *Virdungus.* Scripſiſſe auctorem cenſeo: *unde ea in univerſam fama eſt tranſgreſſa.* Gronovius.

3 *Tunc primum*] Quemadmodum Livius & Ruſticus referunt. Alioquin legerim, *quum primum.* Rhenanus.

4 *Inſulam eſſe*] Xiphilinus Tito: πρῶτός γε Ῥωμαίων ὧν ἡμεῖς ἴσμεν ἔγνω τοῦθ' ὅτι ἡ Βρεττανία περίῤῥυτός ἐστι. i. Agricola *Romanorum primus, quantum nobis quidem conſtat, Britanniam eſſe inſulam comperit.* Dio paulo largius lib. 39. προϊόντος τοῦ χρόνου πρότερον τε ἐπ' Ἀγρικόλου Ἀντιστρατήγου καὶ νῦν ἐπὶ Σεβήρου Αὐτοκράτορος νῆσος οὖσα σαφῶς ἐλήλεγκται. i. *progreſſu temporis primum ſub Agricola Proprætore, & nunc ſub Severo Imperatore innotuit inſulam eſſe.* Savilius.

5 *Incognitas ad id tempus inſulas*] Si nunc demum inventæ, falſum quod Euſebius Chronico tradidit: *Claudius de Britannis triumphavit, & Orcadas inſulas Rom. adjecit imperio.* quem tamen plerique Epitomarii ſcriptores ſecuti ſunt. *Lipſius.*

6 *Quas Orcadas vocant*] Oroſius 7, 6. devictas Orcadas falſo tribuit Claudio. *Orcades etiam inſulas ultra Britanniam in Oceano poſitas Romano adjecit Imperio.* Sed antea cognitas fuiſſe Mela, qui ſcripſit temporibus Claudii, docet, tradito earum numero l. 3. *Triginta ſunt Orcades anguſtis inter ſe diductæ ſpatiis.* Savilius.

7 *Diſpecta eſt & Thyle*] Plerique Iſlandiam eſſe cenſuerunt: alii Scandinaviam peninſulam, ſed a veteribus inſulam creditam; Ortelius vult Tilemarchiam tractum Norvegiæ: Peucerus Schotlandiam, quæ objacet Bergis urbi Norvegiæ. Cui applaudit Cambdenus. *Virdungus.*

8 *Nix & hiems appetebat*] Scribo, *abdebat.* hoc eſt, occultabat. *Rhenanus.*

9 *Sed mare pigrum*] Hæc ſumpſit Jornandes in hiſtoria Gothorum. De Britannia enim loquens ait: *mari tarde circumflua, quod nec facile impellentibus cedat, nec ventorum flatibus intumeſcat: quia remota longius terra cauſas motibus negans: quippe illuc latius quam uſquam æquor extenditur.* Pichena. Hodie certe id falſum. Nec Taciti ætate verum fuiſſe credendum. Repugnat ratio ipſa & natura maris. *Boxhornius.*

10 *Ne ventis quidem perinde attolli*; id eſt, non æque ut illud notum Romanis mare. Is apud Tacitum uſus iſtius vocis. Et in eo quod ſequitur non omnino negat impelli, ſed ait tardius impelli. *Grotius.* Plane naturæ hodierni de mari iſto (quod pro locorum varietate ſortitum appellationes, Germanicum, Septentrionale, Cimbricum, Balthicum, Codanium, Suevicum, Vandalium, Scythicum, Sarmaticum &c. dicitur) contrarium adfirmant; nauſeam enim majorem concitare navigantibus ob vehementiores motus, quibus modo ad æthera uſque attolli, modo in imum uſque infernum deprimi videtur. *Virdungus.*

11 *Rariores terra monteſque, cauſa*] Reſcribo: *montes, qui* (vel *quæ*) *cauſa.* Rariores illa terra montes erigit, inter montes autem eorumque amfractus major vis incumbentium & ſe involventium ventorum. *Boxhornius.*

12 *Profunda moles*] Sane Suevicis ſive Norwegicis litoribus nonnullis immenſa eſt profunditas, aliis pleriſ-

moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque æstus neque quærere hujus operis est, ac multi rettulere. unum addiderim: nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, etiam [1] jugis atque montibus inseri velut in suo. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenæ an advecti, ut in- 11
ter Barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii: atque ex eo argumenta. nam [2] rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus, [3] Germanicam originem asseverant. [4] Silurum [5] colorati vultus, & torti plerumque crines, & [6] positu contra Hispaniam, Iberos veteres trajecisse, easque sedes occupasse fidem faciunt. [7] proximi Gallis, & similes sunt: seu durante originis vi; seu [8] procurrentibus in diversa terris, positio cæli corporibus habitum dedit. [9] in universum tamen æstimanti, Gallos vicinum solum occupasse, credibile est. [10] Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasione. Sermo haud multum diversus. in deposcendis periculis eadem audacia; & ubi advenere, in detrectandis eadem formido. plus tamen ferociæ Bri-

plerisque locis Oceanus Germanicus ıx. tantum cubitorum altitudine dicitur, ac vix usquam centum cubitorum profunditatem excedere. *Virdungus.*

1 *Jugis atque montibus inseri, velut in suo*] Potest quidem interpretari: Mare in jugis montibusque quasi imperium exercere, tanquam in suo proprio alveo, ut Cicero ad Att. 13, 1. *Nam quomodo nunc est, pedem ubi ponat in suo non habet.* Tamen potius suspicor, corrupta esse verba, *velut in suo*, ac fortasse legendum, *velut insulis*: præsertim respectu verbi, *ambire*. Quasi dicat: inseritur aliquando montibus, eosque ambire conatur, ac si essent insulæ. *Pichena.*

2 *Rutilæ Caledoniam habitantium*] Adspexit, imo transcripsit in parte hunc locum Jornandes De origine Gothorum: *Silurum* (male in eo, *sylorum*) *colorati vultus, torto plerique crine & nigro nascuntur. Calidoniam vero incolentibus rutila coma, corpora magna sed fluida, qui Gallis sive Hispanis à quibusque attenduntur adsimiles.* Lipsius.

3 *Germanicam originem*] Germanis enim quoque tum *rutila coma, magna corpora*, ut noster testatur in libro de moribus eorum cap. 5. *Virdungus.*

4 *Silurum*] Silures Walli Australes & Cornewalli, ut ex hac Taciti descriptione patet. *Savilius.*

5 *Colorati vultus*] Aut nigri aut fusci. Neque enim intelligi ab eo puto vultus pictos, quos Cæsar memorat. Lib. 5. comm. *Omnes vero se Britanni luteo inficiunt, quod cæruleum efficit colorem.* Illud enim omnibus commune, hoc Siluribus proprium. Neque tale quippiam Hispanis usitatum reperio. *Savilius.*

6 *Posita contra Hispaniam*] Indubie fuit, *positu*, id est, positione. Sic Ann. 1. de numero legionum: *Quæ positu regionis, à tergo illis &c. accirentur.* Rursum lib. 6, 21. *Ille positus siderum, ac spatia dimensus, hærere primo.* Expone *positu*, hoc est. propter positum sive positionem. Hoc magis arridet, quam ut legatur, *positi.* Rhenanus. Emendavit Rhenanus, cum antea legeretur, *posita.* Ego mallem, *positus*, id est, positio. nam primo etiam casu dixit, *colorati vultus*, & *torti crines.* Sic Ann. 6, 21. *Ille positus siderum, ac spatia dimensus.* Pichena. Concinnabam, *positus contra Hispaniam.* ut idem sit quod situs vel positio. Muretus, *posita contra Hispania:* forte melius. *Acidalius.*

7 *Proximi Gallis*] Hi sunt, qui Cantium regionem (hodie *Kent*) incolunt: quos omnium Britannorum humanissimos haud multum à Gallorum consuetudine differre prædicat Cæsar lib. 5. quæ laus humanitatis etiamnum hodie Cambdeno judice incolis debetur. *Virdungus.*

8 *Procurrentibus in diversa*] Stolidum est ex diverso terrarum positu desumere similitudinis corporum causam ac rationem. Omnino lego, *procurrentibus inter se terris*, proxime se contingentibus. Quæ ipsius Taciti scriptura est, aut egregie fallor. Posset forte tamen stare lectio vulgata, si quis dicat *procurrentes in diversa terras* & *positionem cæli* inter se opponi. *Procurrentes in diversa terræ* sunt disjunctæ ac divisæ. *Boxhornius.* Certe egregie fallitur. Nam *procurrentes diversa terra* non sunt disjunctæ ac divisæ, sed id ipsum, quod procurrentes inter se terræ. nam à Britannia procurrunt terræ in *diversam*, hoc est, adversam, Galliam; & vicissim è Gallia procurrunt terræ in *diversam*, hoc est, adversam Britanniam. Frequens autem veteribus *diversum* pro adverso ponere. *Gronovius.*

9 *In universum tamen æstimanti*] Hoc est, totius Britanniæ populos simul considerando. Idem de moribus Germ. dixit: *in universum æstimanti, plus penes peditem roboris.* Pichena.

10 *Eorum sacra*] Uterque enim populus detestabili sacrorum ritu humanis litabat hostiis. De Gallis notum ex Cæsare, Strabone, Mela, Solino & plerisque aliis. De Britannis idem tradit Dio Cassius lib. 60. Sed & utramque gentem suos Druidas habuisse ex Cæsare & nostro notissimum est. *Virdungus.*

Britanni præferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. [1] nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus. mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate, quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent quales Galli fuerunt.

12 [2] In pedite robur: quædam nationes & curru prœliantur. [3] honestior auriga, clientes propugnant. [4] olim regibus parebant, nunc per principes factionibus & studiis trahuntur. nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. [5] Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: [6] ita dum singuli pugnant, universi vincuntur. Cælum

1 *Nam Gallos quoque in bellis floruisse*] Imo & hodie florent, & habent principem, quem ego audeo cum Julio Cæsare non comparare solum, sed præponere. Cujus res gestæ si pari facundia narrentur, plus admirationis posteris afferent quam nobis res Julii Cæsaris, aut Alexandri Magni attulerunt. *Barclajus.*

*In bellis floruisse*] Ita loquitur alibi quoque noster, & lib. 3. At Strabo, qui ævo Tiberiano vixit & scripsit, longe secus: *Universa*, inquit, *natio eorum, qui nunc Galli & Galatæ appellantur, Martis studio flagrans, animo est strenuo & celeri ad conferenda prœlia: alioqui mente candida & simplici & ab improbis moribus abhorrente. itaque injuria lacessiti, confertis coeunt in certamina aperte, nulloque periculi adeundi respectu.* A quibus non discrepant, quæ de Gallis suorum temporum prodit Ammianus Marcellinus. Denique omnia aliorum encomia superat illud Hieronymi adversus Vigilantium: *Sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis & eloquentissimis abundavit.* Virdungus.

2 *In pedite robur*] Ut & apud Macedonas olim & Romanos. Vegetius lib. 2, 1. *Idem.*

3 *Honestior auriga, clientes propugnant*] Secus apud Græcos & Trojanos: domini enim currus pugnabant, qui Hesychio παραιβάται dicebantur, *οἱ ἐπὶ τῶν δίφρων ἑστῶτες μαχόμενοι, οἱ κύριοι τῶν ἁρμάτων.* i. *pro curribus pugnantes curruum domini.* Iique digniores aurigis, ut Achilles Automedonte, ut Hector Iniopæo. *Salinerius.*

4 *Olim regibus parebant*] Aristocratiam eandem, quæ apud Celtas & Germanos, obtinuisse apud Britannos censent. Vide Strabonem lib. 4. Ut hi reges fuerint ut Laconici, reapse nihil nisi optimatium principes. Contrarium tamen videtur hic locus vociferari, quum *reges* & *principes* inter se opponit. Nisi dicamus, semper quidem Optimatum regimen inibi obtinuisse, sed olim quidem cum Principatu, post sine Principatu. Cæterum verbum *parere* ingerere videtur regnum sic proprie dictum. *Principes*, ii magistratus, qui partem aliquam gentis curabant: quæ partes, majores quidem *Pagi*; minores autem *Vici* vocantur. *Virdungus.* Alienæ interpretationes ex eo natæ, quod *Reges* & *Principes* existimaverint inter se opponi. Nihil profecto minus. nam quemadmodum olim, ita & illa tempestate reges inter Britannos erant. Cogiduni reges & Voadicæ generis regii fœminæ hoc libro meminit noster. *Parere* igitur & *factionibus ac studiis trahi* hic opponuntur. Cum *paruisse* dicit, intelligit promptitudinem obsequii atque statam ejus fidem. *Studiis & factionibus trahi* nihil est aliud quam intestinis principum discordiis motibusque se præbere. Atque his quidem occasionem dabat ipsa principum multitudo. Olim illi pauciores & singuli pluribus præerant, postea vero singulæ civitates singulos dominos habuere. Iidem igitur *principes*, sed non eadem obsequii modestia. Eadem auctoritas, sed non eadem concordia, sed nec numerus idem *regum.* Boxhornius. Quicquid dicat, non efficiet, ut hic Tacito iidem sint *reges*, qui *principes.* nam *Princeps* pro rege aut eo, qui unus summum imperium quocumque nomine obtinet, tum extra Romam nemo dicebatur; sed in Græcis barbarisque gentibus *princeps* apud veteres Latinos nihil aliud est quam aliquis procerum, optimatium, nobilium: ut Ismenias *Thebanorum princeps*, Aristotimus etiam ante tyrannidem occupatam Hellanicusque *principes Eliensium*, Miltiades *cæterique principes Atheniensium*, & *principes civitatis Argorum:* in regnis satrapes, prætor, præfectus, purpuratus, amicus regius. Olim, inquit, in certis personis familiisque fundabantur regna gentes complurium populorum complexa: dein, ut & nunc, fato illis aut destitutione sublatis, dissiluit validorum illorum corporum unitas, & distrahuntur, prout aliquis procerum & quondam regibus proximorum vi & artibus ad homines adjungendos clientesque parandos & retinendos evaluit. Sic Alexandro & majoribus ejus regibus parebant Macedones: & eo mortuo factionibus & studiis distrahebantur, donec pauci oppressis aliis nova regna firmarent. Talis erat status Galliæ, cum *à potentioribus atque iis, qui ad conducendos homines facultates habebant, vulgo regna occuparentur*, verbis Cæsaris l. 2. *Gronovius.*

5 *Rarus duabus tribusve*] Sic melius restitui. Vulgo, *tribusque.* Pichena. Lego, *tribusve.* Acidalius.

6 *Ita dum singuli pugnant*] Dictum, quod ætas nostra & alia comprobavit. Justinus eleganter lib. VIII. *Græciæ civitates dum imperare singulæ cupiunt, Imperium omnes perdiderunt. Quippe in mutuum exitium sine modo ruentes, omnibus perire quod singulæ amitterent, non nisi oppressæ senserunt.* Lipsius.

1 Dic-

lum crebris imbribus ac nebulis fœdum. aſperitas frigorum abeſt. [1] Dierum ſpatia ultra noſtri orbis menſuram, & [2] nox clara, & extrema Britanniæ parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo diſcrimine internoſcas. *Quod ſi nubes non afficiant*, [3] *aſpici per noctem Solis fulgorem*, [4] *nec occidere & exſurgere*, *ſed tranſire* affirmant: [5] ſcilicet extrema & plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, [6] infraque cæ-

1 *Dierum ſpatia*] Res hodie teſtis: atque etiam viri ab illo ævo. Scriptor Panegyricus ad Conſtantinum, de Britannia: *Longiſſima dies, & nulla ſine aliqua luce noctes, dum illa litorum extrema planicies non attollit umbras, noctiſque metam cœli & ſiderum tranſit aſpectus.* cauſſa tamen futili & à ſolo petita, quæ revera à ſole. Sed nimirum orator ille palam argutiolam à noſtro hic ſumpſit: *Scilicet extrema & plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque cœlum & ſidera nox cadit.* Plinius de longiſſimis diebus: *In Italia horarum quindecim: in Britannia ſeptemdecim, ubi æſtate lucidæ noctes haud dubie repromittunt id quod ratio cogit credi, Solſtitii diebus accedente Sole propius verticem mundi, anguſto lucis ambitu, ſubjecta terra continuos dies habere ſenis menſibus, noctesque è diverſo ad brumam remoto.* Quem corrigo tranſiens; *haud dubie re promunt.* Idem.

*Dierum ſpatia ultra noſtri orbis menſuram*] Sed cur de noctibus longioribus non meminit? Nec vero crepuſcula longiora quoque in hieme, vere diei partes. Puto, æſtatis tantum tempus ſignificatum: quia Romani, ſolum æſtate bella gerebant, eoque potiſſimum tempore regiones, præſertim ſeptentrionales, peragrabant noverantque. Sic infra: *Sed ubi æſtas advenit, contracto exercitu.* ac deinde: *Quarta æſtas obtinendis quæ percurrerat inſumpta.* Item paulo poſt: *Ceterum æſtate, qua ſextum officii annum inchoabat.* Ann. 6. *Quæ duabus æſtatibus geſta conjunxi, quo requieſceret animus à domeſticis malis.* hiſt. lib. 5. *Veſpaſianus fortuna famaque & egregiis miniſtris, intra duas æſtates, cuncta camporum, omneſque præter Hieroſolyma urbes, victore exercitu tenebat.* Pichena. Vide Cæſarem lib. 5. Gall. Plinium lib. 2. cap. 75. & Panegyricum Conſtantino dictum. Hodierni Geographi accuratiores, qui Britanniam octavo climati ſubjectam, parallelis XVIII. & XXVI. incluſerunt, diem inibi maximum horarum æquinoctialium octodecim cum ſemiſſe putant. *Virdungus.*

2 *Nox clara*] Hoc propter παραυγασμὸν ſive τοῦ φωτὸς ἀντιπερίστασιν. Fit autem hic παραυγασμὸς tantum ſub illis ſignis, quæ propius punctum ſolſtitiale ſunt, Geminis & Cancro, & quidem in illis tractibus, in quibus nox longiuſcula eſt, quam ſub polo ecliptico: ut v. g. quibus Tropicus non eſt pro Arctico, neque tangit punctum horizontis aquilonii, illis tantum temporis noctes obſcurantur, quantum Tropicus ipſe abeſt à pulſu horizontis ſeptentrionalis: ut ſcimus accidere in Scotia, in qua noſtrates milites noctu in excubiis aleæ ludentes nullum lumen adhibebant, inquit Scaliger in ſecundum Iſagogicum Manilii. *Idem.*

3 *Aſpici per noctem ſolis fulgorem*] Mirum quomodo nox eſſe potuerit conſpicuo adhuc ſole. Sed indulgendum aliquid viro artis ſuæ fines egreſſo. Nam quod addit, *non occidere & exſurgere, ſed tranſire*, verum eſt tempore æſtatis ſub climate περιοικίῳ complexo. Sed nulla Britanniæ pars eouſque ſe porrigit. *Savilius.* Dicit *fulgorem ſolis.* Ipſum enim corpus non ſemper apparet: quod neque Pomponium Melam fugit, qui ſolem quidem ipſum non cerni, ſed tantum vicino ſplendore proxima illuſtrare ait. Ejus rei cauſas etiam reddit Strabo. *Virdungus.*

4 *Nec concidere & exurgere*] Caſtigavi, *nec occidere* &c. *Rhenanus.*

5 *Scilicet extrema & plana terrarum*] Locus, me quidem judice, fatigaturus lectoris judicium, ut aut bene intelligatur, aut ſaltem commodam admittat interpretationem. Verba enim hunc ſenſum præferre videntur, ſi extrema terrarum plana eſſent, nullam ideo aut brevem fore noctem; quaſi innuat, noctefcere demum, cum Sol infra extantes montes aut alia ſubſidens obſtacula, refugam condit lucem; Aut quamvis in medio globoſa tellus intumeſceret, tamen verſus polos plana decurreret. Conceptus ſane tanto viro indigni. Et tamen quæ in textu ſequuntur *infra cœlum & ſidera nox cadit*, per noctem (ſi conjecturæ meæ ſtatur) nihil aliud deſignant quam umbram terræ, quaſi ex intima artis cognitione; & humilioris umbræ projectio noctes cauſatur contractiores. Sed humilitas non à montibus aut planitie eſt, ſed quia in hiſce, quæ polo propius reſpiciunt, regionibus tempore æſtatis Sol maximam decurſus ſui partem ſupra terram abſolvit, & quoties regreditur ex inclinatione circuli in Horizontem, non deſcendit directe, ſed oblique tranſit quaſi Horizontem ſuum raderet. Et tamen quaſi hic tradidiſſet reconditæ quidpiam artis Tacitus & admiratione dignum, inventus eſt ex Panegyricis, qui doctrinæ quaſi arcanum uſu faceret ſuum, ipſis hinc verbis in orationem tranſcriptis. *Savilius.*

6 *Infraque cælum & ſidera*] Id eſt (pro Taciti ſenſu) nox ibi humilis, quia ab umbris eſt; umbræ autem non illic eriguntur: ergo longi dies, & ſerenæ noctes, ac ſidera lucem ſuam ſpargunt, ſine obſtaculo. Nos alias cauſſas ſcimus, & à Solis curſu. *Lipſius.*

*Infraque cælum & ſidera nox cadit*] Si quis locus obſcurus à Tacito exprimitur, hic unus eſt. Ad cujus clariorem explanationem, obſervandus apud illum, præpoſitionis, *infra*, uſus Ann. 13. *Sed ne-*

 que

cælum & sidera nox cadit. Solum [1] præter oleam vitemque & cetera calidioribus terris oriri sueta, [2] patiens frugum, fecundum. tarde mitescunt, cito proveniunt. eademque utriusque rei caussa, [3] multus humor terrarum, cœlique. Fert Britannia aurum & argentum & alia metalla, pretium victoriæ. [4] gignit & Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur. nam [5] in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia prout expulsa sint colligi. ego
13 facilius crediderim [6] naturam margaritis deesse, quam nobis avaritiam. Ipsi Britanni delectum,

*que Neroni infra servos ingenium.* lib. 14. *Cetera invidiam augent, que quidem, ut omnia mortalia, infra suam magnitudinem jacet.* Ita hic ait nox infia cœlum & sidera cadit: id est, propter solem illi horizonti propinquum, nox adeo claia est, ut inferior sit cœlo ac sideribus. seu tantum obscuritatis non habet, ut sidera mortalibus detegere valeat. Aliquid simile dixit in lib. de Germ. *extremus cadentis jam solis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, ut sidera hebetet.* Hunc Taciti locum imitatus est is, qui Constantinum scripsit Panegyricum. De Britannia enim loquens. *Longissima dies, & nulla sine aliqua luce noctes; dum illa littorum extrema planities non attollit umbras, noctisque metam cæli & siderum transit aspectus. Ut Sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire.* Pichena. Nox, id est, umbra noctem efficiens. μετωνυμικῶς effectus pro causa. *Virdungus.*

1 *Præter oleam vitemque*] Vide Julium Scaligerum Exercit. cc. Aliter tamen auctor Iconis animorum, qui Britanniam vites alere posse uvasque ad maturitatem perducere tradit; Cantiumque & Wintomensem regionem cum cæteris ad meridiem ortumve spectantibus olim vineta habuisse, quæ deinde pascuorum utilitas viliusque redemptum ex Aquitania vinum exemerit. *Virdungus.*

2 *Patiens frugum, fecundum*] Ex Zosimo discimus Britanniam occidentalis imperii quasi horreum & cellam penuariam fuisse, unde 900. navibus, quæ lembis majores erant, magnum frumenti numerum in Germaniam ad limitaneos exercitus alendos exportaverint Romani. *Idem.*

3 *Multus humor terrarum cælique*] Humor terrarum, causa est, quod cito proveniant: humor cœli, quod tarde mitescant. *Pichena.* Crescendi secundum Philosophos duæ causæ: materia perpetuo suppeditata, eaque idonea & habilis ad transmutationem, & calor auctor duarum effectionum, quippe dilatans corpus quod suscepturum est incrementum, & transmutans id quod accedit. Britanniæ materia superest ob abundantiam humoris: calor non deest quidem, sed neque superest. Inde fit ut fruges quidem cito proveniant, sed tardius maturescant ob caloris imbecillitatem. *Virdungus.*

4 *Gignit & Oceanus margaritas*] Marcellinus lib. 23. *Quod genus gemmæ etiam in Britannicis secessibus maris gigni legique licet dignitate dispari, non ignoramus.* Neque ab hac sententia Plinius recedit 9, 35. *In Britannia parvos atque decolores* (uniones) *nasci certum est:* cum tamen gemmam commendent candor, magnitudo, orbis, lævor, pondus. Sed Britannicarum gemmarum, qualescunque illæ tandem, spes, referente Suetonio 47. Julium primo in Britanniam invitavit, *qui ex iis contextum thoracem Veneri Genitricique consecravit.* Plinius. *Savilius.*

5 *In Rubro mari*] Oceanum Indicum intelligi per *Rubrum mare*, quod inter Africam & Taprobanam insulam, Asiæ meridialem partem alluit, satis constat inter eruditos. Nam vulgo perperam opinantur per id mare tantum Arabicum sinum designari. Atqui mare Rubrum sive Erythræum, testibus Plinio & Solino, in duos sinus dividitur Arabicum & Persicum. Indum quoque, Tigrim & Euphratem flumina in mare Rubrum se exonerare, tradunt classici auctores. *Virdungus.*

6 *Naturam margaritis deesse*] Nihil dici posset venustius. Natura, φύσις, ποιότης φυσική. qualitatem in scholis vocant. Et sic usi hac voce Latini scriptores. Lucretius *tetram absinthii naturam* dixit. Virgilius, *naturas apibus quas Jupiter ipse Addidit.* Hic vim insitam margaritis se absque arte aut industria humana expellendi in littus notat. De qua tamen ambigit noster. Unde & dixit, *quidam arbitrantur,* Recte ergo & falso subjicit: Ego facilius crediderim naturam non dedisse margaritis Britannicis vim se sponte expellendi in littus, quam deesse avaritiam Romanis, qui magno cum labore & periculo eas solent conquirere. Non tanta est liberalitas naturæ, quanta avaritia ingenii humani. Nec aliud voluit Tacitus. Et proinde fallitur vir doctissimus, qui ita accipit hunc locum, ac si naturæ imputet auctor causam cur margarita Britannica subfusca sint ac liventia, quod ad rem & mentem scriptoris nihil omnino facit. *Boxhornius.* Vellem, ut vult ὁ πάνυ. sed hæc quoque venustius quam verius. Quosdam scribit auctor putare, non omnia margarita, quæ gignit Oceanus Britannicus, esse naturaliter subfusca & liventia: sed ea quæ vulgo leguntur, quia non leguntur arte, atque ita, ut in Rubro mari ea piscari consuerunt, ubi viva & spirantia saxis avellantur. Quod si etiam apud Britones fieret, futurum ut illa quoque candore commendarentur: sed hos tantum ἐκβρασθέντα in litus colligere. Sic censere istos. At si nihil obstaret aliud, haud dubie nostri (inquit Tacitus) jamdudum eandem rationem, qua in Rubro mari utuntur, in Britannico salo tentassent. Quod quia non fecerunt,

delectum, ac tributa, & injuncta imperii munera impigre obeunt, si injuriæ absint: has ægre tolerant, [1] jam domiti ut pareant, nondum ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum [2] D. Julius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam [3] prospera pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia, & in rempublicam versa principum arma, ac longa oblivio Britanniæ etiam in pace. [4] *Consilium* id divus Augustus vocabat, [5] Tiberius *præceptum*.

runt, certum habeo nihil in eo ad hanc rem esse emolumenti, & potius rerum naturam non dedisse Britannico litori nitores Indicis æquales, quam nostram avaritiam cessaturam fuisse in illis vivis & spirantibus avellendis, si dedisset. *Gronovius.*

1 *Jam domiti, ut pareant*] Hoc est, ut justa quidem imperia perpetiantur; crudelia vero atque injusta adhuc recusent & aversentur. *Virdungus.*

2 *D. Julius*] Cn. Pompejo Magno M. Crasso II. coss. qui fuit annus urbis 698. ante natalem Christi Dionysianum 54. Causam ipse affert, quod omnibus fere Gallicis bellis inde hostibus subministrata auxilia intelligeret; ut Strabo: Suetonius spem margaritarum, alii gloriæ cupiditatem. *Idem.*

3 *Prospera pugna terruerit*] Modestius ac verius noster, quam Diodorus Siculus lib. 4. cap. 21. Sed & Vellejus more aulicorum fumos vendit quum bis penetratam à Cæsare Britanniam dicit.

4 *Consilium id Divus Augustus vocabat*] Ut naturale corpus, si consueto exilius sit, imperfectionem arguit, excedens justam magnitudinem molem inhabilem prodit; sic in politico corpore utrumque extremum, est invalidum, neque adversus vim commode firmatur; quanquam fortassis in utroque πλέονεξ minus periculosa, quam ἔνδεια. Augustus provide suo tempore hosce metus librans, cum tam vaste pateret Romanum imperium, *ut jam mole laboraret sua*, inquit Livius, immoderatas vincendi spes evagari ulterius passus non est. qua de re, tanquam ex prudentiæ instituto gesta, Julianus in Cæsaribus suis Augustum sic disserentem introducit, οὕτω διαθέμενος τὰ περὶ αὐτὴν, ὥστε εἶναι δ' ὑμᾶς, ὦ θεοὶ, τὸ λοιπὸν ἀδάμαντί πη. οὐ γὰρ ταῖς ἀμέτροις ἐπιθυμίαις εἴκων, ἐπικτᾶσθαι πάντως αὐτῇ διενοήθην, ὅρια δὲ διττὰ, ὥσπερ ὑπὸ τῆς φύσεως δεδομένα Ἴστρον καὶ Εὐφράτην ποταμοὺς ἐθέμην &c. i. *imperii statum sic composui, ut adamantis instar solidus hostiles incursus non metueret. Neque enim indulsi modum omnem nescienti desiderio plura habendi, sed intra positos velut à Natura terminos, Danubium & Euphratem, contentus substiti.* Post mortem Augusti libellus proferebatur propria ejus manu scriptus, in quo, ut Tacitus scribit, I. Ann. *opes publicæ continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia & necessitates ac largitiones, addideratque insuper consilium coërcendi intra terminos imperii, incertum metu an per invidiam.* Dio lib. 56. γνώμην τε αὐτοῖς ἔδωκε, τοῖς τε παροῦσιν ἀρκεσθῆναι, καὶ μηδαμῶς ἐπὶ πλεῖον τὴν ἀρχὴν ἐπαυξῆσαι ἐθελῆσαι. i. *consulebat ut præsentibus contenti laxiores regni fines non appeterent.* Savilius.

5 *Tiberius præcipue*] Valde blanditur mihi correctio, *Tiberius præceptum.* Hoc sensu: Abstinere à Britannia Augustus consilio visus: Tiberius, præcepto. atque id uterque præ se ferebat. Respicit in Augusto illud, quod Annali primo de eo scriptum: *Addideratque consilium coërcendi intra terminos imperii, incertum metu an per invidiam.* At hoc Augustæum consilium Tiberius, *qui omnia dicta factaque ejus vice legis observabat*, (ipse ita apud Tac. loquitur IV. Annal.) habebat ut præceptum, sive interdictum. Caussæ porro ipsæ hujus consilii in Strabone sunt, lib. IV. juste, & ex mente, nisi fallor, Augusti. Ait enim Principem contentum fuisse amicitiam cum Britannis colere, & tributi loco nescio quid minutarum rerum accipere: Ὥστε, addit, μηδὲν δεῖν φρουρᾶς τῆς νήσου. Τοὐλάχιστον γὰρ ἑνὸς τάγματος χρήζοι ἄν, καὶ ἱππικοῦ τινος, ὥστε καὶ φόρους ἀπάγεσθαι παρ' αὐτῶν. εἰς ἴσον δ' ἂν καθίσταιτο πᾶν τὸ ἀνάλωμα τῇ στρατιᾷ τοῖς προσφερομένοις χρήμασιν. ἀνάγκη γὰρ μειοῦσθαι τὰ τέλη φόρων ἐπιβαλλομένων, ἅμα δὲ καὶ κινδύνους ἀπαντᾶν τινας, ἐπαγομένης. *Lipsius.*

*Tiberius præcipue*] V. c. habet *Tiberius præceptum.* Ursinus. Decurtata ejus consilii ratio videtur, quæ de penu Strabonis promitur à doctiss. viro, cum integra ab eodem sumi potuisset, lib. 2. p. 115. Tiberius autem acrius ei rei studebat. quippe cui Reip. cura præ nequitiis neglectui esset. Non ergo hic inferam *præceptum* doctiss. viri castigationem: cujus nescio unde hæc hausta sint. *Augustum à Britannis tributi loco nescio quid minutarum rerum accipere.* Nam ex Strabone quod citat, nihil ad eam rem facit. τέλη enim (non φόρους) minutarum rerum, non ipsas res, Britanni tunc pendebant. Verba ejus vertit Budæus lib. 4 de asse, quæ magnus ille vir falso creditur non recte Latina ex Græcis fecisse. ubi est: τέλη οὕτως ὑπομένουσι βαρέα, *vectigalia etiam sic tolerant gravia.* At tu, quæso, eruditissime Casaubone, cedo ubi ille cæcutiat. Quia, inquis, non animadvertebat dicere Strabonem Britannos τέλη ὑπομένειν eaque οὐ βαρέα, nullos autem φόρους. Quid si magnus ille vir secutus est codices Aldinos, qui habent οὕτως? quod vel mihi potius videtur. nam illatio, *ita nullo jam præsidio ad insulæ custodiam opus est.* Optime & apposite ex vectigalium gravitate; secus nec tam concinne ex eorumdem levitate. Cæterum de tributo ita JCti L. 27. D. de verb. sign. *Idem hoc etiam tributum appellari Pomponius ait, & sane appellatur ab intributione tributum, vel ex eo quod militibus tribuatur.* quibus con-

*tum.* Agitasse [1] C. Cæsarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentia, & ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. [2] Divus Claudius auctor operis, transvectis legionibus auxiliisque, & assumpto in partem rerum Vespasiano. [3] quod initium venturæ mox fortunæ fuit, domitæ gentes, capti
14 reges, & monstratus fatis Vespasianus. Consularium primus Aulus Plautius præpositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius: redactaque paulatim in formam provinciæ proxima pars Britanniæ. addita insuper [4] veteranorum colonia. quædam civitates Cogiduno regi donatæ. is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit, [5] vetere ac jam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis & reges. Mox [6] Didius Gallus parta à prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quæ fama aucti officii quæreretur. Didium Veranius excepit, isque intra annum exstinctus est. [7] Suetonius hine Paullinus biennio prosperas res habuit, subactis nationibus firmatisque præsidiis: quorum fiducia [8] Monam insulam [9] ut vires rebellibus ministrantem aggressus, [10] terga occasioni patefecit.
15 Namque absentia legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre injurias, & interpretando accendere: *Nihil profici patientia, nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur. singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi; è quibus* [1] *le-*

sona sunt hæc Plauti Aulular. *ad postremum cedit miles, as petit, Itur, putatur ratio cum argentario, Impransus miles astat, as censet dari.* Addam tamen pro coronide pleraque, & præcipua illa, τιλάχιστοι μὲν γὰρ ἐνὸς τάγματος, apertius verti potuisse, quæ sic in Latium transferrem, *minimum enim una legione opus est.* Sed non ea mente animi, ut cum Budæo in certamen descendam; quis adeo fungus? *Salmerius.* Ingeniosa mihi visa est Lipsii conjectura, præsertim ex Tacito ipso firmata: ac libenter eam recepissem. tamen quia dissentit Salmerius, & vulgata lectio utcumque ferri potest, satis habui, correctionem in margine libri adnotare. *Pichena.* Tiberius in eo omnia esse putabat, si providisset, ne composita turbarentur: unde & proferendi imperii incuriosius erat, & à bellis, si quis alius abhorrebat. *Virdungus.* Scriverius malebat: *Consilium id D. Augusti vocabat Tiberius præceptum.* Si quis me sequi volet, lectionem vulgatam corrigere non tentabit. Constant sibi verba pariter ac sententia. *Consilium vocabat*, idem est quod, consultum existimabat. Cæterum ejusmodi consiliis admodum delectatur Tiberius, qui cum in urbe stabiliendam vim dominationis haud ignoraret, non libenter bellis externis se immiscebat, ne omittere caput rerum cogeretur. *Boxhornius.*

1 *C. Cæsarem*] Consugerat ad eum Admimus Cynobellini regis filius, à patre pulsus, quo tempore ridiculam illam expeditionem in Bataviam susceperat, ut inde sui terror Britanniam adflaret. *Virdungus.*

2 *Divus Claudius auctor operis*] Qui à Berico ex Britannia fugitivo requisitus, Plautium præmittebat; de cujus & Claudii in Britannia rebus gestis legatur Dio lib. 40. ubi & Vespasiani facta mentio. *Savilius.*

3 *Quod initium ventura mox fortuna fuit, domita gentes*] Ita distingue: *Vespasiano: quod initium v. m. f. fuit. Domita gentes.* Acidalius.

4 *Veteranorum colonia*] Camalodunum. 12. Ann. *Savilius.*

5 *Veteri & recepta jam P. Romani consuetudine*] Perseus in legatione sua ad Eumenem queritur, *Pop. Rom. Regum viribus reges oppugnare. Attale adjutore patrem suum oppressum: Eumene adjuvante, & quadam ex parte Philippo patre suo, Antiochum oppugnatum: en se nunc Eumenem & Prusiam armatos esse.* Livius lib. 44. *Idem.*

6 *Didius Gallus*] 12. Ann. ubi & A. Didius vocatur. *Idem.*

7 *Suetonius Paullinus*] Res illæ quomodo gestæ lege Tacitum 14. Ann. ubi plenius exsequitur. *Idem.*

8 *Monam*] Anglesey. *Idem.* Non quam medio inter Hiberniam & Britanniam cursu describit Cæsar lib. 5. quæ Ptolemæo *Monæda*, Plinio *Monabia*, Orosio & Bedæ *Menaria*: sed altera quæ magis ad Austrum tenui freto à Britannia divisa, Britannis *Mon*, Saxonibus *Monege*, ab Anglis victoribus nomine tracto *Anglesea*, ob tritici proventum Mater Walliæ dicta. *Virdungus.*

9 *Ut viros*] Malim, *vires.* Rhenanus.

10 *Terga occasioni patefecit*] Non me fugit *terga* hoc loco posse pro iis capi, quæ post terga reliquit. Nec tamen minus eleganti sensu interpretabimur Suetonium occasionem fugisse & dedisse terga, quod Tacitus vocat *terga patefecisse*, ut Virgilius l. 5. eximii operis, *terga nudare fuga.* Boeth. de Consol. Philos. l. 4. *cur inertes terga nudatis?* Barclaius. Quæ sententia quam aliena sit ab hoc loco, (ne quid gravius dicam) quivis videt. Non occasionem rebellionis Britannis dedit. *Boxhornius.*

1 *Lega-*

[1] *legatus in sanguinem*, [2] *procurator in bona saviret: aque discordiam prapositorum, aque concordiam subjectis exitiosam:* [3] *alterius, manus, centuriones; alterius, vim & contumelias*

1 *Legatus in sanguine*] Habebat enim merum imperium. cujus major pars est jus gladii. Vide Cujacium lib. 21. Observ. cap. 30.

2 *Procurator in bona*] Ea enim tantummodo, quæ ad fiscum principis pertinerent, exigendi deque eis jus dicendi potestatem habebat. Atque adeo præses de crimine, procurator de bonis, non de crimine, cognoscebat l. 1. & 2. C. ubi caus. fisc. vel div. dom. Aliud tamen fuit in procuratoribus vice præsidis post edictum præsertim Claudii. *Virdungus.*

3 *Alterius manus centuriones*] Corrigo, *alterum manus, senturiones; alterum, vim & sontumelias miscere.* Legatus quidem, inquiunt, manus militum & centuriones immittit: procurator vim & contumelias infert. Fortasse etiam melius: *Alternis manus, senturiones; alternis, vim & contumelias miscere:* ut velit eos alternis. & vicissitudine quadam sævisse. Imo, forte etiam: *alterius munus, centuriones.* Aliter velut pro munere & ordinaria opera habet, immittere Centuriones & milites: altes, &c. *Lipsius.*

*Alterius manus centurionis: alterius vim & sontumelias*] Malim, *alterius manus senturiones.* Rhenanus. Videtur legendum: *alternis manus senturionum, alternis servos vim & consumelias miscere*, &c. addita voce, *servos*, ex v.c. *Ursinus. Alterius, manus, centuriones*, sive *centurionis* quod idem est vel Euphoniæ gratia. Virgil. 1. Georg. *urbisne invisere Casar Terrarumque velis suram.* Ad quæ Gellius 13. 19. *Verte enim & muta, ut Urbes dicas insipidius nescio quid facies & pinguius.* lib. 3. Æn. *Centum urbes habitans magnas. Hic item muta ut urbis dicas, nimis exilis vox erit, & exanguis.* Doctissimus vis hæc varie castigat, cui tamen non acquiescit eruditiss. Pichena, sed de majore menda suspicatus: nos ne minimam quidam literam hic desideramus. Cornelius missa probatione ejus quod dixerat, nempe discordiam præpositorum fraudi subjectis esse, quia per se clarum. Homerus lib. 1. Iliad 253. *O dii, magnus luctus Graiam terram venit: Gaudebis profecto Priamus*, &c. *Si vos de his omnibus certantes resciverint* &c. Affirmat eorum concordiam (quod absurdum videri poterat) exitio populis fuisse. *alterius, vim & contumelias miscere.* Nimirum cum pravus legatus eadem sentit cum pravo procuratore, uterque utrique sua jura permittunt, idque magno provincialium detrimento: legatus enim milites & centuriones commodat procuratori, qui sæviat in provincialium sanguinem, contra procurator sinit legatum vim & contumelias circa raptus & prædas exercere. *Salinerius.* Ego de majori mendo suspicor. nam verba hæc ad ipsos præpositos non videntur referri, cum de illis jam dixerit. alterum in sanguinem, alterum in bona sævire: immo potius ad ipsorum discordiam & concordiam æque subjectis exitiosam, de qua nunc sermo. At nunc Salinerii acutam interpretationem amplector, qui ait, Tacitum, omissis de discordia probationibus, ut per se claris, de præpositorum concordia tantum loqui: alterius, scil. legati concordiam, manus & centuriones procuratori commodare: alterius, id est, procuratoris concordiam, vim & contumelias circa prædas & raptus, legato permittere. *Pichena.* Non culpo Lipsii correctiones: magis tamen probo posteriorem: *alternis manus, senturiones: alternis* &c. Sic nihilominus, ut accipiam non eodem plane sensu. Ipse interpretatur, tanquam velit auctor: Præpositos alternis, & vicissitudine quadam sævisse. At ego *alternis* istud explico, modo per discordiam, modo per concordiam. *Manus ac centuriones miscere* per discordiam: per concordiam *vim & sontumelias.* Nam ad id, quod proxime dixit, auctor respicit: & declarat, quomodo subjectis æque discordia, æque concordia sit exitiosa. Hæc mens verborum clarius elucesceret, si scriptum ita esset: *alteram manus, centuriones; alteram vim* &c. ut prius *alteram* discordiam, posterius concordiam intelligas. quo quidem modo vide etiam ne legendum omnino sit. *Acidalius.* Claudius Boucault hunc locum sanavit legendo: *alterius manus senturiones: servos vim* &c. *Manus* accipitur notione, qua alibi: *An nescis longas regibus esse manus? Oculi, aures*, Græce Latineque sæpe simili significatione. Porro Procurator nullum initio habebat officium, quod appareret. Sed legatus, aut qui provinciam regebat, milites, qui ejus jussa exequebantur. Procuratori vero erant servi proprii. plorant ergo Britanni centuriones, quos appellant Legati *manus*; & servos, Procuratoris manus (repetendum enim ἀπὸ κοινοῦ) vim & contumelias miscere. Quod ita fuit. hic ipse Ann. 14. *adeo ut regnum, per centuriones: domus per servos, velut capta vastarentur.* Scilicet impositi Icenis fuerant illi duo centuriones nempe & servi tanquam reguli. Subjunxit enim; *quando in provincia formam cesserant.* Barclajus. Probo emendationem: *alterum vim & contumelias miscere*, procuratorem scilicet. Quæ præcedunt non mutem: nam legati manus centuriones, quorum ministerio sævitiam exercet. Hinc hist. IV. legati gravem comitatum dixit. *Grosius.* Si mihi paullulum auxilii à libris, libenter legerem: *alterius manus sades, rapinas*, vel *cades, direptiones. Alterius*, id est, legati manus militares, sive centuriones & milites. Vide locum lib. 14. ann. cap. 31, è quo quidem videtur illud *senturiones* in contextum hic irrepsisse, quum illud *manus* quidam velut interpretans ad marginem adscripsisset, *centuriones. Alterius*, id est procuratoris Cæsaris servos. *Virdungus.* Legendum, ut monuimus olim & commentario suo laudavit Boxhornius hujus Academiæ celebris doctor: *alterius manus,*

*melias miscere: nihil jam cupiditati, nihil libidini exceptum. in prœlio fortiorem esse qui spoliet: nunc ab ignavis plerumque & imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, injungi delectus, tamquam* [1] *mori tantum pro patria nescientibus.* [2] *quantum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? sic* [3] *Germanias excussisse jugum, &* [4] *flumine non Oceano defendi: sibi patriam, conjuges, parentes: illis avaritiam & luxuriam caussas belli esse. recessuros* [5] *ut divus Julius recessisset, modo virtutes majorum suorum æmularentur: neve prœlii unius aut alterius eventu pavescerent.* [6] *plus impetus, majorem constantiam penes miseros esse, jam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem,* [7] *qui relegatum in alia insula exercitum detinerent:* [8] *jam ipsos, quod difficillimum fuerit, deli-*
16 *berare. porro in ejusmodi consiliis* [9] *periculosius esse deprehendi, quam audere.* His atque talibus invicem instincti, [10] Voadica generis regii femina duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum: ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis præsidiis, [11] ipsam coloniam invasere, ut [12] sedem servitutis. nec ullum in Barbaris sævitiæ genus [13] omisit ira & victoria. Quod nisi Paullinus, eo cognito

*nus, centuriones alterius vim & contumelias miscere* Nempe vim & contumelias miscebant & sine discrimine ingerebant utrumque genus, & *manus* procuratoris & alia cohors ejus, qui circa erant. Cicero lib. 2. in Verrem: *Comites illi tui delecti manus erant tua: præfecti, scribæ, medici, accensi, haruspices, præcones, manus erant tua: quo quisque te maxime cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur: cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quam si centum cohortes fugitivorum fuissent, tua manus sine controversia fuit.* Centuriones autem non intelligimus sine militibus, quæ formidabiliores etiam legati manus. Adde nostrum lib. 4. ann. 15. & lib. 14, 31. *Gronovius.*

1 *Mori tantum pro patria*] Hoc est, tamquam Britanni morti se offerre non dubitent, si pro aliis, puta Romanis, sit bellandum; pro sola vero patria bellorum pericula & mortem reformident, tam alias animarum suarum prodigi. *Virdungus.*

2 *Quantum enim transisse*] Si Britannis libeat vires suas universas conjungere, tunc manifestam fore paucitatem Romanorum militum, qui in Britanniam inferendi belli caussa trajecerint, eamque paucitatem imparem multitudini Britannorum futuram. Similia apud Cæsarem Vercingentorix lib. 7, 29. *Virdungus.* Legere malim: *Quantulum.* Sic de mor. Germ. *Quantulum enim amnis obstabat.* Boxhornius.

3 *Germanias excussisse jugum*] In prœlio adversus Quintilium Varum. *Savilius.*

4 *Flumine*] Rhenum intelligit. *Rhenanus.*

5 *Ut D. Julius*] Qui, ut quidem Lucanus canit, *Territa quæsitis ostendit terga Britannis.* Virdungus.

6 *Plus impetus, majorem constantiam penes miseros esse*] Vera & plana sententia. Nescio tamen, quid hic desidero, cum præcedentia illa respicio: *neve prœlii unius aut alterius eventu pavescerent.* Videtur enim prius illud membrum *plus impetus*, velut in comparatione sui & Romanorum, de Romanis voluisse dicere: *illis ut integris & felicibus plus quidem impetus, cæterum sibi, ut miseris plus constantiæ.* Itaque vox aliqua periit fortasse: quæ inseri facile ex sententia possit: *plus impetus integris, majorem constantiam penes miseros esse.* Sed alii diligentius hoc considerent, & acutius dijudicent. Ego etsi vulgatam satis tolero, indicare tamen hanc suspicionem meam volui. *Acidalius.* Mucianus lib. 2. histor. hunc veluti locum interpretans: *Acriore hodie disciplina victi quam victores agunt. hos ira, odium, ultionis cupiditas ad virtutem accendit: illi per fastidium & contumaciam hebescunt.* Virdungus.

7 *Qui relegatum*] Placet. nec male tamen, *religatum.* Lipsius. Nihil mutandum arbitramur. Salse dicunt Britanni occasionem excutiendæ servitutis sibi offerri, dum Monæ, quasi in insulam deportatus, exercitus Romanus distinetur. *Boxhornius.*

8 *Jam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare*] Sic lib. 2. hist. in oratione Muciani ad Vespasianum: *Sed & meliorem in bello caussam, quam in pace habemus. nam qui deliberant, desciverunt.* Pichena.

9 *Periculosius esse deprehendi, quam audere*] Seneca in prooem. contr. lib. 3. *nunquam non utilius erat illi deprehendi, quam præparari.* Idem ep. 43. *Sic vivimus, ut deprehendi sit, subito aspici.* Idem.

10 *Voadica*] 14. Ann. Scribitur autem ejus nomen *Boodicia* & *Bondicca* in Xiphilini libris Βουδουίκα. *Savilius.*

11 *Ipsam coloniam*] Camolodunum, quod tunc Britannis deletum, postea opera Romanorum revixisse argumento est, quod ejus meminit Antoninus. Hodie quoque inter prima Essexiæ oppida censet Cambdenus, *Burgumque de Maldon* JC. Britannis appellari addit. *Virdungus.*

12 *Sedem servitutis*] Coloniarum hæc vel præcipua ratio, ut coercerentur priores populi. Vide Flaccum de condit. agror. Brutus apud Appianum in concione ad veteranos. *Idem.*

13 *Amisit ira*] Reposui, *omisit.* Rhenanus.

*Ira*

cognito provinciæ motu, propere subvenisset, amissa Britannia foret: quam unius prœlii fortuna veteri patientiæ restituit, tenentibus arma plerisque, quos [1] conscientia defectionis, & [2] proprius ex legato timor agitabat. Hic cum egregius cetera, [3] arroganter in deditos, & ut suæ quoque injuriæ ultor, durius consuleret; missus Petronius Turpilianus [4] tamquam exorabilior, & delictis hostium novus, eoque pœnitentiæ mitior; compositis prioribus nihil ultra ausus, Trebellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius segnior & nullus castrorum experimentis, [5] comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicere jam Barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus. & interventus civilium armorum præbuit [6] justam segnitiæ excusationem. sed discordia laboratum, cum assuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecorus atque humilis, precario mox præfuit; ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem. hæc seditio sine sanguine stetit. Nec Vectius Bolanus [7] manentibus adhuc civilibus bellis, agitavit Britanniam disciplina, [8] eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum: [9] nisi quod innocens Bolanus. & nullis delictis invisus, caritatem paraverat loco auctoritatis. Sed 17
ubi cum cetero orbe Vespasianus & Britanniam reciperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes: & terrorem statim intulit Petilius Cerialis, Brigantum civitatem, quæ numerosissima provinciæ totius perhibetur, aggressus. multa prœlia, & aliquando non incruenta: magnamque [10] Brigantum partem aut victoria amplexus, aut bello. Et cum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem Julius Frontinus, [11] vir magnus quantum licebat, validam-

*Ira & victoria*] Ex Senecæ Troadibus: *sed regi frenis nequit, Et ira & ardens hostis & victoria.* Virdungus. Scriverius suspicabatur restituendum, *irata victoria.* Nihil temere mutandum existimo. *Boxhornius.*

1 *Conscientia defectionis*] Delicti conscientia & veniæ desperatio quid apud hostes possit, luculento exemplo Illurgitanorum discimus apud Livium lib. 28. *Virdungus.*

2 *Proprius ex legato*] Quem in se implacabilem fore augurabantur: quæ quidem opinio mirum quantum victoriis cursum remorari solet. *Virdungus.*

3 *Arroganter in debitos*] Vide lib. 14. ann. & Dionem lib. 62. *Idem.*

4 *Tanquam exorabilior & delictis*] Levissima mutatione legerem & distinguerem: *tanquam exorabilior. Qui delictis hostium novus, eoque pœnitentia mitior, compositis* &c. *Pichena.*

5 *Comitate quadam curandi*] Dum lenitate dulcis est erga provinciales eorumque amorem morum etiam facilitate & comitate promeretur. *Virdungus.*

6 *Justam segnitia*] Excusabat se Trebellius ideo non ducere in hostem, ne simul & civili & externo bello urgeretur imperium & vires attererentur. *Idem.*

7 *Manentibus adhuc civilibus*] Nullum est disciplinæ militaris venenum magno bello civili: nam per id duces obnoxii plerumque militibus sunt coguntur que eos laxe habere, ne ad adversarios transeant. *Idem.*

8 *Eadem inertia*] Poëtæ ergo illi non fides, qui Bolanum hunc magnum bellatorem facit apud filium & trophæa ejus Britannica ostendit. Statium dico, in Silvis lib. v. ad Crispinum:

*Cernis adhuc titulos, hunc ipse vacantibus armis*
*Induit, hunc regi rapuit thoraca Britanno.*

quæque alia in eodem Protreptico vatum more inflat. *Lipsius.*

9 *Nisi quod innocens*] Quibuscumque exercitus dicto audiens non fuit, aut male re gesta fortunam defuisse, aut aliquo facinore comperto avaritiam. esse convictam, Cæsar lib. 1. de bello Gall. Et gratiosam etiam apud turbam militarem esse ducis sive imperatoris innocentiam Cicero in Maniliana pluribus demonstrat. *Virdungus.*

10 *Brigantum partem*] Comitatus Eboracensis & Lancastriæ, Westmerlandia, Cumberlandia, & Episcopatus Dunelmensis. *Savilius.*

11 *Vir magnus, quantum licebat*] Vide & fruere, quas ad hunc locum symbolis contulit J. Gruterus par. 2. Diss. ad Tacitum. *Virdungus.* Cl. Berneggerus ita hæc accipit, Frontinum fuisse virum magnum & insignem, sed *quantum licebat*, scilicet propter metum iræ ac invidiæ principum, quibus aliena virtus plerumque suspecta & invisa esse solet: &. proinde viri magni sub talibus principibus generosos spiritus premunt, & virtutes suas non nisi quantum absque periculo licet, exercere solent. Cæterum interpretatio ista, meo quidem judicio, aliena est à verbis Taciti. Julius enim Frontinus, quanto poterat, est exsecutus, & validissimos Britanno-

validamque & pugnacem [1] Silurum gentem armis subegit; super virtutem hostium,
18 [2] locorum quoque difficultates eluctatus. Hunc Britanniæ statum, has bellorum vices [3] media jam æstate transgressus Agricola invenit, cum & milites velut omissa expeditione ad securitatem, & hostes ad occasionem verterentur. Ordovicum civitas haud multo ante adventum ejus, [4] alam in finibus suis agentem, prope universam obtriverat: eoque initio erecta provincia, [5] ut quibus bellum volentibus erat, [6] probare exemplum, aut recentis legati animum opperiri. Tum Agricola, quamquam [7] transacta æstas, [8] sparsi per provinciam numeri, præsumpta apud militem illius anni quies, [9] tarda & contraria bellum inchoaturo, & [10] plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini statuit: contractisque [11] legionum vexillis, &

tannorum Silures debellavit. quo aliud majus illa tempestate non poterat exspectari. Verba illa, *quantum licebat*, non referenda sunt ad *το vir magnus*, sed ad illa præcedentia, *sustinuit quoque molem*. Belli Britannici molem, quantum quidem poterat, egregie feliciterque sustinuit Julius Frontinus. Plana est sententia; de cujus veritate dubitari non debet. *Boxhornius.* Ego tamen Gruteri, Virdungi, Berneggeri sententiam veriorem censeo. *Gronovius.*

1 *Silurum gentem*] Iis regionibus Walliæ sive Cambriæ, quæ ipsis Deheubarth, id est, pars australis, & novis hodie nominibus *Herefordschire*, *Radnorschire*, *Brecnetschire*, *Monmutschire*, *Glamorganschire* appellantur. *Virdungus.*

2 *Locorumque difficultates*] Arbitror sic habuisse sinceram lectionem, *super virtutem hostium, locorum quoque difficultates eluctatus*. Sic lib. 3. Hist. *nives eluctantibus*. Rhenanus.

3 *Media jam æstate transgressus*] Agricola Britanniam adiit, ut colligere datur ex iis, quæ per hunc librum adspersit auctor, illo, qui Vespasiani mortem præcessit, anno, rediitque circa quintum aut sextum annum Domitiani, cujus res in Britannia gestas, præter Tacitum, Xiphilinus Tito cum elogio describit & alii. *Savilius.* Coss. Imp. Vespasiano IX. Tito VII. ab V. C. 832. qui fuit ætatis Agricolæ 39. a. Ch. N. secundum Dionysium 79. *Virdungus.*

4 *Alam in finibus suis agentem*] Cum ala dicatur, & de equitibus, & de peditibus, ut Lipsius probat de mil. Rom. II, VII. hic dubium esse potest, ad utros sit referenda. Verius tamen puto, alam equitum intelligi. *Pichena.*

5 *Ut quibus bellum volentibus erat*] Vellem, *ut quibusque*. Lipsius.

*Quibus bellum volentibus erat*] Elegantissima locutio, hoc est, qui bellum vellent. Græca figura est de qua in vestibulo operis admonuimus, & suis præterea locis. Sic Ann. 1. *quibusque bellum invitis aut cupientibus erat*. lib. 15. *hæc atque talia plebe volenti fuere*. Sic 3. Hist. *& in verba Vespasiani adigi volentibus fuit*. Ubi vulgo, *liberum fuit*, legebatur. Eodem mox libro reposuimus, *Muciano volente rescribere*, ubi antea, *volentia*. Rhenanus. Laudat probatque Berneggerus adducto pari loco ex Ann. 2. *ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat*. Estque Græcismus passim auctori nostro in usu. Cæterum mutatione nulla est opus, dum vulgata lectio stare potest. Qui in bellum proni erant laudabant Ordovicum exemplum & sequebantur. *Boxhornius.*

6 *Probare exemplum*] Id est, probabat, subaudi provincia: ac *operiri*, id est, operiebatur animum recentis legati. *Rhenanus.*

7 *Transvecta æstas*] Lego, *transacta æstas*. Idem.

8 *Sparsi per provinciam numeri*] Loquitur de numeris militaribus. *Rhenanus.* Legendum videtur, *innumeri*. Ursinus. Accedere nequeo Romanæ rei instauratori eminentissimo legenti, *per provinciam innumeri*. quippe *numeri*, nihil sunt quam ipsi milites legionarii ne an auxiliarii, qua voce nihil crebrius Taciti ævo. Sueton. Vesp. 6. *revocatis ad officium numeris*. Videatur Tacitus lib. 1. histor. c. 6. *Gruterus.*

9 *Tarda & contraria*] Incommoda. Sic illud veteris scriptoris: *Tardum est differre, quod placet*. Boxhornius.

10 *Plerisque custodiri suspecta potius videbatur*] An ut observaret Agricola quorsum evaderent ea, quæ ipsi de Britannis suspicabantur? Verius censeo, plerosque auctores fuisse Agricolæ, ut præsidiis custodiisque suspecta loca potius firmaret, quam ulterius cum exercitu progrederetur. *Pichena.*

11 *Legionum vexillis*] Hoc est, veteranis & emeritis, qui in singulis legionibus sub vexillo seorsum habebantur, cæterorum immunes, nisi propulsandi hostis, & hinc *vexillarii* dicti: à quibus diversæ sunt *vexillationes* apud inferioris ævi scriptores & in codice Justinianeo. Vegetius enim *vexillationes* & à legionibus & auxiliis sejungit lib. 3. cap. 4. & 10. Idemque equites tantum in vexillationibus fuisse indicare videtur lib. 2. cap. 1. & 2. *Virdungus.* Nisi tamen ista *vexilla legionum* significant nullam eum integram legionem duxisse, sed de singulis idoneam & sufficientem manum, ut licet tot numeris absentibus per castra & præsidia eadem summa legionum constaret atque ipso nomine relecta in fide retineret, neque occasioni terga patefacta, ut à Suetonio, Britanni cogitarent. Quo consilio ad Rhenum & Vitellianos usos legimus, quum in Ita-

& modica auxiliorum manu, quia [1] in æquum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem. cæsaque prope universa gente, non ignarus instandum famæ, ac [2] prout prima cessissent fore universa; Monam insulam, [3] cujus possessione revocatum Paullinum rebellione totius Britanniæ supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. [4] Sed ut in dubiis consiliis, naves deerant, ratio & constantia ducis transvexit: depositis omnibus sarcinis, lectissimos [5] auxiliarium, quibus nota vada, & patrius nandi usus, quo simul seque & arma & equos regunt, ita repente immisit, ut [6] obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, [7] qui mare exspectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace, ac dedita insula, clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem aut officiorum ambitum transigunt, labor & periculum placuisset. Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos continuisse: [8] ne laureatis quidem gesta prosecutus est. [9] sed ipsa dissimulatione famæ

Italiam proficiscerentur. Nam & hoc genus *vexillarii* dicebantur, qui expeditionis causa delecti ab legionum summum corpore ad tempus discesserant, & sub vexillis habebantur. Similiter *modicam auxiliorum manum* appellat, ut indicet majorem partem ad stativa mansisse. *Grenovius.*

1 *In æquum digredi Ordovices non audebant*] Ordovices Septentrionalis Wallia. *Savilius.* Manifeste mihi tenere insulsissimam glossam visus sum, vocem *Ordovices*. An enim Ordovices non audebant? ipsi imo Agricolæ milites. quibus trepidantibus, ipse ante agmen incedens, animum fecit, aciemque consternatam erexit. Nempe igitur delenda. Minime vero. Sed corrigenda iterum, correcta a nasuto nimis aliquo lectore, qui, quia de Ordovicibus hic ageretur, vocem *ordines*, quomodo Tacitum scripsisse affirmare audeo, ut sapere plusquam alii videretur, stultissime mutavit in *Ordovices*. Putidum sit cogitare de perditione & restitutione alterius vocis, tamquam scriptum esset, *digredi adversus Ordovices*. Pro *digredi* tamen potius sit legere *degredi*, ut & alibi diximus. *Acidalius.* Recte *degredi*. Sed *erigere aciem* est in arduum versus montem ducere, ut apud Livium lib. 1. *Inde ubi satis subisse sese ratus est, erigit totam aciem.* Lib. 3. *Hunc ducem secuti nequicquam reclamantibus tribunis in clivum Capitolinum erigunt aciem.* Sed & sæpius sic Tacitus. *Grenovius.*

2 *Prout prima cessissent, fore universa*] Sic hist. 2, 20. dixit *gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.* Pichena.

3 *Cujus possessione revocatum*] Hoc est, à qua possidenda. *Rhenanus.*

4 *Sed ut in dubiis consiliis, naves deerant, ratio & constantia*] Aliquid huic loco deesse videtur ad sententiam explendam. quasi Tacitus sic dixerit: *sed quoniam (ut in dubiis consiliis) naves deerant ratio & constantia ducis transvexit.* Tamen si vulgata lectio, tanquam integra, sit retinenda, ego ita distinguerem: *animo intendit: sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant. ratio & constantia* &c. Duces enim, cum dubia sunt belli consilia, non omnia sibi parare solent, quæ usui esse possunt. *Pichena.* Mira omnia sunt, ni transpositum hoc est. Hunc quidem ordinem & sententiæ & structuræ concinnitas postulat: *Naves deerant: sed, ut in dubiis consiliis, ratio & constantia ducis transvexit.* Acidalius. Videtur scripsisse auctor: *Sed, ut in subitis consiliis naves deerant.* Gronovius.

5 *Auxiliarium, quibus*] Manifestum est Germanos ac præsertim Batavos designari. Germanos fluminibus assuetos noster lib. 5. hist. prædicat, & præter alios Mela lib. 3. cap. 3. De Batavis lib. 2. Annal. & Dio lib. 69. *Virdungus.*

6 *Obstupefacti*) *Subita conterrent hostes, usitata vilescunt*, inquit Veget. 3. ult. Marcius apud Livium lib. 25. *Audeamus quod credi non potest ausuros nos: eo ipso quod difficillimum videtur, facillimum erit.* Idem.

7 *Qui mare exspectabant*] Claudius Boucholt corrigit: *Qui Cameras exspectabant.* Quo nomine intelligit naves, quas *plano alveo fabricasse* Suetonium dixit lib. 14. *Adversus breve littus & incertum.* Et Camaræ nomen palato Latino non insulsum. *Barclaius.* Nihil mutandum mihi videtur. *Mare exspectare* nihil hic est aliud quam secundum maris æstum opperiri. *Boxhornius.* Ludit immo Tacitus ut solet, uno verbo duabus significationibus respondente nominibus diversis. *Qui classem, qui naves exspectabant*, est, qui putabant nunquam fore, ut Romani possent eos aggredi sine classe, aut qualibuscumque navibus. *Qui mare exspectabant.* qui sibi persuaserant ipsum mare pro muro ipsis fore atque accessu prohibiturum Romanos. *Gronovius.*

8 *Ne laureatis quidem gesta prosecutus est*] Sic scribit de L. Vitellio lib. 3. Hist. *ipse lauream prospere gesta rei ad fratrem misit.* Rhenanus. Quæ frequenti in usu, si nuncianda forent victoriæ insignioris prospera, ut ex Livio discimus princip. lib. 45. & ex Amm. Marcellino l. 16. *Savilius.* Subintelligendum,

19 famæ famam auxit, æstimantibus [1] quanta futuri spe tam magna tacuisset. Ceterum [2] animorum provinciæ prudens, simulque doctus per aliena experimenta, [3] parum profici armis, si injuriæ sequerentur, caussas bellorum [4] statuit exscindere. à se suisque orsus, primum domum suam coërcuit, quod plerisque haud minus arduum est, quam provinciam regere: [5] nihil per libertos servosque publicæ rei: [6] non studiis privatis, [7] nec ex commendatione aut [8] precibus centurionum milites ascire, sed optimum quemque fidelissimum putare: [9] omnia scire, non omnia exsequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: [10] nec pœna semper, sed sæpius

pius

dum, *litteris.* Ita enim mos, cum victoria significabatur. Livius lib. 5. *littera à Postumio laureata sequuntur, victoriam populi Rom. esse.* Lib. 14. in princ. *Tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, reddidisse laureatas litteras dicitur.* Mittebantur etiam nuncii cum laureatis jaculis: aut si mari, laureata navis. Sic laureati fasces Consulibus præcedebant, post victoriam, & in triumpho: & laureatus Senatus, populus, & exercitus in lætitia, & in excipiendis Imperatoribus: ut passim in historiis. *Pichena.*

9 *Sed ipsa dissimulatione*] Melius distinxi puncto apposito post verbum *est.* nam in vulgatis continuabat oratio, *profecutus est: sed ipsa.* Idem.

*Ipsa dissimulatione*] Vide ingenium famæ, fugientes sequentis, sequentes fugientis, more, ut ajunt, Crocodili. Sane & de Catone Sallustius: *Quo minus gloriam petebat, eo magis assequebatur.* Virdungus.

1 *Quanta futuri spe*] Quod enim istam expeditionem susque deque habuisset, inde conjectabant, alia multo majora eum in animo habere gerere, & futurorum claritate præsentia prorsus obscuratum. *Idem.*

2 *Animorum provincia prudens*] Id est, noscens animos provincialium. *Rhenanus.*

3 *Parum profici armis, si injuria*] Alexander apud Curt. lib. 8. *Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur: beneficiorum gratia sempiterna est. Si habere Asiam, non transire volumus, cum his communicanda est nostra clementia: horum fides stabile & æternum faciet imperium.* Virdungus.

4 *Statuit excidere*] Sive *excidere*, pro recidere legas, sive *exscindere*, parum refert. *Rhenanus.*

5 *Nihil per libertos servosque publica rei*] Subauditur *agere*, id est, agebat. *Idem.*

6 *Non studiis privatis*] Qua ratione futurum erat, ut sæpe indigni ascirentur. Enimvero *privata res semper officere officientque publicis*, ut ait nimis quam vere Livius. Eodem spectant Arcadii & Honorii verba ad Stiliconem: *Honoris augmentum non ambitione, sed labore, ad unumquemque convenit devenire.* Virdungus.

7 *Nec ex commendatione*] Quomodo igitur? aut per se aut fama cognitos. *Idem.* Suspectus mihi est hic locus. nec enim operosa commendatione aut precibus opus erat, ut quis in gregarium militem adsciscceretur. Vix dubito, quin scripserit Tacitus: *nec ex commendatione aut precibus centuriones militum ascire.* Boxhornius. Varro tamen lib. 3. de vita po. Romani apud Nonium: Referentibus centurionibus adoptati in cohortes subibant, ut semper plenæ essent legiones. à quo optiones in turmis decurionum & in cohortibus centurionum appellati. *Gronovius.*

8 *Precibus centurionum milites accire*] Danesius legebat: *centurionum comites ascissere.* Ursinus.

9 *Omnia scire, non omnia*] Non hinc abludit scitum illud Domitii Afri: *Princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.* Virdungus.

*Non omnia exsequi*] Notabis *exsequi* hic valere, *punire, ulcisci.* quod in Suetonii Julio, cap. LXVII. Vespas. cap. XIV. Caligula, cap. XII. in Seneca, & alibi observatum. *Lipsius.*

*Non omnia exsequi*] Id est, punire. Ita Suet. Jul. 67. à quo fortasse Agricola didicit sic se gerere. *Delicta neque observabat omnia, neque pro modo exsequebatur.* Tertull. lib. 1. adversus Marcionem cap. 37. *quid denique adulantius, quam delicta non exsequi?* Plautus Capt. 2, 1. *Exsequi* alia notione usurpat. *Si immortales id voluere vos hanc ærumnam exsequi.* Moneam lectorem *si* abesse optimo codici Cl. Puteani, cujus mihi copiam fecerunt lumina Gallicæ juventutis filii ejus. Scribendum ergo, *Dii.* & mittatur, *si*, Morboniam. *Barclajus.* Quamvis enim omnia peccata militum sciret, non ideo omnia puniebat. Observavit G. Barclajus, ab aliis etiam usurpatum hoc verbum, *exsequi*, quasi pro punire. *Pichena.*

10 *Nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia*] Hic locus me admonet ut illustrem illa Plauti Bacchid. *Malefactorem amitti satius, quam relinqui beneficium: Nimio præstat impendiosum te, quam ingratum dicier; Illum laudabunt boni, hunc etiam ipsi culpabunt mali.* Quæ tenebris à commentatoribus aspersa sunt. Lambinus *impendiosum* prodigum dici vult, sed qui cum superioribus connectentur? & quo pacto de prodigo verum? *Illum laudabunt boni* &c. Quod in notam missam facientem verius & concinnius cadit. Nos *impendiosum* μεταφορικῶς pro eo, qui nimius est in ignoscendo: Mnesilochus enim viso Chrysalo, qui sibi fecerat argenti copiam, certus benefaciendi gratos laudat, ingratosque detestatur. *Salmasius.*

1 Offi-

pius pœnitentia contentus esse: [1] officiis & administrationibus potius [2] non peccaturos, quam damnare, cum peccassent. [3] Frumenti & tributorum auctionem æqualitate munerum mollire, [4] circumcisis quæ in quæstum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur. [5] namque per ludibrium assidere [6] clausis horreis, & [7] emere ultro frumen-

1 *Officiis & administrationibus potius non peccaturos*] Subaudi, ducebat, vel censebat. *Rhenanus.* V. C. *est: off. & adm. præponere potius non peccaturos.* Cum in vulgatis desit verbum *præponere*, pro quo alius liber habet, *præficere*, ut alibi apud Tacitum Veteres Cod. eodem loco quidam habent, *præponere*, quidam *præficere.* Ursinus. Cornelius solens ibi verbum supprimit, ubi per se de contextu prodit. lib. 11. ann. *De se Novius, conscios non edidit.* Et, *At Britanni non virtute sed occasione & arte ducis rati.* Itidem hic sese offert *præponere.* vel idem fit vi τῦ ἀνανταποδότου, ut apud Thucydidem est invenire, καὶ ἢν μὲν ξυμβῇ ἡ πεῖρα, i. *quod si conatus procedat.* ubi Scholiastes: τὸ σχῆμα καλεῖται ἀνανταπόδοτον, i. *figura dicitur ἀνανταπόδοτον.* Additque supplenda esse per hæc καλῶς ἕξειν τοῖς Ἀθηναίοις τὰ πράγματα. i. *bene se Atheniensium res habebunt.* Salinetius. Scio Tacitum sæpe verba supprimere: sed non ideo decedam opinione, quin hic omnino verbum desideretur. Forte legendum: *præficere administrationibus.* Pichena. Clarum vocem *præficere* aut similem deesse, ut aliis notatum. Muretus, nescio an è libro, scribebat; *Off. & adm. præponere potius* &c. *Acidalius.* Fulvii V. C. toties venditans, quod certum est nullo in MS. repertum, sed conjecturæ doctorum hominum deberi, jamdudum apud me tesseram confregit. Verbum autem, quod desideratur, censeo latere sub τῷ *potius*, quod, ut & τὸ *magis*, intelligere sæpe Tacitum, Livium, Plautum, alios ante τὸ *quam* in confesso est: adeoque auctorem edidisse *officiis & administrationibus imponere non peccaturos, quam damnare cum peccassent.* Est autem etiam Taciti *imponere legionibus, cohortibus, custodia, summæ rei.* Gronovius.

2 *Non peccaturos*] Homines spectatæ fidei & integritatis atque abstinentiæ, non cupidos, non avaros, non rapaces: aliter ac Vespasianus, de quo Sueton. c. 16. *Virdungus.*

3 *Tributorum auctionem*] Legam, *exactionem.* nisi tamen tributa aucta recenter intellegit; quod Vespasianus fecerat, ut in Suetonio legas. *Lipsius.*

*Frumenti ac tributorum auctionem*] Malim, *exactionem.* Rhenanus. Nihil dubitem *exactionem* scribere, ut Lipsius conjiciebat; nam de auctis tributis, vanum. Pro *æqualitate* vero pœne certum mihi Tacitum reliquisse *æquitate.* quod verum sensum facit. Conjecerat sic & Muretus. *Acidalius.* Nota duo onera provinciarum. De frumenti triplici genere, decumano, empto, æstimato ex provinciis frumentariis extrahi solito, vide Sigon. lib. 1. de antiquo jure provinc. cap. 1. Tributum duplex fuit, unum quod in agros, alterum quod in ipsa corpora sive capita provincialium impositum. Adeundi Lipsius lib. 2. de Mag. Ro. cap. 2. & 3. Brissonius lib. 3. explicationum, quæ ad jus pertinent *Virdungus.*

4 *Circumcisis in quæstum reperta, quæ ipso trib.*] Emendavimus: *circumcisis quæ in quæstum reperta, ipso* &c. *Rhenanus.* Transposuit Rhenanus relativum, *quæ*, contra veteres libros, qui habent; *circumcisis in quæstum reperta, quæ* &c. Quod fortasse rectius esset, dummodo legeretur, *repertis.* Pichena. Alterum tributorum fomentum coërcitio administrorum, qui præter publice imperatas pecunias privato suo compendio immane quantum serviebant. *Virdungus.*

5 *Namque per ludibrium assidere*] Sensus est, Milites Romani cogebant in summa annonæ vilitate provinciales emere frumenta, quæ mox ulterioribus venderent, clausis horreis publicis veluti in summa caritate, quæ res ludibrio non carebat. In causa erat Procuratorum avaritia. *Rhenanus.* Sensus est, nisi fallor, provinciales illis coactos frumentum dare, ubi non habebant, ideoque quum ex publicis horreis id emere necessum esset, ægre ac difficulter ad emendum admissos esse, nec nisi oblato ingenti pretio. An potius hoc vult, clausa ipsorum provincialium horrea, ne de suo darent illud frumentum, sed cogerentur id emere ab Harpyis illis. *Virdungus.* Quæ de clausis horreis, iniqua emptione ac venditione frumenti ejusque subvectione per divortia itinerum in loca remota, hic porro leguntur, fœde admodum sunt corrupta; quibus tamquam conclamatis nos non libenter manum admovemus. *Boxhornius.*

6 *Clausis horreis*] An publicis horreis, in quæ Publicani frumenta Decumarum condiderant? & quamquam haberent fortasse domi frumenta, cogebantur ab istis emere. Talia sane horrea in provinciis, & de iis Tacitus in Ægypto: *Germanicum apertis horreis pretia frugum levasse*, inter popularia ejus facta. An *ludibrium* hoc (ea voce utitur) spectat propria horrea? quæ claudebant Publicani, neque aperiri volebant, nisi pacti arbitrio suo super Decumis essent. Tale sane Cicero Verri objicit, in libro tertio: atque edictum etiam vulgasse in aratores, *Ne tollas ex area, nisi pactus eris.* Itaque pacisci pro libidine Publicanorum debebant, qui, ut idem ait, *dimidias partes* pro Decumis auferebant. Quid deinde? *emere ultro cogebantur*, inquit. Cum videlicet tantum frumenti attributum jam Publicanis esset, ii rursum vendebant aratoribus, jubebantque emere. Satis? imo amplius, etiam *vendere.* Quomodo? cum grandi pecunia suum vendidissent, redibant, & quasi in usum militum, eorumque annonas, emebant: sed vili pre-

menta, ac [1] vendere pretio cogebantur. [2] devortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, ut civitates à proximis hibernis in remota & avia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret. Hæc primo statim anno comprimendo, egregiam famam paci circumdedit; [3] quæ vel incuria vel tolerantia priorum, [4] haud minus quam bellum timebatur. Sed [5] ubi æstas advenit [6] contracto exercitu, *militum in agmine* laudare *modestiam*, disjectos coërcere: loca castris ipse capere, æstuaria ac silvas [7] ipse prætentare: & nihil interim apud hostes quie-

tio scilicet, & quod Præses aut potius Procurator Principis, ex ejus re, dixisset. Id quoque à Verrinis factum: ubi omnes hæ fraudes relatæ & revelatæ ab illustri Oratore. *Lipsius.*

7 *Emere ultro frumenta*] Romani, præter tributum, devictis a se provinciis, saltem ubi id ferebat soli ratio, conferendam frumenti partem imposuerunt, plerumque decimam. Præter hanc & alia pars legato præsidiarioque Provinciæ militi cedebat, & aliis in similem finem; pretio quod æquum videretur. Qui rei frumentariæ negotio & annonariis functionibus præerant, interdum & quorum aliqua in militaribus auctoritas, in collectione insolenter se gerebant iniquissimis grassati concussionibus & exactionibus, ut fuse Tullius ostendit quinta in Verrem. Videntur Romani quicquid in Britannia frumenti nasceretur, maxima parte suum fecisse, & instituto ejus monopolio coegisse miseros incolas ad redemptionem, quanto libuisset pretio; injecto insuper onere militis alendi, aut consimili, ut vilius iterum distraherent. Præterea illi, penes quos cura erat subvehendi species annonarias, ex. gr. Cantuaria Londinum, currus Carliolam usque destinassent, à dominis exacto quanti esset quod à vectionibus vacassent. Expediri tamen illa potuissent indigenis non ita vexatis, sed minore præfectorum compendio. Ista aut paria incommoda hoc loco notantur, ut mihi quidem rem descriptam capere videor, cedere paratus eorum, quos usus hic sagaciores reddidit, judicio. *Savilius.*

1 *Vendere pretio*] Muretus, *pendere pretium*, multo, ut mihi videtur, verisimiliore sententia. *Acidalius.* Hæc ego non capio. Quid enim est *vendere pretio?* quasi venditio ulla sine pretii interventu fiat? Tentabam *vendere prædia*: sed ἐπέχω, *Virdungus.* Suspicor, *ac vendere parvo cogebantur.* Gronovius.

2 *Devortia itinerum*] Iterum ex Cicerone (nam quis fraudes melius retegat?) lux esto. Frumenti æstimatio introducta fuit, sed primo, inquit, in commodum aratoris, *cum in eum locum, quo imperabatur, frumentum portare nollet.* Quid fecerunt boni Præsides? *Instituerunt semper ad ultima ac difficillima loca apportandum frumentum imperare, ut vectura difficultate ad quam vellent æstimationem pervenirent.* Et in vulgo factum ostendit, non solum à Verre aliquo. At Agricola emendavit, itemque postea Valerianus mandavit: *Ne præses provincialem aut possessorem cogat frumenta illic, ubi non habet, dare: equum, ubi non potest, pascere.* Quia, inquit, *non est ulla provisio melior, quam ut in locis suis erogentur, quæ nascuntur, ne aut vehiculis aut sumptibus remp. gravent.* Lipsius.

*Devortia itinerum & longinquitas*] Similia quæstuum, sive rapinarum genera in provinciis excogitata fuerunt etiam antiquiori ævo ab avaris magistratibus. Cicero in Verr. Act. 6. *semper ad ultima ac difficiliora loca apportandum frumentum imperare: ut vectura difficultate, ad quam vellent æstimationem pervenirent.* Et inferius: *tum, cum tibi ego frumentum in meis agris, in mea civitate, denique cum in iis locis, in quibus es, versaris, rem geris, provinciam administras, paratus sim dare; angulum mihi aliquem eligas provinciæ reconditum ac derelictum?* Pichena. Valerianus Imp. apud Trebellium Pollionem in Balista: *Ut illis equos contineat, ubi sunt pabula; illic annonas militum mandet, ubi sunt frumenta: non provincialem, non possessorem cogat, illic frumenta, ubi non habeat dare: illic equum, ubi non potest, pascere: nec est ulla alia provisio melior, quam ut in locis suis erogentur, quæ nascuntur, ne aut vehiculis aut sumptibus rempublicam graveut.* In quam rem multa & in utroque codice sanciuntur, ut ad Trebellii locum notat Casaubonus. *Virdungus.*

3 *Qua, vel incuria intolerantia*] Lego, *qua vel incuria, vel tolerantia priorum.* Rhenanus. Incuria, dum non inquirunt in facinora suorum ministrorum præsides: tolerantia, quod ad delicta suorum conniverent. *Virdungus.*

4 *Non minus quam bellum*] Siquidem non minus in pace quam in bello spoliabantur, illudebantur, omni crudelitatis genere lacerabantur. *Idem.*

5 *Ubi æstas advenit*] Anni sc. ab V. C. 833. qui Coss. habuit Im. Titum Vespasianum VIII. Fl. Domitianum VII. idem erat annus a Christo nato vulgaris 80. *Idem.*

6 *Contracto exercitu multum in agm.*] Posset sic quoque legi, imo sic legendum est, *contracto exercitu, militum in agmine* &c. *Rhenanus.* V. C. habet *multus*, pro, *multum*; placeret tamen magis, *militum.* Ursinus.

7 *Ipse prætentare*] Non est, quod ab errore Agricolam vindicet utpote Legatum. Sed tanto turpior neque ullo modo excusanda Taciti ignorantia est, qui illud in aliqua laudis parte ponit. δεῖ γὰρ ἐν Καιρῷ τὸν σκέψαι, ὡς ἡ παροιμία φησὶν, οὐκ ἐν τῷ στρατηγῷ γίγνεσθαι, ait Polybius lib. 10. ubi simile quid tractat. *Savi-*

quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur. atque ubi satis terruerat,
parcendo rursus [1] irritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multæ civitates quæ in
illum diem ex æquo egerant, datis obsidibus iram posuere, & [2] præsidiis castellis-
que circumdatæ, tanta ratione curaque, [3] ut nulla ante Britanniæ nova pars illacessi-
ta transierit. [4] Sequens hiems [5] saluberrimis consiliis absumpta. namque ut [6] homi- 21
nes dispersi ac rudes, [7] eoque bello faciles, quieti & otio per voluptates assuesce-
rent: hortari privatim, adjuvare publice, ut [8] templa, fora, domus exstruerent,
laudando promptos, & castigando segnes. ita honoris æmulatio, [9] pro necessitate
erat. Jam vero principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum
studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquen-
tiam concupiscerent. inde etiam habitus nostri honor, & [10] frequens toga. [11] paula-
timque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conviviorum ele-
gantiam. idque apud imperitos *humanitas* vocabatur, cum [12] pars servitutis esset.

[1] Ter-

*Savilius.* Et hoc officio ducis convenienter. Leo Imp. Tactic. 9. 12. *Sin admodum lubrica difficiliaque loca fuerint, teipsum oportet primum ea transire: deinde ibi consistere & commorari, donec omnes sine offensione transierint.* Idem exemplo suo ingerunt apud Curtium lib. 7. & 8. Alexander Magnus apud Salium lib. 15. Claudius Nero; apud Zosimum Julianus; apud Nicetam lib. 2. Manuelis Conradus. & alii apud alios. *Virdungus.*

1 *Irritamenta pacis ostentare*] Multo potius, quod jam pridem margini, *invitamenta.* quod & credo verum. Quid tamen si & *imitamenta pacis?* Id est, pacis quandam speciem. *Acidalius.*

2 *Præsidiis castellisque circumdatæ*] Quæ hic *præsidia* & *castella*, alibi *castra* seu *hiberna* vocat. Annal. 13. *damno eius exterriti qui præsidium ferre debuerunt, sua quisque in castra, trepida fuga rediere.* supra enim dixit, è castellis eos advenisse. hist. 4. *Civilis arte grassandum ratus, incusavit ultro præfectos, quod castella deseruissent: se cum cohorte cui præerat, Canninefatem tumultum compressurum: illi sua quisque hiberna repeterent.* Pichena.

3 *Ut nulla ante Britannia*] Putem legendum, *ut paullo ante Britannia nova pax illacessita manserit.* Hoc enim egisse prædicat illa tanta ratione curaque, ut conservaret pacem ante vix notam. *Lacessitam pacem* alibi quoque dixit auctor, ut supra 4, 32. & 15, 2. *Freinshemius.* Tanta cum prudentia & cura circumdatæ castellis civitates fuere, ut nulla antehac ignota Romanis Britanniæ pars exstiterit, quæ non ex illis castellis, tanquam ἐπιτειχισμῷ, bello lacesseretur. Ita explicat Cl. Bemeggerus. Aliter H. Savilius versione Anglica accepit. Sic enim reddit, ac si velit Tacitus, neminem Britannorum castella illa lacessere ausum fuisse. Me quod spectat, omnino mendosum locum existimo, legendumque: *ut nulla inde Britannorum pars illacessita transierit.* *Inde* idem quod postea, exinde. Ut ex eo tempore nulli rebellium Britannorum illæsi & sine clade ea loca transire potuerint. Sed ne sic quidem mihi satisfacio. Ad feliciora ingenia provocandum est. *Boxhornius.* Scribendum videtur: *nulla ante Britanniæ nota.* Et prospicit, quod mox dicturus est cap. 22. *Tertius expeditionum novas gentes aperuit.* Ante hunc igitur tentatæ partes non erant novæ, sed notæ. *Gronovius.*

4 *Sequens hiems*] Anni scilicet 834. post V. C. quo Coss. fuerunt M. Plautius Silvanus M. Annius Verus Pollio. qui & insignis morte Titi imperatoris. *Virdungus.*

5 *Saluberrimis consiliis*] Ad continendos scilicet in fide devictos, quod plus est quam vincere. *Idem.*

6 *Homines dispersi ac rudes*] Eam ingressus est viam in mitiganda Britannorum feritate Agricola, quam præiverunt primi civitatum conditores, de quibus Cicero in Sextiana cap. 42. *Idem.*

7 *Eoque in bello faciles*] Scribendum, *eoque in bellum faciles.* aut potius, *eoque bello faciles.* Sic enim Ann. 1. *seditioni promtum*, dixit. lib. 2. *prælio paratum.* lib. 4. *offensioni proniores.* Eodem, *Agrippina Neroni promtior.* Rhenanus.

*Bello faciles*] Qui facile in arma agerentur & quamvis levibus de causis bellum sumerent. *Virdungus.*

8 *Templa, fora, domos*] In iis enim occupati de bello cogitaturi non erant. Ea autem tempestate excultam demum, quoad urbes ac ingenia, Britanniam apparet. *Boxhornius.*

9 *Pro necessitate*] Faciebat, ut nemo in splendidorum operum structuris post alium esse vellet. Magna ejus vis est apud erectas mentes. *Idem.*

10 *Frequensque toga*] Vestis Romanorum propria in pace, ut *sagum* in castris, unde *togati sagatis*, id est, pagani militibus opponuntur: sed & *palliatis*, id est Græcis, Suetonio, & *braccatis*, id est, Gallis nostro. Quia autem non nisi in foro togati, atque adeo toga vestis forensis; hinc *togatus* pro homine forensi sive patrono causarum, item pro salutatore, quia in alia veste matutinum illud *Ave* deferre fas non erat. *Virdungus.*

11 *Paullatimque discessum*] Suspicor legendum: *paulatimque descensum.* Pichena.

12 *Pars servitutis*] Voluptatibus scilicet virtutis,

qua

22 Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis [2] usque ad Taum (æstuario nomen est) nationibus. qua formidine territi hostes, quamquam conflictatum sævis tempestatibus exercitum, lacessere non ausi. [3] ponendisque insuper castellis spatium fuit. Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse, nullum ab Agricola [4] positum castellum aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fuga desertum. crebræ eruptiones. nam adversus moras obsidionis, annuis copiis firmabantur. ita intrepida ibi hiems, & sibi quisque præsidio, irritis hostibus, eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna æstatis hibernis eventibus pensare, tum æstate atque hieme juxta pellebantur. Nec Agricola unquam per alios gesta avidus intercepit, seu centurio, seu præfectus, [5] incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam [6] *acerbior in conviciis* narrabatur, ut bonis comis, ita adversus malos injucundus. ceterum [7] ex iracundia nihil supererat. [8] secretum & silentium ejus non
23 timeres. honestius putabat offendere, quam odisse. [9] Quarta æstas obtinendis quæ per-

qua se rursus in libertatem vindicare possent, nervos incidentibus animosque ad servitutem pessum dantibus. *Virdungus. Humanitas* hic accipitur ea notione, qua apud Cæsarem lib. 1. de bello Gall. *Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea quod à cultu atque humanitate provinciæ longissime absunt.* Boxhornius.

1 *Tertius expeditionis*] M. Plautio Silvano M. Annio Vero Coss. V. C. 834. *Virdungus.*

2 *Usque ad Taum*] Tuedam, ut alii putant. *Savilius.* Tuedæ fluvii ostium in Ottadinis, hodie, Northumberland. Is autem fluvius Angliam à Scotia longo spatio discludit limesque orientalis dicitur. Ex Cambdeno. *Virdungus.*

3 *Ponendisque insuper castellis*] V. C. habet, *solis*, non, *castellis.* Ursinus.

4 *Positum castellum*] Castra & castella quibus locis munienda sint docet Vegetius lib. 1. cap. 22. nimirum loco tuto, ubi & lignorum & pabuli & aquæ suppetat copia. Et si diutius commorandum sit, loci salubritatem idem eligendam monet. Cavendum autem, ne mons sit vicinus altior, qui ab adversariis captus possit officere, considerandumque ne torrentibus mundari consueverit campus &c. Adde lib. 4. 1. Hæc castella inferior ætas *Burges* appellavit. Eaque sæpe structa instar oppidorum præsertim in finibus imperii, & ubi perpetuæ stationes & prætenturæ contra hostem; eademque origo nobilium aliquot hodie oppidorum. *Virdungus.*

5 *Incorruptum facti testem*] Declarabat Agricola neminem, qui suæ confideret, alienæ virtuti invidere. Et hoc profecto, si quid aliud ardentem inflammat & armatum armat militum generosorum virtutem. Contra quamvis præclarum ingenium hebetat, quamvis fortem indolem exarmat misera illa (ut vocat Plinius) reputatio: *Vides enim, si quid bene feceris, nesciet imperator; aut si sciret, testimonium non reddet.* Virdungus.

6 *Acerbior in conviciis*] Inter species irarum & has commemorat Seneca 1. 4. quæ in verborum maledictorumque amaritudinem effusæ. cui vitio obnoxii sunt, quos ἀκρόχολοι Aristoteles appellat 4. Eth. 5. irasci faciles tamen ut sint placabiles, qualem se fatetur Horatius & eodem ingenio Quintum fratrem suum describit Cicero. *Idem.*

7 *Ex iracundia nihil supererat*] Sen. de ira 2, 16. *simplicissimi omnium habentur iracundi.* Pichena.

8 *Secretum & silentium*] Contra de Domitiano inferius: *talibus curis exercitus, quodque sæva cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus.* De eodem etiam Plinius Panegyrico ad Trajanum: *non adire quisquam, non alloqui audebat, tenebras semper secretumque captantem, nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret.* Pichena.

*Secretum & silentium*] Ut eorum, quorum iræ altæ gravesque sunt & introrsus versæ, quos πικροὺς καὶ δυσδιαλύτους usurpat Aristoteles & describit. Tales Tiberius & Domitianus. *Virdungus.*

9 *Quarta æstas*] Anni ab V. C. 835. à natalibus Christi Dionysianis 82. qui annus habuit Coss. Imp. Domitianum VIII. & T. Flavium Sabinum. *Virdungus.*

*Quarta æstas obtinendis, quæ percurrerat, insumpta*] Mirum est cujus culpa verba hujus sententiæ transposita fuere. Nulla hypallage excusare potest hanc lectionem. Ducantur ergo suas in colonias hæc verba me Triumviro, *Quarta æstas percurrendis quæ obtinuerat insumta.* Non inficior tamen veterem lectionem posse commode retineri. Nam *tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis usque Taum gentibus.* has ergo gentes quarto anno (ut proprio verbo dicam) obtinuit, atque adeo Tacitus *quartam æstatem obtinendis quæ percurrerat insumtam* non male dicit. *Barclajus.* Berneggerus sic interpretatur: quæ præcedenti anno obtinuit & vincendo percurrit, præsidiis impositis firmavit. Nec illud bene: quæ enim expeditionis suæ anno tertio percurrit, ea demum quarto obtinuit. Savilius τὸ *obtinere* reddit ac si esset cognoscere, ordinare, disponere. Sed nec illud probo. *Obtinere* enim vix ea notione usurpatur. Vulgata lectio proba mihi quidem videtur. *Obtinere* nihil aliud est quam totum suum facere, & omnino sub potestatem suam redi-

percurrerat insumpta. ac si virtus exercituum & Romani nominis gloria pateretur,
inventus in ipsa Britannia terminus. [1] Nam Glota & Bodotria diversi maris æstu per
immensum revecti, angusto terrarum spatio dirimuntur. quod tum præsidiis firmabatur: atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus. [2] Quinto expeditionum anno nave prima transgressus, ignotas ad id tempus 24
gentes crebris simul ac prosperis prœliis domuit: eamque partem Britanniæ quæ Hiberniam aspicit, copiis instruxit, [3] in spem magis quam ob formidinem. siquidem
Hiber-

redigere illud, quod antea aut leviter modo tentatum, aut partim tantum devictum erat. Opponitur etiam *τὸ percurrere*. quo verbo prædationes tantum & excursiones in agrum hostilem denotavit, respexitque ad illa præcedentia, vastatis usque ad Taum nationibus. Aliud est vastare & percurrere agrum, aliud suum facere, & ut hic loquitur noster, *obtinere*. Sententia igitur, Quæ tertio expeditionis anno excursionibus tantum pervagatus Agricola erat, quarti anni æstate omnino sub Romani imperii ditionem redegit. *Boxhornius*. Hi tres omnes habent hic aliquid boni & veri, sed nemo se satis explicat. Omnino enim jam redegerat sub ditionem, cum percurrerat: sed *obtinuit* est, quæ celeri quodam virtutis ac victoriæ cursu obierat, subegerat, occuparat, eorum annuæ moræ continua possessione, administratione, usurpatione jus populi Romani fundavit: in eis tenendis obduravit obfirmavitque sese atque ostendit, non se ut prædam aut gloriolam peteret, sed ea possessurum venisse, ac nec relinquere neque eripi sibi velle. Quod quin & præsidiis castellisque firmandis, ut Berneggero placet, consecutus fuerit, mihi dubium non est. Idem *τὸ percurrit* explicat *continuit*, haud male; sed vulgata verbi significatione, non ea qua Tacitus utitur, cum *τὸ percurrere* aliud facit, aliud *obtinere*. Huic enim *obtinere* est perseverare in tenendo, quod Galli dicunt *maintenir*; providere, ne qua vis possessionem interrumpat, & si qua tentetur, eam fortiter feliciterque repellere. Vide quæ notamus ad Livium lib. 3, 37. *Gronovius*.

1 *Nam Glota & Bodotria diversi maris æstu per immensum revecti* ] *Glota*, æstuarium Dubrettaniæ. *Bodotria* æstuarium Edimburgi. *Savilius*. Duo æstuaria hæc erant, à Ptolomæo Clota & Boderia appellata: illud, septentrionem, hoc meridiem aspiciens. At hic in Venero legitur: *diversi maris æstibus per immensum revecta*. Quod si tantummodo immutemus, *revecta*, in *revectis*: longe melius, ni fallor, se habebit hic locus. Videtur enim isthmum ibi fuisse inter duo maria, ergo & duo æstus diversi maris. qui æstus, sive accessus, per immensum revehebantur, id est, longe se intra terras insinuabant, adeo ut angustum ibi terræ spatium relinquerent. Ann. 15. *proruptis per immensum ædificiis*. Pichena. Qui *dirimuntur*? haud dubie *Glotta & Bodotria* fluvii. Quomodo? angusto terrarum spatio. Quare? quia *diversi maris æstu per immensum revecti*. hoc est, hinc atque inde occurrentis impetu & affluxu maris detenti & velut repulsi ac retroacti. Atque eo intervallo non longo castellis septo, quicquid interius terrarum erat, parebat Romanis. *Gronovius*.

2 *Quinto expeditionis* ] V. C. 836. quo Coss. fuerunt Imp. Domitianus IX. T. Virginius Rufus II. Hic est annus, quo Domitianus philosophos urbe Italia exegit. *Virdungus*.

3 *In spem magis* ] Vel potius, *in speciem magis*. Lipsius.

*In spem magis* ] Doctiss. Vir, *in speciem*. Non quod inde timeret, sed ad vires ostentandas: quod Othonianis etiam factum: *ostentare vires & militari vallo Veronam circumdare placuit*. Non tamen abjiciam *in spem*; quod satis commode interpretari potest. Agricola gnarus quam oportuna esset Hibernia ad continendos in fide Britannos; Animo versabat ejus invasionem: quamobrem fines copiis instruxit, ne oblata occasione milites è longinquo essent arcessendi, *in spem magis quam ob formidinem*. nam alias metu barbarorum milites per fines disponi solent, qui JCtis *milites limitanei* dicuntur. Similiter hæc eadem de caussa Messana Syracusanis occupatur. Thucyd. lib. 4. ἔπραξαν δὲ τοῦτο μάλιστα οἱ μὲν Συρακούσιοι ὁρῶντες προσβολὴν ἔχον τὸ χωρίον τῆς Σικελίας. i. *idque præcipue Syracusanorum opera, quod viderent inde facillime Siciliam invadi posse*. Postremum quod *Agricola* speravit, nunc Hispani meditantur & tentant, admoniti forsan his Taciti verbis. *Salinerius*. *To speciem* ab auctoris mente mihi videtur alienum. Nam si in speciem tantum, & ad arma Romana ostentanda, illam Britanniæ partem Agricola copiis instruxisset, sane species illa absque formidine non fuisset. Verius ergo, *in spem*, scil. Hiberniæ potiundæ. quod etiam ostendunt sequentia verba. *Pichena*. *In speciem* potius videtur prima fronte: sed si mentem auctoris inspicis accuratius, contra omnino est. Nam si *speciem* legis, ut alia omittam, quare ista subjungit? *Siquidem Hibernia valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit*. nullam video sententiæ ἀκολουθίαν. His enim illa declarare vult: quæ sunt, si ita quidem legas, plane diversa. Conveniunt optime, si *spem* retineas. Dicere enim hoc vult: Britanniæ eam partem, quæ Hiberniam spectat, copiis ab Agricola instructam, non tam metu ullo, quam spe Hiberniam quoque ipsam obtinendi. De invadenda quidem cogitasse, clarum ex sequentibus: *aditus portusque per commercia & negotiatores cogniti*.

Hibernia [1] medio inter Britanniam atque Hispaniam sita, & Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit. Spatium ejus si Britanniæ comparetur angustius, [2] nostri maris insulas superat. Solum cælumque & ingenia cultusque hominum [3] haud multum à Britannia differunt. melius aditus portusque per commercia & negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiæ [4] in occasionem retinebat. Sæpe ex eo audivi, [5] legione una & modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse. Idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, & velut è conspectu libertas tolleretur. Ceterum [6] æstate qua sextum officii annum inchoabat, [7] amplas civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium, & [8] infesta hostili exercitu itinera timebantur, [9] prius classe exploravit: quæ ab Agricola primum assumpta in partem

Et occasioni fuisse intentum ista affirmant: *Agricola expulsum seditione domestica &c. in occasionem retinebat.* Facilem quoque rem sibi persuasisse, illa monstrant: *sæpe ex eo audivi. &c.* Copiis itaque instruxit hanc Britanniæ partem, ut in tempore paratas ad expeditionem haberet. *Acidalius.*

1 *Medio inter Britanniam atque Hispaniam sita*] *Medio* ablativus est, pro, in medio. Sic in Annal. dixit, *medio temporis.* Rhenanus. Cave intelligas, in medio sitam, id est, æque distantem. nam Hibernia proxima quidem est Britanniæ, ab Hispania vero longissime abest. sed, *in medio*, hic significat, in eodem maris spatio sita. *Pichena.* Hiberniæ talis est situs. Ab ortu habet Britanniam, à qua unius diei navigatione disjungitur: ab occidente, vasto & aperto pulsatur Oceano; à septentrione Islandiam procul spectat: à meridie Hispaniæ objecta est, & ab ea tridui navigatione abest. *Virdungus.*

2 *Nostri maris insulas*] Intelligit mediterraneum, & quæ in eo insulæ, ut Siciliam &c. *Savilius.*

3 *Haud multum à Britannia differt, in melius aditus ortusque*] Prodigiose corruptus locus est. Lego *differunt. Ejus aditus portusque &c. Ejus* scil. insulæ Hiberniæ. *Rhenanus.* Danesius legebat: *haud multum à Britannia differt. ejus aditus &c.* Ursinus. Muretus legebat, *differunt in melius. Aditus portusque.* quam scripturam amplectar, si sententia, quam gignit, vera. Dubito enim an Hibernia differat in melius à Britannia. Propior sum credere diversum, & addita particula negante scribere, *haud multum à Britannia differunt, nec in melius.* Utrum verius sit, illud quidem mihi certum, vocem *melius* præcedentibus tali aliqua emendatione aptandam, non cum sequentibus, ut nunc vulgo, conjungendam. Nam nec sensus quidquam illic ab ea juvatur: & concinnitas structuræ nescio quomodo læditur. Nisi quis forte mutare, sane non incommode, ita malit: *Militibus aditus portusque per com. & neg. cogniti. Agricola expulsum &c.* Acidalius.

4 *In occasionem retinebat*] Sicut antea Claudius invaserat Britanniam obtentu Berici exsulis restituendi. *Virdungus.*

5 *Legione una & modicis*] Tam enim eruditos armis milites habuerunt Romani, testante Vegetio 2, 4. ut cuivis bello duæ legiones crederentur posse sufficere. In levioribus autem bellis, ait 3, 1. unam legionem, mixtis auxiliis, hoc est 10000. peditum & duo millia equitum, crediderunt posse sufficere. *Idem.*

6 *Æstate qua sextum*] Ab U.C. 837. æræ Christianæ vulgaris 84. Imp. Domitiano x. Ap. Junio Sabino Coss. *Idem.*

7 *Amplas civitates trans Bodotriam sitas*] Cum ita in libris omnibus veteribus legeretur, Lipsius reposuit: *ampla civitate trans Bod. sita.* Quod quidem, ut à librorum fide, ita etiam ab historia ipsa recedere videtur. nam sic inferretur, unam tantum civitatem trans Bodotriam fuisse; cum magnam illam Caledoniæ provinciam plures civitates seu populos habuisse, ipse Tacitus affirmet paullo infra: *coetibus & sacrificiis conspirationem civitatum sancirent.* ac deinde: *legationibus & fœderibus omnium civitatum vires exciverant.* ubi non de integra Britannia, sed de sola Caledonia sermo: Veterem ergo lectionem restitui. atque ubi in vulgatis legitur, *portus classe exploravit:* Rhenani judicium secutus correxi, *prius classe exploravit.* Jussit scil. Agricola, ut classis litora Caledoniæ circumveheretur atque omnia loca, quæ à mari non longe abessent, exploraret. *Pichena.* Venit ecce sub acumen stili: *ampla civitatis trans Bodotriam sita, quia m. &c. timebantur, portus classe exploravit.* Et *portus* non *portum*, quia civitatem ponit non pro oppido, sed pro gente vel regione aliquot populos complexa & late per tractum litoris patente, ad quam erat veri simile naturam ab Oceano complures aditus portusque patefecisse. Ut civitas Helvetiorum Cæsari, civitas Hyrcanorum Trogo Pompejo. *Gronovius.*

8 *Infesta hostili exercitu itinera timebantur*] V. C. habet *hostilis exercitus.* & paullo post; *Caledoniam incolentes populi.* Ursinus.

9 *Portus classe exploravit*] Opinor scribendum, *prius classe exploravit.* Mox mallem legere, *impelleretur.* nam sequitur, *attollerent & compararentur.* Rhenanus.

*Portus classe exploravit*] Et hoc imperatorio officio

partem virium, sequebatur egregia specie, cum simul terra simul mari bellum impelleretur: ac sæpe iisdem castris pedes equesque & nauticus miles mixti copiis & [1] lætitia, sua quisque facta, suos casus attollerent: ac modo *silvarum & montium profunda*, modo *tempestatum ac fluctuum adversa*, hinc *terra & hostis*, [2] hinc *victus Oceanus* [3] militari jactantia compararentur. *Britannos* quoque, ut ex captivis audiebatur, *visa classis obstupefaciebat, tamquam aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur.* Ad manus & arma conversi [4] Caledoniam incolentes populi, paratu magno, majore fama, uti mos est de ignotis, [5] *oppugnasse ultro*, castella adorti, [6] metum ut provocantes addiderant: *regrediendumque citra Bodotriam, &* [7] *excedendum potius, quam pellerentur*, [8] specie pru-

cio convenienter. nam prœlium navale gesturus (verbis Vegetii) consuetudinem pelagi vel loci ante congressum debet cognoscere. Cæsar lib. 4. de bell. Gall. cap. 20. *Virdungus.*

1 *Lætitia sua quisque facta*] Expones, per lætitiam. *Rhenanus.*

2 *Hinc auctus Oceanus*] Putabam, *victus*. sed quid si *auctus*, quia incognitum mare jam navigatum, & reliquo Oceano quasi adjectum? *Lipsius.*

*Hinc auctus Oceanus*] Qui novas gentes & adhuc ignotas aperit, is dicitur auxisse orbem terrarum, qui revera semper idem, sed non opinione: hinc Alexander ille magnus, qui plures orbes meditabatur. Juvenalis:

*Æstuat infelix angusto in limite mundi,*
*Ceu Gyaræ clausus scopulis parvaque Seripho.*

*Auctus* ergo *Oceanus*, quod Agricolæ milites id ulterius navigassent, quam antea factum esset. Per hæc in memoriam redeo Christophori de Columbo, mirabili cujus ausu, immensus ille vetus orbis minima nunc orbis portio censetur: quem profecto si tempora Saturni tulissent, deos illos majoris gentium unus ipse regeret. *Salinerius.* Pulcherrime Lipsius, *victus*. Inepte vulgo, *auctus*. Pichena. Non profecto inepte, sed magnifice: ab his addita provinciæ regio ampla terrarum novusque quæsitus ac domitus hostis; ab illis, quod Oceani Romanum agnoscebat imperium, promotum auctumque & ei accessio facta. *Gronovius.*

3 *Militari jactantia*] Vulgus militum jactabundum. Hinc larga risus materia Comicis. *Virdungus.*

4 *Caledoniam*] Ptolemæus Britanniam in *Magnam* & *Parvam* dividit; *Magnam* vocans citeriorem ad meridiem; *Parvam* ulteriorem ad septentrionem: cujus incolæ in Majatas & Caledonios distincti erant, id est, in campestres & montanos. Ortelio Caledoniorum tractus Rossia videtur hodie ex tabulis vocari. Retinet vetus nomen oppidum infra Atholiam ad dextram Tai ripam situm, vulgo *Duncalden*. Eadem vestigia extare in *Caldar* & *Calendar* auctor Scotiæ Chronico. *Idem.*

5 *Oppugnasse ultro, castella adorti*] Fortasse, *oppugnare ultro, castella adoriri.* Lipsius.

*Oppugnasse ultro castella adorti*] Malim, *oppugnare.* Rhenanus. V. c. habet, *oppugnare ultro castellum adorsi.* Ursinus. Lipsius olim suspicabatur legendum, *oppugnantes*, vel *oppugnavere*. novissime cum Rhenano, *oppugnare*. Ego etsi de sinceritate loci dubito, utcumque tamen vulgatam lectionem defendi posse arbitror, si intelligamus, verbum, *oppugnasse*, regi à voce *fama*: quasi aucta fuerit fama ex eo, quod Britanni ultro oppugnassent Romanos. & ideo distinguerem: *paratu magno (majore fama, uti mos est de ignotis, oppugnasse ultro) castella adorti.* Sed durior sensus & constructio, quam ut mihi satisfaciat. *Pichena.* Hic tecum non facio doctissime vir, licet alias te in oculis feram. *Oppugnasse*, loco *oppugnare*. Tempus pro tempore. Quintilian. 9. 3. *transferuntur enim tempora* &c. *Timarchides negat esse ei periculum à securi. esse* vice *fuisse.* additque, *at ne morer, per omnia fit genera, per quæ fit solœcismus.* Quod à Dionysio ad Amm. dicitur, *Φράσις ἐκβεβηκυῖα παρὰ τοὺς χρόνους τῶν ῥημάτων* i. *phrasis egressa tempora verborum.* Nec hic modo Cornelius hæc ausus est. *Non tamen pigebit, vel incondita ac rudi voce, memoriam prioris senectutis, ac testimonium præsentium bonorum composuisse.* nec primus protulit. Plaut. Pœn. *Nolito edepol devellisse* (pinnas) *jam duobus mensibus Volatres tibi erunt hircina.* Quibus in locis satis aperte *composuisse* & *devellisse* ejusdem sunt notæ cujus *componere* & *divellere.* Salinerius. Nec dura *παρενθέσει* & constructione opus est nec mutatione temporum. Sed rectissime Pichena *τὸ oppugnasse* regi à *τῷ fama*: ut *fama oppugnasse* sit, rumor quod oppugnarint. Castella, inquit, adorti & apparatu magno & majore fama vel ex eo, quod sponte oppugnatum venissent, metum addiderunt. *Gronovius.*

6 *Metum ut provocantes*] Multum interest (ait Scipio apud Livium lib. 28.) alienos populorum fines an tuos uri exscindique videas. Plus animi est inferenti periculum quam propulsanti. Qua & in re memorabilis Agathoclis audacia apud Justinum lib. 22, 5. *Virdungus.*

7 *Excedendum potius quam pellerentur*] Nec male foret: *excedendum priusquam pellerentur.* Gronovius.

8 *Specie ignavi prudentium admonebant*] *Specie* referendum est ad genitivum, *prudentium*. Ignavi specie prudentium admonebant. *Rhenanus.*

*Specie prudentium ignavi*] *Ἀγχίθυροι* sunt *αἱ κακίαι ταῖς ἀρεταῖς*, ut ait Basilius. Atque hinc multa in



vitæ

prudentium ignavi admonebant. cum interim cognoscit, *hostes pluribus agminibus irrupturos.* Ac ne superante numero, & [1] peritia locorum circumiretur, diviso &
26 ipse in tres partes exercitu incessit. Quod ubi cognitum hosti, [2] mutato repente consilio, universi [3] nonam legionem ut maxime invalidam nocte aggressi inter somnum ac trepidationem cæsis vigilibus irrupere. Jamque in ipsis castris pugnabant, cum Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus, & vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque assultare tergis pugnantium jubet, mox ab universis adjici clamorem. & propinqua luce fulsere signa. ita ancipiti malo territi Britanni: & Romanis redit animus, ac [4] securi pro salute, de gloria certabant. ultro [5] quinetiam irrupere. & fuit atrox in ipsis portarum angustiis prœlium, donec pulsi hostes, utroque exercitu certante, his ut tulisse opem, illis ne eguisse auxilio viderentur.
27 [6] quod nisi paludes & silvæ fugientes texissent, debellatum illa victoria foret. [7] Cujus constan-

vitæ actionibus occurrunt (verbis Galeni) δυσδιόρθωτα, quia ἡ ἀρετὴ γειτνιᾷ τῇ κακίᾳ. *Verdangus.*

1 *Peritia locorum circumiretur* ] Singulari numero restitui, *circumiretur*, veteribus libris auctoribus. nam ad ipsum Agricolam refertur, & recte convenit cum sequenti verbo, *incessit.* Alias quod in vulgatis legitur, *circumirentur*, aliquid ambiguitatis habere potest. *Pichena.*

2 *Mutato repente consilio* ] Cùm consilium tuum cognoveris adversariis proditum, dispositionem mutare te convenit, Vegetius 3. ult. *Verduague.*

3 *Nonam legionem* ] Multa hic perite fecerunt Britanni. Primum quod repente & improviso, deinde quod noctu sopitos, tum quod universi unam legionem, postremo quod hostium invalidissimos adorti. *Idem.*

4 *Securi pro salute, de gloria certabant* ] Concinnius sit, si vicissim traducas particulas *pro* & *de.* Lego, *securi de salute, pro gloria certabant.* Nam *securum esse pro aliqua re*, nescio an Latine possis dicere. *Acidalius.*

5 *Quinetiam irrupere* ] Imo *erupere.* Res ipsa & sequentia clamant. *Idem.*

6 *Quod nisi paludes & silvæ* ] De latebris silvarum notum est, de paludibus noto, in quibus sæpenumero latuisse fugientes memorant scriptores. Juven. Sat. x.

*Exsilium & carcer, Minturnarumque paludes.*

Florus quoque auctor 4, 12. *Nihil illa cæde per paludes perque silvas cruentius.* Barclajus.

7 *Cujus constantia ac fama* ] Fallor, aut *conscientia* legendum. Conscius sibi exercitus egregiæ victoriæ, & ex ea famæ, majora volvebat. Video & Pichenæ hoc placuisse. *Lipsius.*

*Cujus constantia ac fama* ] Quid sibi hic velit *constantia* vox, non assequor, quam corruptam suspicor, ac legendum: *cujus conscientia ac fama.* Nihil clarius & fortasse certius. *Pichena.* Lege, *cujus conscientia ac fama.* Acidalius. Quod viris optimis fastidio, nobis aureum & gemmeum est. *Constantia* aliquando opponitur non tam levitati aut infirmitati ejus, qui varius & mutabilis semper, quam timori seu levitati ex timore, atque est imperterritus & immobilis animus iis, quæ terrere possunt, & infirmiores inducere vel vi vel ambitione ad mutanda cœpta & ad aliter & minus honeste fere consulendum. Sic *constantiam* Cyri pueri in Astyagis aula prædicat Justinus 1, 5. & *constantiam* Alexandri rapientis ad supplicium de tumultuantibus armatis: cui convenit apud nostrum Voculæ *constantia* 4. histor. 25. item Perdiccæ ultro accedentis & increpantis pedestrem exercitum, qui percussorem ad eum miserat Justin. 13. 3. Talis *constantia* Germanici rejicientis imperium cum maximis minis delatum Suetonio Calig. 1. & Titi conspiratis adversum se assidere sibi jubentis & gladiatorum arma explorare apud Aurelium Victorem. Non aliter Pius apud Capitolinum cap. 5. *Fuitque ea constantia, ut septenis & novenis annis in provinciis bonos præsides detineret.* Quod recte cepit Casaubonus; eoque minus ferendum, quod ei obloquitur Salmasius. Cavillatur scilicet *bonos* tantum detinuisse, & ab his nihil periculi aut metus. Parum πολιτικῶς. immo regibus boni quam mali suspectiores sunt: & sæpe non injuria. Non enim *bonos* ἁπλῶς ad legem Philosophorum intelligimus, sed juste ac fortiter & cum gratia provincialium rempublicam gerentes: qualibus profecto gloriæ & imperii cupido non segniter innascitur. Noster de Tiberio annal. primo: *neque enim eminentes virtutes sectabatur, & rursum vitia oderat. ex optimis periculum, à pessimis dedecus publicum metuebat.* Non aliter Capitolinus Salmasio in subsidium vocatus de Marco cap. 12. *Quamvis esset constans, erat etiam verecundus.* His enim locum dederunt hæc superiora: *Fisco in causis compendii nunquam judicans favit.* Decebat *constantiam* principis, nihil decidere de republica, nihil pati publico detrahi, etsi hominum odia & famæ invidia foret subeunda. Talis *constantia* fuit M. Catonis omni opum vi repugnantis, ne Asianorum locario induceretur, apud Ciceronem in primo ad Atticum. Ac Marcus quamvis *constans*, quamvis *Fabiana constantia* in spernendis rumoribus & simultatibus, modo recte ageret, quamvis salubris, nec largitor; aut jactura reipublicæ ambitiosus, tamen pudoris sui putabat, non nimium pro fisco

constantia ac fama ferox exercitus: *nihil virtuti suæ invium: penetrandam Caledoniam, inveniendumque tandem Britanniæ terminum continuo præliorum cursu* fremebant. atque illi modo cauti ac sapientes, prompti post eventum ac magniloqui erant. iniquissima hæc bellorum conditio est, prospera omnes sibi vindicant, [1] adversa uni imputantur. At Britanni non virtute sed occasione & [2] arte ducis rati, nihil ex arrogantia remittere, quo minus juventem armarent, conjuges ac liberos in loca tuta transferrent, [3] cœtibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent. [4] atque ita irritatis utrimque

fisco tendere. Opportunum est etiam, quod adhibet Salmasius ex eodem Marco Capitolini cap. 4. *verecundus sine ignavia.* Hoc prorsus est illud inversum: *quamvis esset verecundus, erat etiam constans.* Nam huic significationi *constantiæ* adversatur *ignavia*, si memineris *ignaviam* & *segnitiem* optimis auctoribus interdum esse timorem, formidinem, quod Galli dicunt *poltronnerie & manquement de courage.* Sic Tacitus 2. hist. 94. *Nec coërcebat istas voces Vitellius super insitam inerti animo ignaviam conscius sibi instare donativum.* Hoc est, præterquam quod natura nihil habebat constantiæ & horrebat vanos strepitus, nec audebat militaris turbæ insolentiam imperatoria severitate compescere. Hinc & intelligendum illud Velleji lib. 2, 125. in seditione Germanici Pannonicique exercituum post excessum Augusti: *Quo quidem tempore ut pleraque ignave Germanicus, ita Drusus prisca antiquaque severitate, &c.* hoc est, parum constanter, parum severe. Nam hoc quoque constantiæ est tumultuantibus non cedere atque etiam obviam ire, ut Suetonius loquitur Julio cap. 69. Nec dubium, quin turpiter & mendaciter aduletur patri & filio, tactumque constantissimi, qua licuit, exempli, ut agnoscit Suetonius, ignaviæ crimine traducat. Sic igitur eam vocem & hic accipimus, ut *cujus victoria constantia & fama ferox exercitus*, sit. Cujus præsentissimis interritisque tanto periculo animis partæ tantaque fama passim celebratæ memor atque inde inflatus miles. Lib. 14. annal. *At Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit.* His omnibus in locis *constantia* non quævis perseverantia & propositi pertinacia, sed κατ' ἐξοχὴν permansio in sententia & instituto atque habitu mentis contra graviter obstantem urgentemque vel metum vel gratiam vel subrusticum pudorem. *Gronovius.*

1 *Adversa cum imputantur*] Non dubito, quin Tacitus scripserit, *adversa uni imputantur.* Estque gravissima sententia nec minus vera. Iniquissima hæc bellorum conditio est, prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur, hoc est, duci. Sic 4. Histor. narrat Herennium Gallum exercitus Romani legatum à militibus verberatum, quos tum Germani profligaverant. *Victi*, inquit, *quod tum in morem verterat, non suam ignaviam, sed perfidiam legati culpabant.* Rhenanus.

2 *Arte ducis rati*] Hæret sententia. Putabam olim, & explebam: *arte ducis victos rati.* Nunc magis, & propius verbis: *non ut virtute, sed occasione & arte ducis superati.* Nam illud, *super*, compendio sæpe scriptum, & unica littera: quæ & in fine antecuntis verbi est. *Occasione* autem victos se volunt, quia superventu subito Agricolæ (prius prælium vide) oppressi. *Lipsius.*

*Arte ducis rati*] Opinor legendum, *arte ducis irasi, nihil ex arrogantia remittere*, id est, remittebant. *Rhenanus.* Cum aliquid huic sententiæ desit, Lipsius supplet, *arte ducis victos rati.* sed ex ingenio, non ex libris. Ego, *ducis*, vocem redundare censeo, nam recte subintelligitur, & arte hostium. Ideo levi neque aberrante mutatione, ex ipsa voce, *ducis*, restituerem, *victos:* ut legatur, *arte victos rati.* Notandum hic etiam, quod ars virtuti opponitur. Sic Vegetius in procem. lib. 3. *Cum Carthaginiensibus non virtute, sed arte solus ferret auxilium.* Pichena. Non manca, mutilave sunt: Suetium est enim magnitudinis sectatoribus, verbis ibi parcere ubi sensus ultro emergit. disce de eorum signifero Thucyd lib. 4. ἤλπιζον γὰρ αὐτοὺς ἐπὶ τὴν Σολύγειαν κώμην πειράσειν. i. *sperabant enim ipsos in vicum Solygiam tentaturos.* Ubi Scholiastes, προσυπακουστέον τὸ ἐλθεῖν i. *subintelligendum τὸ venire.* Alibi, εἰ δ' ἀπιστήσαντες, ἄλλως ὑπακούσαιμεν. i. *si vero non credentes, aliis.* Scholiastes τοῖς ἐμοῖς λόγοις δηλονότι. i. *meis verbis scilicet.* At hic *victos* est in proclivi. *Salmerius.* Suspicabar aliquando: *ut non virtute, sed occ. & arte ducis strati*, vel *superati.* nunc taceo. video enim non esse cujusvis medicinam facere depositis. *Gruterus.* Melius omnino si legas, *strati*, vel *fracti*, quod infra statim: *Britanni nihil fracti pugna prioris eventu.* Acidalius. Deest vox *viros*, aut alia talis, ut in margine annotavit Lipsius. Cæterum & hic locus ostendit plerumque non debellari ea victoria, quam hostes casui magis vel occasioni aut strategemati tribuant, quam virtuti adversariorum: idque ipsum Divico Helvetius Cæsari ingerit lib. 1. de B. Gall. 13. *Virdungus* Forte; *non virtutem sed occasionem & artem ducis rati:* sic fere supra 2, 11. *haud imperatorium ratus* 3, 20. *obsidionem flagitii ratus.* Freinshemius Nos mallemus: At *Britanni non virtute, sed occasione atque arte ducis superati.* Saltem utriusque lectionis eadem sententia, & Taciti est, nisi fallor. Per *virtutem* intellige vim & manum Romanorum. *Boxhornius.*

3 *Cœtibus ac sacrificiis*] Sic lib. 4. histor. cap. 14. Claudius Civilis *Virdungus.*

4 *Atque ita irritatis utrimque animis discessum*] Sic Ann.

28 que animis discessum. Eadem æstate cohors Usipiorum per Germanias conscripta, in Britanniam transmissa, [1] magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis [2] exemplum & rectores habebantur, [3] tres Liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendere: & [4] uno remigrante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum provehebantur. mox hac atque illa rapti, & cum plerisque Britannorum sua defensantium prœlio congressi, ac sæpe victores, aliquando pulsi, eo [5] ad extremum inopiæ venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. atque ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro prædonibus habiti, [6] primum à Suevis, mox à Frisiis intercepti sunt. ac fuere quos per commercia venumdatos, & [7] in nostram usque ripam mutatione ementium adductos, indicium tanti casus illustravit. [8] Initio æstatis Agricola domestico vulnere ictus, anno

Ann. 13. *atque ita infensis utrimque animis discessum.* Pichena.

1 *Magnum ac memorabile facinus*] Hodie rideamus: at olim hoc tanti fuit, quanti nunc penetrasse Magellani sinum, & orbem hunc circumdedisse. Ambrosius lib. III. Hexaëm. cap. III. *Illud magnum & inausum navigantibus, atque intentatum nautis mare, quod Britannias frementi includit æquore, atque in ulteriora & ipsis fabulis inaccessa secreta se porrigit.* Hac autem circumvectione retecta Britannia, & insula bona fide approbata. Dionem in Tito vide. *Lipsius.*

*Magnum ac memorabile facinus*] Itane magnum ac memorabile facinus fit Britanniam circumnavigasse? Hodie certe id nec memorabile nec magnum, post penetratum fretum Magellani, post novos orbes inventos, ex quibus Americanus æque fere nobis notus est quam noster; Australis autem quamvis interiora adhuc celet, tamen extimas oras circum undique jam retexit, aliquot navigationibus circumdatus. Sed & nuperrimæ Hollandorum navigationes memorabiles, quibus per septentrionem viam rimantes ad Indiam orientalem usque ad LXXXI. gradum velificati sunt, & ulterius issent, ni cœli inclementia ac mare concretum prohibuissent. *Virdungus.* Vir eruditissimus & haud quaquam τῶν τυχόντων, (qui longe major apparuisset, nisi vix notum suis mores & paupertas depressissent) mihi etiam inter primos adolescentiæ meæ fautores venerabilis, nimis anguste modum hujus facinoris metitur. Magnitudinis ejus, quam Tacitus intelligit, pars exigua & fortuita est, quam præcipuam putat Virdungus. Magnum erat & memorabile tali tempore ac loco tales rebellionem moliri, & tali modo tantisque casibus ac periculis propositis exsequi. dein per omnia extrema tam diu ærumnosam vitam trahere ac durare. Inceptu, profligatu, exitu magnum hoc & memorabile facinus; non cursu tantum, quem ne cogitarunt quidem, cum rem ingentis ausi susciperent; quamquam & hujus fortuna ipsis miseriis magna & memorabilis. *Gronovius.*

2 *Exemplum & rectores*] Vitam scilicet militarem magistrantes, sive magistros agentes vitæ militaris: στρατιωτικῷ βίῳ ἐγγύμενοι, καὶ τὸ καθ' ἑαυτοὺς ὑποδείγματι τοὺς ὁμοίως ζῆλον καλοῦντες· manipulares cæterosque quod Spartianus eleganter *exemplo virtutis sua ceteros adhortari:* alii vero (ut Vopiscus in Tacito & Treb. Pollio in Macriano) *ad exemplum docendi aliquid facere.* Vide quæ annotavit Casaubonus ad locum Spartiani in Hadriano. *Virdungus.*

3 *Tres liburnicas*] De his vide Vegetium lib. 4. cap. 33. & 37. Ibique annotationes Stewechii. *Idem,*

4 *Uno remigrante*] An *remigrare* hic significat, remigio aufugere? id quidem fieri non potuit, cum in unaquaque Liburnica, tertia pars cohortis esset, quæ gubernatorem vi retinere, atque occidere poterat. Ergo verisimilius est, illum, antequam ex portu solverent, clam se subduxisse, ac domum versus remeasse. nam duos tantum occisos apparet. *Pichena.*

5 *Ad extremum*] Id est, postremo. Sic etiam alibi loquitur. Idem usurpatur Livio. *Rhenanus.*

6 *Primum à Suevis*] Suevici maris meminit auctor noster in de moribus Germ. & tradit ex C. Nepote Plinius, Q. Metello Celeri tum Galliæ proconsuli, Indos à rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii causa navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti. Cæterum eas Suevorum sedes hodie Saxones tenent: nam horum annalibus proditur ex insulis in Toringorum terram eos primum applicuisse. Et Suevi sunt Saxonibus hodieque Toringi, quanquam ex littoralibus mediterranei facti. *Rhenanus.*

7 *In nostram usque ripam*] Intelligit sinistram Rheni ripam, nam dextram Germani tenebant. Sic 4. Hist. *forte navem haud procul castris frumento gravem, cum per vada hæsisset, Germani in suam ripam trahebant.* Idem.

8 *Initio æstatis*] Hic casus Agricolæ conjiciendus est in annum officii ejus septimum, ab urbe vero condita 838. Imp. Domitiano XI. T. Aurelio Fulvo Coss. *Virdungus.*

anno ante natum filium amisit. Quem casum neque [1] ut plerique fortium virorum ambitiose, neque per lamenta rursus ac mærorem muliebriter tulit. & [2] in luctu bellum inter remedia erat. Igitur præmissa classe quæ pluribus locis prædata, magnum 29
& incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos & longa pace exploratos addiderat, ad montem [3] Grampium pervenit, quem jam hostes insederant. Nam Britanni nihil fracti pugnæ prioris eventu, & ultionem aut servitium exspectantes, tandemque docti [4] commune periculum concordia propulsandum, legationibus & fœderibus omnium civitatum vires exciverant. Jamque super triginta millia armatorum aspiciebantur, & adhuc affluebat omnis juventus, & quibus cruda ac viridis senectus, clari bello, ac [5] sua quisque decora gestantes: cum inter plures duces virtute & genere præstans, [6] nomine Galgacus, apud contractam multitudinem *prælium* poscentem, in hunc modum locutus fertur: [7] *Quotiens caussas belli &* 30
*necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem, consensumque vestrum, initium libertatis totius Britanniæ fore. Nam & universi* [8] *servitutis expertes: & nulla ultra terra, ac ne mare quidem securum, imminente nobis classe Romana. ita prælium atque arma, quæ fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt.* [9] *Priores pugnæ, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi totius Britanniæ, eoque in ipsis penetralibus siti, nec*

ser-

1 *Ut plerique fortium virorum ambitiose*] Dubito, num hic *ambitio* referatur ad principum virorum funera, quæ apud Romanos sumptuosa pompa celebrabantur. Ideo de Germanis in sup. libro dixit: *funerum nulla ambitio.* Potius censeo per *ambitionem* intelligi, constantiæ ac fortitudinis ostentationem, quod convenit cum sequentibus verbis, *neque per lamenta rursus, &c.* Pichena. i. ut animi robur dolori imperium ostentans, nulla humani affectus signa daret; ut is qui nuntiata morte filii nihil motus, *Sciebam*, inquit, *me genuisse mortalem.* Ejusmodi ambitionem objicit Æschines Demostheni: sed hujus factum defendit Plutarchus in vita ejus. Verum hic, ut in omni re liquet modum esse optimum. *Virdungus.*

2 *In luctu bellum inter remedia*] Sic Tib. Cæsar defuncto filio Druso nihil intermissa rerum cura negotia pro solatiis accipit, lib. 4. annal. Et hoc est, quod Cicero mœrens obitu filiæ Tulliæ, passim in epistolis, negat se habere, ubi acquiescat, quia non amicorum negotiis, non reipublicæ procurationibus impediantur cogitationes suæ, &c. *Virdungus.*

3 *Grampium*] Nunc vocatus Grantzbaine. *Savilius.* Qui mediam Scotiam dividit in Australem sive superiorem & in borealem sive inferiorem. Ajunt hunc montem *Granzebain* prisca Scotorum lingua vocari, hoc est, montem incurvum. Plura de eo Hector Boëtius. *Virdungus.*

4 *Commune periculum concordia*] O verba aurea! utinam imbibamus! Nempe hoc est, quod Hermocrates ille Syracusanus pulcherrime monuit, apud Thucyd. lib. IV. Τὰς δ᾽ ἀλλοφύλους ἐπελθόντας ἀθρόοι, ὢν σωφρονῶμεν, ἀμυνούμεθα. Εἴπερ καὶ καθ' ἑκάστους βλαπτόμενοι, ξύμπαντες κινδυνεύομεν. *Extraneos advenientes, si sapimus, juncti repellemus: quoniam singuli etiam si lædimur, universi periclitamur.* Lipsius.

5 *Sua quisque decora*] Ut milites Romani, quum triumphum imperatoris sui prosequerentur. Appianus: *laureati omnes & fortissimus quisque dona gestans militaria.* Sed & apud nostrum lib. 2. Hist. milites Vitelliani urbem ingrediuntur, juxta suam quisque centuriam armis donisque fulgentes. *Virdungus.*

6 *Nomine Galgacus*] Hic *Galawc* apud Liennauc, Triadum libro inter tres Britanniæ heroës appellatur, ut scribit Cambdenus. *Idem.*

7 *Quoties causas*] Menander: Ὅταν τι πράττης ὅσιον, ἀγαθὴν ἐλπίδα Πρόβαλλ' ἑαυτῷ, τοῦτο γινώσκων, ὅτι τόλμη δικαίᾳ καὶ Θεὸς συλλαμβάνει. Decantatissimum illud: *Frangit & attollit, &c.* Idem.

8 *Servitutis expertes*] Atque ideo fortiores. Apud Dionem Agrippa: *Neque enim vir egregius ullus sine magno animo nascitur: neque ea magnanimitas ex servili ratione oritur.* Et addit *Græcos quoque, quamdiu unus solus rempublicam eorum gessit, nihil egregium patrasse: postquam autem populus eam administrare cœperit, præclarissimam famam adeptos.* Quin & Romani post exactos reges seipsis meliores ac fortiores extiterunt, ut Sallustius commemorat. Fatendum est tamen non omnes ideo populos libertatem concoquere, de quibus usurpes illud Agesilai, *eos in servitute bonos, in libertate malos esse.* Idem.

9 *Priores pugnæ*] Legerim: *priores, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est:* homines enim certaverunt, non pugnæ certatæ. Ii porro populi, ait, spem atque subsidium in nobis habuere, non si vincamus, nullibi. *Freinshemius.* Eruditissimus Freinshemius *pugnæ* delendum censet. Et sic Tacitum scripsisse crediderim. *Boxhornius.*

I A

*servientium litora aspicientes, oculos quoque* [1] *a contactu dominationis inviolatos habebamus.* [2] *Nos terrarum ac libertatis extremos,* [3] *recessus ipse ac sinus famae in hanc diem defendit. nunc terminus Britanniae patet. atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla jam ultra gens,* [4] *nihil nisi fluctus & saxa: & interiores Romani, quorum superbiam frustra*

1 *A contractu dominationis*] Lege: *contactu dominationis.* Rhenanus.

2 *Nos terrarum ac libertatis*] Animosa & alta hæc oratio Galgaci. in qua quod suos maxime hortatur ad robur, quoniam ultimi Britannorum sint, nec ulla gens ultra: facit, quod Homericus ille Ajax Iliad. *o.*

Ἀνέρες ἐστὲ, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς.
Ἠέ τινάς φαμεν εἶναι ἀοσσητῆρας ὀπίσσω;
Ἠέ τι τεῖχος ἄρειον ὅ κ' ἀνδράσι λοιγὸν ἀμύναι;
*O socii esse viri, reminiscimini virtutis.*
*A tergone adjutores censetis adesse?*
*Aut aliquem murum, qui avertat tristia fata?*

Lipsius.

*Terrarum ac libertatis extremos*] Plerumque constructionem amat genitivi, quod alius dixisset, *terris ac libertate extremos.* Sed de hoc supra monuimus. *Rhenanus.*

3 *Recessus ipse ac sinus famae*] Mirifice dictum. Defendit nos, inquit, quod longinqui, occulti & vix fama noti fuimus (in sinu famæ conditi) nunc omnia operta. *Lipsius.*

*Recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit*] Pro *famae* posset etiam scribi *fama*, auferendi casu, id est, per famam defendit. Item pro *atque*, nihil sit incommodi, si quis *atqui* legat. *Rhenanus.* Sic 2. hist. *abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus.* Ubi Lipsius observavit, voci, *sinus*, vim subesse fraudandi, subtrahendi, occulendi. lib. 3 hist. *Sed opes Cremonensium in sinu praefectorum legatorumque fore.* lib. 4. *exquirique novos sinus, & varia praedandi vocabula:* Sen. Contr. lib. 7. *unde tam graves paterni sinus? numquid ossa filii reportat?* Senex enim auro gravis ex hostibus redierat: unde suspicio, eum prodidisse filium. *Pichena.* Valde vereor, ut hæc suo ordine legantur. Muretus ista omnia delebat, *atque omne ignotum pro magnifico est.* & pro *famae* legebat *fama.* At ego dissiluisse hæc video, atque iterum conglutinanda. Quo tamen reponenda potissimum loco, aliquantulum hæsito. Binis quidem possim, & æque utroque commode. Vel ut ita ordinentur: *recessus ipse ac sinus (famae, vel fama, namque omne ignotum pro magnifico est:) in hunc diem defendit. Nunc terminus &c.* Vel ut ita: *recessus ipse ac sinus in hunc diem defendit. Fama namque omne ignotum pro magnifico est. Nunc terminus &c.* Alterutro certe horum modo debet. Utro, non definiam: sed in priorem magis inclinem. *Acidalius.* Legi velim, *situs fama in hunc diem defendit.* Et ea lectio facit ad auctoris mentem. Forsan etiam pro *sinus* reponendum fuerit *situs.* Ut sit sententia: Fama de remoto Caledoniæ situ, incogniti ejus aditus & recessus, adversus Romanorum irruptiones hactenus nos defendere. *Boxhornius.* Nihil mutandum lib. 1. Observ. cap. 4. monuimus. *Gronovius.*

4 *Nihil nisi fluctus & saxa & interiores Rom.*] Nihil sit incommodi, si quis reponat *eo manifestiores Romani.* Rhenanus. Venetus, *inferiores.* Unde libenter amplector Rhenani correctionem, *infestiores.* quam & Lipsius probat. *Pichena.* Emendaveram pridem ad oram libri mei: *& in iis inferiores Romani.* Sed vir doctus nuper ex cod. suo Mirandulano: *& inter ea Romani.* Quam si veram is censet, non video cur non vulgarem potius lectionem amplectamur. Eumenius Rhetor videtur ad hunc locum respexisse: *ultra Oceanum vero quid erat praeter Britanniam.* Et dein: *nulla progrediendi causa superest, nisi si (quod natura vetat) fines ipsius quaerantur Oceani.* Nimirum illi credebant in contumaciam Deorum fieri, si quis navigando Oceani terminos scrutaretur. Arrianus Geographus: τὰ δὲ μετὰ τοὺς τόπους τούτους διὰ τὰς ὑπερβολὰς χειμώνων, καὶ πάγους μεγίστους δυσχώρητοί τε εἶναι, ἔστι καὶ θείᾳ τινὶ δυνάμει θεῶν, ἀνεξερεύνητά ἐστι. Verto: *quae sequuntur immodicis frigoribus inaccessa sive arcana quadam Fati potentia, hactenus non inventa.* Colerus. Particulam *sed* delendam, & junctim illa sic legenda, certissimum: *nunc terminus Britanniae patet: nulla jam ultra gens; nihil nisi fluctus & saxa, & in iis infestiores Romani.* Quæ postrema Lipsius sic emendavit. Quamquam non male retineri vulgatum etiam potest; sensum certe facit aptissimum: *ultra Caledoniam nulla amplius gens, nihil praeter fluctus & saxa: in ejus interioribus ecce Romani.* Ut ego quidem mutare hic, nihil adhuc sustineam. *Acidalius.* Faciunt ista maxime ad probandam pugnæ necessitatem. Nihil enim restabat Caledoniis, nisi pugnare & vincere. Nam nec à fronte nec à tergo receptui locus. Non à tergo, quia nullæ ultra terræ. Ultimus enim hic terrarum limes credebatur. Non à fronte, quia reliqua Britanniæ omnemque ejus regionem ad Caledoniam usque ferro jam subegerant Romani. *Boxhornius.* Vanum est alterum cornu dilemmatis, sive illud à fronte. Quis enim se recipit à fronte, aut locum receptui habet à fronte, hostibus oppositis? Non hic nisi de tergo loquitur? idque ut magis agnoscas, scribe mecum: *Sed nulla jam ultra gens nihil nisi fluctus & saxa, & infestiora Romanis.* Contra hos enim virtus potest valere; contra ista, nulla. Huc igitur incumbendum significat, & in hos impetum faciendum. *Gronovius.*

*Et interiores Romani*] Vett. editiones, *inferiores*, e quo

*stra per obsequium & modestiam effugeris.* [1] *raptores orbis*, [2] *postquam cuncta vastantibus*
*defuere terræ, & mare scrutantur: si locuples hostis est, avari; si pauper, ambitiosi. quos*
*non Oriens, non Occidens satiaverit: soli omnium* [3] *opes atque inopiam pari affectu concu-*
*piscunt.* [4] *auferre, trucidare, rapere falsis nominibus*, imperium; *atque* [5] *ubi solitudi-*
*nem faciunt*, pacem *appellant. Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse vo-* 31
*luit; hi per delectus alibi servituri auferuntur. Conjuges sororesque & si hostilem libidinem*
*effugiant, nomine* amicorum *atque* hospitum *polluuntur.* [6] *Bona fortunasque, in tribu-*
*tum egerunt; in annonam, frumentum. corpora ipsa ac manus,* [7] *silvis ac paludibus emu-*
*niendis, verbera inter ac contumelias conterunt. Nata servituti* [8] *mancipia semel veneunt,*
*atque ultro* [9] *à dominis aluntur: Britannia servitutem suam* [10] *cottidie emit;* [11] *cottidie*
*pascit. Ac* [12] *sicut in familia* [13] *recentissimus quisque servorum & conservis ludibrio est:*
*sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos & viles in excidium petimur. Neque*
*enim*

e quo Rhenanus, *infestiores.* Ego divisim, *& iis feriores.* Magis feri & duri, quam fluctus & saxa. *Lipsius.*

1 *Raptores orbis*] *Remota* enim *justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* inquit eleganter Hipponensis Antistes lib. 4. de civ. D. cap. 4. Sic Lucanus Alexandrum M. *felicem terrarum prædonem* usurpat. Et Scytharum legatus apud Curtium: *omnium gentium, quas adisti, latro es.* Sic & pirata ille, ex quo cum Alexander quæsiisset, *quo scelere impulsus mare haberet infestum? eodem*, respondit, *quo tu orbem terræ*, ut exstat apud Ciceronem lib. 3. de legibus. *Virdungus.*

2 *Postquam cunctis vastantibus*] Scribo, *postquam cuncta vastantibus defuere terra, & mare scrutantur.* Mox, *soli omnium opes atque inopiam.* Rhenanus.

*Cuncta vastantibus defuere terra*] Sic Alexandrum incessit Seneca lib. 7. de Ben. cap. 2. *Virdungus.*

3 *Opes atque inopiam*] Inhiant & imminent non solum in fortunas locupletum, sed etiam in sanguinem pauperum, atque adeo, si locuples hostis est, sitiunt opes; si pauper, famam. *Idem.*

4 *Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium*] Recte ut hæc construas vide. Non enim ita jungenda, *falsis nominibus imperium rapere.* Sed, *auferre, rapere appellant imperium: ubi solitudinem faciunt, pacem: falsis* scil. utrumque *nominibus.* Acidalius.

5 *Ubi solitudinem faciunt, pacem appellant*] Similiter lib. 1. histor. de Galba Otho cap. 37. Huc pertinet & querela Catonis apud Sallustium. Τὰ γὰρ αἰσχρὰ ὀνόματα, ἢ τὰ πράγματα, εἰώθασιν ἄνθρωποι ἐκ τοῦ ἐπιεικεστέρου ἀμπέχεσθαι, ait Procopius. *Virdungus.*

6 *Bona fortuna qua in tributum egerat annus*] Legendum apparet, *bona fortunasque in tributum egerunt, in annonam frumentum, corpora ipsa ac manus silvis & paludibus emuniendis verbera inter ac contumelias conterunt.* Nam Tacito solemne est transponere præpositiones. Sic & hic, *verbera inter ac contumelias*, pro, inter verbera ac contumelias. *Rhenanus.*

7 *Silvis ac paludibus emuniendis*] De his adi P. Fabrum lib. 2. Semest. cap. 5. ubi hanc operis publici pœnam Romanos accepisse censet ab Ægyptiis, de quorum rege Æthiope Sabaco Diodorus Siculus lib. 1. Bibliothecæ. Vide & eundem lib. 5. de metallis, quæ in Hispania Romani exercebant. *Virdungus.*

8 *Mancipia semel veneunt*] Egregium vero membrum, & qualia multa in pulcherrimo corpore hujus orationis, qua, moriar, si quid meo sensu prudentius, disertius, argutius est in omni Romana lingua. Ceterum huic sententiæ plane compar, & velut hinc hausta, illa Salviani lib. VI. extremo, ubi queritur Romanos tributa barbaris pendere, quæ munera vocabant: *Dicimus donum esse, quod pretium est, & quidem pretium conditionis durissimæ ac miserrimæ. Omnes quippe captivi cum semel redempti fuerint, libertate potiuntur: nos semper redimimur, & nunquam liberi sumus.* Lipsius.

*Semel veneunt*] Sic Boodicia apud Dionem lib. 62. At quanto præstaret semel nos alicubi distrahi, quam sub inani libertatis nomine quotannis redimi? Salvianus fine lib. 6. Omnes quippe captivi quum semel redempti fuerint, libertate potiuntur: nos semper redimimur, & nunquam liberi sumus. *Virdungus.*

9 *A dominis aluntur*] Demensum enim accipiebant quot mensibus. *Idem.*

10 *Cotidie emit*] Tributo, quod pendit Romanis. *Virdungus.*

11 *Cotidie pascit*] Frumento. his enim rebus alebatur exercitus, per quem in servitute Britanni continebantur. *Idem.*

12 *Sicut in familia*] Strictius Thucydides lib. 3. πάθοιμεν τ' ἂν δεινότερα, ἢ οἱ πρὶν δουλώσαντες i. *Graviora sustineremus, quam qui prius in servitutem redacti sunt.* Salinerius.

13 *Recentissimus quisque servorum*] Itaque servi recentiores non in magno pretio. Suetonius aliter præfert in Julio cap. XLVII. *Servitia recentiora politioraque immenso pretio comparasse dicitur.* sed ipsum mendo, & interpretes æstu libero, scriboque: *servitia*

*enim* [1] *arva nobis, aut metalla: aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subjectorum ingrata imperantibus. &* [2] *longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniæ, tandem sumite animum, tam quibus salus, quam quibus gloria carissima est.* [3] *Brigantes femina duce, exurere coloniam, expugnare castra; ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere jugum potuere: nos integri & indomiti,* [4] *& liber-*

*vitia decentiora.* Firmat Plinius lib. I. epist. xx. *Credo decentes esse servos, qui mihi sunt empti consilio tuo.* Lipsius.

1 *Aut metalla*] Quid? nonne ante dictum, *aurum & argentum* in Britannia esse? dictum: sed hic de sese Caledonii loquuntur & sentiunt, ubi tunc nihil horum. Arva autem non esse, cape illa fertilia & gleba ubere. *Idem.*

*Arma nobis aut metalla*] Arma non potuerunt illis deesse, qui jam in procinctu erant. Itaque legendum, *arva*, hoc est, agri quibus adjuventur commeatus. *Rhenanus.* Emendavit ex ingenio Rhenanus: nam in veteribus libris legitur *arma.* An intelligit armorum officinas, quas in provinciis, ubi ferri copia, instituebant Romani? si corrupta ea vox *arma*, certe emendatio Rhenani non minus mihi suspecta. Quod vero de metallis Tacitus ait, secum pugnare videtur. Supra enim in descriptione Britanniæ dixit: *fert Britannia aurum & argentum & alia metalla.* Et Solinus c. 25. *præterea ut taceam metallorum largam variamque copiam, quibus Britannia solum undique generum pollet venis locupletibus.* Credo conciliationem esse, quod ea Insulæ pars, quæ proprie Britannia nuncupatur, magisque tunc cognita erat, ferax metallorum esset: non autem Caledonia, de qua hic sermo. Immo ad hanc differentiam respiciunt Caledonii, quasi dicant. Non sunt hæc apud nos, ut apud reliquos Britannos. Id etiam Lipsius in novissima editione animadvertit. *Pichena.*

2 *Longinquitas ac secretum*] Ob hanc suspicionem ea, quæ procul erant à conspectu imperii sæpius adflixerunt Romani, quam quæ in propinquo. Sic Carthaginem & Corinthum procul ac trans mare sitas urbes diruerunt: at Capuæ propinquæ pepercerunt, quod arbitrabantur hic in oculis Senatus populique Romani nihil posse existere, quod non ante exstingui atque opprimi posset, quam plane exortum ac natum esset, ut ait Cicero secunda contra Rullum. *Virdungus.*

3 *Brigantes fœmina duce*] Hæc fuit Voadica regii generis fœmina, de qua supra. *Rhenanus.* Voadica, quam Tacitus ipse uxorem vult Regis Icenorum, populi in Norfolkia & non *Brigantum* 14. Ann. *Savilius.* Lege, auctore Cambdeno, *Trinobantes.* De Boodicia enim regina loquitur, cui cum Brigantibus nihil erat. Trinobantes autem illa in arma egit, & Camalodunum coloniam exussit. *Virdungus.*

4 *Libertatem non in præsentia laturi*] Romana editio, *& in libertatem non in præsentiam laturi.* ex quo M. Antonius Muretus ingeniose, diductis vocibus litterisque, *in libertatem, non in p. r. servitium nati,* id est populi Romani. Ambigo tamen: & malim, *libertatem non in præsenti ablaturi*, vel *illaturi.* In hoc enim sententiæ hujus penetrantis vis & velut acies est, integros adhuc Caledonios esse, & libertatem sine ullo jugo illibatam habere. irent igitur pugnarentque, non ut amissam iterum inferrent, sed tot sæculis retentam, ut ne quis auferret. *Lipsius.*

*Et in libertatem non in præsentiam laturi*] Reor sinceram lectionem esse hujusmodi, *& libertatem non in præsentia inlaturis* pro *illaturi.* Significat prius ipsis libertatem fuisse, pro qua adipiscenda non erat opus pugnare, sed conservanda. *In præsentia* dixit de futuro. *Rhenanus.* Qui pugnant pro libertate, eos dicimus libertatem in manu portare. Salust. Cat. 58. *To in præsentia*, ut Terent. *Provisum est, ne in præsentia hæc hinc abeat.* Nunc ea aliter interpunge, & nisi erunt omnia Sole clariora, nunquam posthac duarum rerum mihi credas: *Nos integri & indomiti; & libertatem non in præsentia laturi primo statim congressu? unde ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Nos ad hoc temporis integri & indomiti sumus: & non viriliter nunc primo statim congressu pro libertate pugnabimus? *τὸ &* interrogando *& dubitamus adhuc virtutem extendere factu?* Salinerius. Mureti lectionem Lipsius non probat. Ego non possum nec ipsius Lipsii. At interpretationem ejus utrisque manibus amplector, vidit enim veram loci sententiam: quæ tamen ex ipsius emendatione nullo modo conficitur. Ut conficiatur, alia plane opus est, verbumque aliquod desideratur, quod eam expleat, jungendum cum participio *laturi.* Hoc vide si forte inveni, latens in veteri Rom. edit. quæ habet, *& in libertatem.* Istud *in* si diducatur, exibit apte, *minui.* Quod corrumpi & decurtari ita quam facile potuerit omnes vident. Ut jam ita commodissime legatur: *Nos integri & indomiti, & minui libertatem non in præsentia laturi; prima statim congressione ostendamus. &c.* In hoc maneo, donec ab aliis certius quid è libris afferatur. Unum tamen afferam, in quo Taciti phrasin agnosces saltem, si nihil præterea idonei aliud: *Et libertati, non imperio sueti, alacri prima statim congressione, &c.* Sic quidem ille frequenter loquitur 14. Ann. *neque conjugiis suscipiendis, neque alendis liberis sueti.* 4. hist. *servirent Syria Asiaque, & suetus regibus Oriens.* Nunc etiam aliud incidit, veræ sententiæ aptius quam hoc, æque aptum ac quod posui primo, sed quod præferre illi tamen nequeo. Lego, *& libertatem non imperio in præsentia mutaturi.* Ut vox *imperio* similitudine

*libertatem non in præsentia laturi,* [1] *primo statim congressu non ostendamus quos sibi Caledonia viros sepofuerit? An eamdem Romanis in bello virtutem, quam in pace lasciviam* 32 *adesse creditis?* [2] *Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt: quem* [3] *contractum ex diversissimis gentibus, ut secundæ res tenent, ita adversæ dissolvent. nisi si Gallos, & Germanos, & (pudet dictu) Britannorum plerosque dominationi alienæ sanguinem commodantes, diutius tamen hostes quam servos, fide & affectu teneri putatis: metus & terror est,* [4] *infirma vincula caritatis, quæ ubi removeris,* [5] *qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriæ incitamenta pro nobis sunt: nullæ Romanos* [6] *conjuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi sunt:*

[1] *aut*

tudine litterarum perierit. Mureti conjecturam firmare possis ex Cæsare lib. 7. de bello Gall. *hortaturque eos ut se liberos & imperio natos meminerint.* Acidalius. Lipsius nihil mutat nisi in verbo *laturi*: ego ne illud quidem mutem. Ait enim Galgacus, Caledonios suos libertatem nunc non primum laturos, hoc est, prœlio instanti quæsituros vel adepturos, cum in ea semper antehac vixerint. *Virdungus.* Corrigo: *& libertatem nos in præsens etiam relaturi*, aut *daturi, primo statim congressu nonne ostendemus.* Harlæus. Alii alia reponenda suspicantur. Mihi omnia suspecta. Diligentissimus Virdungus favet lectioni vulgatæ. Ego ἐπέχω. *Boxhornius.* Vereor, ut excogitem, quod judicium cujusquam mereatur. Tentabam tamen aliquando: *& libertatem nunc demum periclitaturi.* Aut etiam: *& libertatem omnem in procinctu laturi.* Quemadmodum Seneca lib. 1. cap. 1. de Clementia: *Severitatem abditam, clementiam in procinctu habeo.* Gronovius.

1 *Primo statim congressu*] Corrigo vere, *prima statim congressione ostendamus.* Vel, *congressu, nonne:* interrogando. *Lipsius.*

*Primo statim congressu; non ostendemus*] Malim, *unde ostendamus.* Rhenanus. Danesius, pro *unde ostendamus*, legebat, *non ostendamus*, interrogationis nota posita ad verbum, *sepofuerit?* Ursinus. Corrupte vulgo *unde ostendamus.* absque interrogationis nota. Mihi potior visa lectio quam recepi. nam & sequentia quoque interrogative pronunciantur, & Tacito familiarior est vox, *congressus*, quam *congressionis.* Sic infra: *Ac primo congressu cominus certabatur.* Ann. lib. 11. *primoque congressu fusus, reparat vires.* Pichena. *Unde*, ut, *corrupto ad omne facinus Nerone, quædam ignaro ausus, ac postremo ejusdem desertor ac proditor: unde non alium pertinacius ad pœnam flagitavere.* Vel cum solita distinctione, hyperbatica phrasis est, & Thucydidiana lib. 6. ὥστε παρὰ τοσοῦτον γεγνώσκω μόλις ἂν μοι δοκοῦσι ἐς πόλιν ἑτέραν τοσαύτην, ὅταν Συρακοῦσαι εἰσίν, ἐλθόντες ἔχοντες, καὶ ὅμορον οἰκήσαντες τὸν πόλεμον ποιοῖντο, οὐκ ἂν παντάπασι διαφθαρῆναι. i. *ut ita secus sentio vix mihi videantur, si alteram civitatem, qualis nunc sunt Syracusæ, venirent habentes & finitimam habitantes bellum inferrent; non omnino profligatum iri.* Ubi Scholiastes τὸ ὥστε, id est, *ut*, *loco movendum est, ne affine solœcismo videatur, & sic ordinanda: ita secus sentio, ut vix mihi videantur non omnino profligatum iri Athenienses.* Lib. 1. κατὰ σφᾶς ὡς πρὸς διαγιγνώσκοντας τὸ λοιπὸν εἶναι τἆλλα σφίσιν αὐτοῖς ξύμφορα, καὶ τὰ κοινὰ. i. *ad se tanquam cognoscentes cæterum ire quæ sibi ipsis quoque in commune conducant.* Alius dixisset, *cæterum ire ad se tanquam cognoscentes, &c.* Sic alius à Tacito scripsisset: *Nos integri & indomiti & libertatem non in præsentia laturi: unde primo statim congressu ostendamus, quos sibi viros Caledonia sepofuerit.* Id est, nos nunquam victi, nec nunc primam pro libertate pugnam pugnaturi: qua de re quam primum Romanis ostendamus, quosnam sibi viros sumserint lacessendos. *Salinerius.* Bene fortassis erit huic loco, geminata particula *unde*; pro, *undecunque.* Gruterus. Scribam, *abunde ostendamus.* Frequens vox Tacito & Sallustio: nec video cur id (nam & alius monuit) damnat Lipsius. *Grotius.* Mihi aliud suboler. An fortasse legendum, *primo statim congressu mundo ostendamus.* Virdungus. Subscribo Lipsiano, *prima statim congressione ostendamus.* Gronovius.

2 *Nostris illi discessionibus*] Malim, *dissensionibus.* Tametsi me non latet, quid sit *discessio populi.* Rhenanus. Danesius legebat, *dissensionibus.* Et ita V. C. & Faernus etiam legebat. *Ursinus.* Secutus sum Rhenani judicium in voce, *dissensionibus.* Vulgo, minus recte, *discessionibus.* Pichena. Muretus, *dissensionibus*, quod valde amplector. Dein, pro *hostium*, *nostra*, hoc quidem non recipio. Et sensum facit eundem quod vulgatur; &, si verba inspicis, elegantiæ orationis magis servit. *Acidal.*

3 *Contractum ex diversissimis*] Quod quidem valde periculosum judice Polybio lib. 1. cap. 67. Vegetius lib. 3, 4. *Interdum movet tumultum ex diversis locis collectus exercitus, & quum pugnare nolit, irasci se simulat, ut non ducatur ad bellum.* Quare non immerito miratur Hannibalem Polybius, quod talem exercitum tanta prudentia rexerit, ut per annos ipsos sedecim nulla nec inter ipsos nec adversus ducem seditio extiterit. *Virdungus.*

4 *Infirma vincula*] Sive, ut loquitur M. Tullius, malus custos diuturnitatis, non diuturni magister officii. *Idem.*

5 *Qui timere desierint*] Nec male, *quos timere desierint.* Lipsius.

6 *Conjuges accedunt*] Emendavi, *accendunt.* Rhenanus.

[1] *aut nulla plerisque patria, aut alia est:* [2] *paucos numeros circum* [3] *trepidos ignorantia, cælum ipsum ac mare & silvas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos* [4] *dii nobis tradiderunt. Ne terreat* [5] *vanus aspectus, &* [6] *auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat. In ipsa hostium acie* [7] *inveniemus nostras manus. agnoscent Britanni suam causam. recordabuntur Galli priorem libertatem. deserent illos ceteri Germani, tamquam nuper Usipii reliquerunt. Nec quidquam ultra formidinis, vacua castella,* [8] *senum coloniæ, inter male parentes & injuste imperantes,* [9] *ægra municipia & discordantia, hic dux, hic exercitus. ibi tributa & metalla, & ceteræ servientium pœnæ:* [10] *quas in æternum proferre, aut statim ulcisci, in hoc campo est. Proinde ituri in aciem*
33 *&* [11] *majores vestros, & posteros cogitate.* Excepere orationem alacres, & barbari moris cantu & fremitu clamoribusque dissonis. Jamque [12] agmina, & armorum fulgores, audentissimi cujusque procursu: simul instruebantur acies. cum Agricola quamquam lætum [13] & vix monitis coërcitum militem adhuc ratus, ita disseruit:

[1] *Octa*nanus. Quippe quum milites apud Romanos omnes cœlibes essent. nec enim illis, quamdiu merebant in castris, permittebatur uxores ducere. *Virdungus.*

1 *Aut nulla plerisque patria, aut alia est*] Quibus *nulla patria*, sunt hi Britanni, qui patriæ desertores *dominationi alienæ*, ut loquitur Tacitus, *sanguinem commendaverant.* Quibus, *alia patria*, sunt Galli, sunt Germani, sunt Romani ipsi, ex quibus diversissimis gentibus Agricolæ exercitus contractus erat. *Barclajus.*

2 *Paucos numero*] Lego, *numeros*, & accipio cohortes, ut notavi ad lib. 1. Histor. *Lipsius.*

*Paucos numeros circum trepidos*] Ita Lipsius restituit. Male vulgo, *paucos numero.* Pichena.

3 *Trepidos ignorantia*] Miles in locis ac regionibus ignotis plerumque timidior. Exemplum apud Cæsarem lib. 4. de bello Gall. *Virdungus.*

4 *Alii nobis tradiderunt*] Qui alii? imo vero, *dii*, repone, mea fide, & jussu. *Lipsius.*

*Alii nobis tradiderunt*] Hoc est, priores Britanni. *Rhenanus.* Plerique Britannorum (Galgacus ait ad elevandas Romanorum victorias) se vinci passi sunt, ut ii prosperis elati, sese in interiora difficilioraque loca penetrarent, ubi ab universis quasi vincti cæderentur: nos enim à fronte instabimus, illi à tergo bellum reparabunt. *Nisi si Gallos & Germanos* &c. Doctiss. vir: *Dii tradidere.* Salinerius. Egregie à Lipsio emendatum, *Dii*, corrupte in vulgatis, *alii.* Pichena.

5 *Vanus aspectus*] Vegetius 1, 13. *Non enim vestium nitor vel auri vel argenti gemmarumque copia hostes aut ad reverentiam nostram aut ad gratiam inclinant, sed solo terrore subiguntur armorum.* Virdungus.

6 *Auri fulgor atque argenti*] Romanorum enim arma auro & argento culta erant. Juvenalis: *Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.* Id simul & ad speciem & quo tenaciores eorum milites in prœlio essent metu damni Cæsarem fecisse prodit Suetonius. Adde Plutarchum in Bruto. Atque hæ rationes fuerunt Romanis auro argentoque colendi suos milites: res autem ipsa communis cum plerisque aliis opulentioribus præsertim gentibus. *Idem.*

7 *Inveniemus nostras manus*] Illos scilicet Gallos, Germanos. Britannos plerosque, quos metus & terror, infirma vincula caritatis, inpræsentiarum continent. *Idem.*

8 *Senum coloniæ*] Intelligit colonias veteranorum. *Rhenanus.*

9 *Ægra municipia*] Sic Senecæ *conviviorum luxuria ac vestium ægra civitatis indicia.* Varro apud Nonium: *Distractione civium elanguescit bonum proprium civitatis atque ægrotare incipit & consenescit.* Demosthenes: ἡ πόλις νοσεῖ. Et factionum ac seditionum auctores Isocrates νοσήματα πόλεων appellat. Claudianus de bello Get. *vivusque redit color urbibus ægris.* Virdungus.

10 *Quas in æternum proferre*] Hoc de Romanis dictum est. *Aut statim ulcisci*, hoc de Britannis. *Rhenanus.*

11 *Majores vestros & posteros cogitate*] Majores, qui felici libertate fruebantur; posteros, quos ignavia nostra damnabit perpetuæ servitutis & miserrimæ ignominia. *Savilius.*

12 *Agmina & armorum fulgores*] Horat. 2. Od. 1.

*Jam fulgor armorum fugaces*
*Terret equos, equitumque vultus.*

Dicit autem uterque armorum fulgorem propter galeam, Virg. x. Æn. *Ære caput fulgens, cristaque hirsutus equina:* propter ensem, Virgil. ibidem, *subit oras hasta per imas Fulgentis clypei.* Barclajus.

13 *Militem adhuc ratus*] Vox planissime excidit, *militem acuendum adhuc ratus*, aut, *incitandum*: sive aliud tale. *Lipsius.*

*Et vix monitis coercitum militem adhuc ratus*] Conjicio legendum, *alloquendum adhuc ratus.* Rhenanus. V. c. habet *munimentis*, pro *monitis* &c. & totus locus ita legendus ex eodem v. c. *Et vix munimentis coercitum militem, accendendum adhuc ratus.* vel ut est in alio libro, *militem adhuc cohortandum ratus.* Ursinus. Locus defectus Doctiss. viro unde expletur τῷ *acuendum*, sive τῷ *incitandum.* Ego sola distinctione fretus, integrum reor. *Cum Agricola quam*

[1] *Octavus annus est*, [2] *commilitones, ex quo virtute & [3] auspiciis imperii Romani fide atque opera vestra Britanniam vicistis. tot expeditionibus, tot prœliis seu fortitudine adversus hostes, seu [4] patientia ac labore pœne adversus ipsam rerum naturam opus fuit; [5] neque me militum, neque vos ducis pœnituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniæ non fama nec rumore, sed castris & armis tenemus.* [6] *Inventa Britannia, & subacta. Equidem in agmine, cum vos paludes [7] montesve & flumina fatigarent, fortissimi cujusque vocem audiebam,* Quando dabitur hostis, quando acies? *Veniunt à latebris suis extrusi.* [8] *& vota virtusque in aperto,* [9] *omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa. Nam ut [10] superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse æstuaria, pulchrum ac decorum in frontem, [11] ita fugientibus periculosissima quæ hodie prosperrima sunt.* [12] *Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem*

(*quamquam latum & vix monitis coërcitum militem adhuc ratus*) *ita disseruit.* τὸ *adhuc*, ut, *Nam neque adhuc Varo videor neque dicere Cinna Digna.* Agricola verba ad milites facit, quanquam sciret eos etiam dum ardentes pugnæ, vixque monitis coerceri posse, ne suo injussu in hostes involarent. *Salinerius.* Lege, *adhortatus*, aut *adhuc adhortatus.* Non opus videbatur hortatu, cum tanta esset militis alacritas, ut vix cohiberi posset quin ante signum datum hostem invaderet. Præcessit enim: *audentissimi cujusque procursu.* Tamen hoc quoque incitamentum virtuti adhibere Agricola voluit & militem, ut in proverbio est σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνω. *Grotius.* Tentabam, *quemquam latum & vix munimentis coercitum militum militem adhortaturus, ita disseruit.* Gronovius.

1 *Octavus annus est*] Unde numerat? ab introitu suo in provinciam, & ad res suas aptat. *Lipsius.*

*Octavus annus est*] Et tamen septimus tantum annus muneris sui agebatur, ut præcedentia probant. *Savilius.* Octo annos ego non exputo: tantum septem. Peccatum fortasse notis numeralibus: quibus Iota unum male superadditum. Septimo enim expeditionum anno hanc pugnam pugnatam omnia clamant. Illa superiora præcipue: *initio æstatis Agricola domestico vulnere ictus, anno ante natum filium amisit.* Æstatem septimam intelligit. Nam de sexta, ut de reliquis ordine, proxime præcesserat. Nec alterum hic annum interjectum illa evincunt in ipsa oratione: *ii sunt, quos proximo anno, unam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis.* Proximo ait factum, quod factum indubie sexto. Erit igitur hic necessario septimus. *Acidalius.* Anno V. C. 839. post Christum vero natum, secundum Dionysii computum, 86. Imp. Domitiano XII. Ser. Cornelio Dolabella Coss. Atque hic est annus, quo agonem Capitolinum Domitianus instituit. *Virdungus.*

2 *Commilitones*] Natura ex ambitione C. Julii Cæsaris, Suetonius cap. 67. Inferioris seculi vocabulum Consecranei, quasi ejusdem Sacramenti militaris participes, vel eorundem castrensium Sacrorum socii, apud historiæ Aug. Scriptores. *Idem.*

3 *Auspiciis imperii*] Non dicit *meis auspiciis.* Ipse enim non erat imperator, sed legatus imperatoris. *Idem.* Sed nec *auspiciis Principis* aut *imperatoris* eum dicere voluit Tacitus, etsi forsan hoc tum non dicere periculosum fuerit. nam Domitianus τῇ κλεοπύλῃ quam bello auspicatior. *Gronovius.*

4 *Patientia & labore*] De Romani militis duritia ex Polybio, Cicerone, Josepho, aliis satis notum: notum etiam proverbium, *Muli Mariani.* Virdungus.

5 *Neque me militum, neque vos ducis*] Cic. ult. Philip. *Dignus imperator legione, digna legio imperatore.* Sic & Q. Curtius lib. 4 extremo. *Idem.*

6 *Inventa & subacta*] Polyænus Strat. lib. 1. Ἀγίδαμος δὲ ἤρετο πηνίκα δοκοῦσιν ἑλῶσαι τὴν πόλιν; λεγόντων δὲ τῶν μὲν ἡνίκα προσεβάλομεν, τῶν δὲ ἡνίκα ἐπεξῄειμεν ὑμεῖς, ἔφη, ἀλλ' ὅτε τὴν πόλιν ἔδει ἐπορευόμεθα. *Idem.*

7 *Montesve & flumina fatigarent*] Legerem, *montesque & flumina.* Levi mutatione, sed non levis elegantiæ. Si locus posceret disjunctionem, particula, *que*, disjungeret, ut apud Cic. Orat. *Prima enim sequentem, honestum est. In secundis, tertiisque consistere.* Barclajus.

8 *Vota virtusque in aperto*] Quod Polybius dixit, ἐν ὑπαίθρῳ. *Lipsius.*

*Et vota virtusque in aperto*] Muretus, *en vota virtusque, &c.* eleganter quidem: sed si ita voluisset Tacitus, præposuisset hoc ipsum, & quod nunc prius, sequeretur. isto nimirum ordine: *En vota virtusque in aperto. Veniunt à latebris suis extrusi, &c.* Cui quia non ita apte subjiciuntur reliqua, *omniaque prona victoribus, &c.* relinquamus potius ex omni parte lectionem vulgatam. *Acidalius.*

9 *Omnia prona victoribus*] Ad imitationem Sallustiani: *Si vincimus, omnia nobis tuta erunt; Sin metu cesserimus, eadem illa adversa fient.* Virdungus.

10 *Superesse*] Scripsimus, *superasse.* Rhenanus.

11 *Item fugientibus periculosissima*] Lego, *ita fugientibus*, ut stet comparatio. *Idem.*

12 *Neque enim nobis*] Sic Hannibal apud Livium lib.

*eadem abundantia: sed manus, & arma, & in his omnia. Quod ad me attinet, jam pridem mihi decretum est, neque exercitus* [1] *neque ducis terga tuta esse. Proinde & honesta mors turpi vita potior;* [2] *& incolumitas ac decus eodem loco sita sunt. nec inglorium*
34 *fuerit, in ipso terrarum ac naturæ fine cecidisse. Si novæ gentes atque ignota acies constitisset: aliorum exercituum exemplis vos hortarer. nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Ii sunt quos proximo anno, unam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis: ii ceterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tam diu superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus,* [3] *fortissimum quodque animal robore, pavida & inertia ipso agminis sono pelluntur: sic* [4] *acerrimi Britannorum jam pridem ceciderunt: reliquus est numerus ignavorum & metuentium. quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt* [5] *novissimi, ideo extremo metu corpora defixere in his vestigiis, in quibus pulchram & spectabilem victoriam ederetis.* [6] *Transigite cum expeditionibus, imponite* [7] *quinquaginta annis* [8] *magnum diem, approbate reipublicæ nunquam exercitui imputari potuisse,* [9] *aut moras belli aut causas*
35 *rebellandi.* Et alloquente adhuc Agricola [10] militum ardor eminebat, & fidem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. [11] instinctos ruentesque

lib. 21. cap. 44. extremo. *Virdungus.*

1 *Neque ducis terga*] Xenoph. lib. 3. Κύρου παιδ. μωρὸν γὰρ τὸ κρατεῖν βουλομένους τὰ τυφλὰ τοῦ σώματος καὶ ἄοπλα καὶ ἄχειρα, ταῦτα ἐναντία τάττειν τοῖς πολεμίοις φεύγοντας. Quod ad verbum vertens Sallustius: *In fuga salutem sperare, cum arma, quis corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea vero dementia est.* Idem.

2 *Et incolumitas ac decus*] Hoc est, quæ necessaria & salutaria, eadem & gloriosa nobis sunt. *Idem.*

3 *Fortissimum quodque animal robore*] In Veneto legitur, *fortissimum quodque animal ruere.* nec male fortasse: ut non solum non pellantur, sed etiam contra ipsos Venatores ruant. & est Tacito frequentissimum id verbum, *ruere,* cum audaciam ardoremque significat. Tamen vulgata lectio mihi magis probatur, non enim dixisset *ruere,* sed, *ruit.* & ea vox, *robore,* recte opponitur sequentibus verbis, *ipso agminis sono.* Pichena.

4 *Acerrimi Britannorum*] Æschylus: Ἀλλ' Ἄρης φιλεῖ ἀεὶ τὰ λῷστα πάντ' ἀναλοῦν στρατοῦ. Quod Cicero Phil. ult. *Mars ipse fortissimum quemque ex acie pignerari solet.* Virdungus.

5 *Novissime id & extremo metu defixere aciem*] Tu repone, *novissime, id est, extreme metu.* Dicit, *defixere aciem,* stupidis præ metu, convenit, non *constituere,* sive *direxere.* Rhenanus. Vulgo, *& extremo.* Correxi, *ideo,* quia Venetus habet, *id & extremo.* Is deinde addit vocem, *defixere aciem in his vestigiis.* non male; si, *corpora,* accipias primo casu. Sed vulgata lectio potior. *Pichena.*

6 *Transigite cum expeditionibus*] Id est, finite expeditiones. Exponit quum dicit, *Imponite quinque annis magnum diem.* Rhenanus.

7 *Quinquaginta annis*] A primo, quo Claudius Britanniam ingressus est, die, in quartum aut quintum duntaxat, supra quadragesimum annum tempus excurrere videtur. *Savilius.*

8 *Magnum diem*] Hoc est, quinquaginta annorum bellum finite magno & memorabili prœlio. De notione vocabuli *dies* adi Casaubonum ad lib. 2. Suetonii. *Virdungus.*

9 *Caussas debellandi*] Quærenti apud me Guil. Barclayo erudito & sagaci viro, ex tempore emendabam, *caussas rebellandi.* Sententia proba, ista: per vos aut ignaviam vestram minus debellatum, nec per proterviam rebellatum. Sive etiam, per eamdem ignaviam: quæ visa hostes animavit, & excitavit. *Lipsius.*

*Aut mora belli, aut caussas debellandi*] Just. Lipsius flos populi, medulla Suadæ, animulus Minervæ inambulantem me in horto suo docuit legendum hoc loco, *aut caussas rebellandi.* qua connexione nihil unquam suavius in Criticorum horto crevit. Moneo obiter *debellandi* verbum belli finem notare, ut paullo ante Tacitus hoc lib. *Quod nisi paludes & silvæ fugientes texissent, debellatum illa victoria foret.* Tali forma dicitur, *detexere* apud Plaut. Amph. 1. 1. *Illic hoc homo vult palliam detexere.* Id est, plane & perfecte texere, quanquam non inepte legeremus, *retexere.* Barclajus.

*Causas rebellandi*] Hoc de Britannis accipiendum. *Rhenanus.* Ita libri veteres. at recentiores reposuerunt, *debellandi.* Falsum: nam potius dicendum erat, *causas non debellandi,* scilicet non debellatæ provinciæ. Duo imputabantur iis qui Britanniam antea rexerant: more belli, & quod propter injurias acerbitatesque adversus Britannos causam illis præbuissent rebellandi contra Romanos. *Pichena.*

10 *Militum ardor*] Prænuntius victoriæ. Veget. lib. 3. cap. 12. *Virdungus.*

11 *Instinctos mentesque ita disposuit*] Lipsius mallet, *instructos,* quod auctoris sententiæ congruens non videtur. adhuc enim milites instructi non erant: ideo sequitur, *disposuit,* hoc est, instruxit ita instinctos. Sic Ann. 11. *his vocibus instinctos exercitus, propria quadam causa stimulabant.* & supra, hoc

tesque ita dispofuit, ut [1] peditum auxilia quæ octo millia erant, mediam aciem firmarent: equitum tria millia cornibus affunderentur. legiones pro vallo stetere, ingens victoriæ decus [2] citra Romanum sanguinem bellanti, & [3] auxilium si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem [4] editioribus locis constiterant: ita ut primum agmen æquo, ceteri per acclive jugum connexi velut insurgerent; media campi [5] covinarius & eques strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola superante hostium multitudine veritus [6] ne simul in frontem, simul & latera suorum pugnaretur, [7] diductis ordinibus: quamquam porrectior acies futura erat, & *arcessendas* plerique *legiones* admonebant, promptior in spem, & firmus adversis, [8] dimisso equo pedes ante vexilla constitit. Ac primo congressu eminus certabatur, simul 36

con-

hoc eod. lib. *his atque talibus invicem instincti.* Pichena.

1 *Peditum auxilia*] Hoc est, auxiliares copiæ peditum, quæ à legionariis discretæ. Legiones enim ex civibus constabant, ideo *πολιτικὰ στρατεύματα* Dioni: auxilia vero erant externarum gentium copiæ. Festus in *Auxiliares.* Plinius lib. 33. c. 2. *cives auxiliaribus* deserte opponit. Sed & *auxilia* à *sociis*, qui signate & caute sunt locuti, disparant; quod socii semper Italici, auxiliares externi. Socii autem proprie dicti, post Italiam civitate donatam, defecerunt, & eorum vicem auxilia fuerunt, quæ variis gentibus Romani imperabant. *Virdungus.*

2 *Citra Romanum sanguinem bellanti*] Venetus, *bellandi:* suo quidem sensu. Sed vulgata lectio mihi probior. Subintelligitur enim, bellanti duci ingens id decus fuisse. *Pichena.*

*Citra Romanum sanguinem*] Sic tunc provinciarum sanguine provinciæ vincebantur. Seneca de ira 1, 11. *Virdungus.*

3 *Auxilium si pellerentur*] Legiones enim exercitus Romani robur, & acies invicta, quæ idcirco *Murus* dicebatur, ut tradit Vegetius, quod expugnatu difficillima foret tum propter virtutem militum, tum propter armaturam. *Idem.*

4 *Editioribus locis*] In subjectos enim vehementius tela descendunt; & majore impetu obnitentes pars altior pellit. Qui adverso nititur clivo, duplex subit cum loco & hoste certamen. *Idem.*

5 *Covinarius & eques*] Mela 3, 6. *dimicant Britanni non equitatu modo aut pedite, verum & bigis & curribus Gallice armati, covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Apud Cæsarem & Tullium vocantur *Essedarii.* Savilius. Mela lib. 3, 6. docet *Covinum vehiculi falcati genus esse, quo Britanni in prœliis uterentur*, quod pariter legimus apud Diodorum Siculum lib. 6. de hoc Martialis 12, 24. *O jucunda Covine solitudo, Carrucaque magis, essedoque gratum.* Et Silius l. 17. *Agmina falcifero circumvenit arcta Covino.* Et Sidonius Appollin. in laude urbis Narbonensis: *jamque & pectora prona Covino Extensi rapiuntur.* Lucanus lib. 3. Pharf. *docilis rector monstrati Belga covini.* Ex his credidere aliqui, *covinarium*, dictum, covini rectorem, seu aurigam. Nos tamen ex hoc Taciti loco *covinarium* interpretamur militem ex covino pugnantem; cujus & paulo post meminit: *interim equitum turmæ fugere; covinarii peditum prœlio miscuere.* Marcellus Donatus. *Covinus* currus Gallicus; *essedum* Cæsaris. Glossæ: *Covina, genus vehiculi.* Hieronymus in Esai. cap. ult. *Covini bellici, quibus in bellis Belgæ utebantur.* Tulia Gallorum *rheda*, Belgarum *benna* (unde *combennones* Festo, & *combennis*, item *Bennarius* veteri Lexico) *Cisium* Galliæ cisalpinæ, *petorritam* Oscorum, *proximum* Transalpinorum. Primitivum remanet apud Britannos, quibus *Kowain* vehiculo vehere. Mela lib. 3. *Dimicant non equitatu modo & pedite verum & bigis & curribus Gallice armati. Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Diodorus lib. 4. Cæsar de bello Gall. lib. 4. *Virdungus.*

6 *Ne simul in frontem*] Quoties periculum erat, ne hostes producto altero aut etiam utroque suæ aciei cornu circumvenirent aciem, (quod *ὑπερκερᾷν* & *ὑπερφαλαγγεῖν* dicitur) vel ipsi etiam suos hostes volebant *ὑπερκεράσαι*, tum necesse erat *διπλασιάζεσθαι τὸ μῆκος τῆς φάλαγγος*, hoc est, duplicare aciei longitudinem: jubebantque *τοὺς ἐπιστάτας μεταβαίνειν εἰς παραστάτην*, hoc est, ut qui prius pone sequerentur, & essent *ἐπιστάται*, transirent ad latus *τῶν πρωτοστατῶν*, & fierent *παραστάται*. Sic crescebat *τὸ μῆκος τῆς φάλαγγος*. Vide Casaubonum ad Polyænum. Adde Vegetium lib. 3. c. 20. & Onosandrum c. 21. *Virdungus.*

7 *Diductis ordinibus, quamvis porrectior acies futura erat*] Sententia, si quid in ea video, esse hæc debet: Quamquam acies non multo porrectior erat futura, etiamsi ordines diduxisset, atque ea caussa legiones accersi alii suadebant. Vocem igitur insero, quæ perire per similitudinem literarum facillime potuit: *Quanquam parvo porrectior acies. Parvo* adverbialiter. Sic etiam Gellius 13, 2. *Accius tunc haud parvo junior.* Acidalius.

8 *Dimisso equo*] Sic Cæsar collaturus signa cum Helvetiis lib. 1. & Suet. c. 60. ideinque ad Mundam referente Frontino lib. 2. Simile de Spartaco Plutarchus in Crasso. vide Catilinam Sallustii. *Virdungus.*

1 In

constantia, simul arte Britanni, [1] ingentibus gladiis & [2] brevibus cetris, missilia nostrorum vitare, vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere: donec Agricola [3] tres Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent. quod & ipsis vetustate militiæ exercitatum, & hostibus inhabile parva scuta & enormes gladios gerentibus. nam Britannorum gladii sine mucrone [4] complexum armorum, & [5] in aperto pugnam non tolerabant. Igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora fœdare, [6] & tractis qui in æquo obstiterant, erigere in colles aciem cœpere; ceteræ cohortes æmulatione & impetu commistæ proximos quosque cædere. ac plerique semineces aut integri festinatione victoriæ relinquebantur. [7] Interim equitum turmæ fugere, covinarii peditum se prœlio miscuere; & quamquam recentem terrorem intulerant, [8] densis tamen hostium agminibus &

[1] in-

1 *Ingentibus gladiis*] Videntur fuisse consimiles Gallicis, de quibus Polybius lib. 2. & Diodurus Siculus lib. 5. *Virdungus.*

2 *Brevibus certis missilia*] Legendum, *cetris*; est enim species scuti Virgilio & Grammaticis. *Alciatus.* Livius *cetratos* vocat cetris instructos, scuti species est. 31. 36. *Nocte cetratos, quos Peltastas vocant, loco oportuno inter bina castra in insidiis abdiderat.* Alibi. *cetratis immixtos auxiliares Eumenis tria millia ferme peditum æquata fronte instruxit.* Et paulo post, *tria millia cetratorum. Pisidæ hi erant.* Rhenanus. Hæ videntur à Lusitanis vicinis ad Britannos transisse. Diodor. Sic. lib. 5. *Virdungus.*

3 *Tres Batavorum in hoste. ac Tungrorum*] Ex hoc etiam loco liquet, quid de Batavorum Germanorumque virtute bellica senserint Romani. Tungri quos primos Transrhenanorum in Galliam, expulsis incolis, sedes transtulisse docet Tacitus, quum apte Germaniæ regionem incoluerint, haud satis liquet, nisi quod eorum nominis vestigium retinere videtur Franconiæ meæ oppidum *Tungersheim*: quod ita videtur dictum, quasi sedes sive patria Tungrorum. *Virdungus.*

4 *Complexum armorum & pugnam in aperto non tolerabant*] Lipsius monuit hic legendum, *in operto*: ita certe sententia postulabat: venitque in mentem mihi Lipsium recte conjecisse. Nam 11. Ann. *opertis* contrario errore ponitur pro *apertis*. Judicent qui nasum Rhinocerotis habent. *Barclajus.* Quomodo pugnam in aperto non tolerabant? Atqui enormes gladii non habiles nisi ad apertam pugnam. Sunt qui legunt, *in arcto*, fortasse non male. nam simile quiddam de Germanis dixit Annal. lib. 11. *nec minor Germanis animus, sed genere pugnæ & armorum superabantur: cum ingens multitudo, arctis locis, prælongas hastas non protenderet, non colligeret, neque adsultibus & velocitate corporum uteretur.* Livius lib. 28. *Scipio pro se esse loci angustias ratus, & quod in arcto pugna Romano aptior, quam Hispano militi futura videbatur.* Ego à vulgata non discedo: ut pugna in aperto dicatur, ad differentiam illius quæ fit ex longinquo, & quasi ex occulto. *Pichena.* Ratio postulat aliud: itaque substituebam olim *operto*. neque adhuc displicet, nisi quatenus rei aptius clariusque, *in arcto*; quod veniebat in mentem Pichenæ nostro. *Gruterus.* Muretus *tolerant*, quomodo & ipse malim. *Acidalius.*

5 *In aperto pugnam*] Quid ais? imo vel maxime optent, adeo non refutent. Faciebam, *in operto*. Qui sub armis scutisque pugnant, & statim invadunt, spernunt hos præiongos gladios: hodieque res dicit. Tamen placet etiam Francisci Medicis conjectatio, *in arcto pugnam*: & quis stirpem è patronis illis Musarum non amet? Hodie veram gloriam ipsi sic ament. *Lipsius.*

6 *Et tractis qui in æquo*] Etiam hic cum Mureto *fractis* malim. *Acidalius.* Hoc est, iis qui in planitie constiterant, una veluti ruina prostratis. Trahere enim continuationem quandam sive tenorem, &, quod antiqui dicebant, protelum significat. Hinc locutio poetis familiaris trahere ruinam. *Virdungus.*

7 *Interim equitum turmæ fugere*] Alii in sequentibus, ego hic offendo. Nam unde hæc fuga, cum nec de pugna ulla præcesserit? mira vel ipsorum ignavia, vel scriptoris nostri incogitantia. At vitium hic esse palam odoror. Ecce antea, pro more gentis, instruxit & junxit: *media*, inquit, *campi covinarius, & eques discursu ac strepitu complebant.* Itaque illi, ut apparet, aciei interjecti; sed Agricola neglexit, & parte alia invasit Britannos pedites, quod robur censebat. Cœpta autem pugna, jam equites & covinarii miscentur, sed verbis corrigendis. Quid dicam Critica? suavis, & molesta es: rem video, verba requiro. Puto. *Interim equitum turmæ effundere, & covinarii peditum se prœlio miscuere.* Aut potius, *turmæ effusæ & covinarii.* Profecto jam pugnarunt, & sequens narratio tota dicit: attende. *Lipsius.*

8 *Densis tamen hostium agminibus*] Muretus *nostrorum* hic reponit. Cui non assentior: nam quantum ex narratione tota colligo, mens Taciti hæc est: Covinarii illi, etsi Romanis terrorem aliquem intulerant, tamen inæqualibus locis & densis suorum agminibus, quorum peditum se prœlio miscuerant, post equitum fugam hærebant. *Acidalius.* Non placet ipsum Romanos hic *hostes* appellare, quasi respectu ad Britannos habito. Multo commo-

[1] inæqualibus locis hærebant: [2] minimeque equestris ea pugnæ facies erat, cum [3] in
gradu stantes [4] simul equorum corporibus impellerentur. ac sæpe vagi currus, ex-
territi sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, [5] transversos, aut obvios
incursabant. Et Britanni qui adhuc pugnæ expertes summa collium insederant, & 37
paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paullatim & circumire terga vin-
centium cœperant: ni id ipsum veritus Agricola quatuor equitum alas [6] ad subita bel-
li retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius accurrerant, tanto acrius
pulsos in fugam disjecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum. transvectæ-
que præcepto ducis à fronte pugnantium alæ, aversam hostium aciem invasere. Tum
vero patentibus locis grande & atrox spectaculum: [7] sequi, vulnerare, capere, at-
que eosdem oblatis aliis trucidare. Jam hostium, prout cuique ingenium erat, [8] ca-
tervæ armatorum paucioribus terga præstare, quidam inermes ultro ruere, ac se mor-
ti offerre. Passim arma & corpora, & laceri artus, & cruenta humus: & aliquan-
do etiam [9] victis ira virtusque. postquam silvis appropinquarunt, collecti, primos
sequentium incautos & locorum ignaros circumveniebant. Quod ni frequens ubique
Agricola, validas & expeditas cohortes indaginis modo, & sicubi artiora erant, par-
tem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare jussisset, [10] ac-
ceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Ceterum ubi compositos firmis
ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus ut prius, [11] nec alius
alium respectantes, rari, & vitabundi invicem, longinqua atque avia petiere. finis
sequendi nox & satietas fuit. [12] cæsa hostium ad decem millia: nostrorum trecenti
quadraginta cecidere, in quis Aulus Atticus præfectus cohortis, juvenili ardore &
ferocia equi hostibus illatus. Et nox quidem gaudio prædaque læta victoribus: Bri- 38
tanni palantes mixtoque virorum mulierumque ploratu, trahere vulneratos, vocare
inte-

modius videtur, ut legamus, cum Murcto *nostrorum*. Gronovius.

1 *Inæqualibus locis*] Quæ haud quaquam equitatui vel curribus sunt apposita. *Virdungus*.

2 *Minimeque equestris ea pugna facies*] Vides *equestre* prœlium? nondum ergo fugerunt, ut vulgata lectio volebat. *Lipsius*.

*Minimeque equestres. Ea enim pugna facies erat, cum agrum*] Corruptus locus est. Ego sic legerim & distinxerim, *minimeque equestris ea pugna facies erat, quum in gradu stantes, simul equorum corporibus impellerentur*. Rhenanus. Corruptissimus locus in veteribus libris, & contra auctoris & historiæ mentem à Rhenano restitutus. Nam verba hæc indicant, illam quidem vere fuisse aciem equestrem, sed talem non apparuisse. cum contra sit sensus, pedestrem aciem, covinariis, & curruum equis tantum mixtam, faciem equestris pugnæ ostendisse. Constat enim, equites hostium tum non adfuisse, cum jam de illorum fuga dixerit. In Ven. legitur. *inæqualibus locis hærebant, minimeque equestres. Ea enim pugna facies erat: cum agra diu* &c. Emendationem acutioribus ingeniis relinquo. *Pichena*.

3 *In gradu stantes*] Hærebant enim locis iniquis, ut dixit, tum & conferta Romana vel Sociali acie. *Lipsius*.

4 *Simul equorum corporibus*] Quid clarius, quam hæc ad singulares equites referenda: qui stantes hærentesque, sine suo impetu, facile cum ipsis equis pellebantur à pedite, vi ingruente. *Idem*.

5 *Transversos, aut obvios*] Quos? Romanos? non: sed ipsos suos equites, quos turbabant aut evertebant. *Idem*.

6 *Ad subita belli retentas*] Vide Vegetium lib. 3. cap. 17. & Onosandrum Strateg cap. 22. *Virdungus*.

7 *Sequi, vulnerare, capere*] E Sallustio sumpta hæc scio, qui in Jugurtino: *tum spectaculum horribile in campis patentibus, sequi, fugere, occidi, capi, equi atque viri afflicti*. Lipsius.

8 *Caterva armatorum*] Ut *phalanx* Macedonum, sic *caterva* proprie Gallorum legio erat, uti videre est apud Vegetium. Nec hoc Britannis exolevit, qui bellum *Kad* & belli robur quod in legione positum, *Kaderne* vocitant. *Virdungus*.

9 *Victis ira virtusque*] Eandem sententiam Virg. 2. Æn. *Quondam etiam victis redit in præcordia virtus*. Pichena.

10 *Acceptum aliquod vulnus*] Frequentes enim jam fusa acies dispersos ac passim sequentes reparatis viribus interemit, Vegetius 3, 25. *Virdungus*.

11 *Nec alius alium respectantes*] Lego, *sed alius*. Acidalius.

12 *Cæsa hostium decem millia*] Tacitus raro nume-


rum

integros, deserere domos, ac per iram ultro incendere: [1] eligere latebras, & statim relinquere: [2] miscere invicem consilia aliqua, dein sperare: aliquando frangi aspectu pignorum suorum, sæpius concitari. satisque constabat sævisse quosdam in conjuges ac liberos, tamquam misererentur. Proximus dies faciem victoriæ latius aperuit. vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugæ vestigia, neque usquam conglobari hostes compertum, & exacta jam æstate spargi bellum nequibat, in [3] fines Horestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, præfecto [4] classis *circumvehi Britanniam* præcepit. datæ ad id vires, & præcesserat terror. ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit. Et simul classis secunda tempestate ac fama [5] Tru-
39 tulensem portum tenuit, [6] unde proximo latere Britanniæ lecto omni redierat. Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum jactantia [7] epistolis Agricolæ auctum, ut Do-

rum exprimit; insuper & ipse & Sallustius, testante Orosio, in historia id damnant. Sed professione pietatis excusandus est, si in propriam legem peccaverit. *Savilius.*

1 *Eligere latebras & statim*] Rebus adversis ita fieri amat, ut nulli consilio acquiescant homines: sed quod modo placuit, idem mox displicet ac nova subinde consilia ineuntur. Sic Curtius lib. 10. *Nec velle nec nolle quicquam diu poterant pœnitebatque modo consilii, modo pœnitentia ipsius.* Sic de Jugurtha Sallustius, de Cicerone proscripto à triumviris Plutarchus, de Vitellio noster lib. 3. Hist. & de Pisone lib. 3. Ann. *Virdungus.*

2 *Miscere invicem*] Tota hac periodo ornatum ex oppositis quæsivit. ideoque hic legam, *dein separare.* Aliquando, inquit, cum aliis, aliquando rursus secum deliberabant. *Lipsius.*

*Miscere invicem consilia aliqua, dein sperare*] In margine scripsi, *separare*, quia Lipsio sic legenti prorsus assentior. *Pichena.* Imo *dein desperare.* Tale de Vitellio illud: *quæ jusserat, vetare: quæ vetuerat, jubere.* Grotius. Frustra sunt, qui hæc mutare aggressi. Plana sunt verba & sententia. Eligebant latebras, & statim relinquebant, præ metu, visi sibi in iis intuti; dein inibant consilia adversum ea, quæ metuebant. Quorum nonnullis probatis, metum in spem convertebant. Vetus character eorum, qui turbatis rebus, miscere spem & metum, ut dubii, consuevere. *Boxhornius.*

3 *Fines Horestorum*] Nunc *Anguse*, ut quidam volunt. *Savilius.*

4 *Classis circumvehi Britanniam*] Meminit hujus Agricolæ facti etiam Dio Cassius lib. 66. Histor. *Virdungus.*

5 *Trutulensem portum*] Ignotus est. itaque alii volunt, *Rutupensim.* Lipsius.

*Trutulensim portum*] Suspicor scribendum, *Rutupensim portum.* Hic adversus Bononiam situs est sive Gessoriacum apud Amm. lib. 20. perperam *Bonna* legitur pro *Bononia.* Alii legunt *Rutupensim*; quem putant esse Richoburgum circa Sandovicum. *Savilius.* Pancirolus in Notitia imperii Occid. c. 72. legit, *Rutupensim portum.* *Rutupia* enim est oppidum superioris Britanniæ, & *Rutipe* portus, qui vulgo, *Zandouiz*, dicitur, ac de eo Ptolemæus, Ammianus, & alii. *Pichena.*

6 *Unde proximo latere Britannia lecto omni redierat*] Aptius legas *exierat.* Rhenanus. Puto legendum: *unde proximo litore Britannia lecto, omnis redierat.* Pichena.

7 *Epistolis Agricola actum*] Hæsi olim. nunc levi emendatione me expedio, *auctum*, pro *actum*, rescribens. *Lipsius.*

*Epistolis Agricola actum, ut Domitiano moris erat*] Scribendum opinor, aut *relatum*, aut *significatum*, aut *lectum.* Cogitandumque num sic quoque lectio stare queat, *Epistolis Agricola relatum Domitiano, ut moris erat.* ut hæc postrema clausula testetur consuetudinem, qua res in provinciis gestæ Cæsaribus significabantur. *Rhenanus.* Scripsit Agricola literas, sed non laureatas de more, Tacit. hac ipsa vita, *ne laureatis quidem gesta persecutus est.* De laureatis Ovid. 1. amorum eleg. ad Napen. *Non ego victrices lauro redimire tabellas.* Florus 3, 3. *visi pro æde Castoris & Pollucis juvenes laureatas Prætori litteras dare.* non addam verbum, ne actum agam. *Barclajus.* Doctiss. vir, *auctum.* At *actum* mihi potius est, quod verbi *scriptum* significat: unde qui verba loquentis exarant, *actuarii* nominantur. Suet. Cæs. 55. *quam non immerito Augustus existimat ab actuariis exceptam male subsequentibus verba dicentis:* vel, *actum*, id est, narratum. Terent. Andr. *Priusquam abis præsente te hunc apologum agere unum volo.* Salinerius. Vulgo, *actum*, sed nullo sensu. Ergo Lipsii judicio, reposui, *auctum.* Pichena. Hæsisse olim Lipsius ait, nunc levi emendatione sic expedire, *auctum* pro *actum* rescribendo. At neque eur hæreret, neque cur mutaret quidquam, caussa erat. *Actum* non jungendum cum superiore *cursum*, sed absolute per se capiendum, ac si ita scripsisset auctor. Quanquam Agricola minime jactanter epistolis egerat: vel, Quanquam ab Agricolà

Domitiano moris erat, fronte lætus, pectore anxius excepit. [1] Inerat conscientia, derisui fuisse nuper [2] falsum è Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & [3] crines in captivorum speciem formarentur: [4] at nunc veram magnamque victoriam, [5] tot millibus hostium cæsis, ingenti fama celebrari. Id sibi maxime formidolosum, [6] privati hominis nomen supra principis attolli: [7] frustra studia fori, & civilium artium decus in silentium acta, si [8] militarem gloriam

[8] alius

cola nulla verborum jactantia epistolis actum erat. In quo Taciti phrasin est agnoscere. *Acidalius.*

1 *Inerat conscientia*] Hoc est, *conscientiam circumire*, sicut lib. 1. c. 1. De clem. Seneca loquitur. *Boxhornius.*

2 *Falsum è Germania triumphum*] Xiphil. Domitian. *postquam suscepisset in Germaniam expeditionem rediit ne viso quidem hoste. Et quid narrem quibus honoribus ob eam caussam affectus sit postque eum alii Imperatores ei similes, ne suspectantes vilius sua censeri ob exiguos qui haberentur honores, indignarentur.* Paria sunt quæ Suetonius refert de Cajo 47. *Conversus hinc ad curam triumphi, prætor captivos & transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque, & ut ipse dicebat ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit ac sepesuit ad pompam, coegitque non tantum rutilare, ac submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere & nomina barbarica ferre.* Savilius. Ridiculi principes Romanorum, qui falsis victoriis gloriam quærebant apud vulgum; nam plebs sola fallitur his præstigiis, ideoque quum plebs plurimum posset suffragiis, judiciis in libera rep. legibus cautum, ne quis ejusmodi mendaciis claresceret. Nam & statuta pœna si quis militum falso strenuum quid factum à se retulisset ad tribunum aut ducem. Polybius. ἐάν τινες ψευδῆ περὶ αὑτῶν ἀνδραγαθίαν ἐπαγγείλωσι τοῖς χιλιάρχοις ἕνεκα τοῦ τιμὰς λαβεῖν. Crimini huic proprium nomen, *de falsis pugnis*: Plautus Trucul. *mille memorari potest, Qui & convicti & condemnati falsis de pugnis sient.* Quo crimine postulatus a M. Catone Censorio Q. Thermus oratione, quæ inscripta. *In Q. Minucium Thermum de falsis pugnis.* Ita enim est recte apud Gellium & Nonium; nec audiendi qui legunt, *pœnis*, eo quod in fragmento sævitiæ ac pænarum mentio. Notus mos accusatorum apud Romanos, ut quamvis certi criminis postulatum tamen urgerent ceteris pristinæ vitæ probris: quæ, ut recte Tacitus notat lib. 3. Annal. neque convicta noxæ reo, si recentia purgaret, neque defensa absolutioni erant, si teneretur majoribus flagitiis. *Mercerus.* Hujus triumphi vanitatem etiam Plinius Junior sugillat in Panegyrico. Meminit etiam lib. 67. Dio Cassius. Porro mimicum hunc de Germania triumphum vir doctiss. Calvisius Sethus refert ad XI. Consulatum Domitiani, qui fuit annus ab V. C. 838. *Virdungus.*

3 *Crines in captivorum speciem*] Miror Suetonium hoc tacuisse, qui liberrime scripsit Domitiani vitam, nec celat vitia. De captivorum crinibus perite dicit. præsertim cum sermo de captivis Romanis sit, quorum crines singulari quodam modo nodabantur. Mart. Amphit. epig. 3. *Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.* Barclajus. Ad hanc ridiculam insaniam Domitiano exemplo suo præivit Caligula Suet. 47. *conversus ad curam triumphi, præter captivos & transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque, &, ut ipse dicebat, ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit, ac sepesuit ad pompam: coegitque non tantum rutilare, & submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre.* Virdungus.

4 *Ac nunc*] Non absurde legas, *at nunc.* Rhenanus.

5 *Tot militibus hostium*] Scripsimus, *tot millium.* Idem.

6 *Privati hominis nomen supra Principis attolli*] Nota, respectu Principis, etiam Magistratus censeri privatos: nam de Agricola loquitur, qui etiamdum cum imperio erat. Sic Plin. 2. ep. 1. *perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium privati hominis impleret, cum Principis noluisset.* Privati enim dicuntur respectu magistratuum. 4. Ann. in princ. *honoribus perfunctos, an juvenes? privatos, an è magistratibus?* Hinc privata spectacula Suet. in Ner. 21. *non dubitavit etiam in privatis spectaculis operam inter scenicos dare.* Lamprid. in Elagab. *junxisse etiam camelos quaternos ad currus in Circo, privato spectaculo.* Pichena.

7 *Frustra studia fori, &c.*] Eloquentiæ enim studium, atque inprimis Poetices simulavit Domitianus Sueton. c. 2. Noster fine lib. 4. Hist. Atque hinc illæ præter Poëtas adulationes Plinii in Præfatione Operis sui Titum fratrem Domitiani appellantis, *Quanto tu ore patris laudes tonas, fratris amas! O magna fecunditas animi! quemadmodum fratrem quoque imitareris invenisti?* & Fabii Quintiliani in Præf. lib. 4 Instit. Domitianum principem, ut in omnibus, ita in Eloquentia quoque eminentissimum prædicantis. *Virdungus.*

8 *Militarem gloriam altius occuparet*] Vulgati, *alius.* Correctionem Lipsio debemus. *Pichena.* Eruditissimus Pichena facit cum doctiss. viro, cui placet *alius*, pergam tamen quo profectus sum, vulgataque à fuga prohibebo. alius circa mores is est, qui antiquos non amplius obtinet ut si Terentianus Crito avidior ad rem evasisset. hac igitur de caussa Agricola, qui *inter quæsturam ac tribunatum plebis, atque etiam ipsum tribunatus annum, quiete & otio transit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia*

[1] alius occuparet: & cetera utcumque facilius dissimulari, ducis boni [2] imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque sævæ cogitationis indicium erat, [3] secreto suo satiatus, optimum in præsentia statuit reponere odium, donec impetus famæ & favor exercitus languesceret. nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat. Igitur [4] *triumphalia ornamenta*, & [5] *illustris statuæ honorem*, & *quidquid pro triumpho datur*, multo verborum honore cumulata, *decerni in senatu* jubet: [6] *addique insuper opinionem*, *Syriam provinciam Agricolæ destinari*, *vacuam tum morte Atilii Rufi consularis*, & *majoribus reservatam*. Credidere plerique, [7] libertum [8] ex secretioribus

*pro sapientia fuit.* cui etiam idem *pratura tenor & silentium.* mutati moris arguitur ad hunc fere modum quid retulit Agricolam ibi modestiam induisse ubi nil mea intererat, si nunc alius ab illo disciplinam militarem ad se ambitiose trahit, qua sola luminibus meis officere potest? *Salinerius.*

1 *Alius occuparet*] Putabam, *altius*, vel *artius*, sive *arctius*. De Agricola Domitianus ratiocinatur, & sese exstimulat: Frustra silentio transitas civiles artes, si in militari præpolleret. Quod si vulgara placet, de ipso Domitiano accipies, querente: Frustra se *liberalia studia iussio Principatus neglexisse* (ita Suetonius cap. xx.) ut ad militaria & imperatoria se daret scilicet: si ecce alius eam gloriam occuparet. Atque hanc veram sententiam puto. Videbatur enim sibi in studiis & eloquentia potuisse excellere, si perseverasset. *Lipsius.*

2 *Imperatoriam virtutem*] Censet igitur noster, Imperatoris maxime propriam esse τὴν στρατηγικὴν σύνεσιν, καὶ τὴν κατὰ πόλεμον ἐμπειρίαν, & omnino στρατηγικὴν ἀρετήν: quam etiam Quintilianus 7. Instit. 10. Imperatoriam virtutem usurpat. Cæterum hæc virtus Imperatorem sive Principem sola nequaquam perficit Requiritur enim præterea *sapientia pacis*, ut cum Sulpitia poetria loquar. Hoc præter alios vidit Justinianus, qui in Proœmio Instit. *Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte possit gubernari.* Sapienter sane. Nam ut ait Cic. 1. Off. *parvi sunt foris arma, nisi sit consilium domi.* Ac sane inter ducem & Imperatorem magnum est discrimen, quod intelligens Diocletianus de Aureliano, ut est apud Vopiscum, solitus est dicere, eum magis ducem esse debuisse quam imperatorem. *Virdungus.*

3 *Secreto suo*] Notum est ex Suetonio, Dione Cassio, Aur. Victore, aliis, Domitiani secretum horarium, in quo nihil amplius, quam muscas configebat: unde cuidam interroganti, *essetne quis intus cum Cæsare*, non absurde responsum à Vibio Crispo, *ne musca quidem*: ut refert Suetonius. Nam Sext. Aur Victor responsum hoc ita profert: *Ne musca quidem, nisi forte in Palæstra*: ubi jocus ex ambiguo à Palæstra fœda Domitiani, in Palæstram γυμναστικὴν, ut pluribus docet Josephus Scaliger Animadv. in Chronicon Hieronymi. *Virdungus.*

4 *Triumphalia ornamenta*] Palam est hæc à Domitiano tributa: quod Tacitus de socero non potuit, credo, ignorare. Tamen Dio vult à Tito: Ἐσφάγη δὲ ταῦτα ὑπὸ Δομιτιανοῦ, καίπερ τὰς ἐπινικίους τιμὰς παρὰ τοῦ Τίτου λαβών. *Lipsius.*

*Triumphalia ornamenta*] Sub Principibus nulli Ducum, quamvis re præclare adversus hostes gesta, & insigni victoria parta, triumphus concedebatur, sed sola triumphalia ornamenta decernebantur: cujus moris origo ab Agrippa, qui Bosporanis M. Licinio M. F. Crasso, Cn. Cornelio Cn. F. Lentulo Coss. Anno V. 739. subactis, neque triumphum sibi à Senatu decretum egit, neque omnino quicquid de iis rebus gestis ad Senatum perscripsit. Ex quo tempore, inquit Dio lib. 54. reliqui exemplum ejus, quasi legem quandam sequuti, neque publice literas miserunt, neque triumphum obtinuerunt, ac propterea nemini alii pari dignitate triumphus in posterum, sed triumphalia tantum ornamenta decreta sunt. *Virdungus.*

5 *Illustris statuæ honorem*] 1. hist. *triumphalis statua.* Savilius. Lib. 1. hist. *M. Aponius Mæsiam obtinens triumphali statua, F. Aurelius & Julianus Titius, &c. consularibus ornamentis donantur.* Postquam enim in Principum potestatem Rom. resp. cessit, Principes jus triumphandi sibi ipsis reservarunt, ducibus vero triumphalia ornamenta, pro triumpho, concesserunt. Alibi Lipsius docuit. *Pichena.* Ea erat statua laureata, quæ ducibus re bene gesta decernebatur. Noster 4. Ann. 23. *Virdungus.*

6 *Addique*] Lego, *additque.* Sic & Muretus. *Acidalius.*

7 *Libertum*] Per libertum mittebant libellum repudii, de quo Poëta:

*Collige sarcinulas, clamat libertus, & exi.*

Per libertum principi libellum dabant. L. 57. §. 1. D. de ritu. nupt. L. 16. D. de interd. & releg. Per libertum hæredes recitabant testamenta, Suet. in Tib. 23. Dio 56. καὶ μετὰ τοῦτο τὰς διαθήκας αὐτοῦ Πολύβιός τις Καισάρειος ἀνέγνω. Cæsarianus libertum Cæsaris significat. Per libertum rei defensionem mittebant aut recitabant 3. Ann. 13. Cujacius 8. Observ. 26. Apud Principes ejus seculi quantum liberti potuerint ex nostro & aliis notum est. Hinc scite Plinius Junior in Paneg. *Plerique principum quum civium erant domini, libertorum erant servi.* Nec minus urbane Seneca in Apocolocynthosi Narcissum libertum Claudii *Dominum Domini* usurpat. *Virdungus.*

8 *Ex secretioribus ministeriis*] Quales erant liberti à stu-

bus ministeriis missum ad Agricolam, [1] codicillos quibus ei Syria dabatur tulisse, [2] cum præcepto, *ut si in Britannia foret, traderentur:* eumque libertum in ipso [3] freto Oceani obvium Agricolæ, ne appellato quidem eo ad Domitianum remeasse. sive verum istud, sive ex ingenio principis [4] fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate & frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio, [5] noctu in urbem, noctu in palatium, ita ut præceptum erat, venit: [6] exceptusque brevi osculo & nullo sermone, turbæ servientium immixtus est. Ceterum ut militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus: adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos est, viso aspectoque Agricola, [7] quærerent famam, pauci interpretarentur. Crebro per eos dies 41
apud Domitianum [8] absens accusatus, absens absolutus est. caussa periculi non crimen ullum, aut querela læsi cujusquam, sed infensus virtutibus princeps, & gloria viri,

à studiis, à voluptatibus, à libellis, ab epistolis, à memoria, &c. de quibus consulendus Lipsius 1. Elect. 12. *Idem.*

1 *Codicillos*] Id est, literas. Codicilli ex tabulis cera illitis, sed ita brevibus & paucis conficiebantur, ut facile quocumque commodum esset, circumferri & in sinu gestari possent. Principes autem officia deferebant missis traditisve codicillis. Vide multa de his apud Casaubonum Animad. in Suet. Claud. 29. *Idem.*

2 *Cum præcepto, ut, si in Britannia foret*] Hoc ideo, ut eo velut præmio illectus Agricola ab exercitu provinciaque decederet: quod artificium abstrahendi specie honoris sane quam usitatum. Sic Tiberius lib. 2. Ann. Germanicum specie honoris fuctis legionibus abstrahit, alterum Consulatum offerendo, cujus munia præsens obiret. Eademque mente Nero apud Dionem lib. 63. Corbulonem ex Armenia ad sese quam honorificentissime in Græciam arcessit, eodemque Rufum ac Proculum fratres ex Germania, quamdiu simul administrarant, evocat, tanquam eorum præsentium opera indigeret. Jam & Galba apud nostrum 1. Hist. Virginium à legionibus, quibus præerat, abducit per simulationem amicitiæ. Nec aliter apud Ammianum Marc. lib. 18. vulpinatur Constantius Imperator, ut ad Comitatum, dignitate afficiendus superiore, citius properaret, &c. Quorum omnium artificium etiam calluit Basilius Porphyrogenitus, qui apud Zonaram, magistrum Bardam Sclerum ducem, cui omnes Orientales copiæ parebant, suspectum habens, ea dignitate erepta Mesopotamiæ ducem designat. Denique nec nostrum nec superius seculum hac parte ineruditum. Sic enim (ut alios prætermittam) Ludovicus XI. Comitem S. Paulli ab exercitu suo abstractum, in nassam illeait. Cominæus, alii. *Virdungus.* Quare id præceptum? Quia haud dubie jam constabat Domitiano, futurum ut libertus Agricolam in Britannia non offenderet. Cui successor jam datus erat; quem ex Britannia jam excessisse non dubitabatur. Sicut non in Britannia, sed ipso Oceani freto Agricolam libertus deprehendit. Ecce honorem à Domitiano in Agricolam collatum, quo tamen hic non uteretur. Ita pessimi Principes in optimos solent esse liberales, ut optimos æstimare videantur, & in speciem amare illos credantur, quos odere. Volebat videri Domitianus æstimare se velle illustri dignitate Agricolam, revera tamen æstimatum nolebat. Itaque ad beneficium conditionem, qua irrita reddebantur mandata, adjecit. De re ipsa tamen dubitat Tacitus. Non sum interim nescius, in alium sensum hæc alios accepisse; sed an eo apud Agricolam, cujus modestissimum ingenium opus fuerit, ipse me Tacitus jubet dubitare. *Boxhornius.*

3 *Freto Oceani*] Ubi Oceanus in fauces cogitur, sic ut inter Europæ Continentem & Britanniam non amplius XXX. CIƆ. passuum intersit. Atque hæ angustiæ Solino *fretum Gallicum* dicitur: nostro & Ammiano, *fretum Oceani*, & *Oceanus fretalis:* Gratio poëtæ, *freta Morinum dubio refluentia Ponto.* Virdungus.

4 *Fictum ac compositum est*] Quanquam per se membrum hoc subsistit, aut etiam à superioribus pendet: melius tamen forte cum sequentibus ligaveris: *fictum ac compositum est, tradiderat, &c.* Acidalius.

5 *Noctu in urbem, noctu in palatium*] Quod ex præcepto fecit hic Agricola, fecit Augustus modestiæ caussa apud Sueton. 53. *non temere urbe, oppidove ullo egressus, aut quoquam ingressus est nisi vespere, aut noctu: ne quem officii causa inquietaret.* Barclajus.

6 *Exceptusque*] De more excipiendi osculis vide Lipsium 2. Elect. 5. *Virdungus.*

7 *Quærerent famam*] Posset etiam legi, *quærerent tamen.* Rhenanus.

8 *Absens accusatus, absens absolutus est*] Ant. Augustinus legebat: *præsens absolutus est.* Ursinus.

viri, ac [1] pessimum inimicorum genus, laudantes. Et ea insecuta sunt reipublicæ tem-

[1] *Pessimum inimicorum genus, laudantes*] Gnome ex ipsis adytis humanæ vitæ, cui Mamertinus interpres, Panegyrico ad Julianum: *Cum*, inquit, *sancti Principis merces* (legimus *mores*) *atque instituta falsarum vituperationum licentiam submoverent, callido nocendi artificio accusatoriam diritatem laudum titulis peragebant, in omnibus conventiculis quasi per benivolentiam illa jactantes, Julianus Alemanniam domuit, Julianus urbes Galliæ excitavit, &c.* Statimque: *Hæ voces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores. si enim comminisci aliqua flagitia tentassent, facile ipso splendore laudis & gloria refutarentur, invenerunt accusandi genus, quod nullus refelleret.* Lipsius.

*Pessimum inimicorum genus laudantes*] Laudando & commendando noxam alicui posse creare favoremque præripere, etsi prima fronte absonum sibique repugnans videatur, fieri tamen posse exemplis obviis docemur, vias faciles, & per diversa huc tendentes monstrantibus. Ex. gr. Principi aliquem laudare ob ea, in quibus aut ratione dignitatis excellere debebat ipse Princeps aut excellendi conatum ostentat ex quocumque tandem impetu, præsertim si eatenus se minorem sentiat; perniciosissimæ calliditatis artificium est maxime expeditum, quod loco suo dejiciat homines gratia Principum validos. An nascendi sorte obtingat nobis quicquid est istius indolis, nescio, persuasus omnino haud vivere quemquam omnis sic virtutis inanem, quin aliqua ingenii, ubi in hoc aut illud se intenderit, prærogativa plures post se relinquat Quicunque ergo illos inclinantes sic Naturæ motus in Principe suo deprehendere, in rem suam vertere, ubi deposcet occasio, novit, parata illi semper nocendi materies. qui notaverit & quibus oblectentur, & in quibus sibi placeant, æque expedite alteri periculum creaverit apud bonum Principem, ac rimaretur metus apud malum, ut Tigellinus 14. ann. 57. Si enim quælibet rivalitas, deque primo loco certans ambitus, etiam inter privatos simultates gignit mutuisque odiis committit, quid formidet subditus a principe (cujus animus corpore mollior levissimas ex quacunque tandem offensione impressiones accipit alteque dimittit) in tanta nocendi licentia, nisi certissimum excidium, ubi specioso nomine culpam prætexere dabitur? Dionysius Senior amabili delusus insania, cum vergentibus jam in senium annis famam Tragici poetæ strenue affectaret, Philoxenum poëtam odio habuit, carceri & tormentis ei addixit, quod luminibus suis officere putaret Diodor. 15,6. prima mali labes, quo postmodum Seneca concidit, fuit quod eloquentiæ laudem supra Neronem sibi adsciseeret: & factitandis carminibus Principem supergredi conaretur, postquam Neroni amor eorum venisset Ann. 14, 52. Ultimis imperii annis ad cantus & histrioniam animum adjiciens, artes non imperatorias, pristino benevolentiæ suæ loco Paridem depulit histrionem, quem postea tanquam æmulum occidit. Poppæa quoque Sabina apud Neronem laudans virtutes Othonis, quamvis non hoc intenderet, improvide tamen Principi suspectum reddidit 13. Ann. 46. Neque mihi placuerit quod se ex observata decori norma fecisse putat eximius nostri temporis poëta, qui coram Principe, supra regnum suum æstimante, si forma præ cæteris mortalibus venusta censeretur, alium introducit fratris sui ambitiosum, etiam supra Principem. in hoc quasi pulchritudinis certamine præconem. Res profecto ut concitandæ invidiæ, sic ex invidia periculis, prona. Sed nunquam altius penetrat, ferocius quoque nocitura, commendatio, quam ubi, quæ commendaveris grata in vulgus sunt & cum admiratione accipiuntur, ut sunt gloria militaris, magnanimitas, justitiæ adversus vim & licentiam protegendæ studium, splendor, aliæque heroicæ virtutes, Principum propriæ, aut saltem quæ illos reddunt ornatissimos. Atque hæc cum ad omnes in universum homines suo quomodo spectent, Principum nullus tam composito mentis habitu est adversus obrepentis astutiæ nequitiam, ut non aliquando tacitis subruentium insidiis pateat. Sed nusquam paratior & sævior noxa est, quam ubi Princeps, ut ante dictum, ex defectu Naturæ inferiorem se sentit. Ut enim alienæ virtuti nemo invidet qui confidit suæ, sic invidet ac sinistrorsum omnia trahit maxime quem imbecillitatis conscientia remordet Vespasianus & celebrium Principum alii, velut domestico virtutum suarum testimonio animosi, facile contemptu transmisissent, si quis ex. gr. Imperatoriam genesin habuisse diceretur, imo se conspicuo magis dignum loco censuisset, addito per risum & jocum memorem sui quandoque futurum Suet. 14. cum apud Domitianum tamen, obscurum & timidum Principem, quod nequitiæ suæ convictus sibi teneretur, nihil facilius fuerit quam laudando Agricolæ virtutes eum, qua voluerit gratia, dejectum in discrimen adducere. Similis in aula Constantii fuit Juliani fortuna, in quo cum nihil occurreret, quod juste ei impingeret livor fingendorum criminum faber, pari fallacia, commendatione scil. virtutum coram imperatore, ad quamlibet suspicionis & æmulationis auram mobili, quod se sibi inferiorem facile inhabilemque crederet, prævaluit, conflato in caput illius odio, ut fuse in Panegyrico Mamertinus c. 4. enarrat. Aliud nocendi genus isto laudandi artificio, memorat Polybius lib. 4. exemplo proposito cujusdam senatoris Apellis nomine. Homines quos in sublimi fortuna collocavit, aliquo modo similes Lunæ fecit, quæ etsi mutuatitiis à sole ignibus luceat, eoque sæpius redeat novis fœcundanda influxibus, ab illo tamen recens congressu tenebricosa mundo affulget, pleniusque tum splen-

tempora, quæ fileri Agricolam non finerent: tot exercitus in [1] Mœfia [2] Daciaque, & Germania Pannoniaque, temeritate aut per ignaviam ducum amiffi: [3] tot militares viri cum tot cohortibus expugnati & capti: nec jam de limite imperii & ripa, fed de [4] hibernis legionum & poffeffione dubitatum. Ita cum damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus & cladibus infigniretur, pofcebatur ore vulgi *dux Agricola:* comparantibus cunctis *vigorem, conftantiam, & expertum bellis animum,* [5] *cum inertia & formidine eorum.* Quibus fermonibus fatis conftat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quifque libertorum amore & fide; peffimi malignitate & livore, pronum deterioribus principem exftimulabant. Sic Agricola fimul fuis virtutibus, fimul vitiis aliorum, [6] in ipfam gloriam præceps agebatur. [1] Aderat

fplendefcit, cum remotior radios vibrat. Sed per infecuta tempora contrarium priori exemplum in aulas Principum invaluit, ut fpecie laudis in alium feponeretur locum, quifquis domi excellere putaretur, quæfito prætextu operæ utilius apud exteros navandæ. Fertilis hæc nequitiæ materies in plures pullulat modos, ut fi quis palam extollatur inani neque profutura laude (præterquam quod adverfarius periculi ab eo metuendi fecurus reddatur) & infufurratis clam criminationibus impetatur, ubi certiffime nocere queat. s. hift. *Manlius Valens quanquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit: fecretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum & quo incautior deciperetur, palam laudatum.* Ut fi in genere quis deprædicetur, ut in Principis credulo animo gignatur opinio quafi amicus fit qui laudetur & ille interim accufetur hujus aut illius, quod controverti poffit; aut fimilis ftruatur dolus, promptiffimo in hanc nequitiam genio aulæ, quæ per novas femper artes fæcunda fallaciarum genitrix audit. Adftipulante enim Polybio nata ibi primum ifta malignitas & nocendi protervia, neque ulterius progreffa eft. *Savilius.* Tac. s. hift. s. Pfalmo CI. *tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me, adverfum me jurabant.* Laudantibus etiam fimiles funt, excufantes s. Ann. *quædam de habitu cultuque & inftitutis ejus jecerat, quæ velut excufando exprobraret.* Pichena.

1 *Mœfia*] Hæc, definiente Æthico, ab Oriente habet oftia fluminis Danubii: ab Euro Thraciam: à meridie Macedoniam: ab Africo Dalmatiam: ob occafu Iftriam: à Circio Pannoniam: à Septentrione Danubium. Eadem fere Ifidorus. Recentiores Mœfiam duplicem effe notant, inferiorem & fuperiorem: quarum hæc ultra Bofoam fluvium, qui Illyrici terminus, verfus Ortum fefe erigens, hodie Servia appellatur: Inferior vero Bulgaria. Utraque inter Hœmum montem & Danubium fita, ufque ad Euxinum Pontum porrigitur. Ptolemæus lib. 3. cap. 9. & feq. *Virdungus.*

2 *Daciaque*] Hæc trans Tibifcum amnem latiffime patet. Namque à feptentrione Tyra fluvio, aut etiam Axiacu, ab Ortu Ponto Euxino, à Meridie Danubio terminatur, complexa Tranfilvaniam cum duabus Walachiis, Majore & Minore; quarum illa ad Pontum ufque Euxinum excurrit, à noftratibus *Moldavia*, à Turcis *Carabogdania* à Græcis recentioribus *Μαύρα Βλαχία*, prius vero *Maura Davia* dicta: unde vulgus imperitum *Moridaviam* fecit, ac rurfus *Moldaviam*, familiari permutatione literarum L & R etiam Turcis & Græcis. Minor vero Walachia ad Danubium pertinet, vulgo *Tranfalpina*, à Bonfinio vero aliifque *Montana*, à Græcis hodiernis *Ungrovlachia*, olim vero *Βλαχία* nominata. Sic igitur vocabuli Daciæ hodie faltem in Moldavia veftigium apparet: quæ vox, ut dixi, corrupta ex *μαύρη Δαϐία*: quod *Nigram Daciam* fonat, ficut & vocabulum Turcicum denotat *Daniam* five *Gdaniam Nigram*, & recentius Græcorum, *Nigram Walachiam*, ob largiffimum nigri frumenti inibi proventum. Daci vero cum Danis, Dais, Davis iidem. Hæc fere nos docuit Leunclavius. *Virdungus.*

3 *Tot militares viri*] Ego dubito an non, *tot militares numeri.* Atqui de *Cohortibus* jungit. Ita, fed illos Romanos intellegit; has Sociales. *Lipfius.*

*Tot militares viri*] Legendum videtur *vici.* Supra 12. Ann. 38. *Ac ni cito vicis & caftellis proximis fubventum foret; copiæ tum occidione occubuiffent.* 14. Ann. 30. *Præfidium pofthac impofitum victis, excifique luci, fævis fuperftitionibus facri.* 5. hiftor. 30. *Tantumque belli fuperfuit, ut præfidia cohortium, alarum, legionum modicis vicis quadripartita Civilis invaferit.* Gronovius.

4 *Hibernis legionum*] De his vide Lipfium 5. de mil. Rom. Dial. s. Cafaubonum in Adrianum Spartiani, Scaligerum in Mofellam Aufonii, Savaronem ad illum verfum Sidonii, *Cernere jam videor quæ fint tibi, Burge, futura.* Pet. Pithæum Adverf. s, 14. *Virdungus.*

5 *Cum inertia & formidine eorum*] Languidum hoc nec fatis Latine: fcribe, *cæterorum.* Grutius.

6 *In ipfam gloriam præceps agebatur*] Mirum loquendi genus, quo, nifi fallor, fignificatur Agricola his quidem rebus gloriam maximam confecutum fed fibi exitialem: ut qui præcipites aguntur, in exitium fuum ruunt. *Virdungus.* Gloria igitur & difcrimine pariter circumfufus eft. Denotat enim hic illud, *impulfa præceps immane ruina*, ut loquitur Juve-

42 Aderat jam annus quo proconsulatum [1] Asiæ & Africæ sortiretur, & [2] occiso Civica nuper, nec Agricolæ consilium deerat, nec Domitiano exemplum. Accessere quidam cogitationum principis periti, qui *iturusne esset in provinciam* ultro Agricolam interrogarent. ac primo occultius *quietem & otium* laudare, mox *operam suam in approbanda excusatione* offerre: postremo [3] non jam obscuri, suadentes simul terrentesque, pertraxere ad Domitianum. [4] qui paratus simulatione, in arrogantiam compositus, & audiit preces excusantis, & cum annuisset, agi sibi gratias passus est: [5] nec erubuit beneficii invidia. [6] salarium tamen proconsulari solitum offerri, & quibusdam à se ipso concessum, Agricolæ non dedit: sive offensus non petitum, sive ex conscientia,

Juvenalis Sat. x. *Boxhornius.*

1 *Asia & Africa*] Non potest, ut sortitus fuerit utrumque simul, nec ferunt Romani mores. Scribo, *Asia aut Africa.* Lipsius.

*Asia Africa*] V.C. habet, *Asia & Africa.* Sed Danesius, *Asia aut Africa.* Ursinus. Rectum est, *Asia & Africa.* Dixi ad lib. 3. Ann. 32. *Mercerus.* Lipsius legit, *Asia aut Africa.* At Mercerus ait, recte se habere vulgatam lectionem. nam *Asiam & Africam sortiri*, significat, sorte ducere, utram earum regeret. *Pichena.* Non ferunt Romani mores, ut curæ unius proconsulis Asia & Africa demandentur: nec noster (ut reris) doctissime vir hæc asserit: quinimo mens ejus hæc fuit, unum utriusque provinciæ candidatum esse potuisse, non item proconsulem: quæ alibi ab eo repetita amovent omnes tricas. lib. 3. ann. *neque multo post missis ad senatum literis, Tiberius motam rursus Africam incursu Tacfarinatis docuit, judicioque patrum deligendum proconsulem gnarum militiæ, corpore validum, &c.* Salmerius.

2 *Occiso Civica*] Sueton. Dom. 10 *complures Senatores, & in his aliquos Consulares interemit, in quibus Civicam Cerealem in ipso Asiæ proconsulatu.* Savilius. Agricolæ ergo consilium suppetebat, munus periculosum recusandi: si vero in provinciam profectus esset, Domitiano exemplum non deerat, ipsum occidendi. *Pichena.*

3 *Non tam obscuri suadentes*] Emendavi, *non jam obscuri.* Rhenanus.

4 *Qui paratus simulatione, in arrogantiam compositus*] Non possum, quin dicam quod sentio. Quid est illud, *paratus simulatione?* Mala, si quid judico, interpunctione laborat elegantissimus locus. Itaque legi potius velim. *Qui paratus, simulatione, &c. Paratus*, nempe Domitianus, excusationem Agricolæ audiit & admisit. Nam *cogitationum principis*, ut paullo ante loquutus est Tacitus, periti suaserant, ut proconsulatum Asiæ aut Africæ se aditurum excusaret. Si hæ jam ante fuerint Principis cogitationes, paratus audiit Agricolæ excusationem. *Simulatione in arrogantiam compositus* est Domitianus, qui ut lubenter audire cupiebat Agricolam se excusantem in honore, quem judicia omnium & vota ei decernebant; imo ad excusationis ejus necessitatem eum per suos impulerat; ita, quo id tegeret, illubentem & invitum & ut iratum se admittere excusationem gestu & verbis ad tristem arrogantiam compositis, indicabat. *Boxhornius.*

5 *Nec erubuit beneficii invidia*] Sensus est: Non erubuit permittere, ut insignem injuriam Agricola tanquam beneficium agnosceret acciperetque. Illustratur hic locus à Seneca de Benef. 4, 17. *Quis est qui non beneficus videri velit? qui non inter scelera & injurias opinionem bonitatis affectet? qui non ipsis quæ impotentissime fecit, speciem aliquam induat? velit quoque iis videri beneficium dedisse, quos læsit? gratias itaque agi sibi ab his, quos afflixere, patiuntur.* Pichena.

6 *Salarium tamen proconsulari*] Nihil magis ad hujus loci lucem (ut ne ab alto aut longinque petam) quam quæ Dio Cassius in Fragmento rerum Macrini conscripsit. Ait *Aufidium Frontonem, neque Africa Proconsulatu donatum à Macrino, etsi sortitus eam esset, neque item Asia.* & addit: Τότε μὲν ἐσχημένον γέρας, καὶ οἴκοι μένοντι αὐτῷ, τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας, δοθῆναι ἐσηγήσατο. Οὐ μέντοι καὶ ἐκεῖνος αὐτὰς ἔλαβεν, εἰπὼν, οὐκ ἀργυρίου, ἀλλ' ἡγεμονίας δεῖσθαι: *Adjunctum tamen salarium, etiam domi manenti ipsi, viginti quinque myriadas drachmarum, dari statuit. quod ille non accepit, dicens non pecunia sed imperii honorisque se egere.* Vides retineri solitos: vides Salarium tamen accipere; vides & ipsam summam, serio notandam. Ea est *decies* HS. sive xxv. millia Philippicum. *Lipsius.*

*Salarium*] Τὸ διδόμενον εἰς τροφὴν, σιτηρέσιον, ὀψώνιον: unde Cujacius etymon hujus vocabuli petitum it, quod scilicet salaria percipientes inde se alant: sed rectius à Sale deducamus; ut sit pecunia ad salem, sicut *vasarium* ad vasa, *congiarium* ad congios, *calcearium* apud Sueton. ad calceos, *vestiarium*, apud Senecam, ad vestem, &c. Sane enim Salis appellatione συνεκδοχικῶς, quicquid ad victum, aliquando comprehendi puto. Sic enim Plautus: *Hodie nunquam apud me delinges salem*, id est, ut idem alibi loquitur, *hodie apud me Genium tuum meliorem non facies.* Et hinc *consalani* in veteri Glossario, quos hodie vulgus *Commensales* appellat. *Salarium* igitur dictum, quod pro sale dabatur magistratibus. Nam & antiquitus instituti quidam ministri erant, qui ligna salemque magistrati-

bus

ſcientia, [1] ne quod vetuerat videretur emiſſe. Proprium humani ingenii eſt, [2] odiſſe quem læſeris: Domitiani vero natura præceps in iram, & [3] quo obſcurior, eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolæ leniebatur. quia non contumacia, neque inani jactatione libertatis, famam fatumque provocabat. [4] Sciant quibus moris illicita mirari, poſſe etiam ſub malis principibus magnos viros eſſe: obſequiumque ac modeſtiam, ſi induſtria ac vigor adſint, [5] eo laudis excedere, [6] quo plerique per abrupta, ſed in nullum reipublicæ uſum, [7] ambitioſa morte inclaruerunt.
Finis vitæ ejus nobis luctuoſus, amicis triſtis, extraneis etiam ignotiſque non sine 43
cura fuit. Vulgus quoque, & hic [8] aliud agens populus, & ventitavere ad domum, & per fora & circulos locuti ſunt: nec quiſquam audita morte Agricolæ, [9] aut lætatus eſt, aut ſtatim oblitus eſt. Augebat miſerationem conſtans rumor, *veneno interceptum*. [10] Nobis nihil comperti affirmare auſim: ceterum per omnem valetudinem ejus, crebrius quam [11] ex more principatus per nuntios viſentis, & libertorum primi,

bus iter facientibus præberent, iique Parochi dicebantur. Horatius: *parochi quæ præbent ligna ſalemque.* Virdungus.

1 *Ne quod vetuerat*] Scil. adire provinciam ſuam. *Savilius.*

2 *Odiſſe quem læſeris*] Seneca II. de Ira: *Hoc habent animi magna fortuna inſolentes, quos læſerunt & oderunt.* Lipſius.

3 *Quo obſcurior; eo irrevocabilior*] Obſcura enim diſſimulataque ira, placari ac mitigari ab aliis non poteſt. Idem fere dixit de Tiberio I. Ann. *In Haterium ſtatim invectus eſt: Scaurum, cui implacabilius iraſcebatur, ſilentio tramiſit.* & hiſt. 3. *inde graves ſimultates, quas Antonius ſimplicius, Mucianus callide, eoque implacabilius nutriebat.* Pichena.

4 *Sciant quibus moris illicita mirari*] Periodus undequaque perfecta, quæque Taciti conſilium nobis repræſentat: cujus ingenium pronius quidem in libertatem, ſed præfractos & inanes ſpiritus nunquam laudavit. 4 ann. *an ſit aliquid in noſtris conſiliis, liceatque inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum.* quod etiam factitatum Thraſeæ delicio libertatis. Is enim compeſcuit Ruſticum plebis Tribunum, qui gloriæ ſtimulis impulſus, interceſſionem parabat. 16. ann. *ne vana & reo non profutura, interceſſori exitioſa inciperet.* quid ſi in comparationem ſoceri, ipſum quoque Thraſeam perſtringit? cujus quidem morte nil libertati conſultum. *Sed in nullum rei poſt uſum.* Salinerius.

5 *Eo laudis excedere*] Malo, *accedere*, vel potius *eſcendere.* Sequentia hujus comprehenſionis parum integra cenſeo. *Lipſius.*

*Eo laudis excedere*] Malit Lipſius, *accedere*, vel potius *eſcendere.* Ego vulgatum nolim mutari. *Acidalius.*

6 *In nullum rei poſt uſum*] Non diſplicet junctim & quaſi compoſite, *poſt uſum.* Id eſt, morte ea nec in poſterum aliquid conſuluiſſe, vel utiliter præſtitiſſe. Mercero placebat: *in nullum reipublicæ uſum.* ingenioſe, & fortaſſe vere. *Lipſius.*

*Quo plerique per abrupta, ſed in nullum rei poſt uſum*] Scribendum ex V. C. *Sed in nullum Reipublicæ uſum.* Urſinus. Malim, *nullum Reipublicæ uſum.* Mercerus. Olim emendavi *nullum reip. poſt uſum.* Corrupte vulgo, *ſed in nullum rei poſt uſum.* Idque etiam Mercero in mentem venit. *Pichena.* Poſt hæc verba, *quo plerique per abrupta*, deeſſe alia cenſeo, non tam quæ horum ipſorum ſenſum expleant, (nam hic ſubaudiri aliquid Taciti more fortaſſe debet) ſed quæ ſequentium ſint velut vinculum, quo præcedentibus meliore ſtructura cohæreant. Sed mihi etiam aliter olim conſuli huic loco poſſe viſum eſt. Inſerebam duas ſaltem voculas: *quo plerique vix, qui per abrupta, ſed in nullum rei poſt uſum.* De cetero, Muretus illud *poſt uſum*, quod ego ſimilibus multis exemplis elegans puto, mutabat, ſcribebatque, *in nullum reip. uſum.* Acidalius. Alii *rei poſt uſum.* Mercerus & Pichena *reipub. uſum.* Male: *rei poſt:* id eſt, accuſati poſt & damnati. nec enim quærebatur de exitu reorum cum unus eſſet. *Gronovius.*

7 *Ambitioſa morte*] Helvidii inprimis & Thraſeæ, ut ego quidem explicandum reor; quem Martialis etiam epigrammate ad Decianum præcipue notat;

*Quod magni Thraſea, conſummatique Catonis*
*Dogmata ſic ſequeris, ſalvus ut eſſe velis, &c.*

Savilius.

8 *Alius agens populus*] Caſtigavimus, *aliud agens pop.* Rhenanus. Aliud agentem populum appellare videtur de publicis rebus nihil curantem, ſed ſuis negotiis intentum. *Pichena.*

9 *Aut lætatus eſt, aut ſtatim oblitus eſt*] Alterutrum *eſt* delendum. De poſteriore ita voluerat Muretus. *Acidalius.*

10 *Vobis nihil comperti affirmare*] Quum toto libello neminem alloquatur tamquam ad quem ſcripſerit, mutavi *vobis* in *nobis.* Rhenanus. Salluſt. in Jug. *de his haud facile compertum narraverim.* Pichena. Periit hic quoque vocula: *nobis nihil comperti, quod affirmare auſim.* Acidalius.

11 *Ex more principatus*] Legendum eſt, *principis.* Urſinus. Quis tam aliud agens, qui *principis* legendum

primi, & medicorum intimi venere: five cura illud, five inquisitio erat. Supremo quidem die momenta deficientis [1] per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente sic accelerari, quæ tristis audiret. [2] Speciem tamen doloris animo vultuque præ se tulit, [3] securus jam odii, & qui facilius dissimularet gaudium quam metum. Satis constabat [4] lecto testamento Agricolæ, quo coheredem optimæ uxori & piissimæ filiæ Domitianum scripsit, lætatum eum, velut [5] honore [6] judicioque: tam cæca & corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret à bono patre non
44 scribi heredem, nisi [7] malum principem. [8] Natus erat Agricola [9] Cajo Cæsare tertium consule Idib. Juniis: excessit [10] sexto & quinquagesimo anno, decimo Kal. Sep-

dum non animadvertat? notaverat Muretus etiam. *Acidalius.*

1 *Per dispositos cursores nuntiata constabant*] Reposuimus, *constabat.* Apparet Domitianum non fuisse tum Romæ sed in Albana villa, aut alibi. *Rhenanus.*

2 *Speciem tamen doloris animo vultuque*] Nihil hic muto, sed quæro, quid phraseos, *animo præ se ferre speciem doloris?* Si dices ad vocem *animo* aliud quod verbum subintelligi, quis sensus, aut quomodo verum, dolorem vel doloris saltem speciem animo concepisse Domitianum, qui morte Agricolæ maxime lætabatur? Potest legi, *speciem tamen doloris omnino vultu præ se tulit.* Sed nolo mutari. Sic enim accipere debemus, vultu simulasse animi dolorem. Et eodem modo 1. histor. hæc junxit: *sed plurimum trepidationis in publico, ut quemque nuntium fama attulisset, animum vultumque conversi.* Ubi vocem *animum* pariter non convenire argueris: nisi Tacito loquendi illa consuetudo. *Acidalius. Speciem doloris* intelligo imitamentum & simulationem, at non ipsum affectum dolendi. Sed animo nulla, opinor, simulatio præ se fertur, sed exterioribus tantum judiciis. animus enim una ut facie sit necesse est, quamvis interim per externa personam ei possit induere. deinde quis dixerit Tacito quid simulator iste ferret *animo?* Suspicer idem vitium oblatum huic loco, quod alteri cuidam quem in notis ad Florum 4. 11. olim emaculavimus, ut legendum sit: *Speciem tamen doloris amictu vultuque præ se tulit.* Freinshemius. Non mutanda videtur lectio vulgata. Nulla quidem simulatio animo proprie præ se fertur; interim tamen animus vultu & exterioribus gestibus simulatur, ut alius esse, quam est, credatur. Et sic Domitianum speciem doloris animo vultuque præ se tulisse, recte dici existimaverim; non quod se dissimularet animus, sed quod vultu dissimularetur. *Boxhornius.* Forte: *mimo.* Gronovius.

3 *Securus jam odii*] Id est, qui odium non curatet, facile jam deponeret, ut in mortuum: ideoque & doloris affectum facile induit. *Lipsius.*

*Securus jam odii*] Ob eas, quæ in Agricola elucebant, virtutes. *Savilius.* Odii causa, metus virtutum. At mortuo Agricola evanuerat odium, successerat gaudium. *Pichena.*

4 *Lecto testamento*] Intellige honorifica verba de Domitiano Cæsare testamento inserta. *Rhenanus.* Abstinentissimus olim Domitianus; legatur Sueton. c. 9. *Barclajus.*

5 *Honore*] Similiter apud Sueton. de Augusto legimus, eum, quamvis minime appeteres hæreditates, ut qui nunquam ex ignoti testamento capere quicquam sustinuerit, amicorum tamen suprema judicia morosissime pensitavisse: neque dolore dissimulato, si parcius, aut citra honorem verborum, neque gaudio, si grate pieque quis se prosequutus fuisset. Unde discimus, honorificum fuisse, aliquid ex amici testamento capere, ut contra inhonestum ac turpe præteriri. Hinc Cicero pro P. Quinctio, institui hæredem*, summum honorem usurpat; & pro A. Cæcina, Usumfructum legatum, magnum honorem. Atque hinc vulgo *Honorati*, id est, Legatarii. Plura alii. *Virdungus.*

6 *Judicioque*] Notum est, testamentum *supremum judicium* dici in libris Juris, & apud alios: ut in dicto Suetonii loco. Sic Apulejus in Apologia: *De pietate sua & supremo judicio nihil metuerent.* Et causa est, quod si unquam homo, tunc certe ad judicii lancem omnia exigit. Præclare Seneca lib. 4. de benef. 11. *Quid quum in ipso vitæ fine constituti sumus, quum testamentum ordinamus, non beneficia nobis profutura dividimus, &c.* Idem.

7 *Malum principem*] Hæres enim malus princeps scribitur, non quia amatur, sed quia metuitur. *Boxhornius.*

8 *Natus erat ter consule*] Legendum est, *tertium consule.* Ursinus.

9 *Cajo Cæsare tertium consule*] A. U. 792. qui fuit annus æræ Christianæ Dionysianus XL. Mundi vero 3989. Eo enim anno C. Caligula tertium consulatum solus init Lugduni, quum collega, qui Romæ inire debebat, fato functus esset. Auctor Dio Coccejus lib. 59. Histor. Rom. *Virdungus.*

10 *Sexto & quinquagesimo anno*] Stricte computum si ineas, quarto tantum supra quinquagesimum anno. Ab illo enim, quo Cajus Cæsar III. Cons. fuit tempore usque in collegæ & Prisci consulatum, anni tantum numerantur quinquaginta tres. Sed familiaris Tacito aliisque historicis error est calculi plusculum excurrentis. *Savilius.*

1 *Col-*

Septemb. [1] Collega Priscoque Consulibus. Quod si habitum quoque ejus posteri noscere velint, [2] decentior quam sublimior fuit. [3] nihil metus in vultu; gratia oris supererat. [4] bonum virum facile crederes, [5] magnum libenter. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integræ ætatis ereptus; [6] quantum ad gloriam longissimum ævum

1 *Collega Priscoque Coss.*] Anno 846. ab U. C. Sed hi Coss. alibi aliter notantur: In libro Cuspiniani, Collega & Priscinius: in Fastis Græcis, Pompejus & Priscinus: apud Cassiodorum, Silvanus & Priscus. Vide Onufrium Comment. in lib. 2. Fast. ubi plura de Pompejo Collega & Corn. Prisco Coss. hujus anni cognitu digna adfert. *Virdungus.*

2 *Decentior quam sublimior*] Plus venustatis, quam majestatis ore prætulit, vultu venusto magis, quam pulcro & pompali fuit: sive totus venustior quam pulcrior fuit. *Idem.* Mediocris & vulgaris staturæ, sed tamen congruentis. *Decens* hic est, cui σώματ@- συμμετρία. *Boxhornius.*

3 *Nihil metus in vultu*] Hoc est, non erat adspectu terribilis, ut Domitianus: cui superbia in vultu, ira in oculis, &c. Imitatio Ovidiana lib. 2. Metam. 857. de Jove in Taurum converso. *Nulla in fronte mina, nec formidabile lumen: Pacem vultus habet.* Virdungus.

4 *Bonum virum facile crederes*] Et te Corneli Tacite bonum historicum facile credimus, bonum Oratorem crederemus libenter, nisi hæc & alia istius notæ ex penu corruptæ eloquentiæ proderent infectum dicendi genus. *Fuit illi viro*, scribit 13. ann. de Seneca, ut nobis de ipso judicare proclive est, *ingenium amœnum, & temporis illius auribus accommodatum.* Sed quo sermone caperetur illud ævum, Asiaticone an Laconico, statuere non possum. Sed certus sum tulisse Sophisticam eloquentiam, verborum lasciviis fractam & velut in rhythmos diffluentem, solidi sensus & rerum inopem, quas tamen rumor orationis velut mentiebatur. Talem Rhetoricam Græcia fovit Scholastica declamandi consuetudine sub magistris, hominibus umbraticis, neque per humile depressumque ingenium luci rerum assuetis. Præivit huc Gorgias, ut pauca ejus, quæ extant, fidem faciunt: quem sequitur Isocrates, & ab ejus incude alii. Sed illud spuriæ facundiæ genus ab iis rejectum, quibus sanius de genuino judicium erat. Sedem in Asia, ubi subsisteret, invenit & faciles quibus immigraret admittentium animos, donec vera Oratoria Remp. destituit, umbraque sui tantum in Scholarum exercitiis superstes, locum fecit priscis eloquentiæ probris in usum denuo emergentis. Inde post illa quæ solide elaborata dedit Demosthenes, Æschines, Hyperides, dilata ad nos inflati sermonis pigmenta in Aristide, Philostrato, Dione Chrysostomo aliisque: non tamen sine eorum laude qui istis vitiis intacti perstiterunt, quales Dionysius, Lucianus & similes. Veteres Romani delibato Græciæ flore, cum in summo consisteret ejus elegantia, vix exciderunt hic in vitium, nisi in istum gregem unus fortasse cogendus Hortensius sit; ut Cicero eum describere videtur in Bruto. Sed ex illis, quos consecuta deinde tempora tulerunt, quem non afflavit ista sermonis lues? cujus Seneca, Quintilianus, Plinius, Tacitus auctores; propagati in panegyricos velut successores, & tandem in ipsa Christianæ religionis mysteria translati per Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Bernardum &c. Ecce in Tacito affectationis hujus specimen 1. hist. 1. *rara temporum felicitate ubi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet.* cap. 15. *Secunda res acrioribus stimulis animos explorant, quia miseria toleramur, felicitate corrumpimur.* cap. 40. *Nec illos priores & futuri principes terruere, quo minus facerent scelus, cujus ultor est quisquis successit.* cap. 48 *quatriduo Cæsar properata adoptione, ad hoc tantum majori fratri prælatus ut prior occideretur.* cap. 63. *queque alia placamenta hostilis iræ non quidem in bello, sed pro pace tendebantur.* cap. 65. *Uno amne discretis connexum odium.* cap. 82. *redieruntque in castra inviti neque innocentes.* 2. histor. 60. *Vitellius credidit de perfidia & fidem absolvit.* 3. histor. 72. *arserat & antea capitolium, sed fraude privata, nunc palam obsessum, palam incensum.* Et plura hujus commatis alia. *Savilius.*

5 *Magnum libenter*] Hoc est, probitas quidem Agricolæ è primo aspectu statim elucebat: eundem si quis tibi virum magnum rebusque gestis clarum prædicaret, libenter assentire. Nam de viris bonis nihil tam magnificum commemorari potest, quin id libenter admittamus. Notanda autem est differentia inter *bonum* & *magnum* virum eadem fere, quæ est inter *venustum* & *pulchrum.* Itaque qui revera magnus est, idem & bonus sit necessum est: at non qui bonus, idem statim & magnus est: quamvis vice versa Demosthenes alicubi pronunciet: οὐ τὸ μέγα εὖ, ἀλλὰ τὸ εὖ μέγα: *non quod magnum bonum, sed quod bonum magnum.* Sed Aristoteles cæterique Philosophi id demum magnum esse docent, quod cum virtute conjunctum. *Virdungus.* Bonum virum facile Agricolam crederes, quia in eo gratia oris supererat; magnum libenter, quia & in eo elucescebat gravitas obvia quadam comitate temperata. *Boxhornius.*

6 *Quantum ad gloriam longissimum ævum peregit*] Allusum est ad id quod scribit Cic. 1. Philipp. *mihi fere satis est, quod vixi, vel ad ætatem, vel ad gloriam.* Barclajus Non hinc abludit dictum Alexandri Magni ad amicos apud Curtium lib. 9. *Verum ego, qui non annos meos, sed victorias numero, si munera fortunæ bene computo, diu vixi.* Sed neque istud M. Tullii ex 1. Tusc. *Nemo parum diu vixit, qui*

ævum peregit. Quippe & vera bona, quæ in virtutibus sita sunt, impleverat, & Consularibus ac triumphalibus ornamentis prædito, quid aliud adstruere fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat, speciosæ contigerant. filia atque uxore superstitibus, potest videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus & amicitiis futura effugisse. [1] Nam sicuti *durare in hac beatissimi sæculi luce, ac* [2] *principem Trajanum videre*, [3] augurio votisque apud nostras aures ominabatur: ita festinatæ
45 mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo & [4] velut uno ictu rempublicam exhausit. Non vidit Agricola obsessam curiam, & clausum armis senatum, & eadem strage [5] tot consularium cædes, tot nobilissimarum [6] feminarum exsilia & fugas. [7] Una adhuc victoria Carus Metius censebatur, & [8] intra Albanam villam senten-

*virtutis perfectæ perfectè functus est munere.* Et quod ex Posidonio profert Seneca epist. 79. huc aptari potest, *Unum diem hominum eruditorum plus patere quam imperiti longissimam ætatem.* Ad cujus loci interpretationem vide, quæ ex Sacris Litteris, & Philone annotarunt viri docti. *Virdungus.*

1 *Nam sicuti durare in hac beatissimi sæculi luce*] Legendus hic locus ex v. c. *Nam sicuti magnæ cujusdam felicitatis esse, durare in hac beat. sæculi luce.* Ursinus. Lego, *durare in hanc beat. sæculi lucem.* Acidalius.

2 *Principem Trajanum videre*] Per vaticinii, non colloquii modum. tempore enim Domitiani nulla se dabat istius successionis spes. *Savilius.*

*Videre ominabatur*] Mirum si tot annos ante præsagiit? nec de Trajano ulla spes aut suspicio; nisi si Deus mentem illi movit, aut nostro scriptori Blanditia. quod non solet. *Lipsius.*

3 *Quod augurio votisque*] Expunximus pronomen *quod*, ut cohæreat sententia. *Rhenanus.* Libri veteres constanter addunt vocem, *quod*; sustulit Rhenanus tanquam supervacuam. Sed si alio sensu hæc interpretemur, fortasse necessaria censebitur ut scil. verba, *durare* & *videre*, respiciant quod sequitur, *solatium tulit.* Sic igitur hunc locum construendum & interpretandum puto: Nam sicuti durare in hac beatissimi sæculi luce ac Principem Trajanum videre (quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur) grande solatium Agricolæ fuisset, ita festinata mors illud ipsum grande solatium ei attulit. Aliorum tamen sit judicium. *Pichena.*

4 *Velut uno ictu*] Sic de Caligula: Seneca de Ira 3, 19. *homo qui de toto Senatu trucidando cogitabat: qui optabat, ut populus Ro. unam cervicem haberet, ut scelera sua tot locis ac temporibus diducta, in unum ictum & unum diem cogeret.* Pichena.

5 *Tot consularium cædes*] Nempe Civicæ, Cerealis, Salvidieni, Orphiti, Acilii Glabrionis, Ælii Lamiæ, Salvii Coccejani, Metii Pomposiani, & Sallustii Luculli, Suetonius auctor. *Rhenanus.*

6 *Feminarum exsilia*] Ex hisce Plinius junior lib. 3. epist. ad Jul. Genitorem nominat Arriam, Gratillam & Fanniam: & hujus quidem historiam pluribus exsequitur lib. 7. ep. 19. *Virdungus.*

7 *Una adhuc victoria charus nuncius censebatur*] Emendavi, *Carus Metius.* Hic è numero delatorum unus fuit apud Domitianum, sed omnium sceleratissimus. Ejus meminit Plinius Nepos ep. 5. lib. 1. item lib. 7. ep. 19. & ep. 27. Cari mentionem faciunt Juvenalis & Martialis. Cæterum quænam fuerit ista prima victoria, & adversus quem, nondum reperi. id quoque non omittendum, verbum *censebatur* hic elegantissime positum esse pro æstimabatur, sive existimationem nactus erat, quemadmodum & alibi Tacitus usurpat. *Rhenanus.* Carus & Messalina Domitiano instrumenta crudelitatis; ut & postmodum Massa Plin. lib. 1. ep. 11. & 4. ep. 22. Juvenalis. *Savilius.* Quænam (quæso) illa victoria, qua jam inter distinctos accusatores cœperat haberi? an delatio & perversio Herennii Senecionis? Plin. 1. ep. 5. *lacerat Herennium Senecionem tam intemperanter quidem, ut dixerit ei Metius Carus, quid tibi cum meis mortuis?* nequaquam Tacit. *mox nostra duxere Helvidium in carcerem manus, &c. nos innocenti sanguine Senecio perfudit.* Cæterum τὸ *censebatur* eadem significatione, qua apud lectos. Instit. *videmus etiam cætera quoque animalia istius juris peritia censeri*: qua apud Juvenalem Sat. 8.

*Stemmata quid faciant? quid prodest Pontice longo*
*Sanguine censeri?*

Ibid. v. 74. *sed te censeri laude tuorum Pontice noluerim.* Quoque apud Martialem. *Censetur Aponi Livio suo tellus.* Salmerius.

8 *Intra albanam villam*] Veteres editiones, *intra albanam arcem villam*, opinor *villam* glossematium esse: & germanum, *Albanam arcem.* Certe Domitianus delectatus eo loco, eumque habuit velut arcem. Dionis compendium: Τῦτο τὸ χωρίον ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ Ἀλβανὸν, ἀφ᾽ ὅπερ ἦτως ὠνομάσθη, ὃν ὥσπερ τινὰ ἀκρόπολιν ἐξείλετο. Pichena vellet; *intra Albanam arcem nulla sententia*: quasi dicat, nondum tunc auditum ibi Messalinum. Ego putarem dicere, quod adhuc intra Albanam arcem, non in Senatu & publico, calumniator ille audiretur. At pestes illas hominum, & districtos ejus ævi accusatores, Plinius passim nominat. etiam Sidonius:

Id-

ſententia Meſſallini ſtrepebat, & Maſſa Bebius [1] jam tum reus erat. [2] Mox noſtræ duxere

*Hi ſunt quorum comparatione digitum tollerent Narciſſus, Aſiaticus, Maſſa, Marcellus, Carus, Parthenius, Licinius.* Juvenalis.

——— *quem Maſſa timet, quem munere palpat Carus.* Lipſius.

*Intra Albanam arcem vilam*] Reſtitui in hunc modum, *intra Albanam villam.* nam mihi doctus quiſquam accuſativum *arcem* adjeciſſe videtur. cui non placebat *villa.* At ſolitus fuit Domitianus patres aliquando in Albanam villam in conſilium convocare. Eo loco Corneliam Veſtalem inceſti damnatam refert Plinius 4. ep. XI. *Seceſſum Albanum* Suetonius appellat, & alii. Porro *Meſſalinus* cujus hic fit mentio Tacito, delationes apud Domitianum factitavit, adulationis & calumniarum nomine principi gratiſſimus. Eum graphice & ſuis vere coloribus depingit Plinius Nepos 4. ep. 22. Hunc *Catullum Meſſalinum* à Juvenale notari putant eruditi Sat. 8. & 13. Nam illum exagitabant occiſorum manes, nec uſquam quieſcere ſinebant. Quod autem hic dicit Tacitus, *intra Albanam villam ſententia Meſſalini ſtrepebat*, innuit, dum adhuc viveret Agricola, nec permiſiſſe Domitianum, neque Meſſalinum auſum fuiſſe publice quemquam accuſare, quod poſtea fecit, ſed tum ſecretius, nempe in Albano receſſu. *Rhenanus.* Libri veteres addunt, *arcem vilam*, unde Rhenanus arbitrario jure, *arcis* nomine deleto, *villam*, retinuit. Et ſane antiqui, aut arcem, aut villam Albanam vocitarunt. Ego etſi *arcem* repoſui, tamen alteram vocem potius puto corruptam, quam ut gloſſema additam. & ſuſpicor legendum: *& intra Albanam arcem nulla ſententia Meſſalini ſtrepebat.* Scio vulgatæ lectionis ſenſum eſſe. Meſſalini ſententias tunc intra Albanam arcem tantum latas, & quaſi in occulto, ſed deinde in ipſa urbe Roma paſſim & palam auditas. Verum cum non ad perniciem ruſticorum, ſed civium Romanorum, ejuſmodi ſententiæ pertinerent, quid referebat, an intra villam, an in medio foro latæ eſſent? Item pro eo ſenſu non conveuit, *ſententia*, ſingulari numero: neque dixiſſet, *ſtrepebat*, immo potius, *ſe continebat.* Recte ergo ad auctoris mentem videtur emendatum, *nulla ſententia.* Nam Tacitus, ut exemplis confirmet, felicem Agricolam obiiſſe, oſtendit eo tempore nullam fere Domitiani ſævitiam auditam. Ideo ait, Carum Metium, pernicioſiſſimum mox accuſatorem, unum tantum reum tunc oppreſſiſſe: Adhuc intra arcem Albanam, quo Domitianus ſæpiſſime ſe recepit, ac ſæva multa machinatus eſt, nullam ſententiam à Meſſalino latam, at poſtea multas: Atque ipſum Maſſam Bebium, qui inter acerrimos accuſatores connumeratus eſt, tunc inter reos fuiſſe. Hujus Bebii Maſſæ mentio hiſt. 4, 50. *Pichena.* *Intra Albanam arcem villam.* Utrum horum mavis audacter opta, nec time caſtigationem. Plin. 4. ep. 2. *reliquos Pontifices non in regiam, ſed in Albanam villam convocavit.* Juvenalis: *Quos Albanam dux magnus in arcem Traxerat.* Salmerius. Operoſiſſimam illam domum Domitiani, quam tot Epigrammatis Martialis magnificat, & *Parrhaſiam aulam* vocat; Joſephus Scaliger Anim. in Chronicon Hieronymi, non aliud fuiſſe putat, quam ſpeciem Septizonii (moles autem alias aliis ſuperſtructas eo nomine appellant) idque confirmat illis poetæ verſibus:

*Septenos pariter credas conſurgere montes*
*Theſſalicum levior Pelion Oſſa tulit.*

Virdungus.

1 *Jam tum reus erat*] Qui damnatus quidem poſtea eſt accuſantibus Bæticis. ut diſces ex Plinii epiſtola ult. lib. VII. *Lipſius.*

*Jam tum*] Forte *etiam.* Gronovius.

*Reus erat*] De repetundis agente Bætica Provincia, Senecione & Plinio accuſantibus, ut idem Plinius l. 7. ep. 33. *Savilius.*

2 *Mox noſtra duxere*] Nam in Senatu accuſatus, & manus ibi ei injectæ ſunt, maxime & primum à quodam Certo. Plinii epiſtola legatur XIII. lib. IX. Hæc autem referenda, ne quis erret, ad *Helvidium filium*, quem Domitianus occidit (Suetonius cap. X.) cum patrem ejus ipſe Veſpaſianus. idem Sueton. Veſp. cap. XV. Sed Helvidius hic filius qua matre natus? Habuit ſane Helvidius pater *Fanniam* uxorem, filiam *Thraſeæ Pæti:* quod in epiſtola XIX. lib. VII. apud Plinium clare ſcriptum. Non tamen hæc mater, ſed noverca. & ita idem Plinius appellat epiſtola XIII. lib. IX. *Fuerat cum Arria & Fannia, quarum altera Helvidio noverca, altera mater novercæ.* Nam Fannia hæc uxor Helvidii Priſci; ut Arria uxor Thraſeæ; & ergo Fanniæ mater. Ex his liquet *Helvidium patrem*, aliam uxorem ante Fanniam habuiſſe, & ex ea prolem: etſi *Quæſtorius adhuc à Thraſea gener ſit electus*, ut lib. IV. ſcriptum. *Lipſius.*

*Noſtra duxere Helvidium in carcerem manus*] Intelligit Helvidium filium Helvidii Priſci illius à Veſpaſiano primum relegati, quod imperatoriam majeſtatem contemnere videretur, deinde occiſi. Rem prolixe narrat Suetonius. Fuit alioqui vir ſanctiſſimus, ſed nimiæ propemodum libertatis, quæ exitium illi attulit. Celebrat eum longis, ſed indubie veris laudibus Tacitus 4. hiſtor. circa princ. nec arbitror à paternis virtutibus degeneraſſe filium, quem abunde teſtatur bonum virum fuiſſe, quod à Domitiano ſit interfectus. Prætexebatur cauſa, *quod quaſi ſcenico exodio ſub perſona Paridis & Oenones divortium Domitiani cum uxore tractaſſet.* auctor Suetonius cap. 10. *Rhenanus.* Quid ſibi vult, *noſtra manus?* Nihil ſane aliud, quam Senatores à Senatoribus accuſatos fuiſſe & ad necem poſtulatos. Quod ſane atrociſſimum. Tales Publii Certi manus in Helvidium fuere. De quo Plinius 9. Ep. 13. *Inter multa ſcelera multorum nullum atrocius videba-*

duxere Helvidium in carcerem manus: [1] nos Maurici, Rusticique visus, [2] nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos; jussitque scelera, non spectavit: præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, [3] videre & aspici: cum suspiria nostra [4] subscriberentur: cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret

[1] sævus

*tur, quam quod in Senatu Senator Senatori, Prætorius Consulari, reo judex manus intulisset.* Quod à Cl. Berneggero, quem nuper magno cum nostro & bonorum omnium luctu excessisse intelligimus, apposite ad hunc locum observatum. *Boxhornius.*

1 *Maurici, Rusticique visus*] Scriptura apud me fidei fluxæ. Quo enim illud, *visus?* Nec melius tamen video: aut potius in sententiola hac nihil video. Viri ipsi mihi notiores. è quibus Mauricus, Junius est Mauricus, *quo viro nihil firmius, nihil melius*, ait Plinius lib. IV. epistolarum. Eum à Domitiano in exsilium pulsum, rediisse principatu primo Nervæ, docebit te idem lib. I. epistula 5. At Rusticum hunc, Junium Rusticum nominat Suetonius in Domitiano: *Occidit Junium Rusticum, quod Pati Thraseæ & Helvidii Prisci laudes edidisset.* Etiam lapis vetus, sive inscriptio basis:

L. IVNII. RVSTICI
PHILOSOPHI
STOICI
L. IVNIVS. L. L.
MYRINVS. P. P.

At noster Arulenum Rusticum appellat, initio hujus libelli: & Plinius epistola V. lib. I. de Regulo: *Rustici Aruleni periculum foverat, exultaverat morte, adeo ut librum recitaret publicaretque, in quo Rusticum insectatur; atque etiam Stoicorum simiam appellat.* Ut omnino nomina illi fuerint, L. Junius Arulenus Rusticus. Plinius ipse hunc velut doctorem monitoremque habuit, & in laudes ejus erumpit epistola XIV. lib. I. Etiam Plutarchus, extremo libello de Curiositate, factum ejus plenum constantiæ recensuit. Et Antoninus epistolam inseruit I. de sua vita. At Senecio, Herennius Senecio est. Plinio non semel item nominatus. Reus & interfectus fuit, quod de vita Helvidii libros composuisset, ait Plinius lib. VII. Sed vos magnæ animæ mihi salvete: quos jure miramur, colimus, factis dictisque sapientes, & legitimos robustæ porticus alumnos. *Lipsius.*

*Nos Maurici rusticique visus*] Junius Mauricus in exilium actus fuit, vir, teste Plinio Nepote, gravis, prudens, multis experimentis eruditus, & qui futura posset ex præteritis providere. Frater hujus Jun. Arulenus Rusticus damnatus capitis sub Domitiano, quod philosophiam sectaretur, & quod Pætum Thraseam laudasset. Meminit ejus Plinius epist. 5. lib. I. Sueton. Dom. *interemit Junium Rusticum, quod Pati Thraseæ & Helvidii Prisci laudes edidisset, appellaretque eos sanctissimos viros.* Rhenanus. Mauricus pulsus in exilium à Domitiano, revocatus & restitutus sub Nerva. Plin. 4. epist. 22. *Savilius.* Legendus hic locus ex v. c. *Nos Mauricium, Rustisumque divisimus.* Ursinus. Id est, dum ii nobis rapi ad supplicium viderentur:

*Ut celsas videre rates, atque inter opacum*
*Adlabi nemus, & tacitis incumbere remis*
*Horrescunt visu subito.*

*Te perfudit* oratorie quidem, sed etiam de illo dicuntur. qui cædem propriis oculis non conspexit. Valer. Max. *filii cruore paterni aspersi oculi.* Is enim M. Crassus est, coram quo filius à Parthis interfectus non fuit. Verum qui potuit Mauricus sanguine senatores aspergere, si jussu Domitiani minime cæsus? Plin. 3. ep. 11. *Cum septem amicis meis aut occisis, aut relegatis: occisis Senecione, Rustico, Helvidio: relegatis Maurico.* An quod exilium (ut apud JCtos D. de pœn. L. 2.) pro morte habeatur? Sallustius quidem de ea re loquens, utitur verbo extinguendi. *multos mortales ferro aut fuga extinxit.* Dixi Mauricum exilio deterritum à patria fuisse, dissuadent illa Pliniana. *Relegatis Maurico.* ἄκυρον. Ibi Plinius *relegatis:* ut lib. I. ep. 5. *is tunc in exilio erat à Domitiano relegatus.* Salmenius. Scriptura etiam apud me, uti apud Lipsium, fidei fluxæ. Ille, nihil videre melius fatetur: ego videre mihi visus sum aliquid. Censeo binas voces truncatas, alteram cauda, alteram capite, in unam illam, *visus*, coaluisse. Et scribo: *Nos Maurici Rusticique vidimus casus.* Acidalius.

2 *Nos innocenti sanguine Senecio perfudit*] Herennius Senecio occisus est à Domitiano accusante Metio Caro, quod post quæsturam nullum magistratum petisset, & Helvidii Prisci vitam composuisset laudans virum. Plinius l. I. ep. 5. & 7, 19. & 3, 11. *Rhenanus.*

3 *Videri & aspici*] Invenusta repetitio, nec homine Latino, nedum Tacito digna. Germana igitur scriptura fuerat: *videre & aspici.* Non erat sub Domitiano totus mutuus hominum aspectus: ex vultu ultro citroque culpæ hominum arguebantur. Sic Valer. Max. 2, I. *Sed pariter & videre sancte & aspici mutuo pudore custodiebantur.* Tertullianus: *Mavult fœmina videre, quam videri.* Colerus.

4 *Subscriberentur*] Accusatores porrecto libello solebant se subscribere; unde subscriptio vel inscriptio est accusatoris libellus, quo profitetur se reum deferre lege Julia de majestate vel qua alia, eumque reum à se peractum iri. Nam hoc ordine res agebatur; ducebat accusator reum in jus ad prætorem, qui lege Julia de majestate quærebat, postulabatque ut Prætor nomen ejus reciperet lege Julia, & edebat inscriptionem sua manu subscriptam: quæ quidem inscriptio in criminalibus exigebatur, ut vinciret accusatorem falsum & temerarium, pœnam daturum, si forte calumniator adparuis-

1 sævus ille vultus & rubor, à quo se contra pudorem muniebat. Tu vero felix Agricola non vitæ tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis. ut perhibent qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, *constans & libens fatum excepisti*, 2 *tamquam pro virili portione innocentiam principi donares*. 3 Sed mihi filiæque, præter acerbitatem parentis erepti, auget mæstitiam, quod assidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu, complexu, non contigit. 4 excepissemus certe mandata vocesque,

paruisset, vel in probatione defecisset. Vide Cujacium Paratit. in D. de accus. & rescript. Subscriptores antem dicebantur, qui se accusatori, qui rei nomen detulerat, subscribebant. Hinc Asconius pro Cornelio: *Detulit nomen Publius, subscripsit Cajus.* Et Cicer. epist. ad Q. Fr. *Gabinium de ambitu reum fecit P. Sylla, subscribente privigno Memmio.* Plura de Subscriptoribus vide apud Hotomannum Comm. in Divin. De Subscriptione Brissonii Lexicon & Lipsium lib. 3. c 26. de Benef. Senecæ. *Virdungus.* Quare, *suspiria subscribi.* Moris enim erat ut accusator & cum eo alii inscriberent & subscriberent nomen capitibus accusationis. Ejus imaginem repræsentat Seneca in Apocolocyntosi: *Ducit illum ad tribunal Æaci. Is lege Cornelia, quæ de sicariis lata est, quærebat; postulat, nomen ejus recipit, edit subscriptionem.* Quæ quidem ita vulgo edita restitui in hunc modum velim: *postulat nomen rei recipi.* Boxhornius.

1 *Rubor, à quo se contra*] Particulam superesse puto, & lego, *rubor quo se.* Porro de hoc Domitiani fallaci habitu, Plinius in Panegyrico: *Ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa.* Idem Suetonius cap. XVIII. Et communiter, Seneca epist. XI. *Quidam numquam magis, quam cum erubuerint, timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint. Sulla tunc erat violentissimus, cum faciem ejus sanguis invaserat.* Lipsius.

*Sævus ille vultus, & rubor*] Suet. c. 19. *vultu fuit modesto, ruborisque pleno.* Sulpicia in Satyra asserit, *album ingluvie. Non trabe, sed tergo prolapsus: & inguine albus.* Hic versus mirifice me torsit, cujus interpretationem acceptam refero Clar. V. Theod. Marcilio, qui suspicatur hic obscure tactum Domitiani somnium, quem ferunt somniasse. Suet. verba sunt c. 23. *gibbam sibi pone cervicem auream enatam*; haud dubie hac gibba non trabe prolapsus est, si ipso conjectore utamur Domitiano. *Barclajus.* Sidon. l. 1. epist. 11. formam Theodorici Gothorum Regis describens, ait: *lactea cutis, quæ propius inspecta juvenili rubore suffunditur: namque hunc illi crebro colorem, non ira, sed verecundia facit.* Pichena.

*A quo se contra pudorem muniebat*] Videtur sic dictum, ut Livianum illud lib. 8. quartæ decad. *Et ab eadem superbia non venire ad causam dicendam arguerent, qua judicium & tribunos plebis & concionem reliquisset.* Item illud lib. 1. decad. ejusdem, *tamen quia ab satisfaciendi quoque cura imperata enixe facere videt, ex præsenti eos potius quam ex præterito æstimat habitu.* Rursum lib. 6. primæ dec. *criminabantur eum infestiorem agrum ab nobilitate esse quam à Volscis fuerit.* Rhenanus. Sic Plin. in Paneg. de Domitiano. *Erat in ore impudentia multo rubore suffusa.* Utroque dicto significatur, ruborem vultus, qui solet in aliis esse verecundiæ argumentum, notam in Domitiano impudentiæ fuisse, & quamvis ruberet vultu, nullius tamen ipsum sceleris vel flagitii puduisse: imo tunc ipsum vel maxime omnem verecundiam effundere solitum, cum maxime vultum rubor occuparet. *Virdungus.*

2 *Tanquam pro virili portione innocentiam principi donares*] Id est, tanquam pro tua parte principem innocentem pronunciares. *Pichena.* Hoc est, tanquam ea constantia & animi æquitate declarares, te non violenta morte obire veneno à tyranno interceptum, sed naturam tibi vivendi finem facere ac propterea te nemini irasci, tanquam mortis tuæ auctori. Sic è contrario Germanicus queritur apud nostrum 2. Ann. 71. Ex qua querela perspicimus, quam vim habeat istud, quod Agricolæ dicitur *pro virili portione innocentiam Principi donasse*, hoc est, non questum esse de præmaturo suo obitu, & se diutius vivere potuisse, nisi scelestis insidiis circumventus esset, &c. Similem animi moderationem in Arato prædicat Polybius. *Virdungus.* Constantia tua in excipienda morte, quantum in te fuit, innocentem esse Principem, à quo veneno excessum tuum festinatum constans fama erat, persuadere conatus es. Neque enim querulus fatum excepisti, ut plerique cum ab aliis procuratum est aut violentum. *Boxhornius.*

3 *Sed mihi filioque ejus*] Scripsimus, *filiæque ejus.* nam Agricola filium pridem amiserat. & sequitur, *id filiæ quoque uxorique præceperim.* Rhenanus. In Veneto, & aliis veteribus corrupte legitur: *sed mihi filioque ejus.* Senrentia exigeret. *Sed mihi filiæque tua.* Pichena.

4 *Excepissem certe mandata*] Plane Homericum est. Ita enim apud eum Andromache lugens Hectorem:

Οὐδὲ τι μοι εἶπες πυκινὸν ἔπος, ὅ τίκεν αἰεὶ
Μεμνήμην νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσα.
*Nec mihi sermones dixisti, quorum ego semper*
*Noctes atque dies lacrymis suffusa recorder.*

Lipsius.

*Excepissemus certe mandata.*] Vulgo, *excepissem.* at scripsi, *excepissemus*, quia sensus postulat, ut ad Agricolæ quoque filiam, Taciti uxorem, referatur. nam statim sequitur, *figeremus.* forte scriptum erat,

exce-

que, quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor, nostrum vulnus: [1] nobis tam longæ absentiæ conditione ante quadriennium amissus es. [2] Omnia sine dubio, optime parentum, assidente amantissima uxore, superfuere honori tuo: [3] paucioribus tamen lacrymis compositus es, & novissima in luce desideravere aliquid oculi

46 tui. Si quis piorum manibus locus; si ut sapientibus placet, [4] non cum corpore exstinguuntur magnæ animæ; placide quiescas, [5] nosque domum tuam ab infirmo desiderio, & muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, [6] quas neque lugeri, neque plangi fas est: [7] admiratione te potius temporalibus laudibus,

*excepissem*, ut sæpe in MSS. unde facilis error. *Pichena*. Cur non *excepissemus* scribitur, ut *figeremus*? De se enim & conjuge loquitur. *Acidalius*.

1 *Nobis tam longæ absentiæ conditione, ante quadriennium amissus es.*] Lipsius ad hujus libelli principium, ex his verbis sumit argumentum temporis, quo illum Tacitus scripserit, id est, quadriennio post Agricolæ obitum. At ego aliter verba hæc intellexeram: Tacito scil videri, quoniam tempore mortis Agricolæ quadriennio abfuisset, neque illum toto eo spatio unquam vidisset, perinde sibi esse, ac si Agricola ante quadriennium mortem obiisset. *Pichena*. Ita locum hunc accipit sospitator ille Taciti; ut videatur dicere, contexuisse hunc libellum quadriennio post mortem Agricolæ. At in Suspicionibus dudum ostendi, aliud velle auctorem, ethicaque sententia pronuntiare, visum sibi Agricolam jam tunc mortuum, quo postremo ipsum vidit: ante quadriennium scilicet. Consulatur super isto adfectu Seneca epist. 63. & Consolat. ad Marciam cap. 19. Imo & ipsemet Tacit. 3. ann. 35. & 6. ann. 38. ut & 4 hist. 14. Et hæc veniebant sub acumen styli. vere ex tempore. *Gruterus*.

2 *Omnia sine dubio, optime parentum*] Ita ex Ven. restitui. Male vulgo, *optima parentum*. quasi Agricolæ uxorem hic tanquam matrem laudaret. quod valde absurdum esset, cum mox eam tamquam uxorem amantissimam laudet. At ea verba ad ipsum Agricolam referuntur, quem optimum parentem vocat. Sic Plinius Paneg. *quum tu nobis optime principum, fortissime Imperatorum, consulatum obtulisti*. Pichena.

3 *Paucioribus tamen lacrymis compositus es*] Sic histor. lib. 1. *Pisonem Verania uxor, ac frater Scribonianus, T. Vinium Crispina filia, composuere*. Horat. Sermon. 5. Sat. 9. *Omnes composui*. Id est, sepelivi. Petron. Arb. *aut præteriens aliquis nos tralaticia humanitate lapidabit, aut quod ultimum est iratis etiam fluctibus, imprudens arena componet*. Pichena. De ritu isto componendi mortuos adi If. Casaubonum ad illud Persii Sat. iv. *tandemque beatulus alto Compositus lecto*. Virdungus.

4 *Si non cum corpore, &c.*] Videtur hic loqui ex opinione Stoicorum, qui cum alias imbecilliores, alias validiores animas facerent, illas ad exiguum tempus superesse, has autem μέχρι τῆς τοῦ παντὸς ἐκπυρώσεως, usque ad illam, quam hariolabantur, universi conflagrationem dicebant, ut præter alios refert Theodoretus Serm. 5. Hinc & Cic. 1. Tusc. *Stoici usuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus: diu mansuros ajunt animos, semper negant*. Idem.

5 *Nosque domum tuam*] Restitui copulam, *que*, ex Veneto. *Pichena*.

6 *Quas neque lugeri*] Huc pertinent versus Ennii:

*Nemo me lacrimis decoret, nec funera fletum*
*Faxit, cur? volito vivus per ora virum.*

Virdungus.

7 *Admiratione te potius*] Cœnum & lutum, quod non purgo. Priora tentem: *admiratione te potius, te immortalibus laudibus*. Lipsius.

*Admiratione te potius*, &c.] Legitur in v. c. *admiratione potius, quam æmulatione decoremus*. Pro eo vero quod est in vulgatis, *militum, &c.* fortasse: *imitatione virtutum, &c.* emendatius legeretur. Ut totus locus ita legatur: *admiratione te potius, quam æmulatione, & si natura suppeditet, imitatione virtutum decoremus, &c.* Ursinus. In verbis hæreo: de sententia non ambigo: nam hoc ait, admiratione & laudibus prosequendam memoriam defuncti, &, quatenus fieri possit, similitudine morum ac vitæ. Indicant quæ sequuntur, *quam tenere & exprimere non per alienam materiam & artem, sed tuis ipse moribus possis*. Addidit, *si natura suppeditet*, quasi supergressa humanam virtutem virtus Agricolæ, sic de limitatione dearum Aristenætus: ἐκείνας ἡμῖν ὡς ἐφικτὸν ὑποκρίνεται. Hæc igitur sententia, quam effeceris è verbis, si vel legas, *simili vita decoremus*, vel potius; *imitatu decoremus*. Mercerus. Josias Mercerus vir & humanitate & doctrina plenissimus, cujus notitia nihil mihi Lutetia dedit gratius, suspicatur legendum *imitatu decoramus*. Subtilis admodum correctio. nam imitatio quoddam haud dubie genus est honoris. Alius quidam longe mihi amicissimus restituit hunc locum, primo, supplet vocem *quam*, quod fit non raro in JCtorum lib. *Admiratione te potius* (quam) *temporalibus laudibus*. Pro *militum* legere Dia Critica jubebat *moritum*: sed ne crabrones excitentur, rescribamus *mortuum*. Et totam sententiam sic *Admiratione te potius temporalibus laudibus, & si natura suppeditet mortuum decoramus*. Barclajus. Corruptus locus & meo judicio mutilus. Forte supplendum & legendum: *admiratione te potius quam temporalibus laudibus; & si natura suppeditet, imitando colamus*. Pichena. Hæc omnia μεταξυλογίᾳ. nimis

dibus, & si natura suppeditet, militum decoramus. Is verus honos, ea conjunctissimi cujusque pietas. Id filiæ quoque uxorique præceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant, [1] famamque ac figuram animi magis quam corporis complectantur. non quia [2] intercedendum putem imaginibus, [3] quæ marmore aut ære finguntur: sed ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt; forma mentis æterna, quam tenere & exprimere non per alienam materiam & artem, sed tuis ipse moribus possis. Quidquid ex Agricola amavimus, quidquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum. [4] Nam multos veterum velut inglorios

mis clarescunt, *admiratione te potius temporalibus laudibus (& si natura militum suppeditet) decoramus.* id est, nos te Agricola non imaginum honore honestabimus, quas tibi militari disciplina peperisti? is enim honos momentaneus est: sed admirando & imitando tuas virtutes: quæ res potior est, & superat temporarias illas simulacrorum laudes. *Is verus honos & conjunctissimi cujusque pietas: id filiæ quoque uxorique præceperim: sic patris sic mariti memoriam venerari: ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant, famamque & figuram animi magis quam corporis complectantur: non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore aut ære finguntur, sed ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt: forma mentis æterna, quam tenere & exprimere non per alienam materiam & artem, sed tuis ipse moribus possis.* Salinerius. Cænum & lutum hoc purgare aliqua ex parte sic Lipsius tentat: *admiratione te potius, te immortalibus laudibus.* nec progreditur ultra, Muretus *temporalibus* illud totum deleverat: credo quia censebat, priores has syllabas *tempor*, natas ex præcedentibus vocibus *te potius*: posteriores *alibus*, ex sequente *laudibus*. Ac fieri potest, ut hæc vel ipsius vel nostra conjectura vera sit. Tamen his vestigiis perduxit me fortassis ad verum. Censeo ego verbum ultimum, quodcunque est, non à particula *te*, quæ perperam inserta, sed ab ipsa voce *virtutum*, quæ præcesserat aliquo intervallo, pendere. Atque ita totum locum scripserim: *admiratione potius, & [immortalibus] laudibus, & si natura suppeditet, imitatione colamus.* Acidalius. Locus & corruptus & mutilus, cui Lipsius medicinam fecit hactenus: *admiratione te potius te immortalibus laudibus.* Videtur sensus esse: Agricolæ facta atque famam cum laude & bonis recordationibus potius, quam luctu atque lamentis esse prosequendam. *Virdungus.* Bene Lipsius, *te immortalibus laudibus*: sed & sequentia emendanda in hunc modum: *similitudine decoremus*, aut *imitatione decoremus.* Similis sensus apud Dionem Prusæensem oratione 29. & Plutarchum consolatione ad Apollonium. *Grotius.* Hæc sunt corruptissima. Quid si partim ex aliorum, partim nostra conjectura legeretur? *Nos domum tuam, ab i. d. & m. l. ad c. v. t. vocamus. quas n. l. n. p. fas est. Admiratione te potius immortalibus laudibus. & si natura suppeditet, imitatione* (vel, *similitudine*) *decoremus.* Boxhornius.

1 *Famamque ac figuram animi*] Certo *formamque* scribendum, non *famamque*, quod viderat etiam pridem Muretus. *Acidalius.*

2 *Intercedendum putem*] Videtur legendum, *interdicendum*, non, *intercedendum*, &c. Ursinus.

3 *Quæ marmore aut ære finguntur*] Cera ergo propemodum absoleverat, qua olim in imaginibus usi, & atrienses clypei ceperant formari marmore aut ære. Nam loqui Cornelium de imaginibus convincit quod sequitur, *Ut vultus hominum ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis æterna.* Confessum enim est imagines nihil aliud fuisse quam expressos vultus. De ære superstes præsens est Papinius 11. Thebaid.

*——— species est cernere avorum*
*Comminus & vivis certantia vultibus æra.*

Quod meo quidem animo non mutabitur. Siremps lex Ovid. lib. 6. Fastorum

*Vidimus ornatos ærata per atria, picta*
*Veste triumphales occubuisse senes.*

Si mihi liceat in rep. sciscere Literaria. Claudianus etiam stat ab hac sententia. *Nec quisquam procerum tentat, licet ære vetusto Floreat.* Prudentius item lib. 1. contra Symmach. *cera numerentur & ære.* De marmore videtur Plinius indicare 35, 2. *aliter apud majores in atriis hæc* (imagines corporum) *erant quæ spectarentur, non signa externorum artificum nec æra aut marmora. Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis.* hæc mihi loca suppeditavit benigne suo more spes altera Belgarum Claudius Boucault. *Barclajus.*

4 *Nam multos veterum*] Sic præter alios Horatius:

*Vixere fortes ante Agamemnona*
*Multi; sed omnes inlacrimabiles*

glorios & ignobiles oblivio obruet, Agricola posteritati narratus & traditus, [1] superstes erit.

*Urgentur, ignotique longa*
*Nocte, carent quia vate sacro.*

Virdungus.

1 *Superstes erit*] Non vane hoc de scriptorum suorum perennitate prædicavit Tacitus, de quibus etiam Plinius nepos 8. epist. 33. *Auguror (nec me fallis augurium) historias tuas immortales futuras, quo magis illis (ingenue fatebor) inseri cupio.* lib. 6. epist. 16. *Video morti ejus, si celebretur à te, immortalem gloriam esse propositam.* Idem.




DIALO-

# DIALOGUS
## DE
# ORATORIBUS
SIVE DE
## CAUSSIS CORRUPTÆ ELOQUENTIÆ,

Qui ab aliis CORN. TACITO, à quibusdam M. FAB. QUINTILIANO tribuitur.

cum notis integris

BEATI RHENANI, FULVII URSINI, PETRI PITHOEI, JUSTI LIPSII, VALENTIS ACIDALII, CURTII PICHENÆ, RABODI HERMANNI SCHELII, JOANNIS FREDERICI GRONOVII, JOANNIS SCHULTINGII, & excerptis aliorum.

# DIALOGUS
## DE
# ORATORIBUS
### SIVE DE
# CAUSSIS CORRUPTÆ ELOQUENTIÆ,
### Qui ab aliis CORN. TACITO, à quibusdam M. FAB. QUINTILIANO tribuitur.

*ui ab aliis* C. TACITO] Hunc dialogum vix crediderim esse Taciti, quanquam auctor quisquis fuit ejus eruditissimi seculi testatur, se disertissimorum hominum sermonem repetere, quem juvenis admodum audiverit, iisdem numeris ac iisdem oratoribus; ut potius loqui illos ipsos lector debeat imaginari quam eum qui conscripsit. Sane fit hic *anni sexti* mentio *Vespasiani principatus.* quo tempore juvenis fuit admodum Tacitus. Fit & mentio *Mutiani, senatorumque eloquentium Eprii Marcelli ac Crispi Vibii.* quorum quoque meminit in libris Ann. Nec Justus Fabius cui inscribitur opusculum ex Plinii epistolis ignotus est. Sed haud me latet etiam apud veteres iam apte conscripta, ut antiquiora videri queant quam sunt. Suspicor Julium istum Secundum & M. Aprum Maternumque Gallos fuisse è Gallia Togata quæ Italis Cisalpina est. Nam sic alicubi dicit Aper. *Quotus quisque quum ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis nostris loquamur, in Urbem venit, Saleium Bassum requirit?* Paulo post idem, *in Britannia fuisse se.* Cæterum dolendum est hunc libellum tam esse corruptum, quem dum percurro, luctatus fum obiter cum mendis. Verum alicubi successit res, alicubi nihil divinando consequi potui, neque enim erat exemplar aliquod vetustius cum quo conferrem. *Rhenanus.* Scripseram ante annos octo ad veterum Jurisconsultorum fragmenta, libentius me hunc librum M. Fabii Quintiliani de caussis corruptæ eloquentiæ inscripturum. Quod & sagacissimo elegantissimoque Lipsio visum est. Nunc ut verum fatear, Tacito potius adseruerim, sequutus non modo Pomponii Sabini, sed & omnium exemplarium fidem. Nec me jam stili ratio usque eo movet, cum sciam pro ætate facile genus dicendi mutari: & quod adolescentis fuit lætum, luxurians, profluens ac floridum, fenis fieri concisum, breve, grave, sobrium ac maturum: quale ipsius Annalium & Historiarum est, ad quæ scribenda jam senex sub Nerva animum appulit. In hujus autem dialogi editione præter exemplar in Italia ante aliquot annos descriptum, maximo nobis adjumento fuit Lipsii nostri diligentia, qui sui in Tacitum commentarii apud nos desiderio nunquam nisi sero satisfacturus est. *Pithœus.* Superioribus libris lucem aliquam industria nostra attulit: huic, vere possum dicere, salutem. Nam cum depravatissimus vulgo circumferretur, nulla pagina sine vulnere & vibice admirabile est, quantum à Farnesiano codice (nam Vaticanis aberat) in eo sanando simus adjuti. Multi hiatus expleti, verba & lineæ integræ insertæ, centeni aliquot loci (Latine non oratorie loquor) emendati. Quorum omnium numerum inire aut longum, aut supervacuum: moderabor, & in his Notis ea saltem tangam quorum vel insignis correctio est, vel ambigua. Reliqua recepta in contextum, satis sit verbo jam nunc prædixisse, è Farnesiani libri fide esse. At de scripto, & scriptore ipso, pauca etiam hic libanda sunt. Scriptum sane optimum, stilo, inventione, judicio: & quod in hoc genere (integrum esset modo) conferre nihil verear eum iis quæ optimi sæcli, & optimæ notæ. Scriptor tamen ipse incertus. Ita olim judicavi: neque etiam muto. Nam Tacitum fuisse qui credam? Stilus valide abnuit, non fallax in hoc genere argumentum. qui in nostro, constrictus ubique, teres, acutus, & severus magis quam lepidus: hic omnia contra. At mutari is in ætate aut argumento potest, inquiunt. Non nego. sed nunquam ita, ut abeat prorsus à sese. Quidquid Cicero scripsit, senex, juvenis, philologum, philosophum; in iis tamen lineamenta quædam apparent ejusdem viri & vultus. Nec aliter fit in omnibus nobis. Ætatem etiam vide, si non pugnat. Hic scriptor sermonem hunc habitum inducit sexto Flaviani imperii anno: eique interfuisse se *admodum juvenem.* Quomodo vero tunc admodum ju-

1 Sæpe ex me requiris, [1] Juste Fabi, *cur cum priora sæcula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque effloruerint, nostra potissimum ætas* [2] *deserta & laude orbata, vix nomen ipsum* oratoris *retineat.* neque enim ita appellamus nisi antiquos. horum autem temporum diserti, *caussidici*, & *advocati*, & *patroni*, & quidvis potius quam *oratores* vocantur. Cui percunctationi tuæ respondere, & tam magnæ quæstionis pondus excipere, ut aut de ingeniis nostris [3] male existimandum sit, si idem assequi non possumus, aut de judiciis, si nolumus, vix hercule auderem, si mea sententia proferenda, ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset. quos eandem hanc quæ-

venis Tacitus, si honores etiam cœpit sub Vespasiano? Id enim de se fatetur, & *dignitatem* suam *à Vespasiano inchoatam* ait Historiarum primo. Sed exemplaria omnia Tacito adserunt. Quæ illa? vix bina aut terna credo ea esse in omni Europa. quæ tam facile & pronum est hic mentiri, quam in aliis libris sæpe. Sed etiam Pomponius Sabinus. Ita enim politissimus doctissimusque Pithœus nos docuit, Notis ad hunc libellum. Is igitur Sabinus mediæ ætatis Grammaticus in Carmen de obitu Mæcenatis: *Cornelius*, inquit, *Tacitus appellat scripta Mæcenatis calamistros.* Nec negare certe possumus, quin is locus hodieque in hoc libello exstet. Quid dicam? serio & ingenue, nibil me credere huic ignobili Sabino, qui ex veteri verbo, somniavit fortasse quod voluit. Dico me. nam alius nihil præeo quid sequantur. Incommodi quid erit, sive Tacito tribuamus; sive M. Fabio Quinctiliano, ut mihi olim visum? Nam & stilus ipse plane geminus: & ille se *De caussis corrupta eloquentia* scripsisse plus uno loco fatetur, quem titulum valde appositum scio huic argumento. Præcipuam enim materiem & velut fundum scripti, hoc fuisse; evincunt illa quæ superant, & magis evincerent quæ à fine desunt. Ipse. Maternus hic ad Messalam: *Exprime nobis non laudationem antiquorum, sed caussas cur in tantam ab eloquentia eorum recesserimus.* Ætas tamen Quinctiliani paullo grandior fuisse videtur, quam ut hic sermo illo juvene. Itaque ambigo. & cum multa dixerim, claudo tamen omnia & signo hoc responso, Mihi non liquere. *Lipsius.* Libelius iste vulgo inscribitur, *Cornelii Taciti equitis Rom. dialogus.* Cujus consensum jam docui (ni fallor) non prorsus esse parvi faciendum: verum is à Doctiss. viro habetur pro supposito; quod stilus hujusce libelli nimis abhorreat à stilo Taciti. Non adversor, sed libens de eo quæsierim, num idem stilus deceat historicum & dialogisten: quod non ignoret Demetrium plane hujusmodi posteris reliquisse. διαλογικὸν δ᾽ ἐστὶν ἡ περίοδος ἡ ἔτι ἀφελεστέρα καὶ ἀπλουστέρα τῆς ἱστορικῆς i. *Dialogi autem periodus est, quæ remissa & simplicior historica.* præterea pauca Tacitus hic præfatur, & sic non mirum si solitus ejus stilus ægrius agnoscatur; reliqua vero verbis eorum refert, quos hoc cap. loquentes inducit, quorum numeros, rationes, stilum serio se imitasse profitetur. Unde quid novi, si Cornelius hic alius à se videtur? dicat doctissimus vir, similis ne sui sit, dum in Satira Menippea Ovidium sive Ciceronem nobis repræsentat? nec se Cornelius adeo dissimulare potuit, ut solita sua sibi dictione proditus non sit. lib. 12. ann. *iners ocium oblectaret.* Eadem phrasis cap. 10. hist. lib. & lib. 4. ann. *illi magistratus & primores qui se invito perrumpant.* Eadem cap. 51. h. libri. *me nolente in domum meam irruperunt.* & alia sexcenta. Addit, ætas repugnat: præsertim cum nascatur Cornelius anno extremo Claudii, Idque temporis annos minimum viginti duo natus sit? sedo has turbas ea ætatis distinctione, cujus auctor fuit Servius Tullius. Gell. 10, 28. *pueros esse existimasse, qui minores essent annis 17. atque inde ab anno 57. quos idoneos jam esse Reip. arbitraretur, milites scripsisse, eosque ad annum 46. juniores, supraque eum annum seniores appellasse.* quis igitur vetat ne dicamus anno Vespasiani VI. Cornelium 22. annos habuisse? idque dici *admodum juvenis* præ longiore juventutis spatio, quod à 57. ad 46. annum extendebatur? eumque octava, vel nona statione Vespasiani quæstura potitum esse? *Salinerius.* De hujus libelli auctore, multa à doctissimis viris dicta sunt, neque ego illorum disputationibus me immisceo. Mea autem sententia non decedo, nihil prorsus hic esse, quod C. Taciti phrases stilumque redoleat. Sed nec F. Quintilianum, etiamsi cetera omnia argumenta congruerent, hujus operis auctorem pronunciaverim, cum scriptio ista meo quidem judicio, illum & facilitate orationis & elegantia superet, & cum quovis optimi sæculi conferri posse videatur. Itaque incerti auctoris titulum libello apposuerim. Quoniam vero inter Taciti opera edi solet, putavi non ab re esse; pauca in eo adnotare. *Pichena.*

1 *Juste Fabi*] Hunc Fabium Justum amicum etiam minoris Plinii fuisse ex lib. 1. epist. 11. & lib. 7. epist. 2. intelligimus. *Gronovius.*

2 *Deserta & laude orbata*] Forte, *defecta ea laude & orbata.* Idem.

3 *Male existimandum sit*] Ita Farnes. at in Rom. cod. *existimandum habeam.* Lipsius. Aptius hic affirmo, quod Rom. habet, *existimandam habeam.* Quod Lipsius edidit, nimis late diffundit ad omnes: hoc nostrum ad ipsum libri auctorem restringit

quæstionem pertractantes, [1] juvenis admodum audivi. Ita non ingenio, [2] sed memoria ac recordatione opus est, ut quæ à præstantissimis viris & excogitata subtiliter, & dicta graviter accepi, cum singuli [3] diversas vel easdem, sed probabiles causas afferrent, dum formam sui quisque & animi, & ingenii redderet, iisdem nunc numeris, iisdemque rationibus persequar, servato ordine disputationis. neque enim defuit, qui diversam quoque partem susciperet, ac multum vexata & irrisa vetustate, nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferret. Nam postero die quam [4] accuratius [5] Maternus Catonem recitaverat, cum *offendisse potentium animos diceretur, tamquam in eo tragœdia argumento sui oblitus, tantum Catonem cogitasset*, eaque de re per urbem frequens sermo haberetur, venerunt ad eum M. Aper & Julius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri: quos ego in judiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque & in publico assectabar, mira studiorum cupiditate, & quodam ardore juvenili, ut fabulas quoque eorum & disputationes, & arcana semotæ dictionis penitus exciperem. quamvis maligne plerique opinarentur, [6] *nec Secundo promptum esse sermonem, & Aprum ingenio potius & vi naturæ, quam institutione & litteris famam eloquentiæ consecutum.* [7] Nam & Secundo purus, & pressus,

git sententiam, ut debet. Nam de se solo loquitur: Tam magnæ quæstionis pondus excipere non auderem. De loquendi ipso genere res facta. Utitur hic auctor omnibus fere hujus libelli paginis. *Acidalius.*

1 *Juvenis admodum*] Hoc Taciti ætati magis congruit. Nam Fabius Domitium Afrum, qui sub Nerone periit, adolescentulo sibi notum fuisse ait. Et cum de Julio Secundo magnifice loquatur, lib. x. Inst. Aprum ac Maternum ne nominat quidem. Sed & de caussis corruptæ eloquentiæ continuo libro, non dialogo, scripsisse videtur. Adde quod ne in iis quidem, quæ in isto deesse apparet; ullus locus est ampliori tractationi de hyperbole: & quæ de inventa primum declamandi ratione ille dixerat, hic paulo aliter exponuntur. *Pithœus.*

2 *Sed memoria ac recordatione opus est*] Amat hic Scriptor bina ejusdem aut non multum differentis significationis vocabula conjungere, ut, *invidere & livere, vetera & antiqua, Poetas & vates, Carmina & versus, juvenes & adolescentes, tueri & defendere, in publicum & in commune.* Quod quidem in Quintiliano tam frequenter non reperias. *Schelius.*

3 *Diversas vel easdem, sed probabiles*] Id vero non probabile, ut in uno sermone easdem caussas repetiverint. Ego verba ea superesse censeo, *vel easdem.* Lipsius. Messalla causas inquirit, qui fiat ut sui temporis oratores in tantum à prioribus degenerent: ut cap. 15. *video etiam Græcis accidisse, ut longius absit Æschine & Demosthene sacerdos iste Nicetes et si quis alius Ephesum ac Mitylenas contentus Scholasticorum clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus, aut vos ipsi à Cicerone aut Asinio recessistis.* Sociosque ad eam rem optat Maternum & Secundum. *Aperiam inquit cogitationes meas, si illud à vobis ante impetravero, ut vos quoque sermonem hunc nostrum adjuvetis,* qui onus subire non dedignantur. *pro duobus inquit Maternus promitto; nam & ego & Secundus exequemur partes.* potuit itaque unusquisque horum afferre (saltem subscribendo) quasdam ex rationibus Messallæ quibus temporis injuria deficimus: nec rei disconducit, si uterque eam partim iisdem, partim diversis firmare studuit. *Salinerius.* Jam olim damnarunt has voces *vel easdem* Lipsius & Muretus, superesse eas arbitrati. Plane arbitrer ita quoque ipse, nisi forte ex iis mutandum: *diversas, sed easdem valde probabiles.* Vel; *diversas, sed eas valde probabiles.* Acidalius.

4 *Accuratius Maternus*] Farnes. *Curatius Maternus.* Putabam, *Curatius* sed sententiam attendenti magis placet *Curiatius*: quod proprium nomen Materni poëtæ fuerit. *Lipsius.*

5 *Maternus Catonem*] Dio lib. 67. in Domitiano: Ματέρνον δὲ σοφιστὴν ὅτι κατὰ τυράννων εἶπέ τι ἀσκῶν, ἀπέκτεινε. *Gronovius.*

6 *Nec Secundo promptum esse sermonem & Aprum*] Non admodum diversa olim de Crasso & Antonio judicia fuisse scribit Cicero in 2. de Oratore. Crassum videlicet non plus attigisse doctrinæ quam quantum prima illa puerili institutione potuisset: M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem fuisse. Nec alia ibi causa hujus opinionis adducitur quam hic; *Sed fuit hoc*, inquit; *in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere & nostrorum hominum in omni genere prudentiam Græcis anteferre. Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse nunquam putaretur, atque ita se uterque graviorem fore si alter contemnere, alter ne nosse quidem Græcos videretur.* Schelius.

7. *Nam & Secundo purus, &c. sermo non defuit*] *Non defuit*, inquit & de Apro, *contemnebat.* Ex quibus colligitur cum hic dialogus scriptus est, & Secundum & Aprum jam diem suum obiisse. Et Secundum quidem immatura morte & ante diem inter-

sus, &, [1] in quantum satis erat, profluens sermo non defuit: [2] & Aper communi eruditione imbutus, contemnebat potius litteras quam nesciebat. tamquam majorem industriæ & laboris gloriam habiturus, si ingenium ejus nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur. Igitur ut intravimus cubiculum Materni, [3] sedentem ipsum, 3& quem pridie recitaverat, librum intra manus habentem, deprehendimus. Tum Secundus: NILNE TE, inquit, Materne, fabulæ malignorum terrent, quo minus [4] offensas Catonis tui ames? An ideo [5] librum istum apprehendisti, ut diligentius retractares, & sublatis si quæ pravam interpretandi materiam dederunt, emitteres Catonem non quidem meliorem, sed tamen securiorem? Tum ille, [6] LEGES tu quidem si volueris & agnosces quæ audisti. quod si qua omisit Cato, [7] sequenti tractatione Thyestes dicet. Hanc enim tragœdiam disposui jam, & intra me ipse formavi. Atque ideo maturare libri hujus editionem [8] festino, ut dimissa priore cura, novæ cogitationi toto pectore incumbam. *Adeo* te tragœdiæ istæ non satiant, inquit Aper, quo minus [9] omissis orationum [10] & caussarum studiis, omne [11] tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas? cum tot amicorum caussæ; tot coloniarum & municipiorum clientelæ in forum vocent, quibus vix sufficeres,

interceptum fuisse ex Quintiliano satis constat. *Julio Secundo* (inquit lib. x. cap. I.) *si longior contigisset ætas, clarissimum profecto nomen Oratoris apud posteros foret. Adjecisset enim atque adjiciebat cæteris virtutibus suis, quod desiderari potest: id est autem, ut esset multo magis pugnax & sæpius ad curam rerum ab elocutione respiceret. Cæterum interceptus quoque magnum sibi vindicat locum*, & quæ sequuntur. *Idem.*

1 *In quem*] Leg. *in quantum*: quod & Rhenanus monuit, cujus apud omnes literatos memoria grata esse debet & sancta. Sic infra, *Credite optimi, & in quantum satis est disertissimi viri.* Pithœus.

2 *Aper communi eruditione imbutus*] Ita scribendum puto, vulgo, *cum eruditione.* Rhenanus. Male vulgo, *cum eruditione.* Lipsius. Mihi sententiam magis suadet, *omni eruditione.* Acidalius.

3 *Sedentem ipsum, quem*] Roman. copulam addit *& quem.* Recte. *Lipsius.* Addidi copulam, &, admonente Lipsio ex Rom. codice. *Pichena.*

4 *Offensas Catonis tui omes?*] Videtur legendum, *offendas*, aut *offenses.* Rhenanus. Perspicue verum. Vulgo, *aures.* Lipsius. *Offensas Catonis tui aures.* Per indignationem supprimit *recolas.* Sic supra 16. Ann. *Superesse qui forsitan monus sælusque per immanitatem Augusti.* Ubi siletur, *intendant.* Quia Cato in ea Materni tragœdia vitia procerum exagitat, & is qui eo more præditus est, dicitur habere aures offensas vitiis flagitiosorum. velut illud *ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο* i. *sacrum robur Alcinoi.* Salmerius.

5 *Librum istum apprehendisti*] Ita malim. Vulgo *deprehendisti.* Rhenanus. Alii libri, *deprehendisti.* Ego, *reprehendisti?* propria significatione hujus verbi. *Lipsius.*

6 *LEGES tu quidem si volueris*] Scriptus liber longe aliter, *Leges quid Maternus sibi debueris, & agnosces &c.* Lipsius. Notavit Lipsius scripti libri diversissimam lectionem. Hinc Muretus fecerat: *leges tu q. si volueris & agnosces quid Maternus sibi debueris.* deletis istis, *quæ audisti.* Ego non accipio. Vulgatam retineo & tueor quicquid liber scriptus mutet. *Acidalius.*

7 *Sequenti tractatione*] Fortasse: *recitatione.* Ipse Maternus infra, *Recitatione tragœdiarum famam se auspicatum* ait. *Lipsius.* Lego, *recitatione.* Paulo ante: *Sedentem ipsum & quem priore recitaverat librum intra manus habentem, deprehendimus.* Acidalius. Possis & suspicari *sequenti actione.* Sed enim nihil moverim vulgatam: *tractatio* enim ipsa compositio. Cic. *Si quo in libro vero est à nobis philosophia laudata profecto ejus tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est.* *πραγματείαν* vocat Arist. *Acidalius.*

8 *Festino*] Forte, *gestio.* Gronovius.

9 *Omissis orationum & curarum studiis*] Monumenta & opera ingenii non raro, & quidvis aliud, in quod intenditur animus, *curas* appellant hic noster, Tacitus, aliique ejus ævi scriptores: peculiariter autem si quarum rerum tractatio molestiarum & solicitudinis multum habet. *Curarum* tamen *studia* durum ac insolens pro studiis. Legerem *rerum*, vel cum Lipsio *Causarum studiis.* Idem.

10 *Et caussarum*] Al. *Et curarum*: ut supra, *sive novam & recentem curam.* Pithœus. Omnino scribendum conjicio, *caussarum studiis.* Lipsius. Lipsii conjecturam sequutus restitui vocem, *causarum*: corrupte vulgo, *curarum.* Pichena.

11 *Tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas*] Illud *ecce* me offendit. & conjicio forte *excetram* fuisse, cujus *ecce* sit vestigium. Est autem maledictum non novum in mulieres execrabiles. Livius lib. XXXIX. cap. II. *Illius excetra delinimentis & venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici, nec deorum verecundiam habere.* Qua in narratione

tes, etiam si non novum tibi ipse [1] negotium importasses, Domitium, & Catonem: id est, nostras quoque historias, & Romana nomina, Græcorum fabulis [2] aggregares. Et Maternus, *Perturbarer* hac tua severitate, nisi frequens ac assidua 4
nobis contentio jam prope in consuetudinem vertisset. Nam nec tu agitare & insequi poëtas intermittis; & ego [3] cui desidiam advocationum objicis, cotidianum hoc patrocinium [4] defendendæ adversus te poëticæ exerceo. Quo lætor magis oblatum nobis judicem, qui me vel in futurum vetet versus facere, vel quod jam pridem opto, sua quoque auctoritate compellat, ut [5] omissis forensium Musarum angustiis, in quibus satis mihi superque sudatum est, sanctiorem istam & augustiorem eloquentiam colam. *Ego* vero, inquit Secundus, antequam me judicem Aper recuset, faciam 5
quod probi & modesti judices solent, ut in his cognitionibus excusent, in quibus manifestum est, alteram apud eos [6] partem gratia prævalere. Quis enim nescit, neminem mihi conjunctiorem esse & usu amicitiæ, & assiduitate contubernii quam Salejum Bassum, cum optimum virum, tum absolutissimum poëtam? porro si poëtica accusatur, non alium video reum locupletiorem. *Securus* sit, inquit Aper, & Salejus Bassus, & quisquis alius studium poëticæ & carminum gloriam fovet, cum caussas agere non possit. & ego enim quatenus arbitrum [7] litis hujus inveni, non patiar, Mater-

ratione simul ad nefaria Medeæ facta animo respexisse videtur. Plautum add. Casin. 3, 5, 19. Pseud. 1, 2. prope fin. *Schultingius.*

1 *Negotium importasses*] Displicet vox *importasses.* Erat commodius, *imposuisses*: sed à literis longius abit. Credo fuisse *imperasses.* Acidalius. Livius lib. 24. *Discordia civilis quas importes clades.* Lib. 39. *ne quid ea conjurationes fraudis occulta aut periculi importarent.* Gronovius.

2 *Aggregares*] Lego, *adgregare?* Pithœus. Notavit Muretus, *aggregare.* ut videatur sic hæc cum præcedentibus junctim accepisse: *etiamsi non novum tibi ipse negotium impertasses, Domitium & Catonem, id est, nostras quoque historias & Romana nomina Græcorum fabulis aggregare.* Non junxit per appositionem, *negotium, Domitium & Catonem*: sed, *negotium aggregare*: itemque *Domitium & Catonem, nostras historias.* Equidem non minus aptum, sed minime necessarium sic orationem struere. *Acidalius.*

3 *Cui desidiam advocamur*] Forte, *cui desidia notamur*; *cui* scilicet tibi, id est, à quo. *Rhenanus.* Præclare meus liber. Antea corrupte & mutilate, *cui desidiam advocamur.* Lipsius. Statuo recte in Lipsii libro, *cui desidiam advocationum objicis.* Tamen è vulgato, *cui desidiam advocamur*, non inconcinne fecerat Muretus, *qui desii jam advocari.* Acidalius.

4 *Defendenda adversus te poëtica*] Bene liber meus. Alii, *defendent adversus te poetice.* Lipsius.

5 *Omissis forensium Musarum angustiis*] Agrestioribus Musis, ut scribit Cicero, causas forenses se relinquere Philosophi dicebant. *Omnis ubertas,* inquit, *& quasi silva dicendi ducta ab illis est, nec satis tamen instructa ad forenses causas, quas, ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus Musis reliquerunt.* Loquitur hic Maternus ille poëtices Patronus, qui eloquentiæ forensi paulo iniquior, advocationibus *curas & solicitudines & necessitatem quotidie aliquid contra animum faciendi*, adscribit: qui *forum insanum & lubricum*, qui *famam eloquentiæ forensis pallentem* appellat. Quare dubitabam an non verius foret: *Forensium causarum.* Potest tamen fortasse tolerari etiam in ore Materni lectio vulgata, quia quod eloquentiæ huic dat sacro *Musarum* vocabulo, id iterum imminuit, adjiciendo, *angustiis.* Schelius.

*Omissis forensium Musarum angustiis*] Malim, *causarum.* Nam si *Musarum* dixit, quare in continenti *sanctiorem poëtices eloquentiam* appellat? cui præsides Musæ sunt. Porro *angustiis causarum forensium*: quia adstricti formulis patroni, & captui ac præscripto judicum. vid. cap. 20. infra. *Schultingius.*

6 *Partem gratia prævalere*] Ita Lipsius in margine correxit. Male in vulgatis, *partem gratia.* Pichena.

7 *Litis hujus inveniri*] Hunc totum locum sic lego, *Ego enim quatenus arbitrum litis hujus inveni, non patiar Maternum societate plurium defendi.* Potest & legi, *Sollicitudine*, utrumque hoc sensu, Quando te, Secunde, hujus litis arbitrum nactus sum. *Pithœus.* Recta omnino lectio Pithœi iis quibus mens non curva. Farnes. *societate plurium.* Lipsius. *Et ego (quatenus arbitrium litis hujus inveniri non patiar) Maternum sollicitè plurimum defendi.* Tranquillo sint animo poëtæ, inquit Aper, qui ad causas agendas non apti sunt: non enim nunc exigo ut sententiâ de iis ac de oratoribus feratur, qui nempe sint potiores; immo alias vel ipsum Maternum (non in eo respiciens oratorem) apud plurimos defendi: verum ægre fero arguoque eum versibus inservire relicta eloquentia oratoria, ad quam maxime natus est. *Salinerius.* Verissima Pithœi conje-

Maternum focietate plurium defendi. [1] fed & ipfum folum [2] apud vos arguam, quod natus ad eloquentiam virilem & oratoriam, qua parare fimul & tueri amicitias, adfcifcere nationes, complecti provincias poffit [3] amittit ftudium, quo non aliud in civitate noftra [4] vel ad utilitatem fructuofius, vel ad dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illuftrius excogitari poteft. Nam fi ad utilitatem vitæ omnia confilia, [5] factaque noftra dirigenda funt, [6] quid erit tutius quam eam exercere artem, qua femper armatus præfidium amicis, opem alienis, falutem periclitantibus, invidis vero & inimicis metum & terrorem ultro feras, ipfe fecurus & velut quadam perpetua potentia ac poteftate munitus? cujus vis & utilitas [7] rebus probe fluentibus, aliorum præfidio & tutela intelligitur: fin [8] proprium periculum increpuit, non hercule [9] lorica aut gladius in acie firmius munimentum, quam [10] reo & periclitanti [11] eloquentiæ præfidium fimul & telum, quo propugnare pariter & incefsere, [12] vel in judicio, five in fenatu, five apud

ctura, à qua paullum quid mutabat Muretus: *ego enim quando te nunc arbitrum*, &c. Sed hoc male. Non ipfi venerat in mentem, *quatenus* hic effe *quoniam*. Acidalius.

5 *Sed & ipfum*] Lego, *fed id ipfum*. Rhenanus.

2 *Apud vos arguam*] Ita malo, quam *apud eos*. Lipfius. Muretus melius legit, *fed ipfum folum apud te eo arguam*. Melius, inquam, quam Lipfius, qui voluit, *apud vos*. Acidalius.

3 *Amittit ftudium*] Lego *omittit*, pro *amittit*. Rhenanus. *Omittit* rectius, etiam notaverat Muretus. *Acidalius*.

4 *Vel ad utilitatem fructuofius, vel ad dignitatem amplius*] Inter hæc fubductum aliquid auctori temporum injuria revincitur ex fin. hujus & init. Cap. feq. Quæ me eo deduxerunt, ut animum adjicerem, ad huic fuccurrendum loco. Et fortaffe me illud reperiffe, quod pro lumine & tibicine effe huic Apri orationi poffit, ut nulla parte labare aut defici videatur. denique tota integra, clara, manifefta fit. Suppleo itaque hanc lacunam iis, quæ ipfe auctor paullo poft fuggerit, & lego, *vel ad utilitatem fructuofius, vel ad voluptatem honeftius, vel ad dignitatem amplius* &c. Sententia certe & numerus orationis in his pro nobis facit. Accedit huic firmandæ conjecturæ, quod fubjungitur initio Cap. feq. *Ad voluptatem oratoriæ eloquentiæ tranfeo*. ftatim ibid. *Quid enim dulcius libero & ingenuo animo & ad voluptates honeftas nato*, &c. Ad voluptates honeftas five ad honeftum & jucundum etiam dignitas pertinet nominifque celebritas. Igitur quamvis de iis feparatim executurus videatur Aper; id tamen non apparet: fed hæc inter fe involuta, ut fatis intelligi tamen & movere poffint, quippe quam maxime cognata proponit, commendat, inculcat. Obfervandum autem *notitiam* famam & nominis celebritatem huic effe auctori. Quod ne cui fit dubium, en exempla Cap. 11. & inf. *Et hodie fi quod in nobis notitia ac nominis eft, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum*. Cap. 13. *Malo fecurum & fecretum Virgilii fecefsum, in quo tamen neque apud divum Auguftum gloria caruit neque apud populum Romanum notitia*. Cap. 36. *Tanto plus apud principes gratia plus auctoritatis apud patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem parabat*. Reperies & apud Senec. Controv. 2. *Schultingius*.

5 *Factaque noftra*] Ita Rom. liber. Alii, *facta noftra*. Lipfius. Copulam *que* adjecit Lipfius ex Rom. codice. *Pichena*.

6 *Quid erit tutius*] *Utilius* potius fententia pofcit, quanquam nec *tutius* damnat. quod tamen mihi male ex poftrema hujus membri parte invectum huc videtur: *ipfe fecurus licet velut quadam perpetua potentia ac poteftate munitus*. Acidalius.

7 *Rebus probe fluentibus*] Diftingue fic. *Cujus vis & util. rebus probe fluentibus, aliorum præfidio & tutela intelligitur: fin proprium per. inc.* &c. manifefto fenfit. *Pithœus*. Recte Pithœus legit & diftinguit, *rebus probe* (nec male, fi *profpere*) *fluentibus, aliorum pr. & tutela*. &c. Lipfius. Livius VII. *Campanos quidem haud dubie magis nimio luxu fluentibus rebus mollitiaque fua, quam vi hoftium victos effe*. Tacitus Annalium XV. *Nec præfentia profpere fluebant*. quomodo & hic legendum monuit Lipfius. *Schol.*

8 *Proprium periculum increpuit*] Alii libri *irrepat*. Sed hoc Farnefianum planiffime verum eft. Cicero in Catilin. *quicquid increpuerit, Catilinam timeri*. Livius: *unde fi quid increpet terroris*. Lipfius.

9 *Non herculo lorica gladius*] Poffet etiam legi, *non hercule lorica aut gladius*. Rhenanus.

10 *Reo & periclitanti*] Fortaffis etiam omiffa copula fcribendum, *quam reo periclitanti*. Acidalius.

11 *Eloquentiæ præfidium fimul & telum*] Melius & concinnius fcribas *eloquentia*. Sic eloquentia præfidium & telum dicitur, ut lorica & gladius munimentum. *Acidalius*.

*Præfidium fimul & telum*, &c.] Cicero de oratore: *Quid autem tam neceffarium, quam tenere femper arma, quibus vel tectus ipfe effe poffis vel provocare integros & te ulcifci laceffitus*. Schelius.

12 *Vel in judicio*] Mur. *five in judicio*. Leve hoc, fed tamen rectius. *Acidalius*.

1 Qui

apud principem possis. Quid aliud infestis Patribus nuper Eprius Marcellus, quam
eloquentiam suam opposuit? [1] qui accinctus & minax disertam quidem sed inexerci-
tatam & ejusmodi certaminum rudem [2] Helvidii sapientiam elusit. Plura de utili-
tate non dico, [3] cum præsertim minime contradicturum Maternum meum arbitrer.
Ad voluptatem oratoriæ eloquentiæ transeo, cujus jucunditas non [4] uno aliove mo- 6
mento, sed omnibus prope diebus, & prope omnibus horis contingit. Quid enim
dulcius libero & ingenuo animo, & ad voluptates honestas nato, quam videre ple-
nam semper & frequentem domum concursu splendidissimorum hominum? idque sci-
re, non pecuniæ, non orbitati, neque officii alicujus administrationi, [5] sed sibi ipsi
dari? illos quinimo [6] orbos & locupletes & potentes venire plerumque ad juvenem
& pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent. Ullane tanta in-
gentium opum ac magnæ potentiæ voluptas, quam spectare [7] homines veteres, &
senes [8] & totius urbis gratia subnixos, in summa omnium rerum abundantia [9] confi-
tentes id quod optimum sit se non habere? Jam vero qui togatorum comitatus &
egressus! quæ in publico species! quæ in judiciis veneratio! quod gaudium consur-
gendi assistendique inter tacentes, [10] in unum conversos! [11] coire populum, & cir-
cumfundi coram, & accipere affectum quemcumque orator induerit. Vulgata di-
centium gaudia, & imperitorum quoque oculis [12] exposita percenseo. Illa secretio-
ra,

1 *Qui accinctus & minax*] Libentius legerem, *qua arrinctus & minax.* Ursinus. Lego, *qua.* Præcessit, *eloquentiam suam opposuit.* Acidalius.

2 *Helvidii sapientiam elusit*] Historia est apud Tacitum 4. hist. cap. 6. *Gronovius.*

3 *Cui parti minime contradicturum*] Ita vetus. Non tamen male vulgati, *cum præsertim minime, &c.* Lipsius. Mei codices, *cum præsertim.* In aliis etiam non male: *cui parti minime, &c.* Pichena. Præposuit Lipsius veterem hanc lectionem, *cui parti minime, &c.* vulgatæ, *cui præsertim.* Male. hæc verior & sensui structuræque accommodatior. *Acidalius.* Præceps Acidalius male fecisse Lipsium, ait, cum veterem Lectionem præposuit vulgatæ. Quod nos ei credimus haudquaquam, & multo suavius exquisitiusque censemus? *cui parti minime contradicturum Maternum meum arbitrer.* Infra. *Ne illi quidem parti sermonis ejus repugno.* Gronovius.

4 *Uno aliove momento*] Forte, *alterove.* Infra cap. 9. *omnis illa laus intra unum aut alterum diem velut in herba vel flore percepta, ad nullam certam & solidam pervenit frugem.* Idem.

5 *Sed sibi ipsi dari*] Malim, *tibi ipsi.* Idem.

6 *Orbos & locupletes & potentes*] Auxi è libro scripto. *Lipsius.* Vox *potentes* mihi suspecta: cujus in loco requiritur aliquid de orborum senio, non potentia. Neque enim aliter sibi membra orationis invicem convenerint. Opponit orbos & oratorem: quorum illi locupletes & senes, hic plerumque pauper & juvenis. Vide ergo, si scribendum in vicem τῦ *potentes*, *depontanes.* quomodo sexagenarios & provectiores ætate vulgo appellabant. *Acidalius.*

7 *Homines veteres, & senes*] Non concoquo *homines veteres:* multo minus *veteres & senes* junctim. Quis enim paullo elegantior alterutro modo loquatur? Nec scio quid faciam, nisi ut ejiciam illam ipsam vocem *veteres*, quæ nescio quomodo se huc insinuavit. Nam mutari commode qui possit, non equidem ego video. Terentius tamen Eun.* *hic est vetus, vietus, veternosus senex.* Alia tamen ibi ratione. Et Tibullus: *In veteres esto dura puella senes.* Et Plaut. Mercat. II, II. *Acheronticus senex, vetus, decrepitus.* Acidalius.

8 *Et totius orbis gratia*] Fuit cum legerem, *totius urbis*, vel *ipsius orbitatis gratia.* Amm. Marc. ut alios omittam: *Vilia omnia existimant præter orbos & cælibes, nec credi potest, qua obsequiorum diversitate colantur homines sine liberis Romæ.* Pithœus. Pithœus, *totius urbis.* probe. *Lipsius.*

9 *Confitentes id quod optimum sit, se non habere*] Videtur dedisse auctor: *id quod apud te sit, se non habere.* Gronovius.

10 *In unum conversos*] Velim addi copulam hic, *& in unum.* Acidalius.

11 *Coire populum & circumfundi coram*] Deleo τὸ *&*, sed & emendo, *circumfundi coronam.* Acidalius. Lego: *circumfundi coronam.* Silius.

*Cernis ut armata circumfundare corona*
*Et valles clausos collectus miles in orbe.*

Schelius.

12 *Exposita percenseo*] Bene ita liber. Antea, *parva censeo*, cum pernicie totius sententiæ. *Lipsius.* Recte è libro scripsit Lipsius, *percenseo*, cum vulgo esset *parva censeo.* Sed quæso si sententiam hoc pervertere videbat, quomodo non vidit idem facere illud quod sequitur, *majora sunt?* quod ab eodem corruptore manavit, ut alteri *parva* responderet. Miror hoc reliquisse, cum illud mutaret. Ego audacter & hoc deleo, ut totum sic scribatur: *exposita percenseo: illa secret. & tantum ipsis orantibus*

 nota.

ra, & tantum ipsis orantibus nota, majora sunt. Sive accuratam meditatamque affert orationem, est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii pondus & constantia. sive [1] novam & recentem curam non [2] sine aliqua trepidatione animi attulerit; ipsa sollicitudo commendat eventum, & lenocinatur voluptati. Sed [3] extemporalis audaciæ, atque ipsius temeritatis vel præcipua jucunditas est. [4] Nam ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen
7 quæ sua sponte nascuntur. Equidem ut [5] de me ipse fatear, non eum diem lætiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus & in civitate minime favorabili natus, quæsturam, aut tribunatum, aut præturam accepi: quam eos quibus mihi pro mediocritate hujus quantulæcumque in dicendo facultatis, aut reum prospere defendere, aut apud centumviros caussam aliquam feliciter orare, aut apud principem ipsos illos libertos & procuratores principum tueri & defendere datur. [6] Tum mihi supra tribunatus & præturas & consulatus ascendere videor, [7] tum abire: quod si

*nota. Sive accuratam, &c.* Ubi quid subintelligendum, nemo tam cæcus, qui non videat. *Illa*, scilicet quæ jam recensebo. *Acidalius.*

1 *Novam & recentem curam*] Vox *curam* videtur supervacua. Intelligenda enim ex præcedentibus nova & recens oratio. Quanquam pro oratione aut quovis scripto *curam* dicerent. Tacitus. 3. Annal. *si effecero, in qua tendi, plures ad curas vitam produxero.* Martialis 1. epigr. 67. *Secreta quare carmina & rudes curas.* Epig. 108. *Condere victuras tentem per secula curas.* Sed hic quidem ea vox sententiæ loci non conveniat. Inest enim ei significatio laboris & industriæ cujusdam. At hic oratio intelligitur nova & subito diligentiusque facta. Opponitur enim superiori illi *accurata meditataque* quam vocabat. Unde labor, ut, si non delendam, mutandam saltem vocem existimem & hunc scribendum in modum, *sive novam & recentem nec accuratam.* Dubie tamen hoc posuerim. *Idem.*

2 *Sine aliqua trepiditatione animi attulerit*] Reposui, *animi.* Nam vulgo minus recte, *animus.* Pichena. Pro *animus* legi melius potest & forte debet, *animi. Attulerit*, nempe orator. *Acidalius.*

3 *Extemporalis audacia atque ipsius temeritatis vel pracipua jucunditas est*] *Maximus studiorum fructus est, velut pramium quoddam amplissimum longi laboris, ex tempore dicendi facultas*, ut ait Fabius. Idem lib. x. cap. 1. *Vivunt enim omnia & moventur, excipimusque nova illa velut nascentia cum favore ac sollicitudine. Nec fortuna modo judicii, sed etiam ipsorum, qui erânt, periculo afficimur.* Idem. *Ad dicendum etiam pudor stimulos addit, & dicendorum expectata laus, mirumque videri potest, quod cum stilus secreto gaudeat atque omnes arbitros reformidet, extemporalis actio auditorum frequentia, ut miles congestu signorum, excitatur. Namque & difficiliorem cogitationem exprimit & expolit* (an *expellit?*) *dicendi necessitas & secundos impetus auget placendi cupido. Adeo pramium omnia spectant, ut eloquentia quoque, quamquam plurimum habeat in se voluptatis, maxime tamen prasenti fructu laudis opinionisque ducatur.* Schelius.

4 *Nam ingenio*] Insere, *nam in ingenio.* Acidalius.

5 *De me ipse fatear*] Sic Venetus. Vulgo, *de me ipso fatear.* Pichena.

6 *Tum mihi supra tribunatus &c.*] Vexatissimus locus. Hæret autem res & difficultas in his, *tum abire: quod si non in alio oritur.* Horum in prioribus aliquid desiderari credo, & legendum, *tum in cœlum*, vel potius, *sublimis* (quod optimum sed minus notum Liv. 1. cap. 12. tanto facilius perierit) *abire*, sequentia forte fuerint; *quod id scilicet non in alio moritur.* Bonis quæ in aliis moriuntur sunt prædıti, qui gratia principis sola nituntur, nec quicquam in se habent, quo contemnere injurias fortunæ possint. vid. quæ præcedunt, item cap. 8. Atque ita porro sit emendandum, *nec enim codicillis datur, nec cum gratia venit.* Respicit eo connexio, quod mortalitas terrenis, æternitas cœlestibus maxime tribuenda videatur. Conjeci etiam, *quod scilicet non ab alio oritur.* ita in reliquis nihil mutandum. Quod mihi fit verisimillimum. Est autem observatu dignum, *in alio militare* Calpurn. Flaccum pro per alium dixisse, Declam. 24. *Schultingius.*

7 *Tum abire quod si non*] Hic locus valde corruptus est. Quid si interim legamus? *Tum habere quod in alvo oritur, nec c. d.* Pithœus. Corruptio clara, nec medicina hic à libro. Pithœus tentat, *Tum habere, quod non in alvo oritur.* quod capio haud satis. Anne *in albo* voluit dicere? & prætorum jus formulasque intellexit? Fortasse etiam, *quod scilicet* (ita enim illud, *si*, diducam & extendam) *non in atrio oritur.* Præcesserat enim de plena & splendenti domo, concursu salutantum. Rodolphi lectionem, sive conjectura est, non omitto, qui in prioribus verbis legit, *tum supra me abire.* Lipsius. *Tum abire, quod si non in alio oritur, &c.* Scilicet præ gaudio mihi videar terras relinquere. *Sublimi feriam sidera vertice.* At eloquentia si non paratur cura, sive labore, nequaquam codicillis vel gratia principum acquiri potest. lib. 3. Ann. *feli-*

si non in alio oritur, [1] nec in codicillis datur, nec cum gratia venit. [2] Quæ fama & laus cujusvis artis cum oratorum gloria comparanda est, qui non illustres in urbe solum apud negotiosos & rebus intentos, sed etiam apud juvenes & [3] adolescentes, quibus morum indoles est & bona spes sui? Quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? quos sæpius vulgus imperitum, & tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat, & digito demonstrat? Advenæ quoque & peregrini, jam in municipiis & coloniis suis auditos, cum primum urbem attigerunt, requirunt ac vultus agnoscere concupiscunt. Ausim contendere, Marcellum hunc Eprium de quo modo 8
locutus sum, & Crispum Vibium (libentius enim [4] novis & recentibus quam remotis & oblitteratis exemplis utor) [5] non minus esse in extremis partibus terrarum, quam

*solitum paremque cæteris dicatorum, neque enim eloquentia fortuna discerni.* Salmerius. Difficilis & varie tentatus locus. Jam primum Rodolphus, *tum supra me abire.* cui sequentia non cohærent. Deinde Pithœus. *Tum habere, quod non in alvo* (sive *albo*) *oritur.* Muretus etiam tentavit, sed non ultra progredi potuit, quam *tum habere.* Douza 1, 16. ad Petronium putavit sic farciri lacunam posse, *tum in cœlum abire.* quod nihilo magis hæret sequentibus, quam Rodolphianum. Lusi eamdem ego aleam: & nescio an plane felicius. Scribam aliqua sane cum licentia, *tum habere, quod non in tabulis diribitur.* ut ad suffragia in honorum petitionibus respiciat, & diribitorias tabellas, quod quadrat & cum præcedentibus & sequentibus. Dixit enim de tribunatibus, præturis, & consulatibus. *Acidalius.* Tentabam: *Tum habere quod non in alios congeritur* (vel *confertur:*) *nec in codicillis datur.* Ut infra: *Quia Vespasianus venerabilis senex & patientissimus veri bene intelligit cæteros quidem amicos suos niti iis, quæ ab ipso acceperint, quæque ipsi accumulare & in alios congerere promtum est; Marcellum autem & Crispum attulisse ad amicitiam suam, quod non à Principe acceperint nec accipi possit.* Possis etiam Pithœi conjecturam simpliciter interpretari. Nam pluris illa sunt, quæ ab alio non accepimus. Aristoteles lib. 3. de moribus, ait quod hoc à nobis ipsis habeamus atque adeo à primo ortu, quod abhorremus à vitiis, illud maximum esse ait & pulcherrimum καὶ ὃ παρ' ἑτέρου μὴ οἷόν τε λαβεῖν μηδὲ μαθεῖν. Idem Topicorum 3. magis concupiscendum esse dicit, quod ab alio accipi non possit, quam quod possit: καὶ ὃ μή ἐστι παρ' ἄλλου πορίσασθαι, ἢ ὃ ἔστι παρ' ἄλλου. *Schelius.* Legendum videtur: *tum habere, quod* (*si non in animo oritur*) *nec in codicillis.* Frequens etiamnum est pro *animo* scribi *alvo.* Sed per codicillos intelligit principum literas, quibus administrationes mandabant. Tacitus in vita Agr. 40. *codicillos, quibus ei Syria dabatur.* Ejusmodi codicillorum in jure crebra mentio. *Freinshemius.*

1 *Nec in codicillis datur, nec cum gratia venit*] Solebat enim Princeps honores quibusdam largiri suo ex arbitrio & id in codicillis, de quo ritu erudite & diligenter Lipsius ad 13. Ann. quanquam trahere hanc dictionem etiam ad testamentales legationes possis, quæ in codicillis olim concipiebantur. Hæc, *cum gratia venit*, ad honorum impetrationem manifeste referenda etsi & illud ipsum scribi malim abjecto *cum: nec gratia venit.* elegantiore sensu & phrasi. *Acidalius.*

2 *Quæ fama & laus*] Desideratur transitiva particula (Forte, *Jam quæ fama, &c.*) vel quæ alia similis. Transit enim à voluptate oratoriæ ad dignitatem. quod sine tali aliqua particula nequit. *Idem.*

3 *Adolescentes quibus morum indoles est*] Romana editio, *quibus major indoles.* Lipsius. Muretus, *quibus modo & indoles est.* Atque & sane etiam in vulgatis libris. Ego aliter rectius non dico: *quibus* (forte &) *majorum indoles est, & bona spes sui.* Nam Sueton. Aug. 8. plane ad Taciti exemplum: *approbata etiam cito morum indole super itineris industriam.* Acidalius. Acidalius, *quibus & majorum indoles.* Nihil patior mutari. Plautus Trinummo: *Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industria.* Corn. Nepos in Eumene: *Fulgebat jam in adolescentulo indoles virtutis.* Justinus lib. 39. *in suorum quisque vestigia intentis magna indoles virtutis enituit.* Nam *mores* κατ' ἐξοχὴν boni mores. Ut apud Senecam *Periere mores.* Diximus in Observationibus. Itaque *morum indoles*, & *indoles virtutis* & *indoles industria* hic eadem res est. *Gronovius.*

*Quibus morum indoles*] Cicero & Livius *virtutum vitiorumque indolem* quidem dixerunt: haud perinde tamen placet. *quibus morum indoles*, nec ad hunc facit locum. Romana editio, *major indoles.* Suspicere legendum, *juvenes & adolescentes quibus majorum indoles & bona spes sui.* Schelius.

4 *Novis & recentibus*] In margine scripsi *notis.* Lipsius. Alii mallent *notis.* Ego non muto. Sic paulo supra dixit, *novam & recentem curam.* hist. 4. *donec nova & recentia jura, in vetustatem consuetudine vertantur.* & in hoc ipso libello sæpe invenias, *veterem & antiquum.* Pichena.

5 *Non minus esse*] Videtur legendum: *non minus notos esse, &c.* Cum in vulgatis desit verbum, *notos*, sine quo sententia stare non potest. *Ursinus.* Vox deest, quam à me repono: *non minus esse notos in extremis.* Lipsius. Quis etiam dicitur ibi esse ubi viget ejus gloria. *Salmerius.* Lipsius sensu probo. id enim velle ostendit quod præcessit. *Advenæ quoque & peregrini jam in municipiis & coloniis suis auditos*

quam Capuæ aut Vercellis, ubi nati dicuntur. 1 nec hoc illis alterius ter millies 2 sestertium præstat, quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiæ beneficio venisse. Ipsa eloquentia, cujus numen & cœlestis vis multa quidem omnibus sæculis exempla edidit, ad quantam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint. Sed hæc, 3 ut supra dixi, proxima, & quæ non auditu cognoscenda sed oculis spectanda haberemus. Nam quo sordidius & abjectius nati sunt, quoque notabilior pau-

*ditos cum primum urbem attigerunt, requirunt ac vultus agnoscere concupiscunt.* Minus tamen audax fortasse sit: *Non minus nosci in extremis, &c.* Cicero in Oratore: *Ergo ex omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio, in qua frueris ipse te, cum in Italia luce cognosceris, versarisque in optimorum civium vel flore vel robore.* Posses interpretari non incommodo *τὸ esse* de fama eorum; quod in extremis quoque terrarum partibus sint fama & gloria nominis sui. Siquidem *extrema terrarum partes* opponerentur *Romæ*, id est, ei loco, in quo illi erant. At cum Capuæ & Vercellis, ubi præsentes non erant, opponatur obscurior & minus apta hæc locutio videretur. Infra. *Hoc studio non aliud in Civitate vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari posse.* Ubi observa *urbis famam, imperii atque omnium gentium notitiam* non tantum significare famam, quam urbs habet, sed famam quam aliquis in urbe: *notitiam gentium* etiam dici innotescere gentibus; non tantum notitiam gentium habere. Utraque enim significatione hæc & similia multa usurpant Latini. Cicero in Pisonem. *Jamne vides bellua, jamne sentis qua sit hominum querela frontis tua.* Schelius.

1 *Nec hoc illis alterius ter millies sestertium*] In morbo locus & defectu. Scribas & distinguas: *nec hoc illis alterius ter millies, alterius bis millies HS. præstat (quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentia beneficio pervenisse) sed ipsa eloquentia. cujus numen &c.* Quæ addidi satis mihi certa sunt, numero tantum excepto. nam certe utriusque opes exprimere propositum habuit. Rodolphus scribebat, *nec hoc illis utriusque ter millies* HS. quod amplectar, si à libris. *Lipsius.* Id est, Eprii & Vibii: *alter* enim duos continet. Terent. Andr. *postquam amans accessit pretium pollicens Unus & item alter.* Ubi Donatus. Virgil. Æn. *Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus.* & ibi Donatus. Quod unusquisque horum habuit ter millies sestertium: quæ summa post Senecam quasi præmium perfectæ eloquentiæ videbatur 14. ann. *Qua sapientia, quibus philosophorum præceptis, intra quadriennium regia amicitia ter millies sestertium paravisset.* Cæterum *ter millies sestertium*. si credimus Budæo de Asse, nobis sunt septem milliones, & quingenta millia aureorum. Sed quam immanis illa summa, qua Vespasianus remp. dixit egere Suet. 16. *professus quadringenties millies opus esse ut resp. stare posset.* Legerem, *quadragies.* Sed libri adversantur & insignis ille Jurisconsultus de re nummar. Dicamus igitur Vespasianum ὑπερβολικῶς locutum ad augendam inopiam fisci. *Salinerius.* Locum, qua potuit bene Lipsius restituit & distinxit: postrema pars adhuc non concinna satis. quæ ut rectius cum superioribus copuletur, totum locum distinctum & emendatum etiam alicubi à me ascribam: *Nec hoc illis alterius ter millies, alterius sestertium præstat, (quanquam &c. eloq. benef. pervenisse) sed ipsa eloquentia. cujus numen, &c. pervenerint: sed hac, ut supra dixi, proxima* (noli probare cum Lipsio quod in vulgatis libris, *propria*) *& qua non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda habemus.* non *haberemus.* Illud alterum in excusis quibusdam etiam libris, & Mureti erat. atque ipse probasse videbatur. *Acidalius.* Obscurus & intricatus sensus, ni legas & distinguas. *Nec hoc illis ter millies sestertium præstat (quanquam ad has i. opes p. videri el. ben. venisse) sed ipsa eloquentia cujus, &c.* Freinshemius. Lipsius: in morbo locus & defectu, scribas & distinguas. *Nec hoc illis alterius ter millies, alterius bis millies* HS. Minus audax Rodolphi illud; *utriusque ter m.* HS. Schelius.

*Nec hoc illis alterius*] Scriptum antiquitus fuisse existimo: *nec hoc illis alterive ter millies sestertium præstat.* Velut incertus, ad eamne summam ambo venerint, ita loquitur tamen, ut utrumque virtute eloquentiæ prædivitem factum facile doceat. *Barthius* 44. Advers. 8. Forte, *Nec hoc illi aut alteri ter millies.* Schultingius.

2 *Sestertium præstat, quanquam ad has i. o. p. v. e. beneficio venisse: sed ipsa eloq.*] Sic distinguendus est hic locus. *Pithœus.*

3 *Sed hac, ut supra dixi*] Totam periodum scripsi, uti in Farnesiano concepta. Non displiceat tamen è vulgatis libris, *propria*, pro, *proxima*. Lipsius. Nihil tamen aliud supra dixit, nisi hoc; *Quid aliud nuper infestis patribus Eprius Marcellus quam eloquentiam suam opposuit.* Et paulo ante hæc ipsa. *Libentius enim novis & recentibus quam remotis & oblitteratis exemplis utor.* Schelius.

*Sed hac, ut supra dixi, proxima*] Id est, non remota ab oculis aut cognitione, sed obvia. quomodo ipse interpretatur auctor. Prudent. περὶ στεφάν. *Sed quia profunda non licet luctarier Ratione tecum, consulamus proxima.* Apul. in Apolog. *Nec tu, Claudi Maxime, nimis patiens vir es, & oppido proxima humanitate.* Declam. 13. Quintiliani Junioris. *Non est damnum id perdidisse, quod (ut proximo utar argumento) si habere voluero, emendum est?* Ita *proxima similitudo* obvia & cuivis nota. Quintilianus avus Decl. 329. Possum proferre & loca alia: sed hæc sufficiunt ad demonstrandum, temere Lips. *proxima* in *propria* mutatum voluisse. *Schultingius.*

1 *An-*

paupertas & [1] angustia rerum nascentes eos circumsteterunt; eo clariora & ad demonstrandam oratoriæ [2] eloquentiæ utilitatem illustriora exempla sunt. quod sine commendatione natalium, [3] sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus, per multos jam annos [4] potentissimi sunt civitatis, ac donec libuit principes fori; nunc principes in Cæsaris amicitia, agunt feruntque cuncta: atque ab ipso principe cum quadam reverentia diliguntur. Quia Vespasianus venerabilis senex & [5] patientissimus veri, bene intelligit, ceteros quidem amicos suos niti iis, quæ ab ipso acceperint, quæque ipsi accumulare, & in alios congerere promptum est: Marcellum autem & Crispum, attulisse ad amicitiam suam, quod non à principe acceperint, nec accipi possit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent [6] imagines, ac tituli & statuæ quæ neque ipsa tamen negliguntur: [7] tam hercule quam divitiæ & opes, quas facilius invenies [8] qui vituperet, quam fastidiat. His igitur & honoribus, & ornamentis, & facultatibus, refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia caussis forensibus & oratorio studio dederunt. Nam carmina & versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat (in- 9
de enim omnis fluxit oratio) neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant, neque utilitates alunt: voluptatem autem brevem, laudem inanem & infructuosam consequuntur. Licet hæc ipsa, & quæ deinde dicturus sum, aures tuæ, o Materne, respuant, [9] cui bono est si apud te Agamemnon aut Jason diserte loquitur? quis ideo domum defensus, & tibi obligatus redit? Quis Saleium nostrum egregium poëtam, vel (si hoc honorificentius est) præclarissimum vatem deducit, aut salutat, aut prosequitur? Nempe si amicus ejus, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, [10] ad hunc Secundum recurret, aut ad te Materne, non quia poëta es, neque ut pro eo versus facias. hi enim Basso domi nascuntur, pulchri quidem & jucundi. quorum tamen hic exitus est, ut cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extudit & elucubravit, rogare ultro & ambire cogatur, ut sint qui dignentur audire: & ne id quidem gratis. nam & domum mutua-

tur,

1 *Angustia rerum*] Rom. editio, *angustiam ereptum.* ex quo Rodolphus, *angustia parentum.* ego, *angustia rerum.* Lipsius.

2 *Eloquentia utilitatem*] Non agit amplius de utilitate, sed jam de dignitate eloquentiæ. Scribam ergo *nobilitatem.* Acidalius.

3 *Sine substantia facultatum*] *Subflautia* pro opibus medii ævi scriptoribus frequens. Nescio an à Græcis sumtum qui *οὐσίας* vocabulo facultates designant. quod tamen *essentiam* interpretatur Quintilianus. *Schelius.*

4 *Potentissimi sunt civitatis*] Rodolphus, *potentissimi in judiciis.* Lipsius.

5 *Patientissimus veri*] Quorsum hic prædicat in Vespasiano *veri patientiam?* In vulgatis olim *vir* est. Inde legam accommodatius ad sensum loci, *sapientissimus vir.* Acidalius.

6 *Imagines, ac tituli & statue*] Præclare liber. Vulgo erat, *imagines Attali & statua.* quis ingenio suo duce reppersset? *Lipsius.*

7 *Tam hercule, quam divitie & opes*] Id est, pari hercle modo, quo divitiæ & opes. Geminum est cap. 21. *tam hercule quam Brutum philosophia sua relinquamus.* Non est autem temere illud *divitiæ & opes:* quamvis imperiti judicare possint *ταυτολογίαν* in his esse commissam. Jungit ita & Justin. 1, 7. & Flor. 3, 12. Plura complectitur vox *opes* quam *divitiæ.* Nam & *potentiam* denotat. Tacit. 12. Ann. 13. *Castellum insigne fama, quod postremo inter Darium atque Alexandrum prælio Persarum illic opes conciderant.* Dictas autem *opes* volunt, quasi oves: quarum in multitudine & præstantia, ut & jumentorum, olim præcipuæ divitiæ & potentia. Igitur hac de causa Herculem incessisse cupido videtur *μῆλα Ἑσπερίδων* rapiendi; ut & jumenta Geryonis. Hinc & Hesiod. *ἔργ.* 162. *μῆλα Οἰδιπόδαο* pro regno ponit Oedipi; quem ad locum Moschopulus & Proclus videantur. Successit dein pecunia, etiam apud Hebræos, qui nummos nota ovium percussos habuisse videntur. Vide Belgas interpretes ad Genes. 33, 19. *Schultingius.*

8 *Qui vituperet, quam fastidiat*] Muretus *qui* inserit: *quam qui fastidiat.* Recte, sed & recte abesse potest. *Acidalius.*

9 *Cui bono est si apud te*] Sic optime quoque liber. Antea, *crebro esse apud te.* Liplius.

10 *Ad hunc Secundum recurret*] Puto, *decurret.* Justinus lib. 16. *iterato ad oraculum decurrunt.* Et,

*Ad*

tur, & [1] auditorium exstruit, & subsellia conducit, [2] & libellos dispergit: & ut beatissimus [3] recitationem ejus eventus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem, [4] velut in herba vel flore præcepta, ad nullam certam & solidam pervenit frugem: nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut mansurum in animo cujusquam beneficium, sed clamorem vagum, & voces inanes, & gaudium volucre. Laudavimus nuper ut miram & eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset. Pulchrum id quidem, indulgentiam Principis ingenio mereri; quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, [5] se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem? Adjice quod poëtis, [6] si modo dignum aliquid elaborare & efficere velint, relinquenda conversatio amicorum, & jucunditas urbis, deserenda cætera officia, utque ipsi dicunt, [7] *in nemora & lucos*, id est,

*Ad Clearchum, quem ipsi in exilium egerant, decurrunt.* Gronovius.

1 *Adjutorium exstruit*] Emendavi, *auditorium extruit.* De hoc ambitioso recitandi more, multa apud Plinium in epistolis. *Rhenanus.*

2 *Et libellos dispergit*] Scriptum aliquod recitaturi libellos spargere atque in publico proponere solebant, ut quam plurimos auditores ad diem prædictam convocarent: amicos autem per codicillos sive epistolas aut voce ipsa invitabant. Plinius lib. 3. epist. 18. *Pichena.*

3 *Recitationem*] Ita scribe. Antea, *recitationum.* Lipsius.

4 *Velut in herba vel flore præcepta*] *Percepta* est in editione Quintiliani Stoeriani: sed nihil mutandum. Sic enim passim boni auctores. Ovidius Fastorum IV. *Testa fuit tellus præcipiturque seges.* Virgilius. *Si lac præceperit æstas.* Possis tamen etiam *præcerpta.* Schelius.

5 *Se ipsum colere, suum genium propitiare*] Auxi à libro, & partim correxi. Nam in illo erat, *suum ingenium propitiare.* pro quo sensus ipse facile suggessit *Genium.* Lipsius.

6 *Si dignum aliquid elaborare & efficere velint*] *Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid & eniti forsasse possum.* Quintilianus: *Ne perderem quæ jam effecta erant, per omnes difficultates animo me sustentavi.* Sic *efficere literas* est Quintiliano exprimere & perfecte reddere sonum earum. Lib. I. cap. XI. *In primis vitia si qua sunt oris emendet ut expressa sint verba, ut suis quæque litera sonis enuntientur. Quarundam enim vel exilitate vel pinguedine nimis laboramus, quasdam velut acriores parum efficimus, & aliis non dissimilibus, sed quasi hebetioribus, permutamus.* Cicero: *ut virilis tua vox aliquid possit significare, quidnam effectura videatur.* Paulo aliter Quintilianus lib. VI. *Tum si qua minus fuerint effecta, iis, quæ levius adhuc adflicti cœperamus, imperitiæ aut fortunæ remittantur.* Ubi vitiata illa postrema nemo non videt: emendatio fortassis haud perinde facilis. Veniebat in mentem *injuriæ fortunæ.* Cicero de natura deorum lib. I. *Hortata est etiam ut me ad hæc conferrem animi ægritudo, fortunæ magna & gravi commota injuria.* Quam conjecturam ut nemini obtrudere pro vera velim, ita à sensu tamen fortassis non multum aberrat. quippe sibi tanta vi fortunæ perculso veniam dari postulat, si qua ingenium debilitatum sit; *injuriæ fortunæ remittantur*, ut dicimus: ignoscas occupationibus, &c. Adscribam sequentia, ut ibi saltem Quintilianum ab aliquo mendo purgem. *Quæ, si quid mediocrium alioqui nostro ingenio virium fuit, ut non extinxerit, debilitavit tamen. Sed vel propter hoc nos contumacius erigamus, quod illam ut perferre nobis difficile est, ita facile contemnere. Nihil enim sibi adversus me reliquit & infelicem quidem, sed certissimam tamen attulit ex his malis securitatem. Boni autem consulere nostrum laborem vel propter hoc certum est* (*Cæcum*, unde Muretus & Gulielmius *æquum.* Scribe, *æquorum est* vel *cæterorum est.* Nam filio scripserat, ut jam audiemus, in quo erudiendo duplex cura à Quintiliano postulabatur tanquam à parente & magistro. hujus respectu cæterorum esse ait boni consulere:) *quod in nullum jam proprium usum perseveramus, sed omnis hæc cura ad alienos, ut alienis utilis, (si modo quid utile scribimus:) spectat. Nos miseri sicut facultates patrimonii nostri, ita hoc opus, aliis præparavimus: aliis relinquemus.* ita scripsit; non *præparamus.* jam enim fato functo filio non poterat dicere se aliis præparare, aliis relicturum. Janus Gulielmus volebat *properabamus.* ait enim supra se festinasse metu mortalitatis suæ. Sed hoc minus quadrat in id, quod præcessit de facultatibus patrimonii. *Schelius.*

7 *In nemora & lucos, id est, solitudinem, recedendum*] Malim *secedendum* ut infra: *Secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris.* Item Quintilianus lib. X. c. 7. *Stabitne mutus & salutarem petentibus vocem statim, si non succurratur, perituris moras & secessum & silentium quæret, dum illic* (ita scribe. vulgo *illa*:) *verba fabricentur & memoria insidant & vox ac latus præparetur.* Noster: *Malo secretum & securum Virgilii secessum. Carmina secessum scribentis & otia quærunt.* Fabius lib. X. c. 5. *Ideoque mihi videtur M. Tullius tantum intulisse eloquentiæ lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit.* Corruptum hoc ipsum verbum apud Fabium in X. c. I. *Germanicum Augustum ab institutis* stu-

est, in solitudinem recedendum est. Nec opinio quidem & fama cui soli serviunt, 10
& quod unum esse pretium omnis sui laboris fatentur, æque poëtas quam oratores sequitur. quoniam [1] mediocres poëtas nemo novit, bonos pauci. Quando enim rarissimarum recitationum fama [2] in totam urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innotescat. Quotusquisque cum ex Hispania vel Asia, [3] ne quid de Gallis nostris loquamur, in urbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeo [4] si quis requirit & semel vidit, transit & contentus est: ut si picturam aliquam vel statuam vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tanquam eos quibus [5] natura sua oratorium ingenium denegavit, deterream à carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium & nomen inserere possunt famæ. ego vero omnem eloquentiam omnesque ejus partes sacras & venerabiles puto: nec solum cothurnum vestrum, aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque jucunditatem, & elegorum lascivias, [6] & jamborum amaritudinem, epigrammatum lusus, & quamcumque aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo. sed tecum mihi Materne res est, [7] quod cum natura tua in ipsam arcem eloquentiæ ferat, errare mavis, & summa adeptus, in levioribus subsistis. Ut si in Græcia natus esses, ubi ludicras quoque artis exercere honestum est, ac tibi [8] Nicostrati robur ac vires dii dedissent,

*studiis deflexit cura terrarum parumque diis visum est esse eum maximum poetarum. Quid tamen iis ipsis ejus operibus in qua donatus imperio* (scribe *donato imperio*, ut monuit pridem, vel *natus imperio:*) *juvenis secesserat*, (ita enim legendum. vulgo *successerat:*) *sublimius, doctius, omnibus denique numeris præstantius? Recessus* tamen & *secessus* aliquando à veteribus confundi videntur, ut alibi ostendimus. Apud Tacitum historiarum primo, *repositus* etiam pro *sepositus:* ubi de Muciano. *Insignes amicitias juvenis ambitiose coluerat, mox attritis opibus lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia, in secretum Asiæ repositus tam prope ab exule fuit quam postea à principe.* Lege inquam *sepositus*, ut fere in re simili dixit hoc ipso libro; *Specie legationis seposuit.* item, *Tanquam in insulam Scipio seponeretur.* Rursus, *Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in Coloniam Aquinatem.* lib. 11. *In Coloniam Aquinatem sepositum ab Othone.* Suetonius: *Sepositus per causam legationis.* Idem.

1 *Mediocres poëtas nemo novit, bonos pauci*] Nemo mediocres poëtas novit, quia scil. nomen famamque non habent, atque illorum carmina nemo legit, boni autem pauci reperiuntur, ideo à paucis noscuntur ac leguntur. Horat. de arte poët.

—— *mediocribus esse poëtis,*
*Non homines, non Dii, non concessere columnæ.*

Pichena.

2 *In totam urbem penetrat? nedum*] Restitui, cum in scripto esset, *penetrat medium:* in vulgatis, *metrum.* Lipsius.

3 *Ne quid de Gallis nostris loquamur*] *Galliis* magis placet. *Schultingius.*

4 *Si quis requirit & semel vidit*] Lego, *ut semel vidit*, id est, postquam. *Acidalius.*

5 *Natura sua oratorum ingenium denegavit*] Sive adeo, *oratorium.* Idem.

6 *Et jamborum amaritudinem, epigrammatum*] Insere copulam, *& epigramm.* Idem.

7 *Quod cum natura tua in arcem eloquentiæ ferat, errare mavis*] Lucretius:

*Munita tenere*
*Edita doctrina, sapientum templa serena.*
*Despicere unde alios queant passimque videre*
*Errare atque viam palantes quærere vitæ.*

Sed cum addat noster, *Et summa adeptus in levioribus subsistis*, dubito anne fuerit: *hærere mavis.* Suetonius Augusto. *Circa libidines hæsit, postea quoque ut ferunt, ad vitiandas virgines promior quæ sibi undique etiam ab uxore conquirerentur.*

*Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ*
*Hectoris Æneæque manu victoria Grajum,*
*Hæsit, & in decimum vestigia rettulit annum.*

Cicero Acad. Quæst. IV. *Ad quamcunque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhærescunt.* Quintilianus: *Atque plerosque videas hærentes circa singula, & dum inveniunt & dum inventa ponderant ac dimetiuntur.* Schelius.

*Eloquentia ferat, errare mavis & summa adeptus*] Credam melius: *eloquentia te ferat, errare mavis & summa adepturus.* Eadem criminatio supra: *Quod natus ad eloquentiam virilem & oratoriam, qua parare simul & tueri amicitias, adsciscere nationes, complecti provincias possit, omittis studium, quo &c.* Acidal.

8 *Nicostrati robur*] De quo Quintilianus lib. 2. cap. 9. *At si fuerit, qui docebitur, ille, quem adolescentes senem vidimus, Nicostratus: omnibus in eo docendi partibus similiter utetur, efficietque illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quo utroque certamine iisdem diebus coronabatur) invictum.* Quod ipsum suadet de Quintiliano libelli hujus auctore. Ac de Nicostrato palæstrita etiam Pausanias in Eliacis *Lipsius.*

dediſſent, non paterer [1] immanes illos & ad pugnam natos lacertos, levitate jaculi aut jactu diſci vaneſcere: ſic nunc te ab auditoriis & theatris, in forum & ad cauſſas, & ad vera prœlia voco. cum præſertim ne ad id quidem confugere poſſis, quod pleriſque patrocinatur, tamquam minus [2] obnoxium ſit offendere poëtarum quam oratorum ſtudium. Effervescit enim vis pulcherrimæ naturæ tuæ, nec pro amico aliquo, ſed quod periculoſius eſt, pro Catone offendis. nec excuſatur offenſa neceſſitudine officii, aut fide advocationis, aut fortuitæ & ſubitæ dictionis impetu: meditatus videris elegiſſe perſonam notabilem, & cum auctoritate dicturam. [3] Sentio quid reſponderi poſſit. [4] hinc ingentis ex his aſſenſus, hinc in ipſis auditoriis præcipue laudari, & mox omnium ſermonibus ferri. Tolle igitur quietis & ſecuritatis excuſationem, cum tibi ſumas adverſarium ſuperiorem. nobis ſatis ſit privatas & noſtri ſæculi controverſias tueri, [5] in quibus expreſſis ſi quando neceſſe ſit pro periclitante
11 amico potentiorum aures offendere, & probata ſit fides, & libertas excuſata. Quæ cum dixiſſet Aper acrius, ut ſolebat, & [6] intento ore: remiſſus & ſubridens Maternus, [7] PARAVI, inquit, me non minus diu accuſare oratores, quam [8] Aper laudat.

1 *Immanes illos & ad pugnam natos*] Ex veteribus addidi copulam, quæ in vulgatis exciderat. *Pichena.* Velim ſane addi copulam, *immanes illos & ad pugnam, &c.* Acidalius.

2 *Obnoxium ſit offendere*] Neſcio quid in hac lectione inconcinnum: nec dubito, quin auctor ſcripſerit: *obnoxium ſit offenſa.* Acidalius.

3 *Sentio quid reſponderi poſſit*] Hic locus aſteriſco mihi indigere videtur. *Pithœus.* Defectum odoror & aſteriſcum poni velim, ante verbum *hinc*, Lipſius. Defectum hic Lipſius cenſet. Ego vero ſupereſſe etiam aliquid cenſeam, *ex his.* Nam quid hoc ſibi vult, cum jam dixerit *hinc.* Sed bene habet. Neque deeſt, neque ſupereſt quidquam. Ex hoc ipſo quod ſuperfluere videtur, explendum, quod deſiderari manifeſtum eſt. Muta, *exiſtere*, & ſcribe: *hinc ingentes exiſtere aſſenſus, &c.* Nec diſſimulo ſic & Muretum conjeciſſe. *Acidalius.*

4 *Hic ingentis ex his aſſenſus, hinc in ipſis*] Pro, *ingentes*, *ingentius* ergo. Callide jugulat Aper quæ Maternus, ut potiora, in ſui defenſionem præmiſſurus erat: ſcil. quietem & ſecuritatem. dices, ajo, eo te Catonem elegiſſe, quod inde major tibi gloria, & aſſenſus: eſto, ſed ubi quæſo tua illa quies, quam toties jactas; eriſne ſecurus offenſis auribus Imperatoris? *ex aſſenſus* hic non reſpectu elegantiæ carminum, nam id ſupra jam dictum: *& ut beatiſſimus recitationum ejus eventus proſequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem velut in herba vel flore præcepta.* Sed reſpectu principis, quem in Catone intra ordinem redigebat, unde magnus aſſenſus omnium auditorum. *Tolle igitur quietis & ſecuritatis excuſationem, cum tibi ſumas adverſarium ſuperiorem, nobis ſatis ſit privatas & noſtri ſeculi controverſias tueri.* quod de aſſenſu adverſus principem dixi fallax conjectura non eſt, ſi hæc ſaltem percurras, quæ eadem tempeſtate geſta ſunt 4. hiſt. *Ubi ad Helv. Priſcum præterem deſignatum ventum, promiſit ſententiam ut honorificam in bonum principem, falſa aberant, & ſtudiis ſenatus attollebantur; iſque dies illi præcipuus, magnæ offenſæ initium & magnæ gloriæ fuit.* Salinerius. Pithœus & Lipſius locum hunc aſteriſco notant quaſi defectum, ſed nulla ni fallor cauſa. Scribe. *His ingentes exſtari aſſenſus, hic in ipſis, &c.* Plinius epiſt. IV. *Diſponit qui nuntiant ſibi quem aſſenſum, quos clamores excitarim.* Poſſis etiam: *hinc ingentes exiſtere aſſenſus.* Schelius.

*Hinc ingentis ex his aſſenſus*] Placet Acidalii *exiſtere.* Sed quod ſequitur mirum eſt neminem notaſſe ſcribendum: *hac in ipſis auditoriis præcipue laudari, & mox omnium ſermonibus ferri.* Gronovius. Senſus dilucidior, *hinc ingentem eſſe his aſſenſum*, &c. Reſpondere tu potes, ſi perſonæ ſint notabiles & cum auctoritate dicturæ, per quas potentes perſtringantur, & offendantur; hinc tragœdiis tuis majorem applauſum, aſſenſum, & comprobationem eſſe. Sed tu prom tolle quietis & ſecuritatis excuſationem &c. Ita aſteriſco, quem poſitum hic Pithœus velit, & Lipſius, nullo ſit opus. *Schultingius.*

5 *In quibus expreſſis ſi quando neceſſe ſit.* Pro his verbis fortaſſe: *in quibus expreſſit ſi quando neceſſitas.* Lipſius. Vocem *expreſſis* non capio ſatis, nec quid ea faciam, ſcio. *Acidalius.* Aſſentior Lipſio legenti *neceſſitas expreſſit.* Fabius l. x. c. VII. *Namque & difficiliorem cogitationem exprimit & expellit dicendi neceſſitas.* c. 11. *Paravi*, inquit, *me non minus diu accuſare oratores quam Aper laudat.* Lipſius, *Laudare.* Scripſerim: *Laudavit.* Schelius. Lego, *in quibus & profeſſis* (quod tibi nunc, Materne, quotidianum, nec ſine ſummo tuo periculo) *ſi quando neceſſe ſit* &c. *Schultingius.*

6 *Intento ore*] Dubito an potius, *intentior.* Acidalius.

7 *Paravi, inquit, me* &c.] Accommodatius ad ſenſum, *Paraveram, inquit, me, non minus diu accuſare oratores, quam Aper laudaret.* Schultingius.

8 *Aper laudat*] Forte, *laudavit*, vel *laudare.* Nec tamen quidquam fere intereſt. *Acidalius.*

1 *Præ-*

dat. Fore enim arbitrabar, ut à laudatione eorum digressus detrectaret poëtas, atque carminum studium [1] prosterneret: arte quadam mitigavit, concedendo his qui caussas agere non possent, ut versus facerent. Ego autem sicut in caussis agendis [2] efficere aliquid & eniti fortasse possum, ita recitatione tragœdiarum [3] ingredi famam auspicatus sum, [4] tum quidem cum in Nerone [5] improbam & studiorum quoque sacra profanantem vaticinii potentiam fregi: & [6] hodie si quid [7] in nobis notitiæ ac nominis est, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum. ac jam me sejungere à forensi labore constitui, nec comitatus istos & egressus aut [8] frequentiam salutationum concupisco: non magis [9] quam æra & imagines, quæ etiam me nolente in domum meam irruperunt. Nam [10] statum cujusque ac securitatem melius innocentia tueor quam eloquentia. nec vereor, ne mihi umquam verba in senatu nisi pro alterius discrimine facienda sint. [11] Nemora vero, & luci, & secretum [12] ipsum

1 *Prosterneret arte quadam*] Leviter hæc hiant, quæ ita facile sarcias, *prosterneret.* id arte *quadam mitig.* Ceterum *detractares* hoc significatu etiam infra: *Nunc detractasse nominatim antiquos auctores contentus.* Item: *plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam, quam Virgilii detractent.* Alias *obtrectare* pro eodem vulgatius. Item hic infra: *Nam quod invicem se obtrectaverunt.* Et Tacit. 1. Ann. *Non obtrectari à se urbanas excubias.* Idem.

2 *Efficere aliquid & eniti*] Cicero divinatione in Q. Cæcilium. *in quo ego quid eniti aut efficere possim.* Schelius.

3 *Ingredi famam*] Tacitus. *Primas dominandi spes in arduo ubi sis ingressus adesse studia & ministros.* Idem.

*Ingredi famam auspicatus sum*] Sufficeret, *famam ingressus sum.* Sed in *auspicium*, & *auspicari* est quiddam vulgo non notum. Exempla id ostendunt. Justin. 26, 12. de Gallis. *Conjuges & liberos suos trucidant, auspicia belli parricidio incipientes.* Lib. 27. init. *Mortuo Syriæ rege Antiocho, cum in locum ejus filius Seleucus successisset, hortante matre Laudice, quæ prohibere debuerat, auspicia regni a parricidio cœpit.* Vulgo esset, regnum incepit, vel auspicatus est a parricidio. Sueton. in Calig. non minus notabili ratione c. 54. *Nec alia de causa videtur eo die, quo periit, pervigilium indixisse, quam ut initium in scenam prodeundi licentia temporis auspicaretur.* Schultingius.

4 *Tum quidem cum in Nerone*] Corruptus hic locus, si ullus alius, hoc in Dialogo. Lego, duces verorum verborum, & quantum conjicio, superstites secutus litteras, *& tum quidem, cum in Nerone improbam, & summorum quoque sacra profanantem vatum impotentiam fugi vel fugimus.* Summorum sacra vatum profanavit, dum nimium vulgat, aut ad turpia transfert. Suet. Ner. cap. 38. Improba impotentia, quod ingenio & eruditione florentes poëtas afflixit; quod de Lucio Annæo Seneca, & Lucano notum est. add. Tacit. 14, 52. *Idem.*

5 *Improbam & studiorum quoque sacra profanantem vaticinii*] Scribendum, *cum in Nerone improbatam & studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi*, diximus 3. Observ. 4. *Gronovius.*

6 *Hodie si quid*] Rom. addit copulam, *& hodie* recte. *Lipsius.*

7 *In nobis*] Detrahe præpositionem *in.* Acidalius.

8 *Et frequentiam salutationum*] Nescio an scripserit, *salutantium?* supra Aper: *Quid enim dulcius libero & ingenuo animo & ad voluptates honestas nato quam videre plenam semper & frequentem domum concursu splendidissimorum hominum?* Schelius.

9 *Quam æra & imagines*] Lege; *Quam illa æra, &c.* Acidalius.

10 *Statum cujusque ac securitatem*] Malo, *statum huc usque.* De se loquitur: & respondet illi parti Apriniæ orationis, quæ eloquentiam telum esse voluit ad pericula omnia propulsanda. *Lipsius.* Vulgo. *tueor.* Ideo Lipsius corrigendum censuit, *huc usque* pro *cujusque.* Mihi levior mutatio visa, *tuetur*, & sententia fortasse expeditior. ut *innocentia*, & *eloquentia*, sint primo casu. *Pichena.* Respondent his, quid erit tutius, quam eam exercere artem, qua semper armatus præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus. Maternus oratores sui temporis acerbe perstringit, qui toti delationibus vacabant. Ego, ait, qui diu ab eloquentia oratoria desuevi, plus hominibus consulo mea innocentia, id est, dum neminem defero, quam oratores illi, quorum eloquentia tot illustres viros pessundedit. *Salmerius.* Lipsius *statum huc usque*, quod non displicet. Ipse conjeceram, *statum quoque ac securitatem*; quod magis profluere videtur. *Schultingius.*

11 *Nemora vero & luci & secretum ipsum tantam mihi afferunt voluptatem*] Quintilianus lib. x. c. 111. *Secretum atque liberum arbitris locum & quam altissimum silentium scribentibus maxime convenire nemo dubitaverit. Non tamen protinus audiendi, qui credunt aptissima in hoc nemora sylvasque quod illa loci libertas locorumque amœnitas sublimem animum & beatiorem spiritum parent.* (reponendum *pariant.*) Cicero de orat. 2. *Ea* (res & sententiæ) *vi sua verba parient, quæ semper satis ornata mihi quidem videri solent, si ejusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur. Mihi certe jucundus hic magis quam studiorum hortator*

ipsum quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerem, quod nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes ac lacrymas reorum componuntur: sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. Hæc eloquentiæ primordia, hæc penetralia: [1] hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus, in illa casta & nullis contacta vitiis pectora influxit. sic oracula loquebantur. [2] Nam lucrosæ hujus [3] & sanguinantis eloquentiæ usus, recens, & malis moribus natus, atque, ut tu dicebas Aper, *in locum teli* repertus. Ceterum felix illud, &, ut more nostro loquar, *aureum*

*videtur esse secessus.* Et mox. *Quare sylvarum amœnitas & præterlabentia flumina & inspirantes ramis arborum aura volucrumque cantus & ipsa late circumspiciendi libertas ad se trahunt, ut mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationem quam intendere.* Schelius.

1 *Hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus*] *Commoda* non satis aptum. Et ex altera lectione *commodata*, facillimum emendare *commendata*, ut censuit & Muretus. *Acidalius.* Forte rectius *commodata.* Vult eloquentiam etiam homini cœlitus utendam datam. *Freinshemius.* Adscribitur in margine Lips. *commodata*, vel, *comta*. lege, *commendata*. Fab. l. 8. c. 3. *Cultu atque ornatu se quoque commendat qui dicit.* Idem l. 1. c. 6. *Vetera majestas quadam & ut sic dixerim religio commendat.* Infra noster: *Ipsos quoque nervos rubor tegit, ac decor commendat:* & *habitum* & *cultum* etiam Tacitus conjungit Annalium 1. *quadam de habitu cultuque & institutis ejus jecerat.* & 11. *Cultu habituque ejus lenibus verbis perstricto.* Et Statius. *Cœli pradiscere morem Cura sit & patrios cultus habitusque locorum.* Merito autem dixit, hoc primum habitu cultuque commendatam mortalibus eloquentiam, cum apud ignotos eosque quibus satis nota non sunt, commendatione egeant virtus & præclaræ dotes, non autem apud eos quibus penitus perspectæ. Martialis.

*Hoc satis est: alios commendet epistola. peccat*
*Qui commendandum se putat esse suis.*

Barthius legit, *se putat esse sibi.* Est quidem in eo acumen. Plinius Tacito: *Commendas mihi Julium Nasonem candidatum. Nasonem mihi? quid si meipsum.* Ego tamen in hoc loco correctionem istam recipiendam vix arbitror: quantumvis specie ingenii blandiri videatur. Primum enim non dixerat Julium alterum se: quod videtur debuisse dicere quo acumen istud vim haberet. Sed Marcus *avere jubet.* Deinde qui se sibi commendat, is non tam peccat, quam errat, quam ineptam & absurdam & minime necessariam rem facit. At qui se putat apud suos commendandum, is lædit quodam modo jus officii, & cum dubitet de amici erga se voluntate, peccat. Hunc sensum veriorem arbitror. *Cultus* autem (quem Græci Κόσμον appellant.) Aristoteles etiam Poëtas primos auctores facit dicitque eos commovisse orationem. Aristoteles Rhet. 3. Ἤρξαντο μὲν οὖν κινῆσαι τὸ πρῶτον, ὥσπερ πέφυκεν, οἱ ποιηταί. Quem imitatus est Plutarchus Solone: ἀρχομένων δὲ τῶν περὶ τὸν Θέσπιν ἤδη τὴν τραγῳδίαν κινεῖν. Commotam Historiam Cicero eodem sensu dixit in Bruto verbis Theophrasti: de Herodoto & Thucydide: *Alter enim sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit, alter incitatior fertur & de bellicis rebus canit etiam quodam modo bellicum: primisque ab his Historia commota est, ut auderet uberius, quam superiores, & ornatius dicere.* Hic noster infra, *novis eloquentia itineribus opus esse cum vulgata & domestica in fastidio sint: externa & nova homines admirentur.* Διὸ δεῖ; inquit Aristoteles, ποιεῖν ξένην τὴν διάλεκτον. Θαυμασταὶ γὰρ τῶν ἀπόντων εἰσίν. *Schelius.* Scribe, *Hic primum habitu cultuque commoda mortalibus.* Mox etiam lege, *hic* (in locis istis secretis) *oracula loquebantur.* Schultingius.

2 *Nam lucrosa hujus & sanguinantis eloquentia usus malis moribus natus*] Malos oratores, qui subito divites evaserunt, sacrilegis & sycophantis jungit Aristophanes Pluto.

Ἕτεροι δ' ἐπλούτουν ἱερόσυλοι ῥήτορες.
Καὶ συκοφάνται καὶ πονηροί.

Demosthenes ipse ὧν οἱ μὲν ἐκ πτωχῶν πλούσιοι γεγόνασιν, οἱ δ' ἐξ ἀδόξων ἔντιμοι. ἔνιοι δὲ τὰς ἰδίας οἰκίας τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων σεμνοτέρας εἰσὶ κατεσκευασμένοι, ὅσῳ δὲ τὰ τῆς πόλεως ἐλάττω γέγονε, τοσούτῳ τὰ τούτων ηὔξηται. Sed hæc in potentes si dicantur, Calumniæ sunt, his quidem moribus, quantumvis vera sint, καὶ οἱ μὲν λησταί, αὑτοὺς δὲ ποριστὰς καλοῦσι νῦν, ut de suo ævo scribit Philosophus in tertio Rhetor. *Idem.*

3 *Et sanguinantis eloquentia*] Fortasse, *& saginantis*, uti ad commodum lucrumve hæc tantum referat. Nam *sanguinare* probum quidem verbum, sed non aliud quam sanguinem emittere. *Artus sanguinantes, vulnera sanguinantia*, in Quintiliani declamationibus mihi lecta. Quæ significatio parum hic apta, si ad accusationes & sanguisugam illa eloquentiam respexit. *Lipsius.* Tela sanguinantia latinum est: ut usus eloquentiæ telum dicitur. *Atque ut dicebas Aper, in locum teli repertus.* Et; *quam reo periclitanti eloquentia præsidium simul, & telum.* Cur igitur sanguinaris eloquentia non vocabitur, per quam tot proceres lacerati sunt? *Salinerius.* Ad Lipsii mentem parum apta alterius vocis significatio. Ita est. Sed non ad sanguisugam eloquentiam auctor ea voce respexit, sed prœliatricem: quia, ut & supra dixerat, & hic repetit, *in usum teli reperta esset.* Quo respectu aptissima ad sensum

*aureum sæculum*, & oratorum & criminum inops, [1] poëtis & vatibus abundat, qui
bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. Nec ullis [2] aut gloria ma-
jor, aut augustior honor: primum apud deos, quorum proferre responsa & interesse
epulis ferebantur: [3] deinde apud illos diis genitos sacrosque reges, inter quos nemi-
nem caussidicorum, sed Orphea ac Linum, ac si introspicere altius velis, ipsum
Apollinem accepimus. vel [4] si hæc fabulosa nimis & composita videntur, illud certe
mihi [5] concedis, Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud
posteros: nec angustioribus terminis famam Euripidis, aut Sophoclis, quam Lysiæ
aut Hyperidis includi. [6] plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam, quam Virgilii
detrectent. Nec ullus Asinii aut Messallæ liber tam illustris est, quam [7] Medea Ovidii,
aut Varii Thyestes. Ac ne fortunam quidem vatum [8] & illud felix contubernium, 13
comparare timuerim cum inquieta & anxia oratorum vita. licet illos certamina & pe-
ricula sua ad consulatus evexerint: malo securum & secretum VIRGILII secessum, in
quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit, neque apud populum Roma-
num notitia. Testes Augusti epistolæ, testis ipse populus, qui auditis in theatro
versibus Virgilii, surrexit universus, & forte præsentem spectantemque Virgilium
veneratus est, sic quasi Augustum. Ne nostris quidem temporibus, Secundus Pompo-
nius Afro Domitio, vel dignitate vitæ, vel perpetuitate famæ cesserit. Nam Crispus
& Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac præsenti fortu-
na concupiscendum? an quod timent? an quod timentur? quod cum cottidie ali-
quid rogentur, [9] hi quibus præstant indignantur? [10] quod alligati cum adulatione,
nec

sensum vox, nec quidquam immutandum. *Acidalius.* Quid si, *sanguine manantis?* quæ *Visceribus miserorum & sanguine vescitur atro.* Schultingius.

1 *Poëtis & vatibus abundat, qui bene facta canerent*] Manifeste legendum *abundabat.* Sicque Muretus. *Acidalius.* Quintilianus lib. 1. cap. 10. *Timagenes auctor est, omnium in literis studiorum antiquissimam Musicen extitisse & testimonio sunt clarissimi poëta, apud quos inter regalia convivia laudes heroum ac deorum ad citharam canebantur.* Schelius.

2 *Aut gloria major*] E vestigiis scripturæ priscæ restitui. Nam Farnesianus: *aut gloria more.* Vulgati plane turbant. *Lipsius.*

3 *Deinde apud illos diis genitos sacrosque Reges inter quos neminem causidicorum sed Linum*] Quintilianus: *Orpheus & Linus, quorum utrumque diis genitum, alterum vero quod rudes quoque & agrestes animos admiratione mulceret, non feras modo, sed saxa etiam silvasque duxisse posteritatis memoria traditum est.* Schelius.

4 *Si hæc fabulosa & composita*] Tacitus Agricola. *Sive verum illud, sive ex ingenio principis fictum & compositum est.* Fabius: *Nam illa, quæ curam fatentur, ficta & composita etiam videri volunt:* ubi tamen nescio an verius sit, *facta.* Cicero in Bruto. *Sed ut intellectum est, quantam vim haberet accurata & facta quodammodo oratio.* Idem in oratore: *Omitte Isocratem discipulosque ejus Ephorum & Naucratem quanquam orationis faciendæ auctores locupletissimi.* Idem.

5 *Concedis Aper*] Sive *concedes.* Acidalius.

6 *Plures hodie reperies*] Videatur deesse particula, *Quin plures hodie reperias.* Quanquam & sic satis integrum vulgatum. *Idem.*

7 *Medea Ovidii, aut Varii*] Deest antiquo illud, *aut Varii.* Lipsius.

8 *Et illud felix contubernium*] Aut vitium hic aut lacuna. Cogitabam. *& illud secum contubernium.* Ex Horatio, *Tecum habita.* Explicat mox *securum & secretum secessum.* Cicero ad Curionem: *tecum loquere: te adhibe in consilium: te audi, tibi obtempera.* Gronovius. *Sedens contubernium* malim. i. e. otiosum, ut interpretabantur causidici. Just. 31, 3. add. Torrent. ad Suet. Jul. cap. 2. de voce *desidere.* Subjungit propterea, *de inquieta & anxia oratorum vita.* tanquam re opposita. *Schultingius.*

9 *Hi quibus præstant, indignantur.*] Inepte & falso. Negationem adde, *hi quibus non præstant.* Etsi abesse alterum membrum sentio periodo plenæ. *Lipsius.* Maternus ardenter incubuerat in carminum defensionem. vix dum finierat Maternus concitatus, & velut instinctus. unde mirum in modum extenuat & deducit illa. Quid enim tutius, quam eam exercere artem qua semper armatus præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus. homines qui à Prisco & à Marcello aliquid petunt, ingratum & irritum id omne habent, quod ab iis profectum est, quæ res acerba in vita hominum: quid enim miserius, quam beneficiis inimicos sibi parare? modo & eos inter beatos recensere. *Salinerius.* Scribe, *His, quibus præstant.* Importunam enim molestiam impudentiamque qua ex-



ter-

nec imperantibus umquam satis servi videntur, nec nobis satis liberi? Quæ hæc summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. Me vero *dulces*, ut Virgilius ait, *Musæ*, remotum à sollicitudinibus, & curis, & necessitate cottidie aliquid contra animum faciendi, in illa sacra illosque fontes ferant: nec insanum ultra & lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar. non me fremitus salutantium, nec anhelans libertus excitet: nec incertus futuri, testamentum pro pignore scribam: nec plus habeam, quam quod possim cui velim relinquere, [1] quandocumque fatalis & meus dies veniet. statuarque tumulo non mœstus & atrox, sed hilaris & co-

14 ronatus: & pro memoria mei [2] nec consulat quisquam nec roget. Vixdum finierat Maternus concitatus & velut instinctus, [3] cum Vipsanius Messalla cubiculum ejus [4] ingressus est, suspicatusque ex ipsa intentione singulorum, altiorem inter eos esse sermonem: *Num parum* tempestivus, inquit, interveni; secretum consilium & causfæ

torquentur ab invitis beneficia, indigitari probant sequentia. *Me vero dulces, ut Virgilius ait, musæ remotum ac sollicitudinis & curis & necessitate cotidie aliquid contra animum faciendi, &c.* Quippe τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαριζόμενοι, πο ἄντες μὲν οὐ, ἀνδὸς ὃ τοῖς φίλοις ὑπουργοῦντες ut ait Isocrates. *Schelius.* Fallitur Lipsius. Significat enim quod Florus de Cæsare lib. 4. cap. 2 *Clementiam principis vicit invidia, gravisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia.* Cicero pro Sulla: *quam multi summi homines & ornatissimi & nostri & equestris ordinis, quorum pro salute se hic Sulla obligavit! Quos ego nominarem: neque enim ipsi nolunt & huic animo gratissimo adsunt: sed quia majus est beneficium, quam posse debet civis civi dare, ideo à vobis peto, at, quod potuit, tempori tribuatis: quod fecit, ipsi.* Cato apud Plutarchum: οὐ βούλομαι τοῦ τυράννου χάριν ἔχειν, ὑπὲρ ὧν παρανομεῖ. παρανομεῖ ὃ σώζων, ὡς κύριος, ὧν αὐτῷ δεσπόζειν οὐδὲν προσήκει. *Gronovius.* Lipsius, *non præstant.* quod sensu non est incommodum. simili ratione mihi natum erat, *quibus præstant minus, indignantur.* Illud quoque venit in mentem, forte *his, quibus præstant indignantur*, rescribendum esse. *Quibus præstant*, id est, quorum causa id faciunt, quod rogantur, aut facere se fingunt. Ut *præstare* ad speciem quoque & venditationem istorum gratia apud principem valentium pertineat. Indignantur vero, quia etiam inter beneficia animum gerunt infensum. Quare sequatur, *Me vero dulces, (ut Virgilius ait) Musæ remotum a sollicitudinibus & curis & necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi in illa sacra illosque fontes ferant.* Quod tamen & ad posterius membrum potest referri. *Schultingius.*

10 *Quod alligati cum adulatione*] Hæc quoque fœde depravata. Legebam autem, *omnium adulatione.* quanquam & *adulatione* possit retineri antiqua loquendi ratione. Quintil. Declam. 298. *Mihi rus paternum erga labores gratissimum non frugalitate tantum sufficturum, sed & delectatione, si coleretur.* Declam. etiam 332. fin. *Neque ego nunc divitias peto, paupertate consuevi: frugaliter vivere scio.* Quibus locis demonstratur facile, sine dubitatione mutandum nihil esse in Declamat. 306. ubi olim erat, *consuevit frugalitate: sine marito diu vixit.* & hoc loco *adulatione* retineri posse. Illud *alligati* autem præclare expositum a Donato ad Terentii Adelph. 5, 3. versum 58. *Eo pacto prorsum illic alligaris filiam.* Ubi sic habet: *Aliquis vero* (sic malim pro *quis*) *dicitur alligari ad aliquid, sine quo esse non possit.* Quod patet egregie loco Quintilian. in Declam. 1. *Ad solum se alligat destituta caritas* (nam hanc vocem inserendam existimo) *mœrorem.* Sed potest etiam hoc in loco nostri *humili adulatione* fuisse: quod facile præferam. *Idem.*

1 *Quandocunque fatalis & meus dies veniet*] C. Severus.

*Fusique per herbam,*
*Hic meus est, dixere, dies.*

Schelius.

2 *Nec consulat quisquam nec roget*] Consulat vates, roget principem. Quid ita? quia crebrum, ut memoria damnaretur defunctorum, id est, tituli, imagines, honores. *Lipsius.* Malim, *consulat*, id est, referat ad senatum: quem his rebus interponebant ipsi principes. §. 3. Inst. de jud. *Cujus pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur.* Lapis. *M. Annaeo. Lucano. Cordubensi. beneficio. Neronis. fama. servata.* Artemidorus Oneirocrit. 1. 5. ὡς μηδὲ ἀποθανὼν ἔχειν ὄνομα. τούτους γὰρ μόνους ἐν νεκροῖς ὄντας οὐ καλοῦσιν οἱ προσήκοντες. *Gronovius.*

3 *Tum Urbanus*] Castigavi, *quum Urbanus.* Lipsius. In v. e. est *Vibanius Messalla.* Sed fortasse, *Vibianus*, scribendum. *Ursinus.* Legebatur antea, *Urbanus Messalla.* At vetus, *Vibanius.* è quo pronum reddere viro celebri gentile nomen, *Vipsanius Messalla.* Lipsius. Frater Reguli, de quo Tacitus Histor. III. *Legioni tribunus Vipsanius Messala præerat claris majoribus, egregius ipse, & qui solus ad id bellum bonas artes attulisset.* & 4. *Magnam eo die pietatis eloquentiæque famam Vipsanius Messala adeptus est, nondum Senatoria ætate, ausus pro fratre Regulo deprecari.* Schelius.

4 *Ingressus est, suspicatusque*] Possis, & sic forte rectius, delere illud *est.* Acidalius.

1 *Poë-*

ſæ alicujus meditationem tractantibus? *Minime*, minime, inquit Secundus, atque adeo vellem maturius interveniſſes. delectaſſet enim te & Apri noſtri accuratiſſimus ſermo, cum Maternum ut omne ingenium ac ſtudium ſuum ad cauſſas agendas converteret, exhortatus eſt: & Materni pro carminibus ſuis læta, utque poëtas defendi decebat, audentior, [1] poëtarum quam oratorum ſimilior oratio. *Me vero*, inquit, & ſermo ipſe infinita voluptate affeciſſet, atque id ipſum delectat, quod vos [2] viri optimi & temporum noſtrorum oratores, non forenſibus tantum negotiis, & declamatorio ſtudio ingenia veſtra exercetis, ſed ejuſmodi etiam diſputationes adjungitis, quæ & [3] ingenium alunt, & eruditionis & litterarum jucundiſſimum oblectamentum, cum vobis qui illa diſputatis afferunt: tum etiam his ad quorum aures pervenerint. Itaque hercule non minus probari video in te, Secunde, quod Julii Aſiatici vitam componendo, ſpem hominibus feciſti [4] plurium ejuſmodi librorum, quam in Apro quod nondum à ſcholaſticis controverſiis receſſit; & otium ſuum mavult novorum rhetorum more, quam veterum oratorum conſumere. Tum Aper, *Non deſinis*, Meſſalla, vetera tantum & antiqua mirari, noſtrorum autem temporum ſtudia irridere atque contemnere. Nam hunc tuum ſermonem ſæpe excepi, cum oblitus & tuæ & [5] fratris tui eloquentiæ, neminem hoc tempore [6] oratorem eſſe contenderes. Atque id eo credo audacius, quod maligni in iis opinionem non verebaris, cum eam gloriam quam tibi alii concedunt, ipſe tibi denegares. [7] *Neque illius*, inquit, ſermonis mei pœnitentiam ago; neque aut Secundum, aut Maternum, aut te ipſum Aper,

1 *Poëtarum quam oratorum*] Scribo, *audentior, poëtarumque quam oratorum ſimilior oratio.* Gronovius.

2 *Viri optimi & optimi temporum*] Ita videtur legendum, cum in vulgatis deſit alterum, *optimi*, à librario non repetitum. *Urſinus.* Languet ſenſus: quem roboro traductione vocis, *optimi. viri & temporum noſtrorum oratores optimi.* Niſi placeat magis cum Mureto vocem eandem geminare; *viri optimi & optimi temporum* &c. Sententia quidem alterutrum deſiderat, cui non diſſimilis iſta ad finem: *credite optimi & in quantum opus eſt diſertiſſimi viri.* Acidalius.

3 *Ingenium alunt, & eruditionis*] Malim, *& eruditionem.* Rhenanus. Placet cum Rodolpho, *ingenium alunt & eruditionis & litterarum.* Lipſius. Quod Lipſius ex Rodolpho ita reſtituit, nonnihil juvatur à Veneto, qui habet, *eruditiones.* confuſe vulgo, *& eruditionem: & litterarum.* Pichena. Non diſplicet mihi, quod Lipſio placet cum Rodolpho. Magis tamen placeat meum, *ingenium alunt eruditione, & litterarum jucun. oblect. afferunt.* Acidal.

4 *Plurium ejuſmodi librorum*] Ita ſcripſimus pro *plurimum.* Rhenanus.

5 *Fratris tui eloquentiæ*] Quis hic Meſſallæ frater? puto Regulum intellegi, illum qui cum Plinio vixit & floruit lingua magis quam vita laudatus. Suſpicor ex Tacito in Hiſt. *Magnam eo die pietatis eloquentiæque famam Vipſtanius Meſſalla adeptus eſt, nondum Senatoria ætate, auſus pro fratre Aquilio Regulo deprecari.* Lipſius.

6 *Oratorem eſſe contenderes*] Expreſſi ſcripturam veterem, quæ tamen ipſa fortaſſis mutila, & ſcribendum: *contenderes parem antiquis.* Aut ſi inſeri vocem diſplicet: *contenderes. Atque id eo credo audacius.* Lipſius. Correctio ex Lipſio. Vulgo, *Antiquis eo credo audacius.* In qua lectione nullus fere ſenſus. *Pichena.* Ex contextu prodit, *favebas, at in iis*, id eſt, inveniis, quæ ad eam rem faciebas. Cæterum malignus Meſſalla non videbatur, quod ſe quoque antiquis deteriorem ducebat. *Salinerius.* Dupliciter hic divinat Lipſius. Prius ſane mihi non placeat. Nec altera conjectura ſatis placet, etſi ad ſenſum qoidem idonea. Neſcio tamen, quomodo oratio & ſimplicior & gratior abſque tali additione, *atque id.* Mihique pœne perſuaſi, delendam plane turbatricem vocem *antiquis*, quæ & unde irrepſerit, videor prope inveniſſe. Addiderat aliquis imperitus ad ea verba, *in iis*, gloſſam ineptam, *antiquis.* ea poſtea ſuperiori lineæ ineptius ab alio imperito inſerta. Et quidem illa ipſa verba, *in iis*, nullus ego capio. Quos enim vult dicere? aut quos nominavit, de quibus nunc intelligat? Corrupta profecto judico, & eorum loco ſcribendum, *judicis*, eleganti & facili mutatione. ut jam totus locus ſic purgatus videatur; *cum neminem hoc tempore oratorem eſſe contenderes: eo credo audacius, quod maligni judicii opinionem non verebaris.* Acidalius.

7 *Neque illius*] In exemplari Italico ad hunc locum adſcriptum fuit. *Eadem verba ſunt Petronii.* Et ſane quædam ſunt initio Satyrici Petroniani quæ hujus diſputationis locis aliquot valde conſentanea ſunt. *Pithœus.*

Aper, (quamquam interdum in contrarium disputes) aliter sentire credo. Ac velim impetratum ab aliquo vestrum, ut caussas hujus infinitæ differentiæ scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquiro. & quod quibusdam [1] solatio est, mihi auget quæstionem, quia video etiam Grajis accidisse, [2] ut longius absit Æschine & Demosthene Sacerdos iste Nicetes, & si quis alius Ephesum vel Mitylenas [3] contentus scholasticorum clamoribus quatit, quam [4] Afer aut Africanus aut vos ipsi à Cicerone aut Asinio recessistis.
16 *Magnam*, inquit Secundus, & dignam tractatu quæstionem movisti: sed quis eam justius explicaverit quam tu, ad cujus summam eruditionem & præstantissimum ingenium cura quoque & meditatio accessit? Et Messalla, *Aperiam* inquit, cogitationes meas, si illud à vobis ante impetravero, ut vos quoque sermonem hunc nostrum ad,uvetis. *Pro duobus*, inquit Maternus, promitto. nam & ego & Secundus exsequemur partes, quas intellexerimus te non tam omisisse quam nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire, & tu paullo ante dixisti, & ipse satis manifestus est jamdudum in contrarium accingi. nec æquo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam. *Non enim*, inquit Aper, [5] inauditum & indefensum sæculum nostrum patiar hac vestra conspiratione damnari. Sed hoc primum interrogabo, quos vocetis *antiquos*, quam oratorum ætatem [6] signatione ista determinetis? Ego enim cum audio antiquos, quosdam veteres & olim natos intelligo, ac mihi versantur ante oculos Ulysses & Nestor, quorum ætas mille fere & CC. annis seculum nostrum antecedit: vos autem Demosthenem & Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi & Alexandri temporibus floruisse: ita tamen ut utrique superstites essent. Ex quo apparet, [7] non multo plures quam CCCC annos interesse

inter

1 *Solatio est*] Lege, *solutio*. Acidalius.

2 *Ut longius absit Æschines & Demosthenes sacerdos iste enitet*] Tres postremæ dictiones indubie portenta sunt mendarum. Quid si legas, *ut longius absit Æschine ac Demosthene Dositheus, & si quis alius Eph. vel Mityl, &c.* Nam fieri potest ut *Dositheus* aliquis orator apud Græcos eo tempore vixerit quo conditum est hoc opusculum. Comparat itaque veterem Æschinem & recentem Dositheum, si vera conjectura est, aut similem alium. nam hujus mihi in mentem venit. Sillabas istarum dictionum rimanti. Id tamen exempli causa putetur dictum. *Rhenanus.* Vere & εὐστόχως emendavi. *Sacerdos iste Nicetes.* Cum in libris esset, *sacerdos iste enitet.* Nicetes sacerdos declamator nobilis eo ævo. Plinius lib. 6. epist. audisse eum fatetur. *Erat non studiosorum tantum: verum etiam studiorum amantissimus, ac prope quotidie ad audiendos quos tunc ego frequentabam Quinctilianum & Sacerdotem Nicetem ventitabat.* Exstat Philostrati Lemnii de hoc Nicete in Vitis Sophistarum elogium, de quo Pithœus nos monuit. Nominat & Seneca pater lib. IX. Cont. II. *Nec Julio nec alii contigisse suo* (scribam *nec Vibio, nec alii contigisse scio*) *quam apud Græcos Niceta, apud Romanos Latroni, ut à discipulis non audiri desideraret.* Et eodem lib. Cont. ult. Nicetes egregie dixit in eodem loco. *Lipsius.* Sic legit doctiss. & elegantissimus Lipsius ex Plinio, cujus conjecturam magis confirmat Philostrati Lemnii de Nicete elogium in vitis sophistarum; cujus indicium Nevelete meo debeo. *Pithœus.* In Senecæ loco legendum: *nec ulli alii contigisse scio.* Similis locus apud Senecam Cont. 3. præf. *Hi non tantum disertissimis viris, quos paullo ante retuli, sed etiam Ciceroni Cassium suum præferrent, nisi lapides timerent.* Acidalius.

3 *Contentus scholasticorum clamoribus*] Legerim, *continuis scholasticorum clamoribus.* Freinshemius.

*Contentis scholasticorum clamoribus*] Ita est in editione Pithœana. at Lipsiana ut & Freinshemiana, *contentus*: ut numquam scilicet ultra ista Nicetes progrediatur, ducatve discipulos. Quid si *contentiosis* scribatur. *Schultingius.*

4 *Afer*] Intellige Domitium Afrum præstantissimum oratorem sed tum recentem. *Rhenanus.*

5 *Inauditum & indefensum*] Tac. I. Hist. 6. *Inauditi atque indefensi, tanquam innocentes perierant.* Schultingius.

6 *Significatione ista determinetis?*] Rom. edit. *signatione.* Lipsius. Reposui ex veteribus vocem, *signatione*, quæ mutata erat in *significatione.* Sic inferius: *neminem nominabo, genus hominum signasse contentus.* Pichena.

7 *Non multo plures quam trecentos*] Omnino legendum: *quam cccc. annos.* Anno imperii Vespasiani sexto habitus hic sermo: hoc est, anno U. C. 828. Is incidit in annum quartum Olympiadis 213. At mortuus Demosthenes primo Olympiadis 214. Numerus rotundus à morte Demosthenis quadringenti anni ab ævo, quo floruit, *non multo plures,*

inter nostram & Demosthenis ætatem. quod spatium temporis, si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, fortasse longum videatur: si ad naturam sæculorum & respectum hujus immensi ævi, perquam breve, & in proximo est. Nam si, sicut Cicero in Hortensio scribit, *is est magnus & verus annus, quo eadem positio cæli siderumque*, [1] *quæ cum maxime est*, *rursum exsistet*, [2] *isque annus horum quos vocamus annorum* [3] *XII MDCCCLIV complectitur*; incipit Demosthenes vester quem vos veterem & antiquum fingitis, [4] non solum anno quo nos, sed fere eodem mense exstitisse. Sed transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium ut puto Agrippam, 17
qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis: sed Ciceronem, & Cæsarem, & Cœlium, & Calvum, & Brutum, & Asinium, & Messallam. quos quidem cur antiquis temporibus potius adscribatis quam nostris, non video. nam ut de Cicerone ipso loquar, *Hirtio nempe & Pansa consulibus*, ut Tiro libertus ejus scripsit, [5] *VII Idus Decemb. occisus est*, quo anno divus Augustus in locum Pansæ & Hirtii se & Q. Pedium Coss. suffecit. statue VI. & L. annos, quibus mox divus Augustus rempublicam rexit: adjice Tiberii tres & viginti, & prope quadriennium Caii, ac bis quaternos denos Claudii & Neronis annos, atque ipsum Galbæ & Othonis, & [6] Vitellii unum annum, [7] ac sextam jam felicis hujus principatus stationem, qua Vespasianus rempublicam fovet, C. & XX. anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis ætas. Nam ipse ego in Britannia vidi senem,

*res*, ut ait. *Mercerus.* In margine addidi cccc. verius. *Lipsius.* Falso antea, ccc. *annos.* Veriori calculo id observavit Mercerus ex historia. Et Cicero, qui ante centum & viginti annos obierat, lib. 2. de divin. *Demosthenes quidem, qui abhinc annis prope trecentis fuit.* Pichena.

1 *Quæ cum maxime est*] Cicero de natura deorum secundo. *Quarum* (stellarum) *ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt: qui tum efficitur, cum Solis & Lunæ & quinque errantium ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatiis est facta conversio.* Schelius.

2 *Isque annus horum nos vocamus*] Lego, *isque annus horum quos vocamus ann. x. complectitur.* Rhenanus.

3 XII D CCC LIV.] Variat hic numerus in exemplaribus. Servii in illud 1. Æneid. *Triginta magnos.* Et lib. 3. *Interea magnum.* itemque apud Censorinum in Illustri volumine de die natali ad Q. Cerellium Macrob. commen. in Somn. Scipionis. & Jul. Firmicum l. 1. Mathes. *Pithœus.*

4 *Non solum anno quo nos, sed fere eodem mense*] Quin potius ex analogia, *Non solum mense quo nos, sed fere eodem die.* Idem. Imo ex analogia, inquit Pithœus, *non solum quo nos, sed fere eodem die.* Ego non mutem. *Lipsius.* Ex his colligo, quæ hic proposita fuit sententia, proxime ad eam accessisse, quam Censorinus de Die Natali cap. 18. Aretæ Dyrrachino tribuit, qui annum hunc magnum statuebat annorum nostrorum 5552. ut credam levi mutatione in his ponendum IV M IↃ CCC LIV. Ita nihil supersit, quod repugnet computationi propositæ, & fere eodem mense anni magni vixerit Aristoteles, quo hi ipsi, quos 400. annis vulgaribus antecessit. *Schultingius.*

5 *VII. Idus Decemb.*] Ant. Augustinus legebat, VII. *Idus Octobris.* In vulgatis autem deest illud, *Octobris.* Ursinus. In Farnesiano tantum erat, *Septimo Idus*, spatio tamen alteri voci relicto, quam non temere ex historia addidi. *Lipsius.*

6 *Vitellii unum annum*] Ex turbis vulgatarum editionum in voce *unum*, suspiceris addititiam ipsam esse; & glossam illius præcedentis *ipsum*: quæ sola integrum unum annum exprimit eleganter. quamquam nec ineleganter altera adjungitur. *Acidalius.*

7 *Ac sextam jam felicis hujus principatus stationem*] Duo in hoc loco non vulgaria: primum quod stationem, quæ pro ipso actu imperandi solet accipi, & totum tempus imperii sæpe designare, hic pro uno imperii anno accipiatur: deinde quod sextam stationem vel sextum annum pro sex annis: ut, *adde sextum annum*, sit, adde sex annos. an scripserat? *atque ipsum Galbæ & Othonis & Vitellii unum annum*: (intellige, adjice:) *ac sex jam*, tam *felicis hujus principatus stationem, qua Vespasianus rempublicam fovet.* sex jam scil. annos *tam felicis*: id est, valde felicis, felicissimi. Nota & frequenti Latinis locutione, ut *Quis desiderio sit pudor aut modus. Tam chari capitis? &c.* Sed nihil tamen mutaverim. *Schelius.* Conjeceram primum *ac sex jam inter felicis hujus principatus stationem.* Vell. 2. fin. Suet. Claud 38. Sed nec sic satisfacit. Quare, ut omnia satis essent liquida, nec temporum, quæ subjicitur ratio ulla in parte repugnaret, præferendum judicavi, *secutam jam felicis hujus principatus stationem &c.*

nem, qui [1] se fateretur *& pugnæ interfuisse, qua Cæsarem inferentem arma Britanniæ, arcere litoribus, & pellere aggressi sunt.* Ita si eum qui armatus C. Cæsari restitit, vel captivitas, vel voluntas, vel fatum aliquod in urbem pertraxisset, idem Cæsarem ipsum & Ciceronem audire potuit, & nostris quoque actionibus interesse. Proximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque senes, qui se à divo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant. ex quo colligi potest, & Corvinum ab illis & Asinium audiri potuisse. Nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius pæne ad extremum duravit. [2] Nec dividatis sæculum, & antiquos ac veteres vocetis oratores, quos eorumdem hominum aures agnoscere ac velut conjungere & copulare potuerunt.
18 Hæc ideo prædixi, ut si qua ex horum oratorum fama gloriaque, laus temporibus adquiritur, eandem docerem in medio sitam, & propiorem nobis [3] quam Ser. Galbæ, C. Carboni, quosque alios antiquos merito vocaremus. Sunt enim horridi, & impoliti, & rudes, & informes: [4] & quos utinam imitatus non esset Calvus vester aut Cœlius, aut ipse Cicero. Agere enim fortius jam & audentius volo, si illud ante prædixero, mutari cum temporibus formas & genera dicendi. Sicut Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior & uberior; sic Graccho politior & ornatior Crassus: sic utroque distinctior & urbanior & altior Cicero: Cicerone mitior Corvinus & dulcior, & in verbis magis elaboratus. Nec quæro quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiæ vultum, sed in illis quoque quos vocatis antiquos, plures species deprehendi; nec statim deterius esse quod diversum est: vitio autem malignitatis humanæ vetera semper in laude, præsentia in fastidio esse. [5] Num dubitamus inventos, qui pro Catone Appium Cæcum magis mirarentur? Satis constat [6] nec Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus [7] inflatus & tumens, nec satis pressus, supra modum exsultans & superfluens, & [8] parum Atticus videretur. Legisti utique & [9] Calvi, & Bruti, ad Ciceronem missas epistolas. ex quibus facile est deprehendere, Calvum quidem Ciceroni visum [10] exsanguem, & attri-

*&c.* Ita quadrabit magis etiam quod sequitur, *in hunc diem.* Tempus notum exprimere non curavit. *Schultingius.*

1 *Se fateretur & pugna interfuisse*] Lego: *ei pugna.* Et Muretus. *Acidalius.*

2 *Nec dividatis seculum*] Clarior & expressior erit conclusio hæc, si *ne* scribas, & eum superioribus alia interpunctione velut nectas: *Asinius pæne ad extremum duravit: ne dividatis seculum.* Acidalius.

3 *Quam Ser, Galbæ, Cajo Carboni*] Si sequentia cap. 25. adhibeamus, hoc loco non improbabimus, *Ser. Galbæ, Cajo Lælio & Carboni.* Schultingius.

4 *Et quos utinam imitatus non esset*] Dele ? & fac! Ceterum Muretus notaverat uberiorem lectionem: *& quos utinam ne in illa parte imitatus esset.* nescio de ingenio an è libro: sed unde, unde, male. repetitæ voces ex simili inferiore loco: *nec quenquam adeo antiquarium puto, ut Cœlium ex ea parte laudet, qua antiquus est.* Acidalius.

5 *Num dubitamus inventos*] Muretus, *Numnam:* quia vulgo, *Nam non.* Ego de hoc non laboro: magis ut sequens membrum cum hoc ipso nectam. Nam multo videtur oratio concinnior, si scribas in hunc modum: *Num dubitamus inventos, qui pro Catone App. Cæcum magis mirarentur, cum satis constet, nec* &c. *Idem.*

6 *Nec Ciceroni quidem*] Scribe: *Satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse.* Gronovius.

7 *Inflatus & tumens nec satis pressus, &c.*] Statim ait Ciceronem à Calvo quidem male audivisse *tanquam solutum & enervem*, à Bruto autem, ut ipsius verbis utar, *tanquam fractum & elumbem.* Infra. *Otiosus circa excessus dicitur.* Quintilianus. *Quem tamen suorum temporum homines incessere audebant, ut tumidiorem, & Asianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in salibus aliquando frigidum, & in compositione fractum, exultantem, & pæne, quod procul absit, viro molliorem.* Schelius.

8 *Parum antiquus*] Videtur legendum, *parum Atticus.* Ursinus. Legam, *parum Atticus.* quod Ciceroni etiam objectum vivo: & (cur negemus?) in quibusdam ejus scriptis vere. *Lipsius.* Vulgo, *parum antiquus.* Pichena.

9 *Calvi & Bruti ad Ciceronem*] Ex iisdem Fabius hausit lib. 12. *Neque ipse Ciceroni Demosthenes videatur satis esse perfectus, nec Cicero Bruto Calvoque. qui certe compositionem ipsius etiam apud ipsum reprehendunt.* Adde sequentia. *Lipsius.*

10 *Exsanguem & attritum*] *Aridum* elegantius. cap. seq. *Quidquid aliud aridissimis Hermagora & Apollo-*

attritum, [1] Brutum autem otiosum atque disjunctum. Rursumque Ciceronem a Calvo quidem male audivisse, tamquam *solutum & enervem:* a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, [2] tamquam *fractum atque elumbem.* Si me interroges, omnes mihi videntur verum dixisse. Sed mox ad singulos veniam, [3] nunc mihi cum universis negotium est. Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum anti- 19
quitatis constituere solent, quem usque [4] ad Cassium Severum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab illa [5] vetere, atque dicendi via directa: non infirmitate ingenii, nec inscitia litterarum, transtulisse se ad id dicendi genus contendo, [6] sed judicio

*pollodori libris præcipitur.* Schultingius.

1 *Brutum vero otiosum atque disjunctum* ] Fortasse, *odiosum:* id est adfectatione quadam & asperitate dictionis molestum. Nam ex reliquiis epistolæ unius aut alterius, nihil minus quam otiosus Brutus, acer ubique & intentus. *Disjunctum* autem capio, quo sensu Senecam dixere Arenam sine calce. nec muto. *Lipsius.* Itane vero? otiosus Brutus Ciceroni? Immo Cicero talis videbatur obtrectatoribus & ipsi fortassis Bruto. *Supra modum exultans*, inquit, *& superfluens & parum Atticus obtrectatoribus videbatur.* Et statim *Ciceronem à Calvo quidem male audivisse tanquam solutum & enervem. à Bruto vero, ut ipsius verbis utar, tanquam fractum & elumbem.* Quintilianus. *Otiosi & supini si quid modo longius circumduxerint, jurant ita Ciceronem fuisse locutum.* Et infra de eodem noster. *Otiosus circa excessus.* At Brutus intentus, gravis; Lipsius legit, *odiosus, id est adfectatione quadam & asperitate dictionis molestus.* Ne hoc quidem receperim. Scribit enim Cicero ad Atticum Brutum in quo genere esse velit, & quod habeat de optimo genere judicium, id ita consecutum esse, ut elegantius nihil esse possit. Et ante de ejus oratione. *Est enim oratio scripta elegantissime sententiis & verbis, ut nihil possit ultra.* Præterea Attici isti, quorum sectam sequebatur Brutus, hoc præcipue agebant, ut ait in Bruto Cicero, *ut nec inepte nec odiose nec putide dicerent: Nihilque habere molestiarum nec ineptiarum Atticorum erat.* Item. *Atheniensium religioni cum serviret Orator nullum verbum insolens; nullum odiosum ponere audebat.* Lego: *Concisum atque disjunctum.* Sic Cicero ait *concisum minutis numeris Thrasimachum Isocrati visum.* Quintilianus: *Facit densitas sententiarum concisam quoque orationem: subsistit enim omnis sententia ideoque post eam utique aliud est initium. Unde soluta fere oratio & è singulis non membris sed frustis collata.* Brevitatis autem studiosi, qualis erat Brutus, evitare nequeunt, ne minutis numeris distinguatur & concidatur oratio: quod vitium προσπταίειν πολλάκις κατὰ τὸν ἀγρατῖν minutiloquium appellat Tertullianus, βραχυλογίαν Aristoteles. Inde & *disjunctam* esse Bruti orationem dicit. *Disjunctio* enim opponitur *conjunctioni*, *disjuncta est oratio cum dure connexis aut demtis conjunctionibus*, ut ait Cicero de Oratore, *dissolute quadam dicuntur.* Jubent autem veteres brevitatis studiosas conjunctiones tollere, quamvis vetent dissoluta & disjuncta loqui. Aristoteles in tertio Rhetor. ἐὰν δὲ συντόμως, ἄν ἐν μὲν συνδέσμῳ, μὴ ἀσύνδετα δέ. Est tamen hoc proximum vitium, quod ἀσύνδετα & διαλελυμένα evadant. Id igitur in Bruto notatur. Cicero in Oratore: *Cum mutila quædam & hiantia locuti sunt, quæ vel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydidas.* Idem in Bruto de Attico Oratore & summisso: *verba etiam verbis quasi coagmentare negligat. Habet enim ille tanquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis.* Scheliut. *Otiosum* accipio eum cujus oratio sit nulla vi prædita & languida: qualis esse in disjunctis & male cohærentibus solet. Et potest Brutus impetu aliquo minus his vitiis in una alterave epistola, insignem se præbuisse, ut propterea non continuo hæc mutanda sint. cap. 22. infra de Cicerone; *Lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus: tarde commovetur, raro incalescit: pauci sensus apti:* (ita lego) *nec cum quodam lumine terminantur.* Quæ si quis hoc cum loco contendat, fatebitur, recte hunc locum habere, & Lipsii superfluam curam & emendationem esse. *Schultingius.*

2 *Tamquam fractum atque elumbem* ] Recidit eodem, quo illud præcedens Calvi, *solutum atque enervem* Ciceronem fuisse. Poeta, *fractique enervi torpore gressus.* Hieron. *solutis genibus fractus incessus.* Schultingius.

3 *Nunc mihi cum universis negotium est.*] Ita videtur legendum: non, ut in vulgatis, *nec mihi* &c. *Ursinus.* In margine scripsi, *nunc.* Lipsius. Scripsi, *nunc*, pro *nec*, admonente Lipsio, & necessitate orationis exigente. Cic. de Divin. lib. II. *de quibus singulis dicam suo loco, nunc de universis.* Pichena.

4 *Ad Cassium Severum faciunt* ] Probum censeo. Vetus tamen, *Cassium quem reum faciunt.* Lipsius.

5 *Vetere atque dicendi via directa* ] Muretus transponit: *ab illa vetere atque directa dicendi via.* At ego defectum quoque tollam levi traductione pariter mutatione voculæ unius. Lego, *ab illa vetere dicendi via directa, utique non infirmitate* &c. *Acidalius.*

6 *Sed judicio & intellectu* ] Fortassis: *& delectu.* Cicero Bruto: *Quod idem facere censores in delectu dignitatis & judicio civium, &c.* Pro Plancio: *Populus non delectu aliquo aut sapientia judicat.* Noster

judicio & intellectu. [1] Vidit namque, ut paullo ante dicebam, cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Facile perferebat prior iste populus, ut imperitus & rudis, [2] imperitissimarum orationum spatia: atque id ipsum laudi dabatur, si dicendo quis diem eximeret. [3] Ita vero longa principiorum præparatio, & narrationis alte repetita series, & multarum divisionum ostentatio, & mille [4] argumentorum gradus, & quicquid aliud aridissimis [5] Hermagoræ & Apollodori libris præcipitur, in honore erat: & si quis odoratus philosophiam, atque ex ea locum aliquem orationi suæ insereret, in cœlum laudibus ferebatur. Nec mirum. erant enim hæc nova & incognita: & ipsorum quoque oratorum [6] paucissimi præcepta rhetorum aut philosophorum placita cognoverant. At hercule pervulgatis jam omnibus, cum [7] vix in cortina quisquam assistat,

infra: *nec ulla re magis ejusdem ætatis oratores præcurrit quam judicio. Primus enim excoluit orationem, & verbis delectum adhibuit.* Gronovius.

1 *Vidit nempe ut paullo ante dicebam, conditione temporum ac diversitate auctorum*] Magis placeret, *auditorum*. Ursinus. Muretus *auditorum* maluit, nulla insigni caussa: nisi quod in vulgatis reperiebat *auctorum*. Acidalius.

2 *Imperitissimarum orationum*] Non arridet *imperitissimarum*. Nec adhuc probo Mureti, *impeditissimarum*. Quæro aliud. *Idem.*

3 *Ita vere longa principiorum præparatio*] Lege, *jam vero*. Idem. Lege *ista*. Schultingius.

4 *Argumentorum gradus*] Rom. editio, *argumentorum genera*. Lipsius.

5 *Hermagoræ & Apollodori libris*] Hermagoras Æolides Carion cognomine, scripsit rhetoricos lib. 6. de accurata oratione, de elocutione, de decore, de figuris: docuit Romæ post Cæcilium sub Augusto. fuerunt & alii illi cognomines, quos referre nihil attinet. Apollodorus Pergamenus Cæsaris Augusti præceptor & familiaris, scripsit rhetorica, & novæ hæreseos fuit auctor: ex Suida & Strabone. *Alciatus.*

6 *Paucissima præcepta*] Emendavi, *paucissimi*. nam sequitur, *cognoverant*. Rhenanus.

7 *Vix in cortina quisquam assistat*] Magis placeret, *in corona*. Ursinus. Alii *corona* legunt. si illud rectum; non aliud ceperim, quam subselliorum juxta tribunal locum, in quo non advocati solum, sed scribæ, præcones, atque id genus operæ forenses consistebant. Severus in Ætna pro theatri incurva parte dixisse videtur: *magni cortina theatri.* Vide etiam an non *assistere*, hic proprie de Asseclis aut Fautoribus, qui Oratori se adjungebant. Ita statim: *Vulgus quoque assistentium & affluens & vagus auditor.* Distinguit ab auditore fortuito & incerto. *Lipsius.* Scaliger Conjectaneis in Varronem *cortinam* interpretatur τρίποδα & λέβητα. Ea est proprie, inquit, in qua lana suffecta succos ebibit. Ab eo usus est metaphora Cornel. Tacitus in Dialogo cum ait *in cortina esse*. Sed fucum nobis facit Scaliger. *In cortina esse* huic quomodo convenit *in cortina assistere*? Scribe: *cum vix in corona quisquam assistat, qui elementis studiorum, si non instructus, at certe imbutus sit.* Ut fere voluerat & Muretus. Contra *cortina* forte legendum pro *corona* apud Sidon. Apollin. lib. 7. Ep. *Quandoquidem me* &c. *De minimis videlicet rebus Coronam tuam maximisque consulerem. Cortinam* hic esset oraculum tuum Tamen ibi scribit ad Papam: cui nescio si jam tum Corona. Imo non fuisse scio, quam Clodovæus Francorum rex Hormisdæ Papæ primus, donavit, anno post Christum natum ıↃxiv. quando Sidonius ante annos xxxiv. jam obierat, anno videlicet Christi 480. *Idem.* Lipsius: vide etiam an non *assistere* hic proprie de asseclis aut fautoribus, qui oratori se adjungebant. Ita statim: *Vulgus quoque assistentium & affluens & vagus auditor*, distinguit ab auditore fortuito & vago. Hæc Lipsius: cujus nos in sententiam quo minus discessionem facere possimus, facit ipse hic locus, ad quem hæc est commentatus. Verba sunt. *At hercule pervulgatis jam omnibus, cum vix in cortina quisquam assistat, qui elementis studiorum etsi non instructus, at certe imbutus sit, novis & exquisitis eloquentiæ itineribus opus est.* Quid? an hoc dignum notatu aut ad rem facere potuit, quod asseclæ aut fautores oratorum plerique *elementis studiorum etsi non instructi, at certe imbuti essent.* an hoc demum factum est, *pervulgatis jam* scientiis & artibus? Nemo id judicabit, nisi qui imprudenter malit, quam ratione agere. Rideret ipse Lipsius, si quem id defendentem audiret. sed accedit, quod ipse noster id negat eopse loco, quo suam sententiam stabilitam voluit vir ille magnus. Sunt enim nostri quidem auctoris paulo post illa: *Vulgus quoque assistentium* (Ovid. *vulgi stante corona*) *& affluens & vagus auditor.* sed quid subjungit? Nempe: *jam vero juvenes* (opposite ad istos auditores) *& in ipsa studiorum incude positi, qui profectus sui causa oratores sectantur* &c. denique hæc ita, ut sentio, accipienda pronuntiat ipse Quintilianus (cujus hunc ego fœtum esse credere malo, quam Taciti) & manifeste satis in proœmio Institut. locum integrum adscribam, quia inservit proposito, & vitio laborat gravi, quo eum liberare possum. sic habet. *Ac veterum quidem sapientiæ professorum multos & honesta præcepisse, & ut præceperant, etiam vixisse*

ſtat, qui elementis ſtudiorum etſi non inſtructus, [1] at certe imbutus ſit, novis & exquiſitis eloquentiæ itineribus opus eſt, per quæ orator faſtidium aurium effugiat, utique apud eos judices qui vi aut poteſtate, non jure & legibus cognoſcunt, & nec accipiunt tempora, ſed conſtituunt: nec exſpectandum habent oratorem dum illi libeat de ipſo negotio dicere, ſed ſæpe ultro admonent, atque alio tranſgredientem revocant & feſtinare ſe teſtantur. Quis nunc ferat oratorem *de infirmate valetudinis ſuæ* præfantem? qualia ſunt fere principia Corvini. Quis Quinque in Verrem libros exſpectaverit? quis de exceptione & formula perpetietur illa immenſa volumina, quæ [2] pro M. Tullio aut A. Cæcina legimus? [3] Præcurrit hoc tempore judex dicentem, & niſi aut curſu argumentorum, aut colore ſententiarum, aut nitore & cultu deſcriptionum invitatus & corruptus eſt, averſatur dicentem. Vulgus quoque aſſiſtentium, & affluens & vagus auditor, aſſuevit jam exigere lætitiam & pulchritudinem orationis; [4] nec magis perfert in judiciis triſtem & impexam antiquitatem, quam ſi quis in ſcena Roſcii aut [5] Turpionis Ambivii exprimere geſtus velit. Jam vero juvenes & in ipſa ſtudiorum incude poſiti, qui profectus ſui cauſſa oratores ſectantur, non ſolum audire, ſed etiam referre domum aliquid illuſtre & dignum memoria volunt. Traduntque invicem, ac ſæpe in colonias ac provincias ſuas ſcribunt, [6] ſive in ſuis aliquis arguta & brevi ſententia effulſit, ſive locus exquiſito & poëtico cultu enituit. Exigitur enim jam ab oratore etiam poëticus decor, [7] non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, ſed ex Horatii, & Virgilii, & Lucani ſacrario prolatus. Horum igitur auribus & judiciis obtemperans noſtrorum oratorum ætas, pulchrior & ornatior exſtitit. Neque ideo minus efficaces ſunt orationes noſtræ, quia ad aures judicantium cum vo-

*vixiſſe facile conceſſerim: noſtris vero temporibus ſub hoc nomine maxima in pleriſque vitia latuerunt. Non enim virtute ac ſtudiis, ut haberentur philoſophi, laborabant, ſed vultum, & triſtitiam, & diſſentientem a cæteris habitum peſſimis moribus prætendebant. Nunc autem, quæ velut propria philoſophiæ aſſeruntur, paſſim tractamus omnes. Quis enim non de juſto æquo ac bono, modo non vir peſſimus, loquitur. Quis non etiam ruſticorum aliqua de cauſis naturalibus quærit?* Hæc ut ſenſum recipiant, qui non abhorreat a tota oratione, ſcribendum, *poſteris vero temporibus ſub hoc nomine maxima in pleriſque vitia latuerunt.* Qua emendatione & hic reddi ſanitati poteſt locus, & ſimul intelligi, quam recte iſta contra ſummum Lipſium diſputaverimus. *Schultingius.*

1 *At certe imbutus ſit*] Sententia hæc negationem requirere videtur, *imbutus non ſit.* niſi fortaſſe repetitum ſubintelligatur illud, *non*, præcedens: quod nihilominus conſtructionem non expedit. *Pichena.*

2 *Pro M. Tullio*] Curius Fortunatianus lib. 2. Rhetor. ſchol. *Pithœus.*

3 *Præcurrit hoc tempore judex dicentem*] Videtur ab manu interpretis hoc loco vel paulo poſt eſſe *to dicentem*: neque enim politiſſimi ſcriptoris videtur non neceſſaria hæc & inepta ejuſdem vocabuli repetitio. *Schelius.*

4 *Nec magis præfert*] Repoſui, *perfert.* Rhenanus.

5 *Turpionis Ambivii*] Male disjungunt libri: *Turpionis aut Ambivii.* Eundem enim hominem fuiſſe, Terentianæ epigraphæ & Cicero de ſenectute docent. Symmachus nominat lib. 1. ep. 25. & lib. 10. epiſt. 2. *Non idem honor in pronunciandis fabulis P. Pollioni quam Bavio fuit, neque par Æſopo Etruſco fama proceſſit.* quæ verba ſimul ut legi, emendata à me, *qui Ambivio fuit, neque par Æſopo & Ruſcio* (ſive *Roſcio*) *fama.* Fortaſſe & *Pellioni* hic ſcribendum, ut ſit ille Pellio Plautinus. *Lipſius.*

6 *Sive in ſuis aliquis arguta*] Omnino vox aliqua latet: quam feliciter cum Mureto ex illis *in ſuis* erno legendo: *ſive ſenſus aliquis.* Nec te moveat *ſenſum* & *ſententiam* velut diverſa jungi. Diverſa ſunt, ut ex aliis hujus libelli locis potes intelligere: *& illud tertio quoque ſenſu in omnibus pro ſententia poſitum.* Item: *in pauciſſimos ſenſus & anguſtas ſententias detrudant eloquentiam.* Acidalius. Scribo, *ſive ſenſus aliquis.* nec obeſt quod ſenſus & ſententia hic conjunguntur. nec enim hoc loco *ſenſus* communiter accipitur, ſed oratorie. Sic infra 32. *in pauciſſimos ſenſus & anguſtas ſententias.* & 23. *tertio quoque ſenſu pro ſententia poſitum.* Quintilianus Orat. 8. *Conſuetudo tenuit, ut mente concepta ſenſus vocaremus; lumina autem, præcipueque in clauſulis poſita ſententias.* Adde mox hoc libello cap. 22. *Freinshemius.*

7 *Non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus*] Sidon. Apollin. lib. 1. ep. 1. dixit, *veternoſum dicendi genus.* lib. 9. ep. 16. *chartulis putribus ac veternoſis.* lib. 8. ep. ult. *veternoſus legalium quæſtionum ænigmatiſta.* Pichena.

voluptate perveniunt. Quid enim si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi cæmento, & informibus tegulis exstruuntur, sed marmore nitent & auro
21 radiantur? Equidem fatebor vobis simpliciter, me in quibus antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere, [1] nec unum de populo. * Canuti [2] aut Aride Furnio & Toranio, [3] quique alios in eodem valetudinario [4] hæc ossa & hanc maciem probant. Ipse mihi Calvus cum unum & viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una aut altera oratiuncula satisfecit. nec dissentire ceteros ab hoc meo judicio video. quotus enim quisque Calvi [5] in Asitium aut in Drusum legit? at hercule [6] in hominum

1 *Nec de populo Canuti*] Hic locus asterisco notari debuit. *Pithœus.* Liber vetus: *nec unum de populo Ganuti aut Atti do Furnio & Coranio alios in eodem valetudinario.* Fortasse: *nec unius de populo Aris de F. a. T. quique alii in.* Alias mihi nulla mens aut manus qua medear huic plagæ. *Lipsius.* Scribe *Canutii.* P. Canutium intelligit. Cicero Bruto. *P. Canutius æqualis meus homo extra nostrum ordinem meo judicio disertissimus.* Vellejus lib. II. *Cicero fulgentissimo & cœlesti ore, Canutius continua rabie lacerabat Antonium.* Schelius. Desperatum locum sic juvare posse videbamur. *Equidem fatebor vobis simpliciter, me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam vix somnum tenere. Nec unum de populo Canutium aut Arrium Furniumve nominabo, quosque alios in eodem valetudinario hæc ossa & hæc macies probant.* Novam periodon facio, *Nec unum.* Est enim, ut Petronii cap. 70. *Nec se tragœdias veteres curare, aut nomino seculis nota. sed rem sua memoria factam expositurum esse, si vellemus audire.* Sic enim refectis alienis legend. *Unum de populo,* aliquem ex minutis oratoribus, media de plebe oratorum: qui apud vulgus valuerunt, & aliqua monimenta ingenii reliquerunt; non tamen magnis sunt inserti nominibus. Canutium *Publium* vocat Cicero in Bruto, & pro Cluentio: *Accusabat P. Canutius, homo inprimis ingeniosus & in dicendo exercitatus.* At *Titum* Philippica 3. *T. Canutius, à quo erat honestissimis contentionibus & sæpe & jure vexatus.* *Cajum* Suetonius de clar. rhet. cap. 6. Arrium discimus ex Bruto Ciceronis: *Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarum. Is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat multorum obedire tempori, multorumque vel honori vel periculo servire. His enim rebus, infimo loco natus, & honores & pecuniam & gratiam consecutus. etiam in patronorum, sine doctrina, sine ingenio, numerum pervenerat.* C. Furnium putamus esse, cujus ad Ciceronem meminit Cæsar lib. 9. ad Atticum: & cui scribit ipse Cicero lib. 10. fam. epist. 25. & 26. Ubi patronum nobilem & sic disertorum numero fuisse hæc verba produnt: *O mi Furni, quam tu causam tuam non nosti, qui alienas tam facile discas!* Ipso *nominabo* gaudet: ut mox: *neminem nominabo, genus hominum signasse contentus.* Item, *Si testes desiderantur, quos potiores nominabo.* Postrema, *quosque alios,* recte sic etiam Acidalius constituit. Non de audientibus aut populo auditorum alicujus, sed de dicentibus & solitis audire auctorem agere liquet ex opposito. *Ipse mihi Calvus.* Gronovius. Mens & manus quæ huic mederentur plagæ, adhuc fuerunt nullæ. Ego sensum saltem his dabo hac conjectura. *nec ut unum de populo carmina laudare Atti, de Furnio & Toranio, neque aliorum in eodem valetudinario, qui hæc ossa & hanc maciem probant.* De his, quos eodem judicat in valetudinario esse, vide infra cap. 23. *Schultingius.*

*Canuti*] Canutius an ille, cujus mentio apud Suetonium de claris rhetorib. in Epidio? *C. Canutius objicientibus, quod in republica administranda potissimum Isaurici sectam sequeretur, malle respondit Isaurici consularis esse discipulum, quam Epidii calumniatoris.* Sic emendo trajectione vocis *Consularis.* Acidalius.

2 *Aut Aride Furnio & Toranio*] Nimis audax fortasse, si legerim: *Nec unum de populo Canutii aut auditoribus* (vel *auditorem*) *Furnii & Toranii.* Ad sensum quidem non ineptum sit, & infra etiam *populum* & *auditores* conjungit: *Quos more prisco apud judicem fabulantes non auditores sequuntur, non populus audit.* Schelius.

3 *Quique alios in eodem*] Puto cum Lipsio, *quique alii,* &c. Negat se esse unum de populo Canutii aut de auditoribus Toranii quique alii in eodem valetudinario, &c. vel, *quique alius,* &c. probat. *Idem.*

*In eodem valetudinario*] Proverbium de pluribus, qui in eodem malo versantur. Seneca epist. 27. *Non sum tam improbus, ut curationes æger obeam: sed, tamquam in eodem valetudinario jaceam, de communi malo tecum colloquor.* Pichena.

4 *Hæc ossa & hanc maciem probant*] Sic possumus emendare, *hæc ossa & hanc maciem produnt.* At se non aliquem vilem & vulgarem ex vetustate Oratorem in exemplum allaturum, uti hunc vel illum, in quibus multa carpere possit: sed ipsum Calvum inter principes antiquorum. Possis etiam, *quosdam alios in eodem valetudinario hæc ossa & hæc macies probant.* Acidalius. Cicero Bruto: *Attico genere dicendi se gaudere dicunt, sapienter id quidem, atque utinam imitarentur, nec ossa solum, sed etiam sanguinem: gratum est tamen quod volunt.* Schelius.

5 *In Asitium*] Anne, *Asinium?* Lipsius. Muretus, *Asicium:* quem non novi. *Acidalius.* Rectius forte, plenius haud dubie, *Calvi ista in Asinium.* Schultingius.

6 *In hominum studiosorum manibus*] Certo legendum

hominum studiosorum manibus versantur accusationes, quæ [1] in Vatinium inscribuntur, ac præcipue secunda ex his oratio. est enim verbis ornata, & sententiis: auribus judicum accommodata: ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse, quid melius esset, [2] nec voluntatem quin sublimius & cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse. [3] Quid ex Cœlianis orationibus? [4] nempe hæ placent [5] sive in universa parte factum in quibus nitorem & altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem verborum, & [6] hians compositio & inconditi sensus redolent antiquitatem. nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Cœlium ex ea parte laudet, qua antiquus est. Concedamus sane C. Cæsari, ut [7] propter magnitudinem cogitationum & occupationes rerum [8] minus eloquentia effecerit, quam divinum ejus ingenium postulabat: tam hercule quam [9] Brutum philosophiæ suæ relinquamus. Nam *in orationibus minorem esse fama sua*, etiam admiratores ejus fatentur. [10] nisi forte quisquam aut Cæsaris pro Decio Samnite, aut Bruti pro Dejotaro Rege, ceterosque, [11] ejusdem lentitudinis ac teporis libros legit, [12] nisi qui & carmina eorundem miratur. fecerunt enim & carmina, & in Bibliothecas rettulerunt, non melius quam Cicero, at felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur, mihi [13] inter Menenios & Appios studuisse. Pacu-

dum *omnium*. Etiam præpositio *in* abjicienda fortassis. ut Horat. *vos exemplaria Græca Nocturna versate manu, versate diurna*. Acidalius.

1 *In Vatinium conscribuntur*] In margine scripsi, *inscribuntur*, Lipsius. Credidi Lipsio restituenti, *inscribuntur*, pro, *conscribuntur*. nam inferius idem auctor ait: *exceptis orationibus Asinii, quæ pro heredibus Urbiniæ inscribuntur*. Pichena.

2 *Nec voluntatem*] Excidit forte vocula, *nec ei voluntatem*, vel, *nec voluntatem ei*. &c. *Acidalius*.

3 *Quid ex Cœlianis orationibus?*] Lege, *Quid? ex Cælianis orationibus*, nempe hæ placent. *Pithœus*. Malim, *de Cælianis*. Schultingius.

4 *Nempe hæ placent sive in universa parte factum*] Fortassis: *Neque in universum: partes tantum*. Vel *si minus universa, partes tamen*. Schelius.

5 *Sive in universa parte factum*] Mendosa ista. liber scriptus, *sive universa parte forum*. Valde placet lectio, quam Fr. Modius mihi annotavit, *hæ placent, si non universa, per partes attamen*. Lipsius. Proxime servatis vestigiis libri Lipsii facio: *si non universa, at partes earum*. Acidalius.

*Sive universæ, sive partes earum*] Ita edidit Pithœus. quod facile ita emendetur, *sive videas universas, sive partes earum*. Schultingius.

6 *Hiatus compositio*] Castigavi, *hians compositio*. Rhenanus.

7 *Propter magnitudinem cogitationum*] Modius ex Rom. cod. *cognitionum* pro *cogitationum* legit. Non audio. Vellejus lib. 2. de eodem Cæsare, *magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum Magno illi Alexandro simillimus*. Idem.

8 *Minus eloquentia effecerit*] Lego, *minus in eloquentia eff*. Et superius: *sicut in caussis agendis efficere aliquid & eniti fortasse possum*. Acidalius.

9 *Brutum philosophiæ suæ relinquamus*] Quintilianus: *Egregius vero:* (in philosophia) *multoque quam in orationibus præstantior Brutus sufficit ponderi rerum. Scias eum sentire, quæ dicit*. Schelius.

10 *Nisi forte quisquam aut Cæsaris*] Acidalius laborat in eo quod sequitur & scribit: *nisique & carmina*. Sed vitium hic erat. Edidit enim auctor: *nec fere* (vel *ferme*) *quisquam*. Gronovius.

11 *Ejusdem lentitudinis ac teporis*] Si quis malit *teporis*, non repugno. Sequitur enim paulo post, *Lentus est, tarde commovetur, raro incalescit*. Pithœus. Vera nostra conjectura cum esset, *ac temporis*. nisi placeat magis, *ac tenoris*. De tepore adfirmat, quod pari metaphora de Cicerone mox scribit, *tarde commovetur, raro incalescit*. Agnosco idem vitii in Plinii loco lib. 5. ep. 6. *Cælum est hieme frigidum & gelidum: mirtos, oleas, quæque alia æstivo tempore lætantur, aspernatur ac respuit*. Scribo, *æstivo tepore*. Lipsius. *Teporis*, Lipsius. Ego *torporis* malim. Neque enim *tepor* post *lentitudinem* vim habere videtur. Supra: *Tarda & inerti structura in morem annalium componantur*. Ut autem *tarditas* & *inertia structuræ*: ita & *lentitudo* & *torpor* libris tribuuntur. Noster, *Exigitur enim ab Oratore etiam Poëticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed è Virgilii & Lucani sacrario prolatus*. Cicero de legibus 1. *Nihil ad Cælium, sed potius ad antiquorum languorem atque insitiam*. Schelius.

12 *Nisi qui & Carmina eorundem miratur*] Pro, *nisi quis*. Sic & Tullius usurpat. *Rhenanus*. Lege, *nisique & carm*. Acidalius. Orationes has, inquit, nemo hodie legit; nisi forte tam insipidus & superstitiosus, ut omnia eorum atque adeo Carmina miretur, quæ hoc uno Ciceronis Carminibus feliciora sunt, quod fecisse eos pauciores sciunt. *Schelius*.

13 *Inter Menenios & Appios studuisse.*] Quintilianus: *A nitore & jucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri*

Pacuvium certe, & Attium, non solum tragœdiis, sed etiam orationibus suis expressit. adeo durus & siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venæ, nec ossa numerantur: sed temperatus ac bonus sanguis implet membra [1] & exsurgit toris, [2] ipsos quoque nervos rubor tegit & decor commendat. Nolo Corvinum insequi, [3] quia non per ipsum stetit quo minus lætitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret. [4] viderimus inquam judicio
22 ejus vis aut animi aut ingenii suffecerit. Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum æqualibus suis fuit, quæ mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat. nec ulla re magis ejusdem ætatis oratores præcurrit, quam judicio. Primus enim excoluit orationem, primus & verbis delectum adhibuit & compositioni artem: [5] locosque lætiores attentavit, & quasdam sententias invenit: utique in his orationibus quas senior jam & juxta finem vitæ composuit, id est, postquam magis profecerat, usuque & experimentis didicerat, [6] quod optimum dicendi genus est. Nam priores ejus orationes non carent vitiis antiquitatis. lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus: tarde commovetur, raro incalescit: [7] pauci

*deri possit seculo prior.* Idem.

1 *Et exsurgit toris*] Possis malle: *& exauget toris, ipsos quoque nervos rubore tingit & decore commendat.* Omnia enim de sanguine dicuntur. Sed tamen & belle *exsurgit*. ipse enim sanguis, quantum satis ac salubre est, se accumulans exsurgit toris factus. Rigaltius ad Minucium, *Venarum toros*, inquit, medici dixere & *jubarum toros* Poetæ. Prius ei concedo. Celsus lib. 7. cap. 18. *Præterquam quod & tumoris aliquid est pro venarum magnitudine & modo, & id prementi magis renititur, ac per ipsos venarum toros inæquale est.* At qui *jubarum toros* dixerit, præter ipsum, neminem novi. Decepit eum, opinor, Virgilii lib. 12. *movet arma leo, gaudetque comantes Excutiens cervice toros.* Sed ibi *tori* cervicis sunt, non jubarum: habent autem *tori* jubas, non jubæ toros. *Gronovius.*

2 *Ipsos quoque nervos ruber tegit & decor commendat.*] Aliquanto melior mihi visa hæc Veneti lectio, etsi pro, *ruber*, is corrupte habet, *robur.* At vulgati, *rubore tegit, & decore commendat.* Pichena. Melius *ipsosque nervos*, quomodo & Muretus. *Acidal.*

*Ruber tegit*] An *tingit?* cap. 26. *Quamquam in magna parte librorum suorum plus vis habeat quam sanguinis.* Unde rubore tingitur oratio. *Schultingius.*

3 *Quia non per ipsum stetit*] Restituam. *Nolo Corvinum insequi, quia non per ipsum stetisse, quo minus lætitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret, videmus, in quantum judicio ejus vis aut animi aut ingenii suffecit.* Freinshemius.

4 *Viderimus inquam judicio ejus vis aut animi aut ingenii suffecerit.*] Videtur hic locus ita legendus, *viderimus an judicium ejus vis animi aut ingenii defecerit.* &c. Ursinus. Hic locus corruptus videtur. Quid si legimus? *num ingenio, &c.* Et pag. seq. *terminantur.* Pithœus. Lego, *viderimus inquam an judicio ejus vis animi aut ingenii suffecerit.* Lipsius. Muretus pro ipso, *inquam*, saltem *an* rescribit. Mihi lectio Marginalis Lipsii, *in quantum*, proba: sed ut simul *& videmus* scribatur, & per copulam membrum hoc superiori nectatur: *& videmus, in quantum judicio ejus vis* &c. Acidalius. Alii libri *in quantum.* Lipsius; *viderimus inquam an* &c. Fortassis: *videmus in quantum judicio* &c. ut jam monuit. *Freinshemius.* [a]Lipsius legit: *viderimus, inquam, an judicio ejus vis animi aut ingenii suffecerit.* Malim: *videmus, in quanta judicium ejus & vis tum animi tum ingenii suffecerit.* Supra: *Cicerone mitior Corvinus & dulcior & in verbis magis elaboratus.* Cap. 18. Hoc autem loco ita Aper loquitur, quia adhuc in manibus erant opera Corvini. Proxime adhæc accessit Freinshemius. *Schultingius.*

5 *Locosque lætiores attentavit*] Ven. *latiores.* Rhenani autem Basiliensis editio, *altiores.* Sed vulgata rectior. nam paullo infra ait: *Nam & te Messalla, video lætissima quæque antiquorum imitantem.* Pichena. Malim cum Mureto, *locos quoque lætiores.* Acidalius.

6 *Quod optimum dicendi genus est*] Sententia postulat, ut legatur, *discendi.* Ursinus. Concinnitas orationis requirere videtur: *quod optimum dicendi genus esset.* At sententiæ veritas vult, *quod optimum dicendi genus est.* Usus enim optimus magister omnium rerum: & usu discere, optimum discendi genus. Varro lib. 1. Rei rust. *Experientia & usus dominantur in artibus.* Cic. de Orat. *Usus omnium magistrorum præcepta superat.* Plin. l. 26. *Usus efficacissimus rerum omnium magister.* Acidalius.

7 *Pauci sensus apt. & cum quodam lumine terminantur.*] Vetus: *Sensus aptet eum.* Rom. editio, *sensus capacius.* Forte *apacius & cum q. l. terminantur.* Ut ad picturam respectus sit, in qua lumen nos delectat sed cum quadam umbra. *Lipsius.* Legerim potius. *pauci sensus apte, & cum quadam modulamine terminantur.* Aperte enim de numeris loquitur, quos veluti modulatos requirunt rhetores in clausulis periodorum. *Acidalius.* Lego, pauci sensus apte, & cum quodam *lumine terminantur.*

Porro

ei sensus opt. & cum quodam lumine terminantur. [1] nihil excerpere, nihil referre possis: & velut in rudi ædificio, firmus sane paries & duraturus, sed non satis expolitus & splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem [2] ac laudatum patremfamiliæ, non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat; sed etiam quod visum & oculos delectet: non ea solum instrui supellectile, quæ necessariis usibus sufficiat; sed sit in apparatu ejus, & aurum & gemmæ, ut sumere in manus, & aspicere sæpius [3] liceat: quædam vero procul arceantur, ut jam [4] oblitterata & olentia: nullum sit verbum velut [5] rubigine infectum, nulli sensus tarda & inerti structura, [6] in morem Annalium, componantur: fugiat fœdam & insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno & eodem modo terminet. [7] Nolo irridere

Porro *lumen* quid sit disce ex Notatis supra ad c. 20. quo pertinent & *clausula*, de quibus mox. *Freinshemius.* Fortassis fuit *optime* vel *apte*, quod est Freinshemii. *Schelius.* Ex editione Romana elicit Lipsius, ut dubitet tamen; *opacius, & cum quodam lumine terminantur*, ut, inquit, ad picturam respectus sit, in qua lumen nos delectat, sed cum quadam umbra. Freinshemius, quod magis placet, *apte & cum quodam.* Nec displiceat tamen. si sit, *pauci sensus apti: nec cum quodam lumine terminantur. Apti*, id est, inter se connexi, recte juncti. Cap. 18. *Rursumque Ciceronem à Calvo quidem male audivisse, tanquam solutum & enervem: à Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tanquam fractum atque elumbem.* Eodem autem, quo interpretatus sum, sensu, *aptus* in illo est Lucretiano.

*Sic ubi non erimus, cum corporis atque animai*
*Discidium fuerit, quibus e quibus uniter apti.*

Egregia est hanc in rem Servii nota 4. Aneid. v. 482. Ad illa *stellis ardentibus aptum.* Inter alia, Ergo bene *aptum* colligatum: Cic. in Timæo: *Qua ex conjunctione cælum ita aptum est*, id est, constrictum & complexum. Item in Oratore, *facilius est enim apta dissolvere quam dissipata connectere.* Schultingius.

1 *Nihil excerpere*] Perspicua libri bonitas. Alias, *nihil ex tempore referre possis.* Lipsius. *Excipere* dixit Cicero non multum diversa significatione de Oratore 1. *tamen nos aliquid ex sermone vestro memoria dignum excipere possemus.* Et noster infra. *Schelius.*

2 *Ac laudatum patremfamilia*] Ego non dubitem scribere, *ac lautum.* Lipsius.

3 *Liceat*] Rodolphus bene, *libeat.* Lipsius.

4 *Oblitterata & olentia*] Magis hic sane probem: *oblitterata & exoleta.* Ceterum quæ sunt illa *quædam*, quæ procul jubet arceri? Odoror transpositionem, quam & corrigo: *aspicere sæpius libeat, nullum sit verbum velut rubigine infectum, quædam vero procul arceantur, ne jam oblitterata & exoleta: nulli sensus &c.* Acidalius.

5 *Rubigine infectum*] Scripsit *infectum.* Rhenanus.

6 *In morem annalium imponantur:*] Ita Pithœi editio. Lipsius & Freinshemius *componantur.* ut eo respiciatur, quod Annales cum rerum magnitudine destituantur, principe Annalium scriptore teste Lib. 3. Cap. 65. inde & ipsi levi scriptura esse foleant. Mihi tamen adhuc suspectus hic locus: maxime cum adspicio illud de structura. & fateor hinc mihi ortum esse, *in morem Antarum interponantur.* de Antis Vitruv. 3. de architect. cap. 1. Servius, quem temere Politianus futilem appellat grammaticum, quamvis vulgatum tum temporis intelligat, ad 2. Georg. 417. *Dicuntur autem Antes à lapidibus eminentioribus, qui interponuntur ad materiam sustinendam. nam proprie Antes sunt eminentes lapides vel columnæ ultima, quibus fabrica sustinetur.* Ita à fabricis sumpta comparatione id expresserit, quod Petronius a vestibus cap. 78. *Præterea curandum est, ne sententiæ emineant extra corpus orationis expressa, sed intexto vestibus colore niteant.* Schultingius.

7 *Nolo irridere rotam fortunæ*] Locus notus ex Oratione in Pisonem: *Cumque ipse nudus in convivio saltaret, in quo ne tum quidem cum illum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat.* Quæ merito antiquis visa sunt ineptissima & levissima. Vir certe divinus & decori ad miraculum ubique observans, non tantum in ipsis actionibus, quod testantur antiqui, sed etiam in actionum habitarum monumentis, & iis, qui ad nos pervenerunt, libris, hac una jure humanitus aliquid passus videtur. In secunda Philippica illa divina, quam jam Senior in Antonium scripsit: *Disertissimum cognovi avum tuum; at te etiam apertiorem in dicendo: ille nunquam nudus est concionatus; tuum hominis simplicis pectus vidimus.* Quod cui non frigidissimum & Cicerone parum dignum videatur? Eadem oratione de Lupercalibus loquens & fœdissimum sceleratissimumque Antonii factum, quo diadema Cæsari imponens eum quasi jussu populi regnare voluit jubere, graphice depingens suis & veris coloribus, adjicit: *Non dissimulat P. C. apparet esse commotum: sudat, pallet, quidlibet, modo ne nauseet, faciat quod in porticu Minucia fecit.* Hic quoque dubites anne suum ingenium Ciceronem abripuerit. Iratum enim Antonio esse decuit in illo libertatis funere, non facetum. Nimium calamitatis publicæ immemor, & in tantis malis delicatus est, cui vacet hic timere, ne vomat Antonius aut nauseet. Potest tamen eo defendi, quod cum post rem, interfecto jam Cæsare, hæc dicantur, contemnere jam eos velit, non tantum odisse Antonium: quasi jam

irridere *rotam fortunæ*, *& jus Verrinum*, & illud [1] tertio quoque sensu [2] in omnibus pro sententia positum, *esse videatur*. [3] Nam & hoc invitus rettuli, & plura omisi, [4] quæ tamen sola mirantur atque exprimunt hi [5] qui *se antiquos oratores* vocant. neminem

jam nihil aliud ex eo sit metuendum, quam ne nauseet. At illud in præfatione libri primi de natura Deorum quis excuset? *Itaque libet mihi exclamare, quod Statius in Synephebis:*

*Proh Deum popularium omnium Adolescentium Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, atque imploro fidem.*

*Non levissima de re, ut queritur ille fieri in Civitate facinora capitalia:*

*Ab amico amante argentum accipere meretrix non vult:*

*Sed ut adsint, cognoscant, animadvertant, quid de religione, pietate, sanctitate, Ceremoniis, &c. existimandum sit.* Deum atque hominum fidem implorat, obsecrat & orat omnes, adsint & cognoscant de re tanta tamque ardua atque difficili, qualis est natura deorum, de qua sit locuturus. Expectabat hic credo aliquis, ut nos moneret se non, ut ille apud Statium perditus adolescens, ideo exclamare, quod meretrix argentum accipere nollet: Hac excusatione interjecta non tantum vim omnem exclamationis tollit: (quid enim si ille alter stulte tantos motus ciebat?) sed etiam in gravissima materia, quo id minime decuit, loco animum lectoris, quem attentum habere vult, levitate talis imaginis ad risum traducit: insunt nimirum ingeniis omnibus, his quidem pauciora quam illis, insunt tamen omnibus vitia quædam sua, in quibus delicias faciunt, & ineptiæ, quibus plaudunt: quæ quidem ut in aliis observare & notare proclive est, ita pro se quisque difficulter evitaverit. Placent enim & blandiuntur facie ingenii, præsertim cum recentia sunt. Notum est ingeniosissimum Latinorum Poetarum reprehendi à veteribus, quod nimium ingenio suo indulgeat, cujus rei exemplum affert Seneca naturalium quæstionum libro III. *Illud pro magnitudine rei*, inquit, *dixit:*

*Omnia Pontus erant, deerant quoque littora ponto.*

*— — Nisi*

*Tantum impetum ingenii & materiæ ad pueriles ineptias reduxisset.*

*Nat Lupus inter Oves, fulvos vehit unda Leones.*

*Magnifice hoc, si non curavit, quid oves & lupi facerent, non est res sobria lascivire devorato orbe terrarum.* Non quidem injuria hæc carpantur si quidem ad severam strictamque legem exigantur & justius, opinor, quod ibidem sequitur.

*Hic summa piscem deprendit in ulmo.*

Ille tamen ipse, qui carpit, Seneca an nihil sibi permittit? an ab hoc vitio liber est? Argutatur certe, id est, ludit in gravissimis non raro rebus & divinis sententiis suis interserit levissimas, quæ nihil præter inanem strepitum ferunt, & hac una de causa tantum sententiæ sunt, quod tanquam sententiæ enuntiantur. Quid quod ipse: (si tamen est auctor) in gravissima peste, ubi tantam describi contagionis vim, tantam stragem, ut turbæ tumulos petenti non satis septem portæ patuerint, Ovidiana hæc eadem adducit:

*Non lupos Cervi metuunt rapaces,*
*Cessat irati fremitus Leonis.*
*Nulla villosis feritas in Ursis.*

Et alia non pauca ibidem. Adeo facilius est reprehendere vitia, quam evitare. De Musa Rhetore Marcus Seneca ait: *Omnia ejus ad ultimum tumorem perducta, ut non extra sanitatem, sed extra naturam essent.* Ex cujus portentis hæc notat. *Quicquid avium volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. Quære nunc cur subito moriamur? mortibus vivimus.* Hoc tamen tam verum Senecæ judicium non deterruit doctos homines, quo minus sibi in ejusmodi tumore admodum placerent, audaciaque translationum & hyperbolicis locutionibus cœlum & terras miscerent. Venit in mentem loci Plinii majoris, qui plane cum Musa certare videtur. Is est ubi de margaritis loquitur. *Parum scilicet*, inquit, *fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite toto, à fœminis juxta virisque gestentur? quid mari cum vestibus? quid undis fluctibusque cum vellere? non recte nos recipit rerum natura nisi nudos. Esto: sit tamen ventri cum eo societas: quid tergori? Parum est, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur.* Possem plura hujus generis ex veteribus adducere: sed vel sic iis injuriam facere mihi videor; Cum ea incusem vitia, quæ nunc apud quosdam eorum, qui sibi diserti videntur, & apud aliud agentem populum virtutis locum obtinent. Nam quæ hodie hominum aures sunt, quod studium Cacozeliæ nihil tam inepte dici potest, modo ne vulgariter dicatur, quod non habeat suos admiratores. *Schelius.*

1 *Tertio quoque sensu in omnibus*] Nihil muto. Veniebat tamen in mentem, *tertio quoque versu*, quia sequitur *pro sententia*. Quamvis aliud *sensus*, aliud *sententia*. Quintilianus: *Consuetudo tenuit, ut mente concepta sensus vocaremus, lumina autem præcipueque in clausulis posita sententias.* Idem: *noveram quosdam. Qui se pulchre expressisse genus illud cælestis hujus in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent, esse videtur.* Idem.

2 *In omnibus pro sententia*] Muretus addit, *in omnibus orationibus*. Aptissime. *Acidalius.*

3 *Nam & hoc invitus retuli*] Rom. codex, *invitatus*, non male, quia lacessitum significat sese, ad hæc promenda, ab Messalla. *Lipsius.* Melius *hac*. Sed cave censeas cum Lipsio, *invitatus* pro, *invitus* legi posse. *Acidalius.*

4 *Quæ tamen sola mirantur atque exprimunt*] Quintilianus: *Utinam tam bona imitantes melius dicerent,* quam

minem nominabo, genus hominum signasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, & Lucretium pro Virgilio legunt, quibus [1] eloquentia tui Aufidii Bassi, aut Servilii Noniani, ex comparatione Sisennæ aut Varronis sordet. qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt, Calvi mirantur: [2] quos more prisco apud judicem fabulantes, non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur, adeo mœsti & inculti, [3] illam ipsam quam jactant sanitatem, infirmitate & jejunio consequuntur. Porro ne in corpore quidem valetudinem medici probant, [4] quæ animi anxietate contingat. parum est ægrum non esse, fortem & lætum & alacrem volo. prope abest ab infirmitate in quo sola sanitas laudatur. [5] Vos vero disertissimi, ut potestis, ut facitis, illustrate seculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. Nam & te Messalla, video [6] lætissima quæque antiquorum imitantem. Et vos Materne ac Secunde, ita gravitate [7] summum nitorem & cultum verborum miscetis; ea electio inventionis, is ordo rerum, & quotiens caussa poscit, ubertas, ea quotiens permittitur, brevitas, is compositionis decor, [8] sententiarum planitas; sic exprimitis affectus, sic libertatem temperatis: ut etiam si nostra judicia malignitas & invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sint posteri nostri. Quæ cum Aper dixisset; *Agnoscitis ne*, inquit Maternus, vim 24
& ardorem Apri nostri? quo torrente, quo impetu seculum nostrum defendit! quam copiose ac varie vexavit antiquos! quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione & arte, ab ipsis mutuatus est, per quæ mox ipsos incesseret! Tuum tamen Messalla promissum immutasse non debes. neque enim defensores antiquorum exigimus, nec [9] quemquam nostrorum: quamquam modo laudati sumus, his quos insectatus

*quam mala pejus dicunt.* *Mirantur* autem hic pœne idem est quod imitantur. Lucanus, *Egregio juveni miratorique Catonis.* Statius: *aquævo cedere fratri mirarique patrem.* Schelius.

5 *Qui se antiquos Oratores vocabant*] Scribe *vocant.* Lipsius. Recte Lipsius, *vocant.* Schelius. *Vocitant*, lege, quod malo, quam *vocant.* Schultingius.

1 *Eloquentia tui Aufidii*] Non video, qui locus esse queat isti, *tui.* Deleam, tanquam natum ex ultima proxime præcedentis vocis syllaba. *Acidalius.*

2 *Quos more prisco apud judicem fabulantes*] Idem de Atticis illis, ut se dicebant, oratoribus suæ ætatis Cicero in Bruto: *At cum isti Attici dicunt, non modo à Corona (quod est ipsum miserabile) sed etiam ab advocatis relinquuntur.* Schelius.

3 *Illam ipsam quam jactant sanitatem infirmitate & jejunio consequuntur*] Rodolphus hæc legit, *inculti, ut illam ipsam quam jactant sanitatem, non infirmitate sed jejunio consequantur.* Lipsius. Sensu non inepto. Sed fortasse non male legitur in Ven. & Bas. *sanitatem, sed jejunio consequuntur*, id est consequuntur quidem sanitatem, scilicet puritatem orationis, sed structura inerti, ariditate & inopia verborum. *Pichena.* Rodolphi lectio non usquequaque vera: sed quæ nos ad veram quasi manu duxit. Certe enim sententia requirit, *non firmitate, sed jejunio.* De insertione particulæ *ut* susque deque habeo, quin proprius est, ut addi nolim. *Acidalius.* Fabius lib. 12. *Hi sunt, qui sua imbecillitati sanitatis appellationem, quæ est maxime contraria, obtendunt.* Schelius.

4 *Quæ animi anxietate contingat*] Opinor legendum, *quæ animi anxietate constitit.* Rhenanus. Mens rei non apta. Sententia loci totius sic postulat, *quæ tantum sine anxietate contingat.* Clarissimum id ex statim sequentibus: *parum est ægrum non esse, fortem & lætum & alacrem volo.* Acidalius.

5 *Vos vero, disertissimi*] Vix abest, quin vox *viri* desit. *Vos vero disertissimi viri, ut potestis.* Acidalius.

6 *Latissima quæque*] Malim, *lectissima.* Rhenanus.

7 *Summum nitorem*] *Summum* vix sincerum. Neque affirmare habeo rectene *sensuum* reponatur. *Acidalius.*

8 *Sententiarum planitas*] Nescio an *sanitas.* Lipsius. Id est quæ non eminent extra corpus orationis. Fabius: *Quæ crebris parvisque conatibus se attollunt inæqualia tantum & velut confragosa, nec admirationem consequuntur eminentium, & planorum gratiam perdunt.* Schelius. Lipsius: Nescio, an *sanitas.* Præferet, *gravitas*, qui viderit & consideraverit hunc ad locum illa cap. 26. *Neque enim oratorius iste, imo hercule ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lascivia verborum, & levitate sententiarum & licentia compositionis histrionales modos exprimant.* Schultingius.

9 *Quemquam nostrorum*] Sive potius, *nostrum.* Acidalius.

ctatus est Aper, comparamus. ac ne ipse quidem [1] ita sentit, sed more veteri [2] & alias vestris philosophis sæpe celebrato, sumpsit sibi contradicendi partes. [3] Exprime nobis non laudationem antiquorum, satis enim illos fama sua laudat, sed caussas cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus; cum præsertim centum & XX. annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici [4] ratio temporum collegerit. Tum Messalla: *Sequar a te* præscriptam formam Materne. neque enim diu contradicendum est Apro, qui primum, ut opinor, [5] nominis controversiam movit, tamquam parum proprie *antiqui* vocarentur, quos satis constat [6] ante centum annos fuisse. Mihi autem de vocabulo pugna non est, sive illos *antiquos*, sive *majores*, sive quo alio mavult nomine appellet: dummodo in confesso sit, eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. Ne illi quidem parti sermonis ejus repugno, [7] si cominus fatetur plures formas dicendi etiam iisdem sæculis, nedum diversis exstitisse. Sed quo modo inter Atticos oratores primæ Demostheni tribuuntur, proximum autem locum Æschines & Hyperides & Lysias & Lycurgus obtinent; omnium autem consensu hæc oratorum ætas maxime probatur: sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit: Calvus autem & Asinius & Cæsar & Cœlius & Brutus

[1] suo

1 *Ita sentit*] Sic distingue, *ac ne ipse q. ita sentit: sed more veteri & alias à vestris.* Pithœus.

2 *Et aliis vestris*] Ex veteri lego, *alias à vestris.* Lipsius. Et hoc Lipsius correxit. Nam vulgo, *& aliis vestris.* Pichena. Nihil opus addi *τὸ a.* Sed *τὸ vestris* demi, quod Muretus voluit, nullo modo debet. Alloquitur Messallam, qui philosophiæ studio deditus. Infra ipse de se, *me, dum juris & philosophiæ scientiam tanquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse.* Acidalius. Lipsius legit *alias à vestris.* Freinshemius edidit *alias vestris.* Potest ita etiam scribi, *& aliis & vestris. Celebrate* accipiendum frequentato, usitato. Notum est, quod *celebrare* & *frequentare* promiscue ponant. Ovid. 1. Metam.

*dextra levaque deorum*
*Atria nobilium valvis celebrantur apertis.*

Nepos præfat. *Cujus materfamilias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur?* id est, hominum frequentia. Sulpitia.

*Musa quibus numeris heroas & arma frequentas.*

Vopiscus init. Aureliani, *Ergo Thersiten, Sinonem, ceteraque illa prodigia vetustatis, & nos bene scimus, & posteri frequentabunt. Divum Aurelianum &c. posteri nescient.* Schultingius.

3 *Exprime nobis*] Lego, *Exprome.* Acidalius.

4 *Ratio temporum collegerit*] His aliquid deesse manifestum Apri intercidisse credo; & fuisse, *ratione temporum Aper collegerit.* Schultingius.

5 *Nominis controversiam movit, &c.*] Hæc stigmate vulgo inusta. nos dempsimus & eluimus, adjuti à libro. *Lipsius.*

6 *Ante centum annos*] Muretus, *intra*; sua quadam ratione: sed quam non omnino sequor. *Acidalius.*

7 *Si cemminus*] Malim, *si communius*, quod aliis fortasse novum videbitur. *Pithœus.* Ven. & alii, *si quo minus.* Pichena. Legebam, *qua fatetur.* Sed verbum *fatetur* minime convenienter de Apro dicitur: diceretur convenientius de Messalla. Ille enim id contendebat & probabat: hic quodammodo concedit & fatetur. Fortassis ita restitui potest: *Ne illi quidem parti sermonis ejus repugno, quin omnes fatemur.* Acidalius. Pithœus, *Si communius fatetur.* Sed tollendum aut mutandum illud *fatetur.* Non enim fassus erat Aper plures formas dicendi etiam iisdem seculis extitisse, sed probaverat. probamus quod pro nobis facit, fatemur quod contra nos est & quodammodo extorquetur. Verba Apri fuerant. *Nec quæro quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum non esse unum eloquentiæ vultum, sed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures species deprehendi, nec statim deterius esse, quod diversum est.* Fortassis. *Si comminus spectentur.* Apulejus: *Qui sapiens iste rerum humanarum velit: non libris solis, neque disciplinis Rhetoricis dialecticisque opus esse, sed oportere eum versari quoque in rebus comminus noscendis.* Quintilianus l. 10. c. 11. *Hoc autem iis accidit, qui non introspectis penitus virtutibus ad primum se velut adspectum orationis aptarunt.* Schelius. Lipsius hic hæsisse videtur: qui nihil de suo adjiciens, tantum ponit Pithœum legere, *communius fatetur.* Levi hac mutatione omnia recte habebunt: *ubi cominus fatetur.* scrupulum injecit eruditis, quod non succurrebat *cominus* hæc circa tempora *statim* esse. Tac. de mor. German. 8. *Memoria proditum est, quasdam acies inclinatas jam & labantes à feminis restitutas, constantia precum & objectu pectorum, & monstrata cominus captivitate.* id est, quæ proxima esset, & statim eventura, nisi resisteretur hosti. Pompon. quoque Jurisconsultus L. 3. D. de Pign. Act. *si quasi recepturus à debitore tuo comminus pecuniam, reddidisti ei pignus.* Venul. L. 137. de Verb. Oblig. *cominus respondere stipulanti oportet.* Schultingius.

1 *Sic*

[1] suo jure & prioribus & sequentibus anteponuntur nec refert quod inter se specie different, cum genere consentiant. [2] At strictior Calvus, [3] numerosior Asinius, [4] splendidior Cæsar, [5] amarior Cœlius, gravior Brutus, vehementior & [6] plenior & valentior Cicero; omnes tamen eamdem [7] sanitatem eloquentiæ ferunt: ut si omnium pariter libros [8] in manum sumpseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quandam [9] judicii ac voluntatis similitudinem & cognationem. Nam quod invicem se obtrectaverunt, & supersunt aliqua epistolis eorum inserta, [10] ex quibus mutua malignitas detegitur, [11] non est oratorum vitium, sed hominum. Nam & Calvum & Asinium & ipsum Ciceronem credo solitos [12] & invidere, & livere, & ceteris humanæ infirmitatis vitiis affici; solum inter hos arbitror Brutum, non malignitate nec invi-

1 *Sic jure*] Lego, *suo jure*. Liber tamen scriptus, *sic vere*. Lipsius. Scripsi, *suo jure*, Lipsii monitu. Vulgo, *sic jure*. Pichena.

2 *At strictior Calvus*] Lego una voce, *adstrictior*. Acidalius.

3 *Numerosior Asinius*] Asinium Pollionem circa compositionem diligentem valde fuisse ex eo patet quod Quintilianus adducit exordium quoddam ejus adeo Celso probatum, ut optimam in eo compositionem & legem principiorum esse duxerit. Cum tamen hic dicatur videri inter Menenios & Appios studuisse: Pacuvium certe & Attium, non solum tragœdiis, sed etiam orationibus suis expressisse; adeo durum & siccum esse; & apud Quintilianum videri Cicerone seculo priorem, & apud Senecam epistola centesima, *Compositio Pollionis Asinii salebrosa & exiliens & ubi minime expectes, relictura, denique apud Ciceronem omnia desinunt, apud Pollionem cadunt*. Dubitabam an talis scriptor quantumvis diligens, *numerosus* recte diceretur, an potius, *morosus? Summa enim in eo*, ut ait Fabius, *diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videretur*. Seneca Pater, *Strictum ejus & asperum, & nimis rasum in dicendo judicium*. Schelius.

4 *Splendidior Cæsar*] Cicero Bruto: *splendidam quandam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet voce, motu, forma etiam magnifica & generosa quodammodo*. Idem.

5 *Amarior Cœlius*] Quintilianus eodem: *in accusando multa urbanitas*. Plinius Epist. 8. lib. 6. *Vide, attendas, ne in bilem aut amaritudinem vertat injuria*. Idem.

6 *Plenior Cicero*] Eo significatur, non aridum eum, jejunum, aut exanguem fuisse. Donatus ad Terent. Eun. 2. 3. 24. ubi dixerat poeta. *Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas*. Bona, inquit, id est, plena, magna, & pinguis. mox: *junceas tenues & pallidas* interpretatur. ad quæ Salmasius. Donatus *plenum*, pinguem interpretatur & *junceas* tenues & pallidas. *Plenos* Latini de pinguibus & crassis dicunt, ut & nos hodie facimus; quos & repletos indigetamus: Ovidius:

*Turgida si plena est: si fusca est, nigra vocetur*
*In gracili macies crimen habere potest.*

Sic & *filum plenum*, pro crasso & pingui.

—— *pleno velamina filo.*

Et apud Spartianum *plena barba*. Hæc Salm. Inde & Flor. 2, 18. *Ferro plenius vallum, qui arma nescirent* ubi *sacero* quandoque suspicabar; ut adhuc tamen mihi nondum sit deliberatum. *Schultingius*.

7 *Sanctitatem eloquentiæ ferunt*] Reposui *sanitatem*. Rhenanus. Sententia vult *praferunt*. Atque ita scribo. Tamen Tacitus 4. Histor. *quos spiritus gessit, vultu ferebat*. Et lib. 2. *lætitiam & gratulationem vultu ferens, animo anxius*. Paullo tamen in Tacito istis alia res & ratio est, quia *vultu* additur. *Acidalius*.

8 *In manum sumpseris, quamvis*] Monere me in prima editione aliquid de hoc loco fugit. qui non difficilis alias emendatu & expletu, ex libro scripto. Nam is voculam inserit, *sumpseris sitam quamvis, &c.* Lego: *in manus sumpseris, scias, quamvis in diversis ingeniis esse quandam judicii ac voluntatis similitudinem & cognationem*. Lipsius. A vulgatis abest verbum, *scias*, quod ex veteri libro restituit Lipsius. *Pichena*. Cum Mureto multo malim, *sentias*, inserere, quam *scias*. Acidalius.

9 *Judicii ac voluminis similitudinem & cogitationem*] Scribe, *luminis*. Rhenanus. Fortasse legendum, *voluntatis similitudinem*. ita requirente sententia. *Ursinus*. Lipsius correxit voces, *voluntatis*, & *cognationem*, corruptas antea, *voluminis*, &, *cogitationem*. Pichena. Sic locum legerim, *esse quandam judicii nihilominus similitudinem & cognationem*. Acidalius. Recte Lipsius, *voluntatis similitudinem ac cognationem*. Quint. *Mirabilem in illo recti generis voluntatem*. Cicero oratore: *Quæ dicendi ratio, quæ voluntas*. Schelius.

10 *Ex quibus mutua malignitas detegitur*] Deleam *ex*. quod si posuit auctor, verbum sequi debet, non *detegitur*, sed *deprehenduntur*. Acidalius.

11 *Non est oratorum vitium, sed hominum*] Simili acumine Quintilianus in sermone Declamat. 349. *Hoc proprium non dementis esse, verum hominis*. Schultingius.

12 *Et invidere & livere*] Non placent hæc ita juncta: & aliquid sordidi præ se ferunt. Legebam, *& irridere & livere*. aut *illudere & livere*. quomodo Suasoria 2. Senecæ. *Pollio Asinius ajebat hoc non esse suadere, sed invidere*, ubi *illudere* corrigit summus Gronovius, sensu probo, & ductu istarum litterarum id probante. sed quia Schottus notat in MSS. esse,

invidia, sed simpliciter & ingenue judicium animi sui detexisse. an invideret Ciceroni, qui mihi videtur ne Cæsari quidem invidisse? Quod ad Ser. Galbam & C. Lælium attinet, & [1] si quos alios antiquorum agitare non destitit, non exigit defensorem, cum fatear quædam eloquentiæ eorum, ut nascenti adhuc nec satis adultæ, de-
26 fuisse. Ceterum si omisso optimo illo, & perfectissimo genere eloquentiæ, eligenda sit forma dicendi; malim hercule C. Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem, quam [2] calamistros Mæcenatis, aut [3] tinnitus Gallionis. [4] adeo malim oratorem, vel hirta toga induere, quam [5] fucatis & meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo [6] hercule ne virilis quidem cultus est, quo [7] plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut [8] lascivia verborum, & [9] levitate sententiarum, & licentia compositionis, histrionales modos exprimant. quodque vix auditu [10] fas esse debeat, laudis & gloriæ & [11] ingenii loco plerique jactant, [12] *cantari saltarique commentarios suos*. Unde oritur illa fœda & præpostera, sed tamen frequens [13] quibusdam exclamatio, [14] ut *oratores nostri* [15] *tenere dicere*, *histriones diserte saltare*

*isti videre*, credidi fuisse, *sed inscite ridere*. Idem.

1 *Si quis alios antiquorum agitare non destitis*] Quintilianus: *Potioribus Senecam præferri non sinebam, quos ille incessere non destiterat*. Schelius.

2 *Calamistros Mæcenatis*] *Calamistros*, Pomponius Sabinus mediæ ætatis grammaticus in Carmen de obitu Mæcenatis. *Cornelius*, inquit, *Tacitus appellat scripta Mæcenatis, calamistros*. Pithœus. Cicero: *ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere*. Schelius.

3 *Tinnitus Gallionis*] Quintilianus: *Nam tumidos & corruptos & tinnulos & quocunque alio cacozeliæ genere peccantes certum habeo, non virium, sed infirmitatis vitio laborare, ut corpora non robore sed valetudine inflantur*. Schelius.

4 *Adeo malim oratorem*] Vulgo, *adeo melius*. Sed, *malim*, correxi: nam & paulo supra dixit, *malim hercule C. Gracchi imperium*. Pichena.

5 *Fucatis & meretriciis vestibus*] Cicero, *fucens ille & sanguis interruptus usque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor*. Schelius.

6 *Ne hercle virilis quidem cultus*] Quintilianus l. 8. *Ornatus virilis fortis & sanctus sit*. Idem. *Ex quibus adsumatur solida & virilis ingenii vis*. Idem lib. 11. *Quæ lenis & quadrata sed virilis tamen compositio*. Idem.

7 *Plerique temporum nostrorum*] Optime vetus. Erat antea, *plerique ipsorum nostrorum*. Lipsius.

8 *Lascivia verborum*] Quinct. *Alios recens hac lascivia delitiaque & omnia ad voluptatem multitudinis imperitæ composita delectant*. Schelius.

9 *Levitate sententiarum*] Petronius: *sententiarum vanissimum strepitum*. Idem.

10 *Fas esse debeat*] Muretus aliquanto melius, *debebat*. Acidalius.

11 *Ingenii loco*] Fuit illa etiam olim scholasticorum declamatorum vanitas, ut in ineptiis nescio quibus ingenium, in ostentatione autem ingenii omnem eloquentiam positam ducerent, qui tamen intellexisse non videntur, quanto minor laus sit esse ingeniosum quam disertum. Fabius de iis, qui solas petunt sententias: *Itaque ingeniosi vocentur, ut libet, dum tamen constet contumeliose sic laudari disertum*. Martialis.

*Cum sexaginta numeret Casselius annos,*
*Ingeniosus homo est, quando disertus erit.*

Schelius.

12 *Cantarique saltari commentarios*] Sen. controv. & loco citatis: Verba juncta sunt iis, quæ emendata dedimus. Scribam autem & hæc, quomodo restituenda forte sunt. *Sed nolo nihil fuisse: etenim juvenis deamavi tanquam me*. (add. Plaut. Bacch. 2. 2. 36. & fin. controv. ejusdem) *has declamationes Fusti, quas nemo, non nostrum alius alia inclinatione vocis, velut suavem quisque modulationem cantabat*. Quæ dum chartis illino, & cogito Fuscum, cujus de scriptis ista testatur Seneca, esse Rhetorem; dubito, num recte se habeat hoc loco illud *temporum nostrorum actores*. ubi *Rhetores* sensu commodiori scriberetur. add. fin. Dialogi. *Schultingius*.

13 *Sicut his clam & exclamatio*] Has quatuor particulas in unam confla dictionem, nempe *quibusdam*. Rhenanus.

14 *Ut Oratores nostri tenere dicere*] Audacter reposui, etsi à conjectura. Nam libris omnibus est, *temere*. Plinius illustrat correctionem hanc satis & firmat. lib. 2. ep. 14. *pudet referre, quæ, quam fracta pronunciatione, dicantur: quibus, quam teneris clamoribus excipiantur. Plausus tantum, ac potius sola cymbala & tympana, illis cantibus desunt*. Lipsius. Recte ita Lipsius. nam quamvis in aliqua parte laudabilis sit oratio tenera, mollis & flexibilis, teneritudo tamen magis saltantis quam dicentis laus est. Sicut oratoris est diserte dicere, sic histrionis tenere saltare. Cic. in Pisonem: *Samothraciam te primum inde Tharsum cum his teneris saltatoribus & cum Autobulo Athamante & Timocle formosis fratribus contulisti*. Ovidius de Arte Amatoria:

*Illa*

*saltare* dicantur. Equidem non negaverim Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si his comparetur qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magna parte librorum suorum [1] plus vis habeat quam sanguinis. Primus enim contempto ordine rerum, omissa modestia, ac pudore verborum, ipsis etiam quibus [2] utitur armis incompositus, & studio feriendi plerumque [3] detectus non pugnat, sed rixatur. Ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus, & varietate eruditionis, & lepore urbanitatis; & ipsarum virium robore, multum ceteros superat. quorum neminem Aper nominare, & velut in aciem educere sustinuit. Ego autem exspectabam, ut incusato Asinio, & Cœlio, & Calvo, [4] aliud nobis agmen produceret, plurisque vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Cæsari, singulis demum singulos opponeremus. Nunc detrectasse nominatim antiquos oratores contentus, neminem sequentium laudare ausus est, nisi in publicum & in commune. veritus credo ne multos offenderet, si paucos [5] excerpsisset. quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed
[6] plane post Gabinianum? At ego non verebor nominare singulos, quo facilius pro- 27
positis exemplis appareat, quibus gradibus fracta sit & deminuta eloquentia. *Appropera*, inquit Maternus, [7] & potius exsolve promissum. Neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me equidem in confesso est, sed caussas exquirimus, [8] quas te solitum tractare, paullo ante, plane mitiore eloquentia &

*Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit,*
*Et tenerum molli torquet ab arte latus.*

Ideo qui virilem & masculam orationem affectabant, currentibus etiam numeris, quo eos inhibe rent, objiciebant, quo teneram delicatamque modulandi voluptatem refugerent, ut de Pollione memorat Quintilianus. *Schelius.*

15 *Tenere dicere, diserte saltare*] Locutione similia, re præstantiora sunt illa Sallustii 2. de rep. ord. *Atque ea magis fortibus consiliis, quam bonis prœliis, parata sunt.* Sen. controv. citata. *Nec sine deliciis educamur, sine muris vivimus, sine vita vincimus.* ubi quod præcedit, *Othryada dicebat municipalis. Aliud ceteros, aliud Laconas decet.* legendum videtur, *Othryada: sciebat municipalis, aliud ceteros, aliud Laconas decere.* Istam autem etiam, de qua agimus, elegantiam compilatores juris gravitati procemii Institutionum ornamento fore recte judicaverunt. *Schultingius.*

1 *Plus vis quam sanguinis*] Fabius de eodem. *Ingenii plurimum est in eo, & acerbitas mira, & urbanitas vis summa: sed plus stomacho quam consilio dedit* Schelius.

*Plus vis habeat quam sanguinis*] Etiamsi sensui satisfieret, vox tamen placere non posset. Lege: *plus ira habeat quam sanguinis.* Tacitus 1. ann. *Cassii Severi libidine, qua viros fœminasque inlustres procacibus scriptis diffamaverat.* l. 4. *Relatum & de Cassio Severo exsule, qui sordidæ originis, malefica vita, sed orandi validus, per immodicas inimicitias, ut judicio jurati senatus Cretam amoveretur, effecerat, atque illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit.* Gronovius.

2 *Utimur armis*] Legi possit, *utitur.* Rhenanus.

3 *Dejectus*] Rom. cod. *detectus.* optime. *Lipsius.* Ex Rom. cod. restituit Lipsius, *detectus.* Vulgo, *dejectus.* Pichena.

4 *Aliud novum agmen*] Rom. codex, *aliud nobis agmen.* Lipsius. Melius Rom. codex habuit *nobis*, quod probat, imo requirit sequens verbum, *opponeremus.* Acidalius.

5 *Excerpsisset*] *Excepisset.* Pithœus.

6 *Plane post Gabinianum*] Petronius. *Rogo inquit Magister quid putes inter Ciceronem & Publicum interesse Ego alterum puto disertiorem fuisse, alterum honestiorem.* Schelius.

*Post Gabinianum*] Rhetor fuit Vespasiani ævo de quo Eusebii Chronicon: *Gabinianus celeberrimi nominis rhetor in Gallia docuit.* Ita liber, qui apud me manuscriptus, probus verusque. Vulgo, *Gabinius.* Nominant & Hieronymus, & Suetonii index de claris rhetoribus, quod doctissimus & optimus Nic. Faber adnotavit. *Lipsius.*

7 *Et potius exsolve promissum*] Lego, *ocius.* Acidalius.

8 *Quas te solitum tractare paulo ante plane mitiore eloquentia & temporum nostrorum miratus*] Expunximus, *iratus*, post verbum *miratus*, vulgo positum. *Rhenanus.* Quidam liber, *paullo ante dixisti, plane mitiore.* Sed hæc & sequentia tamen in mendo. *Lipsius.* Locus in gravi mendo. Legerim: *solitum tractare paullo ante dixisti, sane mitiore eloquentia, & temporum nostrorum* (scil. eloquentiam) *imitatus* &c. Acidalius. In quodam libro est: *paulo ante dixisti.* Scribe, *Quas te solitum tractare paulo ante dixisti, plane mitior & eloquentia temporum nostrorum non iratus, antequam te Aper offenderet majores tuos lacessendo.* Non enim miratus fuerat Messalla elo-

& [1] temporum nostrorum miratus, antequam te Aper offenderet majores tuos lacessendo. *non sum*, inquit, offensus [2] Aprina disputatione, nec vos offendi decebit, si quid forte [3] aures vestras perstringet, cum sciatis hanc esse ejusmodi sermonum legem, [4] judicium animi citra damnum affectus proferre. [5] *Perge*, inquit Maternus, & cum de antiquis loquaris, utere antiqua libertate, à qua vel magis degeneravimus,
28 quam ab eloquentia. Et Messalla, *Non reconditas* Materne caussas requiris: nec aut tibi ipsi, aut huic Secundo, vel huic Apro ignotas, [6] etiamsi mihi partes assignatis proferendi in medium, quæ omnes sentimus. Quis enim ignorat & eloquentiam & ceteras artes descivisse [7] ab ista vetere gloria, non inopia hominum; sed desidia juventutis, & negligentia parentum, & inscientia præcipientium, & oblivione moris antiqui? quæ mala primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, jam in provincias manant: quamquam nostra nobis notiora sunt. [8] Ego de urbe & his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quæ natos statim excipiunt, & per singulos ætatis gradus cumulantur, si prius de severitate ac disciplina majorum circa educandos formandosque liberos pauca prædixero. Jamprimum suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella emptæ nutricis, [9] sed gremio ac sinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat, tueri domum, & inservire liberis. Eligebatur autem aliqua major natu pro-

eloquentiam ævi illius, sed Secundum & Aprum, viros optimos & temporum istorum Oratores, appellaverat, nec minus probari dixerat in secundo, quod Julii Asiatici vitam composuisset, quam in Apro, quod nondum à Scholasticis Controversiis recessisset, & otium suum novorum Rhetorum more quam veterum Oratorum consumere mallet. Quæ quamvis satis mitia & benigna, adeo tamen non erant mirantis novam facundiam, ut Aper longe secus acceperit. *Non desinis*, inquit, *Messala, vetera tantum & antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere, &c.* Cui deinde Messala *se ne Aprum quidem aliter sentire credere, ac velle se impetratum ab aliquo eorum; ut causas hujus infinita differentia scrutetur, ac reddat, quas secum ipse plerumque conquirat.* Statius Hercule Sur. *Pacatus mitisque veni nec turbidas ira.* Schelius. Sensum his possum dare; an sua auctori verba, id ego vero in his quidem pro certo non affirmem. Quod vidi, id hujusmodi est, *quas te solitum tractare publice, antique plane more, & eloquentia non temporum nostrorum, sum miratus, antequam te Aper offenderet, majores istos incessendo. Majores*, id est, antiquos. vid. cap. 25. *Schultingius.*

1 *Temporum nostrorum miratus*] Lipsius ex quodam libro interponit *dixisti*. Sed hujus verbi vis latet in *τῷ miratus*: pro quo reponebam, *narrabas*. Gronovius.

2 *Aprina disputatione*] Commode videmur ita fecisse, cum libri præferrent, *à prima disputatione*. Lipsius. Ego malim, *sed tantum mihi*. Acidalius. Lipsii inventum ex libro, in quo: *à prima disp.* Nec repugno. Malim tamen, *Apri nostri disputatione*. nam *ri* facile degeneravit in *ma*. Gronovius.

3 *Aures perstringet*] Tacit. 1. Ann. c. 13. *Etiam Q. Haterius & Mamercus Scaurus suspicacem animum perstrinxere.* Schultingius.

4 *Judicium animi citra damnum affectus proferre*] Id est, ut damnum affectus ne faciat, ne amittat benevolentiam diversum sentientium, qui judicium suum libere profert. Livius 9. *Quid si vini amor in dies fieret acrior, quid si trux & præfervida ira (nec quicquam dubium inter scriptores refero) nulla ne hæc damna imperatoriis virtutibus ducimus.* Schelius.

5 *Perge, inquit Maternus, & cum de antiquis loquaris*] Faernus legebat: *perge, inquit, Maternus, de antiquis loquens.* Ursinus. Scribe è scripto: *inquit Maternus, & cum de antiquis loquaris.* Lipsius.

6 *Etiam mihi partes*] Scribe è vestigiis priscis, *etiamsi mihi.* Nam in scripto est, *etenim jam si mihi.* Pichena.

7 *Ab ista vetere gloria*] Muretus notaverat, *illa.* Leve, sed nec spernendum. *Acidalius.*

8 *Ego de urbe & his propriis*] Credam melius, *Ergo* quia præcessit, *nostra nobis notiora sunt.* Acidalius.

9 *In gremio ac sinu matris*] Tacitus Agricola: *Mater Julia Procilla fuit raræ castitatis: in hujus sinu indulgentiaque educatus.* Conjungit cum sinu indulgentiam: quæ tamen pro amore materno in bonam partem hic est accipienda ut sæpe. Cicero Vetrina: *Qui simili sensu & indulgentia filiorum commoventur.* De Oratore II. *Si feræ partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse decet.* Idem Cicero de filiorum reverentia & amore erga parentem usurpat de Officiis lib. 3. *magnus imprimis vir & perindulgens in patrem.* Quamvis enim naturalis ille parentum in liberos amor modum excedat sæpe, & vitiis eorum indulgeat: tamen quia nullius utilitatis suæ laudi, non vitio dari solet, quamvis

propinqua, [1] cujus probatis ſpectatiſque moribus, omnis cujuſpiam familiæ ſuboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhoneſtum factu videretur. [2] Ac non ſtudia modo curaſque, ſed remiſſiones etiam luſuſque puerorum, ſanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, ſic Aureliam Cæſaris: ſic Attiam Auguſti matrem præfuiſſe educationibus, ac produxiſſe principes liberos accepimus. quæ diſciplina ac ſeveritas eo pertinebat, ut ſincera & integra & nullis pravitatibus detorta uniuſcujuſque natura, toto ſtatim pectore arriperet artes honeſtas: & ſive ad rem militarem, ſive ad juris ſcientiam, ſive ad eloquentiæ ſtudium inclinaſſet, id ſolum ageret, id univerſum hauriret. At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungi- 29
tur unus aut alter ex omnibus ſervis plerumque viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatus. horum fabulis & erroribus teneri ſtatim & rudes animi imbuuntur. Nec quiſquam in tota domo penſi habet, quid coram infante domino, aut dicat, aut faciat: quando etiam ipſi parentes nec probitati neque modeſtiæ parvulos aſſueſaciunt, [3] ſed laſciviæ & libertati, per quæ paullatim impudentia irrepit, & ſui alienique contemptus. Jam vero propria & peculiaria hujus urbis vitia pœne in utero matris concipi mihi videntur, [4] hiſtrionalis favor, & gladiatorum [5] equorumque ſtudia. quibus occupatus & obſeſſus animus quantulum loci bonis artibus relinquit. quotum quemque inveneris qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios adoleſcentulorum ſermones excipimus, ſi quando auditoria [6] intravimus? [7] Nec præceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus ſuis [8] fabulas habent. colligunt enim diſcipulos non ſeveritate diſciplinæ, nec ingenii experimento, ſed [9] ambitione ſalutantium, & illecebris adulationis. Tranſeo prima diſcentium elementa,

in

vis re ipſa ſit vitioſa: mollis enim educatio indulgentia vocabatur ut ait Quintilianus: *Mollis iſta educatio quam indulgentiam vocamus.* Schelius.

1 *Cujus probatis ſpectatiſque moribus omnis cujuſquam familiæ ſuboles committeretur*] *Committere ſe ſanctitati* Pompeii, dicit apud Vellejum Mithridates: Loco, qui adhuc corruptus eſt: *Prior filius Tigranes, ſed diſcors patris pervenit ad Pompejum, mox ipſe ſupplex & præſens ſe regnumque ditioni ejus permiſit præfatus neminem alium neque Romanum neque ullius gentis virum futurum fuiſſe, cujus ſe ſocietati commiſſurus foret quam Cn. Pompeium.* Scribendum ut dixi; *ſanctitati.* Ab hac enim celebratur Pompejus. Vellejus de eo: *Innocentia eximius, ſanctitate præcipuus, eloquentia medius.* Cicero pro lege Manilia. *Fidem vero ejus inter ſocios quantam exiſtimari putatis quam hoſtes omnium gentium ſanctiſſimam judicarint.* Quare legend. *ſanctitati.* id enim minus abit à ſcriptura, quam *poteſtati.* Idem.

*Cujuſdam familiæ ſoboles*] Reſtituimus, *cujuſpiam fam.* Rhenanus.

2 *Ac non ſtudia ſolum moreſque*] Vet. *Ac non ſtudia modo curaſque, ſed remiſſiones etiam luſuſque.* rectius. *Pithœus.* Vetus Farneſ. *ſtudia modo curaſque:* aptius ad ſequentia. *Lipſius.* Legendum, *Hæc.* Quod vidit & Muretus. *Acidalius.*

3 *Sed laſciviæ & libertati*] Vetus: *laſciviæ & bibacitati.* Lipſius. Quintilianus: *Gaudemus ſi quid licentius dixerint. verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis riſu & oſculis excipimus.* Schelius. Vide 3. Obſervat. 4. *Gronovius.*

4 *Hiſtrionalis favor & gladiatorum*] Quanta hominum turba ad theatra & amphitheatra, confluxerit, quanta inſania ſpectacula ſecuti ſint, paſſim apud veteres licet obſervare. Seneca: *In qua tribus eodem tempore theatris via poſtulantur.* Non tantum, inquit, non ſufficiunt ſedes turbæ hominum ſpectanti, ſed ne viæ quidem in quibus ſtant. Tertullianus. *Apud ſpectacula & in via ſtatur. Excuneatos* appellat Appulejus. *Poſtulari* autem quod proprium plebis populique eſt, dicuntur viæ quia has ſibi & in his locum velit dari. *Schelius.*

5 *Equorumque ſtudio*] Suetonius Nerone: *Equorum ſtudio vel præcipue ab ineunte ætate flagravit; plurimuſque illi ſermo, quanquam vetaretur, de Circenſibus erat, & quondam tractum Praſinum agitatorem inter condiſcipulos querens, objurgante magiſtro, de Hectore ſe loqui ementitus eſt.* Idem.

6 *Intravimus*] *Intramus* melius, niſi & antea *excepimus.* Idem.

7 *Nec præceptores quidem ullas*] Lege & hic, *Ne præceptores quidem ullas.* Gronovius.

8 *Fabulas habent?*] Dele interrogationis notam. *Acidalius.*

9 *Ambitione ſalutantium*] Lego, *ſalutationum.* Illud ad alios referretur præter mentem: hoc de ipſis præceptoribus, ut debet, accipietur. *Acidalius.* Supra *ſalutantium* quam *ſalutationum*: at hic



malim

in quibus & ipsis parum elaboratur. [1] nec in auctoribus cognoscendis, nec in evolvenda antiquitate, [2] nec in notitia vel rerum, vel hominum, vel temporum satis operæ insumitur, [3] sed expetuntur quos *Rhetoras* vocant: quorum professio quando primum in hanc urbem introducta sit, quamque nullam apud majores nostros aucto-
30 oritatem habuit, [4] statim docuero. Referam necesse est animum ad eam disciplinam,
qua usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor & cottidiana meditatio & in omni genere studiorum exercitationes, ipsorum etiam continentur libris. [5] Notus est vobis utique Ciceronis liber qui *Brutus* inscribitur, in cujus extrema parte, (nam prior commemorationem veterum oratorum habet,) sua initia, suos gradus, suæ eloquentiæ velut quandam educationem refert. *se apud Q. Mucium jus civile didicisse; apud Philonem Academicum, apud Diodorum Stoicum omnis philosophiæ partes penitus hausisse: neque his doctoribus contentum quorum ei copia in urbe contigerat, Achaiam quoque & Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur.* Itaque hercule in libris Ciceronis deprehendete licet, non geometriæ, non musicæ, non grammaticæ, non denique illius ingenuæ artis scientiam ei defuisse. [6] Ille dialecticæ subtilitatem; ille moralis partis utilitatem; ille rerum motus causasque cognovit. ita enim est, optimi viri, ita [7] ex multa eruditione, ex pluribus artibus, & omnium rerum scientia exundat & exuberat illa admirabilis eloquentia. neque oratoris vis & facultas, sicut ceterarum rerum, angustis & brevibus terminis cluditur: sed is est orator, qui de omni quæstione pulchre & ornate & ad persuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate au-
31 dientium possit. Hæc sibi illi veteres persuadebant. ad hæc efficienda intelligebant
opus esse, [8] non ut rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis nec ullo modo ad veri-

malim *salutationum* legere. Petronius: *Nimirum in his exercitationibus doctores peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere: nam nisi dixerint, qua adolescentuli probent, ut ait Cicero, soli in scholis relinquentur.* Et statim: *Quid ergo est? Parentes objurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege proficere. Primum enim, sicut omnia, spes quoque suas ambitione donant.* Cicero lib. xv. ad Atticum epist. 2. *Brutus misit ad me orationem suam habitam in concione Capitolina, petivitque à me, ut eam ne ambitiose corrigerem antequam ederet.* Id est, ut eam corrigerem absque ambitione, nec sibi adularer, quasi nihil in ea sit, quod emendari queat. *Schelius.* Lego *salutationum*. Schulting.

1 *Nec in auctoribus cognoscendis*] Cicero: *Brutum totum cognovisse Demosthenem.* Fabius: *Autores maximi sic diligentius cognoscuntur.* Schelius.

2 *Nec in notitia vel rerum*] Correxi ex præcedentibus. Vulgo, *in notitiam.* Pichena. Concinnius hic *notitia.* quia eo casu præcessit, *in auctoribus cognoscendis; in evolvenda antiquitate.* Acidalius.

3 *Sed expectantur*] *Expetuntur.* Pithœus.

4 *Statim de * curiis*] Ita & vetus. Suspicabar, *statim decursis his.* ἀκαιροτέρως dicam videlicet aut promam. Sed placet magis Rodolphi scriptio, *statim docuero.* Pithœus edidit, *statim audietis.* Nescio an è libro. *Lipsius.* Correctio à Rodolpho est, Lipsio teste. corrupte antea; *statim de curiis.* Pichena. Lego: *auctoritatem habuerit, statim dicam. prius referam necesse est animum ad eam disciplinam* &c. dicit cap. 35. sed breviter: *quos paullo ante Ciceronis tempora extitisse, nec placuisse majoribus nostris ex eo manifestum est, quod M. Crasso & Domitio Censoribus, cludere, ut ait Cicero, ludum impudentia jussi sunt.* De cætero non incommode duæ illæ voces, *animum ad*, omitterentur; ut legeretur, *prius referam necesse est eam disciplinam.* Sed ego non tem audax, cum ferri etiam possint, ut ejiciam. *Acidalius.* Scribendum esse, *habueris, statim dicturus, referam necesse est animum ad eam disciplinam*, monuimus Observat. 3, 4. *Gronovius.*

5 *Notus est nobis*] Scripsi, *vobis.* Rhenanus.

6 *Ille dialectica subtilitatem; ille moralis partis utilitatem*] Suspecta mihi vox *utilitatem.* Nam nescio quid aliud, quo natura moralis partis describatur, exspecto, eum prorsus in modum, quo *subtilitatem* dialecticæ tribuit. Eadem vox etiam paullo inferius item suspecta, sed levius, in definitione oratoris: *pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum.* Et sane etiam supra peccatum in eadem: ubi *nobilitatem* pro *utilitatem* emendabamus. *Acidalius.*

7 *Ex multa eruditione & pluribus partibus*] Castigavi, *ex multa eruditione, ex pluribus artibus, ex omnium rerum scientia.* Rhenanus.

8 *Non ut rhetorum scholis declamarent*] Scripsi, *non ut rhe. sch.* Rhenanus. Addenda forte præpositio,

veritatem accedentibus controversiis linguam modo & vocem exercerent; sed ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de justo & injusto disputatur. Hæc enim est oratori subjecta ad dicendum materia. Nam in judiciis fere de æquitate, [1] in deliberationibus de honestate dicimus, ita ut plerumque hæc ipsa invicem misceantur. de quibus copiose & varie & ornate nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam, & vim virtutum, pravitatemque vitiorum, [2] & intellectum eorum quæ nec in virtutibus neque in vitiis numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, [3] ut facilius iram judicis vel instiget vel leniat, [4] qui scit quid ira; promptius ad miserationem impellat, qui scit quid sit misericordia, & quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos, sive apud cupidos, sive apud invidentes, sive apud tristes, sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit habenas animorum: & prout cujusque natura postulabit, adhibebit manum & temperabit orationem, parato omni instrumento, & ad omnem usum reposito. Sunt apud quos astrictum, & collectum, & singula statim argumenta concludens dicendi genus, plus fidei meretur. apud hos dedisse operam dialecticæ proficiet. Alios fusa, & æqualis, & ex communibus ducta sensibus oratio, magis delectat. ad hos permovendos mutuabimur aliquid [5] à Peripateticis. hi aptos & in omnem disputationem paratos jam [6] locos dabunt: Academici pugnacitatem, Plato altitudinem; Xenophon jucunditatem. ne Epicuri quidem & Metrodori honestas quasdam exclamationes assumere, hisque, prout res poscit, uti alienum erit oratori. neque enim sapientem informamus, neque Stoicorum civitatem, sed

fitio, *ut rhetorum in scholis.* Vel, *ut in rhetorum scholis.* Acidalius.

1 *In deliberationibus de honestate*] Locus videtur mutilus ita forte supplendus: *in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honestate dicimus.* Ursinus. Omittit, male opinor, tertium causarum genus. Nec sane in deliberationibus potissimum de honestate agitur. Muretus ergo insitione valde apta legebat. *nam in judiciis fere de æquitate; in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honestate dicimus.* Acidalius.

2 *Et intellectum eorum*] Insolentius videtur *cognoscere intellectum.* Volebam *delectum.* Fabius quidem alicubi dixit *capere intellectum.* *Quod illa prima ætas & intellectum disciplinarum capere & laborem pati non possit.* Schelius.

3 *Ut facilius iram judicis vel instiget*] Etiam ad παθητικὰ necessariam esse interiorem philosophiæ cognitionem: quæ quidem, si judices essent sapientes, supervacanea & ἔξω τοῦ πράγματος essent, sed διὰ τὴν τοῦ ἀκροατοῦ μοχθηρίαν regnant pæne in oratione. *Quod si mihi des*, ait Quintilianus, *consilium judicum sapientum, perquam multa recidam ex orationibus, non Ciceronis modo, sed etiam ejus, qui est strictior multo, Demosthenis. Neque enim affectus omnino movendi erunt, nec aures delectatione mulcendæ, cum etiam procemia supervacua esse apud tales Aristoteles existimet.* Idem.

4 *Qui scit quid ira; promptius*] Ita scripsi & distinxi, turbantibus libris. *Lipsius.*

5 *A Peripateticis: hi aptos & in omnem*] Valde mihi placeat cum Rodolpho Agricola hæc omnia scribi & distingui: *à Peripateticis. aptos & in omnem disciplinam paratos jam locos dabunt Academici, Stoici pugnacitatem.* Lipsius. At illi vehementer falluntur. nam *loci* nulla ratione auferuntur Peripateticis vel propter topica, quibus *disciplinam inveniendorum argumentorum, ut sine ullo errore ad eam rationem via perveniremus ab Aristotele inventa contineri* tradit Cicero, in libro quem sic ipse inscripsit. Idem in Oratore: *In hac Aristoteles adolescentes, non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum in utramque partem ut ornatius & uberius dici possit, exercuit: idemque locos, (sic enim appellat) quasi argumentorum notas, tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio.* Plutarch. in 1. Συμποσ. ἀλλὰ δεῖ, καθάπερ ὑπόθεσιν μελετῶντα συνηγορικὴν, τοὺς Ἀριστοτέλους τόπους ἢ τὴν Θρασυμάχου ὑπερβάμενος. Nec pugnacitatem involari sibi æquo animo ferunt Academici. Fabius lib. 12. cap. 2. *Academiam quidam utilissimam credunt, quod mos in utramque partem disserendi ad exercitationem forensium causarum proxime accedat.* Cicer. 1. de oratore 18. *Carneades vero multo uberius de iisdem rebus loquebatur; non quo aperiret sententiam suam, (hic enim mos erat patrius Academiæ, adversari semper omnibus in disputando) sed tum maxime tamen hoc significabat, &c. neque posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inventa didicisset.* Gronov.

6 *Locos dabunt. Ac. p. P. a. X. jucunditatem ne Epicuri quidem, &c. Prout res poscet*] Sic distingue. *Pithœus.*

sed eum [1] qui non quasdam artes audire, sed omnes liberaliter debet. Ideoque & juris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant; & grammatica, musica, & geometria imbuebantur. Incidunt enim caussæ plurimæ quidem ac pœne omnes, quibus juris notitia desideratur: [2] pleræque autem, in quibus hæc quoque scientiæ re-
32 quiruntur. [3] Nec quisquam respondeat: *sufficit ut ad tempus simplex quiddam & uniforme doceamur.* Primum enim aliter utimur propriis, aliter commodatis: longeque interesse manifestum est, possideat quis quæ profert, an mutuetur. Deinde ipsa multarum artium scientia [4] etiam aliud agentes nos ornat, atque ubi minime credas, eminet & excellit. Idque non doctus modo & prudens auditor, sed etiam populus intelligit: ac statim ita laude prosequitur, ut *legitime studuisse, ut per omnes eloquentiæ numeros isse*, [5] *ut denique oratorem etiam* fateatur. quem non posse aliter exsistere, nec exstitisse umquam confirmo, nisi eum qui tamquam in aciem omnibus armis [6] instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum [7] fex quoque cottidiani sermonis, fœda ac pudenda vitia deprehendantur, ut ignorent leges, non teneant S. C. jus civitatis ultro derideant: sapientiæ vero studium & præcepta prudentium penitus reformident: in paucissimos sensus & angustas sententias [8] detrudant eloquentiam, velut

1 *Qui non quasdam artes audire sed omnes liberaliter debet*] Malo, *adire*: vel *haurire*: & *liberales*. Lipsius. Recipio, *haurire*. Sed recipio non hunc ipsum in locum, è quo verbi aliud quid periisse mihi non temere suspicio est, uti nec infeliciter idem me reperisse credo. Periit meo animo verbum *libare*, cognatione illius *liberaliter*. Eo reposito & transposito altero, sic scribo: *qui non quasdam artes libare, sed omnes haurire liberaliter debet.* Ante hæc verba, suspecta mihi proxima vox *civitatem*. Acidalius. Quintilianus lib. II. *Interim nolo se juvenes satis instructos, si quem ex his, qui breves plerumque circumferuntur, artis libellum edidicerit, & velut decretis Technicorum tutos putent. Multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, pluribus experimentis, altissima prudentia, præsentissimo consilio constat ars dicendi.* Schelius. Legebam ad tollendas difficultates, *Non quasdam artes audire, sed per omnes liberales ire debet.* Sen. *breve & efficax iter per exempla.* paulo post hoc ipso dialogo. *per omnes eloquentiæ numeros isse.* Schultingius.

2 *Plerisque autem in quibus hac quoque sciensia requiruntur*] Lego, *pleraque autem in quibus hæc quoque scientia.* Rhenanus.

3 *Nec quisquam respondeat: sufficit ut ad tempus*] Nec male fore: *respondeat, sufficere.* Gronovius.

4 *Etiam aliud agentes nos ornat*] Quintilianus: *Quæ etiam, cum se non ostendunt in dicendo, nec proferunt, vim tamen occultam suggerunt & tacite quoque sentiuntur.* Idem: *Unde nos non id agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequatur.* Schelius.

5 *Ut denique oratorem etiam fateatur*] Muretus pro *etiam* supponebat *esse*. Valde probo, etsi nec alterum improbo. *Acidalius.*

6 *Instructus sit, in forum*] Tu repone, *instructus, sic in forum.* Rhenanus.

7 *Fex quotidiani sermonis*] Castigavi, *fex quoque quotidiani sermonis.* Rhenanus. Si *fex* retinendum, velim scribi: *fœde ac pudendo vitio deprehendatur.* Alias malim: *ut in actionibus eorum fere quotidiani sermonis fœda ac pudenda vitia deprehendantur.* Prius credo fore elegantius. *Acidalius.* Opponit & Cæsar copiosæ & factæ orationi quotidianum sermonem in præfatione librorum de Analogia ubi ad Ciceronem sic scripserat: *Nec si cogitata præclare eloqui posse* (ita enim scribendum censeo, non autem: *Ac si præclare eloqui possent.* ut est in vulgatis) *nonnulli studio & usu elaboraverunt, (cujus te pæne principem copiæ, atque inventorem bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debemus) hunc facilem & quotidianum novisse sermonem nunc pro derelicto habendum est.* Vidit jam pridem Lambinus deesse negationem huic loco, unde legebat, *non pro derelicto habendum*, cujus mutationis caussam eum vellet prodidisse Gruterus. Sensus loci est. Etiamsi à Cicerone aliisque jam eloquentia ad id fastigium perducta sit, ut magna cum copia & gravitate orationis præclare & minime vulgariter omnia eloquantur; non tamen ideo pro derelicto habenda est hæc quotidiani cura sermonis. *τὸ tunc & nunc* autem *Τῷ si* solent respondere. Seneca Medea:

*Nunc est probanda, si locum virtus habet.*

ubi alii libri, *Tunc.* Hyginus. *quæ tunc dabitur, si pedatura permittit.* Schelius.

8 *Detrudant eloquentiam velut expulsam regno suo*] Cicero de oratore I. *A philosophis oratorem excludi ab omni doctrina rerumque majorum scientia ac tantum in judicia & conciunculas, tanquam in aliquod pistrinum, detrudi.* lib. III. *Quantis ex angustiis oratorem educere ausus es & in majorum suorum regno collocare.* Idem.

1 *Nunc*

velut expulsam regno suo: ut quæ olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, [1] nunc circumcisa & amputata, sine apparatu, sine honore, pœne dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis discatur. Ergo hanc primam & præcipuam caussam arbitror, cur tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur, quos potiores nominabo quam apud Græcos Demosthenem? quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriæ proditum est. [2] Et Cicero his ut opinor verbis, *quidquid in eloquentia effecerit*, [3] *id se non rhetorum, sed Academiæ spatiis consecutum.* Sunt aliæ caussæ magnæ & graves, quas à vobis aperiri æquum est, quoniam quidem ego jam meum munus explevi, & quod mihi in consuetudine est, satis multos offendi: qui si forte hoc audirent, certum habeo dicturos, *me dum juris & philosophiæ scientiam tamquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse.* Et Maternus, *Mihi quidem*, inquit, susceptum à te 33 munus adeo peregisse nondum videris, ut inchoasse tantum, & velut vestigia ac lineamenta quædam ostendisse videaris. Nam quibus instrui veteres oratores soliti sint, dixisti, differentiamque nostræ desidiæ & inscientiæ adversus acerrima & fecundissima eorum studia demonstrasti: cetera exspecto, ut quemadmodum ex te didici quid aut illi scirent, aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitationibus juvenes jam & forum ingressi confirmare & alere ingenia sua soliti sint. neque enim arte & scientia, sed longe magis [4] facultate eloquentiam contineri, nec tu puto abnues, & hi significare vultu videntur. Deinde cum Aper & Secundus idem annuissent, Messalla quasi rursus incipiens: *Quoniam* initia & semina veteris eloquentiæ satis demonstrasse videor, docendo quibus artibus antiqui oratores instituti erudirique soliti sint: persequar nunc exercitationem eorum: quamquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas aut tam varias res potest, [5] nisi ut scientiæ meditatio, meditationi facultas, facultati vis eloquentiæ accedat. per quæ colligitur eamdem esse rationem, & percipiendi quæ proferas, & proferendi quæ perceperis. sed si cui obscuriora hæc videntur, isque scientiam ab exercitatione separat, id certe concedet, instructum & plenum his artibus animum, longe paratiorem ad eas exercitationes venturum, [6] quæ propriæ circa oratoriam videntur. Er- 34 go apud majores nostros juvenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica

1 *Nunc circumcisa & amputata*] Unicus hic locus est ad illustrandum illa Seneca in Thyeste 763. *Denudat artus dirus, atque ossa amputat.* & 1059. *& artus corpore exanimo amputans In parva carpsi frusta.* Nihil aliud est quam circumscindens. quomodo *am* sæpe se offert pro *circum* in compositionibus: ut in *ambire*, *ambedere*. Ovid. *ancilia* vult dicta *quod ab omni parte recisa sint.* Schultingius.

2 *Et Cicero, his, ut opinor, verbis*] Videtur legendum, *Et Ciceronem*, ut pendeat à superiori verbo, *nominabo:* sicuti dixit, *Demosthenem.* Sed & vulgata lectio proba: nam subintelligitur *dixit* seu *testatus est.* Pichena.

3 *Id se non rhetorum*] Legendus hic locus ex ipso Cicerone, *ait se non rhetorum, &c.* Ursinus. Muretus pro *id* supponit *ait.* Non quidem libenter *id* mutari patiar, verbum tamen ejusmodi desideratur, quod non incommode ex isto formatur. Ad hoc leve levius addam, præpositionem etiam videri inserendam, ut & paullo ante monuimus, *non in rhetorum.* Acidalius.

4 *Facultate & eloquentia contineri*] Legendum, *facultate eloquentiam contineri.* Rhenanus. Rodolphus apposite inserit. *facultate & meditatione eloquentiam.* Lipsius.

5 *Nisi ut scientia meditatio*] Muretus una vocula auctius, *tot tam reconditas.* Delerim particulam *ut*, cujus nullus usus nunc: sed fuisset, si ita præcessisset: *nec quisquam aliter percipere.* Pro *vis* sententia me cogit, ut *usus* reponam. *Acidalius.*

6 *Quæ propria circa oratoriam videntur*] Rodolphus, *propria esse oratorum videntur.* Sed ab ingenio, ut solet, non à libris. Ego insigni metaphora locum ornem: *propria circo oratorio videntur.* Quia de exercitationibus loquitur, eleganter circum adjungit, qui pugnis & exercitiis destinatus. *Lipsius.* Non displicet conjectura Lipsii *circo oratorio*, malim tamen quod propius scripturæ, *oratorum.* Statim: *adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum.* Inferius: *Est aliquis Oratorum campus*

domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur à patre, vel à propinquis, [1] ad eum oratorem qui principem locum in civitate tenebat. hunc sectari, hunc prosequi, [2] hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus assuescebat, ita ut altercationes quoque excipere, & jurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in prœlio disceret. magnus ex hoc usus, multum constantiæ, plurimum judicii juvenibus statim contingebat, in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid, aut contrarie dicit, quo minus & judex respuat, & adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur. Igitur vera statim & incorrupta eloquentia imbuebantur: & quamquam unum sequerentur, tamen omnes ejusdem ætatis patronos in plurimis & caussis & judiciis cognoscebant: habebantque ipsius [3] populi diversissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehendebatur, quid in quoque vel probaretur vel displiceret: [4] Ita nec præceptor deerat optimus quidem & electissimus, qui faciem eloquentiæ, non imaginem præstaret: nec adversarii & æmuli, ferro [5] non rudibus dimicantes: [6] sed auditorium semper novum, ex invidis & faventibus, [7] ut nec bene dicta dissimularentur. Scitis enim magnam illam & duraturam eloquentiæ famam, non minus in diversis subselliis parari quam suis: quin immo constantius surgere ibi, fidelius corroborari. Atque hercule [8] sub ejusmodi præceptionibus juvenis ille de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator judiciorum, eruditus & assuefactus alienis experimentis, cui cottidie audienti notæ leges, non novi judicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum, sæpe cognitæ populi aures, sive accusationem susceperat, sive defensionem, [9] solus statim & unus cuicumque caussæ par erat. Nonodecimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem, [10] uno & vicesimo Cæsar Dolabellam, altero &

XX.

*pus per quem nisi liberi & soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia.* Schelius.

1 *Ad eum Oratorem* ] Quintilianus: *Juvenis qui rationem inveniendi eloquendique diligenter exceperit & exercitationem quoque modicam fuerit consecutus. Oratorem sibi aliquem, quod apud majores fieri solebat, deligat, quem sequatur, judiciis intersit quam plurimis, sit certaminis, cui destinatur, frequens spectator.* Idem.

2 *Hujus omnibus dictionibus*] Versus hic aliquot inserui à Farnesiano libro, magno libelli hujus bono. Alii enim omnes hic mutili. *Lipsius.*

3 *Populi diversissimarum aurium* ] Rodolphus copula adjecta, *populi & diversissimarum.* Credo fuisse, *populi.* i. *diversissimarum.* quæ nota significat, *id est.* Idem.

4 *Ita nec præceptor* ] Lego, *Jam vero.* Quæ in transitionis formula & alias supra peccatum monstravimus. *Acidalius.*

5 *Non sudibus dimicantes* ] Manifesto, *rudibus.* Nam hæc à gladiatoribus sumpta. *Lipsius. Non sudibus.* Lipsius *rudibus.* Pithœus. Lipsius, *rudibus.* non male. nescio tamen an necessario. *Sudes* enim & *rudes* varie à veteribus confunduntur, ut in commentario de re militari ostendimus. *Schelius.*

6 *Sed auditorium* ] Non est fortassis mutandum. Amant tamen potius, *&*, quam, *sed*, cum isto modo *neque* præcessit. *Idem.*

7 *Ut nec bene dicta* ] Rodolphus auctius; *nec male nec bene:* sententia quidem valde favente. *Lipsius.*

8 *Sub ejusmodi præceptionibus*] Forte, *præceptoribus.* Gronovius.

9 *Solus statim & unus cuicumque caussæ*] Ita vetus. Non male etiam vulgo, *statim unicuique caussæ.* Lipsius.

10 *Uno & vicesimo anno Cæsar Dolabellam* ] Suetonius ait in Julio c. 5. composita seditione civili. Constat autem bellum Lepidi confectum esse M. Æmilio & D. Bruto Consulibus: quo anno Cæsar a. d. iv. Idus Quintiles quartum & vigesimum natalem celebravit. Igitur vel vigesimo tertio anno desinente vel vigesimo quarto incipiente Dolabellam accusaverit. Suetonii meo animo verior est sententia: nam Dolabella hic est ille, qui ex consulatu profectus in Macedoniam, devictis Thracibus, anno eo, quo Lepidus pulsus fugatusque est, triumphavit. Adi ad Fastos & M. Tullium in ea contra Pisonem. More autem fecit Cæsar adolescentium ejus ætatis, qui se foro præparabant, cum militiæ forensis hoc rudimentum edidit. Vide Apuleji Apologiam, & quæ ibi nuper adnotavimus. *Casaubonus.* Sueton. in Jul. 4. accusationem hanc confert in tempus compositi belli Lepidiani, id est, M. Æmilio Lepido, D. Junio Bruto Coss. Atqui Cæsar tunc 24. annum egerit, ex Fastis & anno ejus natali. Corrigimus igitur; an, ut sæpe dissensus est? ego hoc malo. *Lipsius.* Casaubonus ex historia

XX. Asinius Pollio C. Catonem, non multo [1] ætate antecedens Calvus Vatinium, iis orationibus insequuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus. At nunc 35
adolescentuli nostri deducuntur [2] in scenas scholasticorum, qui *rhetores* vocantur: quos paullo ante Ciceronis tempora exstitisse, nec placuisse majoribus nostris, ex eo manifestum est, quod Marco Crasso & Domitio censoribus *cludere*, [3] ut ait Cicero, *ludum impudentiæ* jussi sunt. Sed ut dicere institueram, deducimur in scholas, quibus non facile dixerim utrumne locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingeniis afferant. Nam [4] in loco nihil reverentiæ, sed in quem nemo nisi imperitus æque intrat. In condiscipulis nihil profectus, cum pueri inter pueros, & adolescentuli inter adolescentulos pari securitate dicant & audiantur. Ipsæ vero exercitationes magna ex parte contrariæ. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetores tractantur, [5] suasoriæ, & controversiæ. Ex iis suasoriæ quidem etsi tamquam plane leviores & minus prudentiæ exigentes, pueris delegantur; controversiæ robustioribus assignantur, quales per fidem, & quam incredibiliter compositæ! Sequitur autem ut materiæ abhorrenti a veritate [6] declamatio quoque adhibeatur. Sic fit ut tyrannicidarum præmia, aut [7] vitiatarum electiones, aut [8] pestilentiæ remedia, aut incesta matrum, aut [9] quidquid in schola quotidie agitur; in foro vel raro num-

storis observavit, eo tempore Cæsarem quartum & vicesimum natalem celebravisse. Corrigendus itaque hic numerus videtur: *tertio & vicesimo*. Pichena. Suetonius ait composita seditione civili M. Æmilio & D. Bruto Coss. id fuerit circa annum Cæsaris quartum & vicesimum. *Schelius.*

1 *Ætatem antecedens*] Scribe, *ætate*. Rhenanus.

2 *In scena scholasticorum*] Scripsi; *in scenas*. Rhenanus. Divinabam olim, *scholas*, male. Nam apposite *scenas* appellat loca in quibus fucata illa & personata eloquentia exercetur, velut per lusum. *Lipsius.* At vero *scenam* Plin. 7. ep. 17. pro loco etiam usurpavit, uti caussæ aguntur veræ & seriæ: *utique si latior scena, & corona diffusior*, & quæ præcedant. *Acidalius.*

3 *Ut Cicero ait*] Locus est lib. 3. de oratore, ex persona L. Crassi. *Hoc*, inquit, *cum unum traderetur, & impudentiæ ludus esset, putavi esse Censoris, ne longius id serperet, providere, quamquam non hæc ita statuo atque decerno, ut desperem ea tradi ac perpoliri; sed hominibus opus est eruditis, &c.* Ex quo apparet hic legendum esse *L. Crasso*, non *M.* ut & apud Sueton. in libello de claris Rhetorib. & A. Gellii lib. xv. cap. xi. Cæterum quod ad Ciceronem ipsum attinet, certum est cum ex eodem Suetonio, tum ex Seneca in proœmio lib. I. Controversiar. ad præturam usque Græce declamasse: Latine vero seniorem quoque, & quidem cum Hirtio & Pansa Coss. quos discipulos & grandes prætextatos vocabat. Quin & cum Prætura fungeretur, scholam quoque M. Antonii Gniphonis frequentasse, qui tum Rhetoricam ita docebat in urbe, ut quotidie præcepta eloquentiæ traderet, declamaret vero non nisi nundinis, hunc vero cum in Gallia natus fuerit, & quidem ingenuus, inter nostros Rhetores recenseri par fuit. Ciceronis ipsius de se testimonia sunt hæc, In Bruto: *Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) sæpe cum M. Pisone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie. Idque faciebam multum etiam Latine, sed Græce sæpius.* Et lib. I. Tuscul. *Ut enim ante declamitabam caussas, quod nemo me diutius fecit.* sed videantur L VII. Famil. Epist. ult. & lib. IX. Epist. XVI. & XVIII. *Pithœus.*

4 *In loco nihil reverentiæ, sed in quem*] Forte: *scilicet in quem*. Aut, *Nam in loco nihil reverentiæ est, in quem*. Acidalius.

5 *Suasoriæ quidem etsi tanquam plane*] Hic quoque lineas quasdam adtexui, bonam copiam mihi faciente libro. Nam alias, turpiter hæc hiabant. *Lipsius.* Manifesto delendum τὸ *etsi*: quod nec in Mureti libro compatebat. *Acidalius.* Τὸ *etsi* redundat meo judicio. *Freinshemius.*

6 *Declamatio quoque adhibeatur*] Deesse vox videtur: *declamatio quoque par*, vel *similis* vel *talis adhibeatur*. Acidalius.

*Declamatio quoque similis adhibeatur.*] Ita editio Pithœi. Lipsiana & Freinshemiana, *similis*, omittunt. quod minime tamen supervacuum. *Schultingius.*

7 *Vitiatarum electiones*] Recte. Respicit ad legem scholasticam quæ raptarum dicitur, *Rapta raptoris mortem vel nuptias optet.* Pithœus.

8 *Pestilentiæ remedia*] Petronius hæc talia in Satyrico exagitat, & diserte, *responsa in pestilentiam data*. Locum totum, sis vide. *Lipsius.* Quintil. XI, X. *Sint ergo & ipsa materia, quæ fingentur, quam simillima veritati. nam magos, & pestilentiæ responsa, aliaque magis adhuc fabulosa, frustra inter sponsiones & inter dicta quæremus.* Pichena.

9 *Quicquid in schola quotidie agitur, in foro vel raro vel nunquam, ingentibus verbis persequantur*] Pe-

numquam, ingentibus verbis persequantur: [1] cum ad veros judices ventum est rem
36 cogitare, [2] nihil humile, nihil abjectum eloqui poterat. Magna eloquentia, sicut flamma materia alitur, & motibus excitatur, & urendo clarescit. Eadem ratio in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. Nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt, quæ composita & quieta & beata republica [3] tribui fas erat: tamen ista perturbatione ac licentia plura sibi assequi videbantur, cum

Petronius: *Nunc pueri in schola ludunt, juvenes ridentur in foro: & quod utroque turpius est quod quisquam perperam discit in senectute confiteri non vult.* Schelius.

1 *Cum ad veros judices ventum est*] Qui sequitur sermo, non jam Messallæ est, sed Materni. Itaque multa hoc loco desiderari videntur. *Pithœus.* Magna vero hic lacuna, de qua vulgo nec suspicantur. At liber vetus præfert, & spatio grandi interposito usque ad ea verba, *rem cogitare*, adjicit, *Hic multum deficit.* Et clarum: quia sermo sequens non Messallæ amplius, sed Materni. *Lipsius.*

*Ventum est *** rem cogitare*] Notum est asteriscos his in auctoribus apparentes minimum lucis solitos aut afferre, aut portendere. Hoc loco tamen portentum eruditos nobis nimium finxisse, prope crediderim. Lipsius pronunciat magnam hic lacunam esse, & veteris libri auctoritate nititur. Et fortasse eum vera conjecisse. Ad finem tamen pervenisse hic videtur oratio ex ipsa conjectura Lipsii fin. cap. 29. sup. Præterea non ita magnam hic lacunam esse suspicabitur, qui viderit, quam pauca exigat ratio ad hæc supplenda: quæ his, quæ conjeci, fere, nisi fallor, sunt comprehensa: quamvis & sic nonnihil adhuc deesse ipse judicem. Ponam tamen, quo verum facilius paulatim in apricum proferri possit. Ecce ipsa: *cum ad veros judices ventum est, nec rem cogitare possint, qui nihil humile, nihil abjectum eloqui poterant. Commoverit ad hæc Aper: at Maternus: ita est, inquit, magna eloquentia &c.* Nullis ambagibus incipit Maternus, ne Aper interpellaret, qui concitatiore videtur ingenio fuisse. cap. 16. *Schultingius.*

2 *Nihil humile, nihil abjectum*] Cicero de finibus lib. 5. *Omnium cæterarum rerum obliti nihil abjectum, nihil humile cogitant.* Schelius.

3 *Tribui fas erat*] Lego, *fas non erat.* Apud imperatores suos isti erant τὰ πάντα, & supra cunctos eminebant cives: quod fieri libera in rep. non poterat. nam *fas non est*, potest accipi, ut in isto Quintiliani 328. *An vero innocenter inimicitias geri, vel inter alienos, vel inter extrarios fas non est.* Alter Quintiliani Declam. 59. *Nulla ratio est interrogandi hominem, cui non est fas, nisi negare.* Horat. 4. Od. 4. *nec scire fas est omnia.* In quibus fas est possibile. Quæ significatio ipso juris naturæ è fonte fluxisse videtur, qua magistra optima si recte utamur persuasum nobis esse debet tantum ea nos posse, quæ turpia non sunt & quæ facere fas est L. 15. D. de cond. Instit. quare & ipsi summo Deo ἀδύνατον etiam æquum est. Matthæi cap. 9. 15. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος πενθεῖν, ἐφ' ὅσον μετ' αὐτῶν ἐστὶν ὁ νυμφίος; Actor. 2. 24. Ὃν ὁ Θεὸς ἀνέστησε λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ. Notabile quoque est illud Servii ad Virgilium 1. Georg. 269. *festis quædam exercere diebus Fas & jura sinunt.* id est, inquit, divina humanaque jura permittunt: nam ad religionem fas, jura pertinent ad homines. Cui observationi convenienter Flor. 2, 20. *fas deum* pro jure gentium dixit: quia hoc ex jure naturæ, quod Deum auctorem habet, manavit. Unde Justin. 2. 10. *Artemenes maximus natu, ætatis privilegio regnum sibi vindicabat, quod jus & ordo nascendi, & natura ipsa gentibus dedit.* Hinc intelligendum apud Tacitum 3. Ann. cap. 7. *fas avia.* item *fas armorum* 4. H. 58. Quia vero ii, qui non libidine, sed ratione solent agere, sentiunt reluctari animum & mentem, quoties sollicitantur ad dicendum aut faciendum, quod æquitati juris naturalis adversatur, & talia ut audeant, à se impetrare non possunt: alii vero qui facile ad prava & nefaria se abripi sinunt, ea à se impetrare possunt & audent: unde *posse* etiam Latinis sæpe ii dicuntur, qui iniqua & bonorum judicio improbata ut committant, in animum possunt inducere eaque perpetrant. Sunt hanc in rem multa Quintiliani loca. Decl. 4. init. *De parricidio venit, quod me occidere possum: de fato quod mihi non licet mori.* Decl. 18. *Quid ais, severissime parricida? Filium consumpsisti per flagella, per laminas: potes tacere? Viscera de tuis concepta vitalibus sanguinem qui de tuo fluxit animo, non insania, non furore, sed (quantum vis videri) consilio, gravitate, lacerasti: potes tacere?* Ita enim jam abhinc biennium hæc legi posse videram: sed dubitabam, an interrogative essent concipienda; quia ejusdem fili periodorum in connexione hac ipsa declam. in præced. diversum & singulare quiddam observaveram. Est autem in istis: *Quid ais? Interrogasti servulos, non potuit conscius inveniri. Exquisisti ancillas, non apparuit ministra flagitii. Non obscena literarum commercia, non fatentis deprehendisti, nefande, blanditias: Nihil invenit* (nisi quis malit, *invenisti*) *maritus, dominus, pater. Juvenis* certe rectum non est. quod judicaveram, cum *invenis* etiam deprehendi in manuscripto Gronoviano: quo, cum hæc redigerem in mundum, annos jam admodum duos usus eram. Sed è diverticulo in viam. *Posse* sensu, quo dixi, sequentibus etiam est in locis. Declam. 19. ejusdem Quin-

cum mixtis omnibus & moderatore uno carentibus, tantum quisque orator saperet,
quantum erranti populo persuaderi poterat. Hinc leges assiduæ, populare nomen,
hinc [1] conciones magistratuum [2] pœne pernoctantium in rostris, hinc accusationes
potentium reorum, & assignatæ etiam domibus inimicitiæ, hinc procerum factiones
& assidua senatus adversus plebem certamina. quæ singula etsi distrahebant rempu-
blicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam, & magnis cumulare præ-
miis videbantur. Quia quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores
assequebatur; tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat, [3] tanto plus apud
principes gratiæ, plus auctoritatis apud patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem
[4] parabat. hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant. hos ituri in provin-
cias magistratus reverebantur, hos reversi colebant. hos & præturæ & consulatus vo-
care ultro videbantur. hi ne privati quidem sine potestate erant, cum & populum
& senatum consilio & auctoritate regerent. quinimmo sibi ipsi persuaserant, neminem
sine eloquentia aut assequi posse in civitate, aut tueri conspicuum & eminentem locum:
nec mirum, cum etiam inviti ad populum producerentur: cum parum esset in senatu
breviter censere, nisi qui ingenio & eloquentia sententiam suam tueretur: cum in ali-
quam invidiam aut crimen vocati, sua voce respondendum haberent, [5] cum testimo-
nia quoque [6] in publicis non absentes nec per tabellam dare, sed coram & præsentes di-
cere cogerentur. Ita ad summa eloquentiæ præmia, magna etiam [7] necessitas accede-
bat, & commoda. Disertum haberi, pulchrum & gloriosum: sed contra mutum &
elinguem videri, deforme habebatur. Ergo non minus rubore quam præmiis [8] stimula- 37
bantur, ne clientulorum loco potius quam patronorum numerarentur: ne traditæ à majo-
ribus necessitudines ad alios transirent: ne tamquam inertes & non suffecturi honoribus
aut non impetrarent, aut impetratos male tuerentur. Nescio an venerint [9] in manus
vestras

Quintiliani. *Dictus est occidere posse patrem: dictus est dignus quem posset etiam pater occidere.* Declam. 258. *Habeo in domo filium, qui me potuit occidere.* Declamat. 29. *Itaque non servus ullus tam fidelis, non libertus beneficio obligatus manumittentis fuit, ut hoc subire periculum posset.* add. Calpurn. Flaccum declam. 9. Nostra quoque Belgarum in lingua id observare est, nominatim in isto proverbio, quo nefaria taxatur, & nimis quam pervulgata beneficiorum oblivio, quæ a parentibus acceperunt liberi. Sensus illius est, *Unam matrem septem posse alere liberos; contra septem liberos non posse unam matrem.* quod quam maxime posse deberent. *Schultingius.*

1 *Conciones magistratuum*] A libro est, quam ridicule autem alii, *conciones migrantium?* quod à concisa illa ratione scribendi natum. *Lipsius.*

2 *Pæne pernoctantium*] Eadem figura *nocturni advocati* dicuntur à Petronio, & Seneca in libro de brevitate vitæ: *Quos à basilica*, Inquit, *immissi demum canes ejiciunt.* Quem locum Pincianus homo doctus & diligens frustra emendare conatus est, ut in commentatione nostra de Centumviralibus, Decemviralibus, & Septemviralibus judiciis amplius ostendimus. *Pithœus.*

3 *Tanto plus aut apud principes*] Castigavi, *plus apud principes.* Rhenanus.

4 *Parabat*] Al. *Probabat.* Pithœus. Melius, *parabat.* Lipsius.

5 *Cum testimonia*] Tacitus lib. 2. Annal. *Urgulaniæ potentia adeo nimia civitati erat, ut testis in causa quadam quæ apud Senatum tractabatur, venire dedignaretur.* Pithœus.

6 *In publicis non absentes*] Rodolphus *in publicis judiciis absentes.* insitione valde apta. *Lipsius.*

7 *Necessitas accedebat & commoda*] Muretus hæc ita transponebat, *ad summa eloquentiæ premia & commoda, magna etiam* &c. Non male ille: sed melius nos, qui suo loco relinquimus, & cum sequentibus istis nectimus: *Disertum haberi pulcrum* &c. Lego, inquam; *ita ad summa eloquentiæ præmia magna etiam necessitas accedebat: & quomodo disertum haberi* &c. qua lectione nihil fieri elegantius potest. *Acidalius.* Inepte hic *commodorum* mentio fit, cum jam præmiorum meminerit. Lego. *necessitas accedebat & non modo disertum haberi pulchrum & gloriosum, sed contra mutum & elinguem videri deforme habebatur.* Confirmat hoc, quod sequitur: *Ergo non minus rubore quam premiis stimulabantur. Non modo, sed contra* ut Cicero in Bruto. *Cum præsertim non modo nunquam sit aut illius à me cursus impeditus, aut ab illo meus, sed contra semper alter ab altero adjutus & communicando & monendo & favendo.* Schelius.

8 *Stipulabantur*] Reposui, *stimulabantur.* Rhenanus.

9 *In manus nostras*] Emendavi, *vestras.* Idem.

vestras hæc vetera, quæ & antiquorum bibliothecis adhuc manent, & [1] nunc maxime à Muciano contrahuntur: ac jam undecim, ut opinor, Actorum libris, & tribus Epistolarum composita, & edita sunt. Ex his intelligi potest Cn. Pompejum & Marcum Crassum, non viribus modo & armis, sed ingenio quoque & oratione valuisse: Lentulos, & Metellos, & Lucullos, & Curiones, & ceteram procerum manum, multum in his studiis operæ curæque posuisse: nec quemquam illis temporibus magnam potentiam, sine eloquentia consecutum. His accedebat splendor rerum, & magnitudo caussarum, quæ & ipsa plurimum eloquentiæ præstant. Nam multum interest utrumne [2] de furto, aut formula & interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis sociis, & civibus trucidatis. quæ mala sicut non accidere melius est, isque optimus civitatis status habendus est, quo nihil tale patimur: [3] ita cum acciderent, ingentem eloquentiæ materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram & illustrem orationem efficere potest, nisi qui caussam parem invenit. Non opinor Demosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit: nec Ciceronem, magnum oratorem P. Quinctius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina, & Milo, & Verres, & Antonius [4] hanc illi famam circumdederunt: non quia tanti fuit R. P. malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed, ut subinde admoneo, quæstionis meminerimus, sciamusque nos de ea re loqui, quæ facilius turbidis & inquietis temporibus exstitit. Quis ignorat utilius ac melius esse frui pace, quam bello vexari? Plures tamen bonos prœliatores bella quam pax ferunt. [5] Similis eloquentiæ conditio. Nam quo sæpius steterit tamquam in acie, quoque plures & intulerit ictus & exceperit, quo major adversarius, eo [6] acrior qui pugnas sibi asperas desumpserit,

1 *Nunc maxime a Muciano*] *Cum maxime* expectaret illud seculum. vid. Zinzerling. Promul. Crit. Juven. Quintil. Declam. 345. *Si te hac cum maxime dicentem interrogem, cur non ipse facias; respondebis profecto, &c.* add. cap. 16. supr. *Schultingius.*

2 *De furto, an formula* &c.] Lipsii Editio, *aut mula & interdicto.* Malim, *de furto, aut formula interdicti dicendum habeas.* adde Institutiones Justinianæas Tit. *de interdictis* ad initium. *Idem.*

3 *Ita cum acciderent, ingentem eloquentiæ materiam subministrabant*] Ita emendavi. Nam præcessit: *His accedebat splendor rerum & magnitudo caussarum.* Rhenanus.

4 *Hanc illi famam circumdederunt*] Phrasis Tacito valde familiaris 4. Hist. *Erant qui principatus inanem ei famam circumdarent.* 14. Ann. *Nec ulla moribus corruptis olim plus libidinum circumdedit, quam illa colluvies.* 16. Ann. *Segnes & pavidos supremis suis secretum circumdare.* Iterum 4. Hist. *planctum & lamenta & supremorum imaginem sibi circumdatam.* In vita Agric. *Egregiam famam paci circumdedit.* Acidal.

5 *Similis eloquentiæ conditio*] Fortassis: *Similis eloquentis conditio. Nam quo sæpius steterit tanquam in acie, quoque plures & intulerit ictus & exceperit. Quo major adversarius, quo acrior, quem per pugnas sibi asperas desumserit, tanto altior & excelsior, ut illius nobilitatus discriminibus, in ore hominum agit. Per pugnas* esse in veteri Codice testatur Lipsius, & *adversarium sibi desumere* veteribus tritum est. Livius VIII. *Recto itinere duxisti exercitum ad eos, quos tibi hostes desumseras.* Tò *discriminibus* Lipsii est, &c. Quamvis enim eleganter dicatur accusator alterius criminibus nobilitari & hic legi videatur posse, *illius nobilitatus criminibus*, in similitudinem tamen à prælio & re militari ductam & in clausulam, qua dicitur hanc esse vulgi naturam, ut secuta nolint, magis quadrat, ut hoc loco *discriminum* quam *criminum* fiat mentio. Livius in 22. dixit *cladis nobilitatem. Hæc est pugna Cannensis Alliensi cladi nobilitate par; ceterum ut illis, quæ post pugnam accidere, levior, quia ab hoste cessatum, sic strage exercitus gravior fœdiorque.* opponuntur enim ista *cladis nobilitate par, strage exercitus gravior, illis quæ post pugnam accidere levior.* Livius IX. *Sequitur Romana Caudina pax hunc annum nobilis clade.* Schelius.

6 *Acrior qui pugnas &c.*] Vetus, *acrior per pugnas.* Aliquid hic ulceris. Fortasse: *major adversarius & acrior, quo plures.* Et statim, *illis nobilitatus discriminibus.* Lipsius. Ego traductione (perturbatus enim verborum ordo est) spero me persanaturum: *& exceperit, eo acrior; quo major adversarius, tanto altior & excelsior, qui pugnas sibi asperas desumpserit, & illis nobilitatus discriminibus in ore hominum agit.* Pro *discriminibus*, an potius, *certaminibus?* Nisi forte *criminibus* pro eodem est. Ut & Sueton. Cal. 45. *populumque gravissimo objurgavit edicto, quod Cæsare præliante, & tantis criminibus objecto intempestiva convivia, circum theatra, & amœnos secessus celebra-*

sumpserit, tanto altior & excelsior & illis nobilitatus criminibus, [1] in ore hominum agit, quorum ea natura est [2] ut secura nolint. ¶ Transeo ad formam & consuetudi- 38
nem veterum judiciorum: quæ [3] & si nunc aptior est * ita erit eloquentia, tanto illud forum magis exercebat, in quo nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur, & liberæ comperendinationes erant, & modum dicendi sibi quisque sumebat, & numerus neque dierum neque patronorum [4] finiebatur. [5] Primus tertio consulatu Cn. Pompejus astrinxit imposuitque veluti frenos eloquentiæ, ita tamen ut [6] omnia in foro in legibus, omnia apud prætores gererentur: apud quos quanto majora negotia olim exerceri solita sunt, quod majus argumentum est, quam quod [7] caussæ centumvirales quæ nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum judiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis, neque Cæsaris, neque Bruti, neque Cœlii, neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii, quæ [8] *pro heredibus Urbiniæ* inscribuntur, ab ipso tamen Pollione

*lebrarent.* Aut ibi quoque emendandum *discriminibus.* Omnino sic & Tib. 2. *Velut iterum illudens crimini publico.* Libri veteres recte, *discrimini.* Acidal.

1 *In ore hominum agit*] Emendavi etiam in Historiis, & produxi hanc dictionem. Vulgo, *more.* Lipsius.

2 *Ut secura velint*] Lego, *nolint.* Rhenanus. Clausula addita Rodolphus: *ut dubia laudent, secura nolint.* quod qui neget aptum ad sensum esse, ipse sine sensu. *Lipsius.* Mihi multo aptius pariter & acutius videatur, *ut dubia laudent, secura malint.* Ea enim hominum natura ut securum se quisque velit, periculosa tamen, & qui ea subeunt, laudibus ferant. *Acidalius.*

3 *Et si nunc aptior est, ita erit eloquentia, tanto*] Repone, *arctior est.* Rhenanus. Nobis corrupta hæc videbantur aut mutila. Rodolphus autem concinnat: *etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen.* acute si ab ingenio, feliciter si à libro. *Lipsius.* Nescio quid Muretus hic voluerit, qui notaverat: *aptior est, at certe loquentia: tamen illud forum magis, &c.* Nihil in his sensus. Amplectar Rodolphi lectionem, sed in parte. Nam illud non possum, *aptior est veritati.* Pro quo ipse restituo, proxime ad vulgatæ lectionis vestigia: *aptior existimatur*, vel *existimetur.* Acidalius. Acidalius non potest amplecti τὸ *veritati.* Sed vide nostra ad L. Senecam de Ira 2. 29. *Gronovius.* Non satisfacit mihi conjectura Rudolphi, quamvis unice eam probet Lipsius. & malim, *interit ea eloquentia tamen, quam illud forum magis exercebat, &c.* sic omnia commodius connectentur. *Schultingius.*

4 *Finiebatur*] Al. *Cavebatur.* Pithœus.

5 *Primus tertio consulatu Cn. Pompejus astrinxit*] Addit etiam Rodolphus: *Primus hujus rei spatia tertio, &c.* Nec hæc talia sane ab ingenii fonte videntur. Ego ex eo scribam: *Primus hujusce spatia.* Sane etiam post in hac translatione persistit: *Quomodo nobiles equos cursus & spatia probant e sic est aliquis oratorum campus, &c.* Lipsius.

6 *Omnia in legibus*] Delenda præpositio. Mox lego: *exerceri solita sint.* Acidalius. Illud *in* expungendum, & si necessaria hujus generis particula, rescribendum potius ex legibus esse judicaverim, cap. 34. supra. Cum deinde succurrit etiam Declam. 308. ut & testamentum *non in jure factum.* Schultingius.

7 *Causæ centumvirales splendore aliorum judiciorum obruebantur*] Cicero de oratore lib. 1. *Nam volitare in foro, hærere in jure ac prætorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate ac jure certetur, jactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum cæterarumque rerum innumerabilium jura versentur, cum omnino quid suum quid alienum, quare denique civis an peregrinus, servus an liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiæ.* In quibus obiter monuerim ineptam esse illam lectionem, *testamentorum ruptorum.* quæ enim ista jura sunt, aut quis ita loquitur? Gruterus ait se delevisse quod sequebatur in vulgatis *aut cæterum*, quod non extaret in codicibus Memmii & Pithœi, solumque haberet Palatinus secundus *testamentorum raptorum*, primus vero & Tosanus & alter Memmii, *testamentorum ruptorum aut raptorum* ut appareret appositum à scribis pro lectione variante. Nihil verisimilius succurrit, quam scripsisse Ciceronem *nuptiarum.* Præsertim cum postremum inter exempla, quibus ostendit juris cognitionem oratori esse necessariam, de jure connubii & nuptiarum sit. *Quid quod usu, memoria patrum, venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, cum uxorem prægnantem in Provincia reliquisset, Romaque alteram duxisset, neque nuntium priori remisisset, mortuusque esset intestato, & ex utraque filia natus esset, mediocrisne res in controversiam adducta est? Cum quæreretur de duobus civium capitibus & de puero, qui ex posteriore natus erat, & de ejus matre, quæ, si judicaretur certis quibusdam verbis, non novis nuptiis, fieri cum superiore divortium, in concubinæ locum duceretur.* Schelius.

8 *Pro heredibus Urbiniæ*] Quintilianus me duxit ad

lione mediis divi Augusti temporibus habitæ, postquam longa temporum quies, & continuum populi otium, & assidua senatus tranquillitas, & maximi principis disci-
39 plina, ipsam quoque eloquentiam sicut omnia alia pacaverat? Parvum [1] & ridiculum fortasse videtur quod dicturus sum, dicam tamen vel ideo ut rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse [2] pænulas istas, quibus astricti & velut inclusi cum judicibus fabulamur? quantum virium detraxisse orationi auditoria & tabularia credimus, in quibus jam fere plurimæ caussæ explicantur? Nam quomodo nobiles equos cursus & spatia probant; sic est aliquis oratorum campus, per quem nisi liberi & soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipsam quinimmo curam & diligentem styli [3] anxietatem contrariam experimur: quia sæpe interrogat judex; *quando incipias*; & ex interrogatione ejus incipiendum est. Frequenter probationibus & testibus, [4] silentium patronus indicit. unus inter hæc dicenti ac alter assistit, & res velut in solitudine agitur. Oratori autem clamore plausuque opus est, & velut quodam theatro. qualia cottidie antiquis oratoribus contingebant: cum tot pariter ac tam nobiles forum coarctarent: cum clientelæ quoque, & tribus, [5] & municipiorum legationes, ac partes Italiæ periclitantibus assisterent: cum in plerisque judiciis crederet populus Roman. [6] sua interesse quid judicaretur. Satis constat C. Cornelium, & M. Scaurum, & T. Milonem, & L. Bestiam, & P. Vatinium, concursu totius civitatis & accusatos & defensos, ut frigidissimos quoque oratores, ipsa certantis populi studia, excitare & incendere potuerint. Itaque hercule ejusmodi libri exstant, ut ipsi quoque qui egerunt, non aliis magis orationibus
40 censeantur. Jam vero conciones assiduæ, & [7] datum jus quoque potentissimum quemque vexandi, atque ipsa inimicitiarum gloria: cum se plurimi disertorum, ne à P. quidem Scipione, aut Sylla, aut [8] Cn. Pompejo abstinuerint, & ad incessendos principes viros, ut est natura invidiæ, populi quoque histriones auribus uterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant! [9] Non de otiosa

ad emendationem, quem vide lib. 4. cap. 1. nam Asinium disertim pro hæredibus Urbiniæ laudat. In tritis libris erat *Irenia*: in veteri *Urinia*. Lipsius.

1 *Et ridiculum fortasse videtur*] Magis placet, *videbitur*, ita præsertim postulante sententia, *Ursinus*. Lego, *videbitur*. Et Muretus. *Acidalius*.

2 *Pænulas istas, quibus adstricti & velut inclusi cum judicibus fabulamur*] Pænulas hic dat oratoribus: at Fabius l. XI. cap. 3. non nisi togæ meminit, ex quo vir doctus efficit, Fabium hujus dialogi auctorem non esse. Quod tamen nescio an satis firmum argumentum sit: nam quum hic sexto Vespasiani anno hos introducat loquentes, & se huic sermoni interfuisse dicat, neque alios mores, quam qui Quintiliani ævo viguerunt, hic debuit descripsisse neque eos potuit ignorare. Quid ergo dicemus? Quemadmodum Messala hic causas corruptæ ejus ævi eloquentiæ recensens, vitiaque exagitans, pænularum tantum meminit, quas improbat, non togæ quam probat: sic Fabium non tam, quid fiat interdum, quam quid fieri debeat, docentem togarum solarum facere mentionem. Nam utrisque pro re & loco usos ejus temporis patronos ex his locis colligitur. Nisi si aliquis velit à Domitiano reductas togas, cum ante pænulæ in forum irrupissent. Fabius: *Est aliquid in amictu, quod ipsum aliquatenus temporum conditione mutatum est. Nam veteribus nulli sinus; perquam breves post illos fuerunt. Itaque etiam gestu necesse est usos esse in principiis eos alio, quorum brachium, sicut Græcorum, veste continebatur: sed nos de præsentibus loquimur.* Schelius.

3 *Anxietatem contrariam*] Id est, noxiam, damnosam. cap. 35. *Ipsa vero exercitationes magna ex parte contraria.* Schultingius.

4 *Silentium patronus indicit*] Sensus postulat: *silentium patrono indicitur.* Idem.

5 *Et municipiorum & legationes*] Stripsi, *& municipiorum legationes.* Rhenanus.

6 *Sua interesse*] Deinde autem translata est in Cæsares summa potestate, resp. erat aliena. Egregius ad hæc locus est Taciti 1. histor. ad init. *Schulting.*

7 *Datum jus quoque potentissimum*] Malim: *cuique.* Gronovius.

8 *Cn. Pompejo abstinuerint*] Sic scripsi. *Rhenanus.* Lego, *abstinerent.* In reliquis ordo mutandus verborum: *ut est natura invidiæ, histriones quoque populi auribus uterentur.* Acidalius.

9 *Non de otiosa & quieta re*] Muretus altera voce addita, altera deleta, sic hæc legit: *non enim de otiosa*

sa & quieta re loquimur, & quæ probitate & modestia gaudeat: sed est magna ista
& notabilis eloquentia, alumna licentiæ, quam stulti *libertatem* vocabant, [1] comes
seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, [2] sine servitute, contumax, temeraria, arrogans, [3] quæ in bene constitutis civitatibus non oritur. [4] Quem
enim oratorem Lacedæmonium, quem Cretensem accipimus? [5] quarum civitatum
severissima disciplina, & severissimæ leges traduntur. Nec Macedonum quidem ac
Persarum, ac ullius gentis, quæ certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodii quidam, Athenienses plurimi oratores exstiterunt, apud quos omnia
populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant. Nostra quoque civitas donec [6] erravit, donec se partibus & dissensionibus, & discordiis confecit, donec nulla fuit in foro pax, [7] nulla in senatu concordia, nulla in judiciis moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus magistratuum modus: tulit sine dubio valentiorem eloquentiam, sicuti indomitus ager habet quasdam herbas lætiores. Sed
nec tanti reipublicæ Gracchorum eloquentia fuit, ut pateretur & leges: nec [8] bo- 41
næ formam eloquentiæ Cicero tali exitu pensavit. Sic quoque quod superest antiquis oratoribus, forum [9] non emendare, nec usquam ad votum compositæ civitatis
argu-

*otiosa & quieta re loquimur, & quæ probitate & modestia gaudeat: est magna ista &c.* Idem.

1 *Comes seditionum*] Lego, *fames*. Quod probes, si ad sequens verbum *incitamentum* respicias: at si ad superius *alumna*, dubites, an non potius *comes*. Idem.

2 *Sine severitate*] Al. *servitute*. Pithœus.

3 *Quæ in bene constitutis civitatibus non oritur*] Paulo aliter Cicero Bruto. *Pacis est comes otiique socia & jam bene constitutæ civitatis quasi alumna quædam eloquentia.* Schelius.

4 *Quem enim oratorem Lacedæmonium*] Miratur hoc idem Vellejus lib. 1. in extremo: nec caussam dat, quam veram hic habes. *Lipsius.* Cicero Bruto: *Hoc autem studium non erat commune Græciæ, sed proprium Athenarum. Quis enim aut Argivum Oratorem aut Corinthium aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quid de Epaminonda, docto homine, suspicari libet. Lacedæmonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem.* Idem. Quintilianus lib. 3. cap. 8. *Minus Lacedæmone studia literarum, quam Athenis, honoris merebuntur: plus patientia, fortitudo.* Gronovius.

5 *Quarum civitatum severissima disciplina severissimæque leges traduntur*] Vellejus de Lycurgo: *Fuit severissimarum justissimarumque legum auctor & disciplinæ convenientissimæ vir.* Ita legendum. Hic tamen offendat fortassis aliquos repetitio *severissima*. possis *sanctissima*. Schelius.

6 *Erravit*] Hoc est, fluctuavit, ni malis, *certavit*. Rhenanus.

7 *Nulla in senatu concordia*] Sequentia verba pluscula addidimus à libro. *Lipsius.*

8 *Bonæ formam eloquentiæ*] Muretus, *famam*, non subscribente Acidalio, qui sine sententia esse putat: *Cicero tali exitu pensavit*: & mirifice transponendis verbis locum conturbat. Ego nihil hic agnosco vitii. *Bonam eloquentiam* dicit salubrem & publice utilem. Qualem fuisse Ciceroni notum est, & adstipulatur Cremutius Cordus apud M. Senecam, qui rostra eum ait *coluisse piis concionibus. Pensare exitu eloquentiam* est parem eloquentiæ exitum nancisci: ut Justino *pensare parta cum amissis*, de quo lib. 4. Observ. 13. Potuisset igitur dicere: Nec respublica eloquentiam Gracchorum legibus eorundem pensavit: nec Ciceroni tanti fuit salubrior eloquentia, ut ob eam talem exitum faceret. Sane τὸ *famam* adderet aliquid sententiæ, ut non modo utilitatibus, sed etiam gloria & magnitudine ejus præferretur Gracchis. Potest tamen retineri *formam*, ut sit idem, quod genus. Melius fuisset Reipublicæ Gracchos non fuisse disertos quam facundia ad seditiosas leges ferendas uti: melius Ciceroni quamvis salubris eloquentiæ genere vel fama caruisse, quam propter illam sic perire. *Gronov.*

9 *Non emendare nec usquam ad votum*] Legebat Faernus, *non emendata*, cum in vulgatis sit, *emendare*. Ursinus. Si nihil hic deest, scribam: *non emendata. nec usque ad.* Sequentia etiam in libro Farnes. *argumentum est. Quis enim nos.* Lipsius. Nos luxatum verborum ordinem videmus: quem traductione levi verum restituemus, & alia iterum leviora emendabimus, ut totus locus sic legatur. *Nec antiquis oratoribus bonæ formam e. c. t. e. p. s. q. q. superest forum non emendata, nec usquequaque ad votum c. c. a. est. Quid enim? quod nemo nos advocat, &c.* Quid si tamen legas? *Nec antiquis oratoribus bona forma eloquentiæ* (scil. tanti fuit) *quam Cicero tali exitu pensavit.* Quanquam integra sententia tale quid requirit: *ut quæ Cicero, tali eam exitu pensarent.* Acidalius. Recte Lipsius, *non emendata, neque usque ad.* Sed quæ sententia in illis, *superest antiquis oratoribus*, clamat Acidalius, qui solus hæc ausus post Lipsium tentare. Et tamen una litera expuncta nos expediet. Scribe: *Sic quoque, quod superest antiqui oratoribus, forum, non emendata, nec*

 usque

argumentum est quidem, quod nemo nos advocat, nisi aut nocens aut miser. [1] quod municipium in civitatem nostram venit, nisi quod aut vicinus populus, aut domestica discordia agitat? quam provinciam tuemur, nisi spoliatam vexatamque? Atqui [2] melius fuisset non queri, quam vindicari. Quod si inveniretur aliqua civitas in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus. Quo modo tamen minimum usus minimumque profectus ars medentis habet in his gentibus, quæ firmissima valetudine ac saluberrimis corporibus utuntur: sic minor oratorum obscuriorque gloria est inter bonos mores, & in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in senatu sententiis, [3] cum optimi cito consentiant? Quid multis apud populum concionibus, cum de republica non imperiti & multi deliberent, sed sapientissimus & unus? Quid voluntariis accusationibus, cum tam raro & tam parce peccetur? Quid invidiosis & [4] excedentibus modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obviam periclitantibus erat? Credite optimi, & in quantum opus est disertissimi viri, si aut vos prioribus sæculis, aut isti quos miramur, his nati essent, ac deus aliquis vitas vestras, [5] vestra tempora repente mutasset; nec vobis summa illa laus & gloria in eloquentia, [6] neque illis modus & temperamentum defuisset. Nunc quoniam, nemo eodem tempore assequi potest magnam famam & magnam quietem, bonis sæculi sui quisque, citra obtrectationem alterius, utatur. Finierat Maternus.

42 Tum Messalla: *Erant quibus contradicerem, erant de quibus plura dici vellem, nisi jam dies esset exactus. Fiet*, inquit Maternus, postea arbitratu tuo, & si qua tibi obscura in hoc meo sermone visa sunt, de his rursus conferemus. Ac simul assurgens & Aprum complexus, *Ego*, inquit, te poëtis; Messalla [7] antiquariis, criminabimur. *At ego* vos rhetoribus & scholasticis, inquit. Cum adrisissent, discessimus.

*usque ad veterum composita civitatis argumentum est.* Nempe conciones sustulerunt Cæsares. Una ratio ex tot apud antiquos occasionibus ostentandi ingenii & eloquentiæ exercendæ relicta erat, forum & causacum patrocinia. Hoc antiqui solum oratoribus supererat. Livius lib. 34. *Quod maturi erat circa, demessum & convectum est.* Quod sequitur, accipiendum ex codice Farnesiano: *Quis enim nos advocat, nisi aut nocens aut miser:* De verbo *advocare* diximus ad Senec. de clement. 1. 9. *Gronovius.*

1 *Quod municipium in civitatem nostram*] *In clientelam nostram* rectius habet editio Pithœi. Supra. *Cum tot amicorum causa tot coloniarum ac municipiorum clientelæ in forum vocent.* Schelius.

*In clientelam*] Al. *In civitatem.* Pithœus.

2 *Melius fuisset non queri*] An *non fieri?* Schelius.

*Non queri quam judicari*] Lego, *vindicari.* Lipsius. Verbum *vindicari*, auctore Lipsio correximus. Vulgo, *judicari.* Pichena. Bene Lipsius legit. Sed id non satis. Muretus optime totum sic emendaret, *atqui m. f. non fieri, quam vindicari.* Acidalius. Bene Lipsium legere *vindicari*; sed non id satis. Muretum optime totum locum emendasse: *Atqui melius fuisset non fieri, quam vindicari,* censet Acidalius. Immo pejus. *Non queri*, est, illos non fuisse injuria affectos, eoque nec querelarum causam habuisse. *Gronovius.*

*Quam vindicari*] Al. *quam judicari.* Pithœus.

3 *Cum optima cito consentiant?*] Hoc est, optimæ sententiæ. Poterat alioqui legi, *& optimi:* si quis ad personam velit referre. *Rhenanus.* Lego, *cum optimis.* Rodolphus autem, *cum optima cito censeantur?* A fine autem libelli, ut cuivis videre est, multa desunt, atque adeo præcipua dissertationis pars. Sed mihi, cum Deo, pausa hic & finis: cui gratia & gloria in æternum. *Lipsius.*

*Cum optimi cito consentiant?*] Integra & elegans hæc lectio: nec vel Rodolphus, nec Lipsius audiendi. *Acidalius.*

4 *Excedentibus modum*] Vet. *excellentibus morum.* Pithœus.

5 *Vestra tempora*] Vet. *aut vestra tempora.* Idem.

6 *Neque illos modus & temperamentum defuisset*] Scripsimus, *Neque illis.* Rhenanus. Deest sine dubio tale quid: *neque illis modus & temperamentum in certaminibus*, vel *turbis, defuisset.* Manifesto id requirunt sequentia. *Nunc quoniam nemo, &c.* Acidalius.

7 *Antiquariis*] Vet. *cum antiquariis.* Pithœus.

# JUSTI LIPSII
## AD
## LIBRUM III. HISTORIARUM
# EXCURSUS.

### A.

Ceterum ut transmitteret in Italiam impune & eo usui foret, scriptum Apo- Cap. 1.
nio, ut una cum Mœsico exercitu celeraret. Ac ne inermes provinciæ barbaris nationibus exponerentur, principes Sarmatarum Jazygum in commilitium adsciti; plebem quoque & vim equitum qua sola valent offerebant. remissum id munus ne inter discordias externa molirentur, ac majore ex diverso mercede jus fasque exuerent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus reges Suevorum, quibus vetus obsequium erga Rom. & gens fidei commissæ patientior. opposita in latus auxilia, infesta Rætia, cui Porcius Septimius procurator erat incorruptæ erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix cum ala Tauriana & VIII. cohortibus ac Noricorum juventute ad occupandam ripam Æni fluminis, quod Rætos Noricosque interfluit, missus, nec illis aut his prœlium tentantibus fortuna partium alibi transacta. Antonio vexillarios è cohortibus & partem equitum rapienti comes fuit Arrius Varus, strenuus bello; quam gloriam & dux Corbulo & prosperæ in Armenia res addiderant. Idem secretis apud Neronem sermonibus ferebatur Corbulonis virtutes criminatus. Unde infami gratia primumpilum adepto, læta ad præsens male parta, mox in perniciem vertere. Sed Primus ac Varus occupantes Aquilejæ proxima quæque, & Opitergii & Altini lætis animis accipiuntur. Relictum Altini præsidium adversus classem Ravennatem, nondum defectione ejus audita. Inde Patavium & Ateste partibus adjunxere. Illic cognitum tris Vitellianas cohortes, & alam cui Scribonianæ nomen, ad Forum Alieni ponte juncto consedisse. Placuit occasio invadendi incuriosos. nam id quoque nuntiabatur. Luce prima inermes plerosque oppressere. Prædictum ut paucis interfectis ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent. Et fuere qui se statim dederent. plures abrupto ponte instanti hosti viam abstulerunt. Vulgata victoria post principia belli secundum Flavianos, duæ legiones, septima Galbiana, tertia decima Gemina, cum Vedio Aquila legato Patavium alacres veniunt. Ibi pauci dies ad requiem sumti, & Minutius Justus præf. castrorum leg. VII. quia audacius quam civili bello imperitabat, subtractus militum iræ; ad Vespasianum missus est. Desiderata diu res interpretatione gloriæ in majus accipitur, postquam Galbæ imagines discordia temporum subversas in omnibus municipiis recoli jussit Antonius, decorum pro caussa ratus si placere Galbæ principatum partes præsumerent. Quæsitum inde quæ sedes bello legeretur. Verona potior visa patentibus circum campis ad pugnam equestrem qua prævalebant: simul coloniam copiis validam auferre Vitellio in rem famamque videbatur. Possessa ipso transitu Vicentia: quod per se parum (etenim modi-

modicæ municipio vires) magni momenti locum obtinuit, reputantibus illic Cæcinam genitum, & patriam hostium duci ereptam. In Veronensibus pretium fuit: exemplo opibusque partes juvere. Et interceptus exercitus per Rætiam Juliasque Alpes. ac ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat. Quæ ignara Vespasiano aut vetita. quippe Aquilejæ sisti bellum, exspectarique Mucianum jubebat. Adjiciebatque imperio consilium, quando Ægyptus, claustra annonæ, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur, posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad deditionem subigi. Eadem Mucianus crebris epistolis monebat, incruentam & sine luctu victoriam & alia hujuscemodi prætexendo, sed gloriæ avidus atque omne belli decus sibi retinens. Ceterum ex instantibus terrarum spatiis consilia post res afferebantur. Igitur repentino incursu Antonius stationes hostium irrupit, tentatisque levi prœlio animis, ex æquo discessum. Mox Cæcina inter Hostiliam vicum Veronensium & paludes Tartari fluminis castra permuniit, tutus loco, cum terga flumine, latera objectu paludis tegerentur. Quod si affuisset fides, aut opprimi universis Vitellianorum viribus duæ legiones nondum conjuncto Mœsico exercitu potuere, aut retroactæ deserta Italia turpem fugam conscivissent. Sed Cæcina per varias moras prima hostibus vendidit tempora belli, dum quos armis pellere promptum erat, epistolis increpat, donec per nuncios pacta perfidiæ firmaret. Interim Aponius Saturninus cum legione VII. Claudiana advenit. Legioni tribunus Vipsanius Messalla præerat, claris majoribus, egregius ipse, & qui ad id bellum solus artes bonas attulisset. Has ad copias nequaquam Vitellianis pares (quippe tres adhuc legiones erant) misit epistolas Cæcina, temeritatem victa arma tractantium incusans. Simul virtus Germanici exercitus laudibus attollebatur, Vitellii modica & vulgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia. Nihil prorsus quod aut corrumperet hostem, aut terreret. Flavianarum partium duces omissa prioris fortunæ defensione, pro Vespasiano magnifice, pro caussa fidenter, de exitu securi, in Vitellium ut inimici. Facta Tribunis & Centurionibus retinendi quæ Vitellius indulsisset, spes: atque ipsum Cæcinam non obscure ad transitionem hortabantur. Recitatæ pro concione epistolæ addidere fiduciam, &c. *eo ordine quo deinceps vulgati.*

JUSTI

# JUSTI LIPSII
## AD
# GERMANIAM
## EXCURSUS.

### A.

Germanos liberatum ire volui, à fœda aversæ Veneris nota: & ecce ego c. 12.
non sine nota. Nam quidam me culpat (modeste tamen fateor, nec plane ἀλόγως) quod temere mendacem dixerim Athenæum. Ab eo enim, inquit, Diodorus, Aristoteles, Strabo. Primus quidem, de Celtis sic scribit: Γυναῖκας δ' ἔχοντες εὐειδεῖς, ἥκιστα ταύταις προσέχουσιν, ἀλλὰ πρὸς τὰς τῶν ἀῤῥένων συμπλοκὰς ἐκτόπως λυσσῶσι. & quæ subdit, turpia mihi nimis, turpia relatu. At Aristoteles VII. Polit. *Plerasque militares gentes, & Celtas in iis, masculum cœtum palam admisisse.* Jam Strabo, negat *turpe apud eos fuisse* τὸ τῆς ἀκμῆς ἀφειδεῖν τοὺς νέους: *florem ætatis prostituere juniores.* Quid ad hos ego? ignosce quisquis legis, pæne idem quod in Athenæum. Falsi inquam isti, falsi: si tamen de Germanis hoc scripserunt ac senserunt, non potius de Gallis. Quod ego omnino assero: præsertim de iis qui Massiliæ & Italiæ magis propinqui. Ab ea parte labes hæc in candidam per se gentem. Nonne *mores Massilienses* proverbio, ab hac mollitie innotuere? Græci ergo illi, qui vix limen illud ipsum Galliæ noverant (Germaniæ certe penetral numquam) illic repertum vitium fama & stilo sparserunt perperam in omnes. Non mihi creditur? Tacito igitur nostro, qui diserte hoc ipso loco scribit (ex vestra quidem mente) molles istos & flagitiosos *cæno & palude mersos, crate injecta.* Tuam fidem, ô optime. Si fidi illi Græci, & si vitium hoc tam commune Germanis, tam receptum: qui constat ut iidem tam severiter illud puniant? Itaque ne sic quidem Germani inquinabuntur, etiamsi inquinata illa lectio retinebitur. Nec tamen à me, qui haud paullo tutius Tacito & in primis Fabio (qui claris verbis ignotum id flagitium Germanis asserit, te dissimulante) hic crediderim, quam Græcis. Quippe isti levi & longinqua fama aliquid de ea gente acceperunt: at illorum ævo, cognita jam Germania, imo lustrata Romanis & calcata.

# STEMMA
# AUGUSTÆ DOMUS,
## A
## JUSTO LIPSIO
### In seriem redactum.

- *C. Octavius C. F.* qui Macedoniæ præfuit. Ex Ancharia priore uxore
  - *Octavia* major. Ex priore marito C. Marcello.
    - *M. Marcellus* cui prima uxor, Pompeja Sexti: altera, Julia Augusti filia. Ex neutra liberi. Obiit adolescens in Bajano.
    - *Marcella* major. Ex I. marito M. Vipsanio Agrippa
      - Liberi, ait Suetonius, sed nobis irreperti. Nam de Vipsania Tiberii uxore falsum.
    - Ex II. marito Julo Antonio Africano Triumviri filio, de quo Plut. in Antonio, & noster l. 3. Ann.
      - *L. Antonius Africanus*, qui Massiliæ obiit, l. 3. Annal. Ex eo aut fratre aliquo, ut arbitror
        - *Sex. Antonius Africanus*. de cujus nobilitate, l. 14. Annal. 46.
    - *Marcella* minor, de qua silent.
  - Ex II. marito M. Antonio III. viro
    - *Antonia* major. Ex marito L. Domitio Ahenobarbo.
      - *Domitia*, cui vir Crispus Passienus, uti suspicor ex Quinctil. lib. VI. cap. II.
      - *Domitia Lepida*. Ex I. marito M. Valerio Barbato Messalla.
        - *Valeria Messallina*, Claudii principis uxor. Adi Commentarium nostrum, ad finem lib. XI. Ann. Et adde Senecam in Menippæa. qui Messallinæ majorem avunculum facit Augustum.
      - II. Ap. Junius Silanus Qui tamen antea maritus fuisse videtur Æmiliæ Lepidæ proneptis Augusti (vide Commentarium nostrum ad initium 13. Ann. etsi res hæc adhuc nubila:) Exque iis forte
        - *L. Silanus* sponsus Octaviæ. lib. XII. cap. 5. *& seqq.*
        - *M. Silanus* proconsul Asiæ, lib. XIII. cap. 1.
        - *Junia Calvina* Vitellii nurus, lib. XII. cap. 8. quæque ad Vespasiani ævum supervixit, ex Sueton. Vesp. cap. XXIII.
      - *Cn. Domitius*, cui uxor Agrippina, & ex ea
        - *Nero* Imp.
    - *Antonia* minor. cujus stirpem ex marito Druso quære infra.

*C. Octa-*

- *C. Octavius C. F.* qui Macedoniæ præfuit, Ex Attia II. uxore
  - *Octavia* minor, de cujus conjugio aut stirpe nobis non lectum.
  - *C. Octavius*, qui postea C. Jul. Cæsar Octavianus Augustus. Ex Scribonia uxore
    - *Julia*, cui primus maritus M. Marcellus, tertius Tiberius Imperator. Sed uterque sine prole. Medius autem M. Vipsanius. Agrippa. Ex hoc
      - *C. Cæsar*, cui uxor Livia soror Germanici. l. 4. Ann. c. 40.
      - *L. Cæsar*, cui destinata uxor Æmilia Lepida, postea P. Quirinii uxor. l. 3. Ann. c. 23.
      - *Agrippa postumus*.
      - *Julia*, cui vir L. Æmilius Paullus Censoris F. Ex eo
        - *Æmilius Lepidus*, cui Drusilla uxor. Ex Dione lib. LIX. & Sueton. Calig. cap. XXIV.
        - *Æmilia Lepida*, sponsa Claudii. Suet. Claud. cap. XXVI. Nec scio an eadem quæ nupta Druso filio Germanici. l. 6. Ann. 40.
      - *Agrippina*, cui vir Cæsar Germanicus. Et ex eo
        - *Nero*, cui uxor Julia Drusi filia, l. 6. Ann. 27.
        - *Drusus*, cui uxor Æmilia Lepida l. 6. Ann. 40.
        - *C. Caligula*, cujus matrimonia è Suet. pete.
        - *Agrippina*, cui mariti tres: Cn. Domitius, Crispus Passienus, Claudius Imp.
        - *Drusilla*, cui prior maritus L. Cassius: alter M. Æmilius Lepidus.
        - *Livia*, sive, *Livilla*, Suetonio: quæ eadem *Julia* est Tacito & Dioni. Nupsit M. Vinicio, l. 6. Ann. 15. Huic sive alteri è sororibus maritus antea Quinctilius Varus, quem generum Germanici vocat Seneca lib. I. controv. III. & aliquid Tacitus l. 4. Ann. 66.

Habes Augusti Stemma, quod ad sanguinem quidem attinet. Superest uxoria stirps, quæ adfinitate primo, mox adoptione insita in domum Augustam. Eam, lucis caussa, seorsum hic expressi.




JA-

# JACOBUS GRONOVIUS
# LECTORI
S. P.

*Nisi existimarem esse aliquid in his excerptis, quod non modo publicam lucem mereretur, sed à quo sine controversia Tacitus illustraretur, non fecissem, ut mensura hujus voluminis frivolâ variarum lectionum copiâ extenderetur. Ideo reversus domum, quantum ægritudo concessit, schedas, quibus illam codicis MS.* παραβολὴν *credideram, excussi, &, quæ placebant, velut flores in fasciculum collegi. Servabatur autem liber ille in collegio quod* τοῦ σωτῆρος Ἰησοῦ *nomine dedicatum est. Vale, & pro lubitu utere.*

Lib. xi. Annal. Cap. i. *Congressibus præbuissent.*] Si fuerint contubernales, bene est: alioqui melius dixisset, *domos suas.* Sed MS. *præbuisset.* Omnino seorsum habitarunt, & objectum fuit alteri insomnium, alteri quod domum suam præbuisset congressibus Poppææ & Mnesteris. Omnino prius *alteri* omissum, videtur deduxisse scribas, quod tamen est ex more Taciti.

Lib. xi. Cap. 6. *Consentientibus aliis.*] MS. *consentibus*, n. in verba designati consulis Silii, ut lex Cincia exerceretur. Lib. xiii. Cap. 26. *actum in senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque ut adversus male meritos revocandæ libertatis jus patronis daretur. Nec deerant qui censerent.* n. id quod efflagitabatur ab aliis, vel consule referente.

Lib. xi. Cap. 12. *Vacuo adultero potiretur.*] MS. *adulterio.*

Lib. xi. Cap. 31. *Femina pellibus accincta.*] MS. *nebridibus.* Quod certe doctius est, quam ut venire à librariis possit. Deinde *crine fuso.* non *fluxo.*

Lib. xi. Cap. 36. *Tam magna peccavisset.*] MS. *patravisset.*

Lib. xi. Cap. 37. *Hoc enim verbo usum ferunt.*] Ultima vox abest à MS.

Lib. xii. Annal. Cap. 11. *Addiditque præcepta.*] Abest à MS. copula.

Lib. xii. Cap. 13. *Equi ubi pharetras*] MS. *ut* pro *ubi*, id est, postquam.

Lib. xii. Cap. 32. *Camalodunum*] MS. *Camulodunum*, ut Dio.

Lib. xii. Cap. 33. *Saxa præstruit.*] MS. *saxis.*

Lib. xii. Cap. 41. *His quasi criminibus.*] MS. clatè, *his tanquam crim.*

Lib. xii. Cap. 43. *Globo infestos perrupit.*] MS. *infesto.*

Lib. xii. Cap. 51. *Fluminis tradit, ne corpus etiam auferretur.*] MS. *ut corpus.* Recte, id est, à flumine deferretur & hosti eriperetur.

Lib. xii. Cap. 57. *Convulsis ulterioribus aut.*] MS. *ulterioribus sublicis aut.*

Lib. xiii. Annal. Cap. 11. *Ordine remotum*] in MS. deest τὸ *ordine.*

Lib. xiii. Cap. 14. *Hinc Germanici filia inde debilis rursus Burrus.*] Vix restat aliquid post clarissimam patris correctionem & ἰνδοξίν. Cæterum MS. habet *filia inde mancinus rursus.* Mira quoque est orationis structura. Cur enim nunc debilem Burrum vocat & post trunca manu, in Seneca nunc exulem, post professoria lingua dicit, & non exilio fœdum? ut eadem ratio in utroque servetur. Item cur se solam duobus opponit? Rhenanus nihil affert ex Buda. Omnino illud *debilis* explicatio videtur fuisse vocis corruptæ *mancinus*, substitutæ ab homine non capiente primam scripturam, quasi diminutum à *mancus*, eo verisimilius, quod postea Burrum trunca manu fuisse dicit. Lego ex vestigiis codicis Anglicani & ratione quam dixi: *Hinc Germanici filia & Britannicus, rursus Burrus & exul Seneca.*

Lib. xiii. Cap. 19. *Conjugioque ejus etiam imperio remp. &c.*] MS. *conjugioque ejus etiam potiri ac rempubl.*

Lib. xiii. Cap. 20. *Temeritati & inscitiæ propiora*] MS. *inscientiæ* De quo videndus pater ad Livium Lib. xxii. Cap. 25.

Lib. xiii. Cap. 25. *Et ore præferret.*] MS. quoque *& fore se Cæsarem præf.* Forte: *& ore cicatricem præferret.*

Lib. xiii. Cap. 28. *Immodestos fautores histrionum & à præt.*] Abest copula.

Lib. xiii. Cap. 39. *Sibique quod validissimum*] Τὸ *quod* non est in MS. nec est necessarium.

Lib. xiii. Cap. 53. *Deterrendo Veterem.*] Miror auscultari Rhenano sic legenti quia mendose MS. habebat *Veteres.* Omnino legendum *Vetere*, ut in MS. Anglicano. Nonne ita Lib. xv. Cap. 62. *dissimulando metu.* Lib. ii. Hist. Cap. 48. *mereri se festinando exitu clementiam victoris.* Ubi nunc *festinato* legitur.

Lib. xiii. Cap. 57. *Humore niterentur.*] Insulsa omnia, quæ hic dicuntur. Lege ex MS. *uterentur.*

Lib. xiv. Annal. Cap. 9. *Hæc consensu traduntur.*] MS. *produntur.* vel ad varietatem dictionis quærendam.

Lib. xiv. Cap. 10. *Ut hominum vultus, ita locorum facies.*] An hæc differentia inter faciem & vultum? Nugæ. MS. delet *facies.*

Lib. xiv. Cap. 15. *Ne tamen adhuc publico theatro dehonestaretur.*] Non est in MS. *theatro.*

Lib. xiv. Cap. 26. *Ad capessendum imperium delectus.*] Abest vox postrema à MS.

Lib. xiv. Cap. 31. *Regnum & domum.*] MS. *regnumque & domum.*

Lib. xiv. Cap. 42. *Senatusque in quo ipso*] Sic MS. Anglic. Legendum vero, *senatu quoque in ipso.*

Lib. xiv. Cap. 43. *In hoc ordine interfui.*] MS. *in hunc ordinem.* Lib. i. Hist. Cap. 87. *in custodiam habitos.*

Lib. xiv. Cap. 53. *Tales hortos instruit.*] Non debent tacitum ferre Lipsius & Pichena, mussantes de *exstruit.* Recte vulgatum. Plinius junior: *tam copiosus, ut amplissimos hortos eodem quo emerat die instruxerit plurimis & antiquissimis statuis.*

Lib. xiv. Cap. 56. *Cum dominante*] MS. *dominatione.*

Lib. xiv. Cap. 58.] *Qua ad usque bellum evalescerent.*] Rhenanus: *quoadusque bellum evalesceret.* In MS. non est τὸ *bellum.* Prorsus scribo: *quoadusque evalesceret* non quidem ad bellum, sed ut cogeretur Nero mitiora sequi. Minucius Felix pag. 35 *Quoadusque abscisus est lapis de monte.* Rursum: *Quoadusque ponam inimicos tuos sub pedaneum pedum tuorum.* Et iisdem verbis hanc ex S. S. periodum vertit Lactantius Lib. 4. Cap. 12. Augustinus Lib. i. de Civ. Dei. C. i. *Quoadusque justitia convertatur in judicium.* Itaque frustra Casaubonus sollicitat illud Suetonii in Julio cap. 14. *Quoadusque manus equitum Rom. immoderatius perseveranti necem comminata est*, delere volens τὸ *usque.* Modo non in Tiberio sic scripserit Suetonius

tonius cap. 14. *ovum per vices usque eo fovit, quoad pullus exclusus est:* modo, inquam, non ibi fuerit; *per vices eo fovit. quoadusque pullus.* Livius Lib. VI. Cap. 38. *quoadusque ad nostram memoriam tribuniciis certatum viribus est.*

Lib. XIV. Cap. 60. *Natione Alexandrinus*] MS. Anglican. quoque ut alii *Alexandrina*. Dubito, an scripserit *natione Alexandria*; quasi dictum ut *domo Nuceria*. Ibid. MS. expresse: *His motus Nero, tanquam pœnitentia, &c.* absoluta sententia.

Lib. XV. Annal. Cap. 10. *In hostem data.*] MS. *in hoste.*

Ibid. *Tria millia delecti peditis.*] Sic Pichena, quum vulgo *delectorum peditum*. Sane τὸ *delectorum* agnoscit & Oxoniensis, sed sine *peditum*, quod facile subintelligitur.

Lib. XV. Cap. 12. *Onusta frumento.*] MS. *frumenti.*

Lib. XV. Cap. 54. *Milichus.*] MS. *Malichus.*

Lib. XV. Cap. 67. *Cum inermibus.*] MS. *inermis*. Supra Lib. I. Cap. 68. *paucos ac semermes cogitans.* Lib. III. Hist. Cap. 6. *inermes plerosque oppressere.* Ubi Pichena. Ita corrigo Lib. V. Hist. Cap. 22. *dux semisomnus ac propeintectus*, ex MS. pro vulgato *semisomnis*. Sic *corpora exanima* Lib. XVI. Cap. 13.

Lib. XVI. Annal. Cap. 3. *Dum hunc vel illum locum promissi specus adseverat.*] MS. *dum hoc vel illo loco promi specus adseverat.*

Lib. XVI. Cap. 13. *Ad vicina urbi*] A Rhenano est, non aliam ob causam, quam quia sic alibi Tacitus loquitur. Verum & in ipsa urbe malum sævisse videtur ex hoc & Suetonio, ut non sufficiat vicina dixisse. MS. *ad mœnia vicina urbi.* Scribe, ut diserte est in Anglicano, *ad mœnia urbis. Mœnia* sunt domus in ipsa urbu.

Ibid. *Servitia perinde ac ingenua pl.*] Τὸ *ac* non occurrit in MS. Videtur dictum, ut à Floro Lib. I. Cap. 13. *ad hoc ipsa corporum mole, perinde armis ingentibus.* Lib. III. Cap. 2. *atrox cœlum, perinde ingenia.*

Lib. XVI. Cap. 14. *Amicitiis innixum.*] Quum silerent omnes, tandem Freinshemius, *innexum* rectius. At clare in MS. offendi *immixtum*. Lib. IV. Ann. Cap. 40. *quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem.*

Lib. XVI. Cap. 17. *Brevius iter credebat.*] Abest verbum postremum à MS.

Lib. I. Histor. Cap. 8. *Roma tanquam in tanta mult.*] Secunda vox desideratur in MS.

Lib. I. Cap. 9. *Ultro etiam accendebantur.*] Ne hic quidem τὸ *etiam* apparet.

Lib. I. Cap. 31. *Accerserent.*] MS. *arcesserent.*

Lib. I. Cap. 40. *Populi aut plebis ulla vox.*] MS. *plebi.*

Lib. I. Cap. 44. *Præfixa contis capita gestabantur.*] Ignorat MS. τὸ *gestabantur*. Certe quum Otho fuerit in castris Prætorianis, capita Pisonis & aliorum Othoni allata, postquam satis pavisset oculos, facile credi potest, in castris fuisse præfixa contis, & illic mansisse. Idque verisimilius.

Lib. I. Cap. 47. *Accurrunt patres.*] MS. *occurrunt*. optime. nempe ad officium adulandi. Lib. III. Hist. Cap. 16. *ut qua cuique proximum, omissa præda, prælio occurrerent.* Ubi frustra Acidalius *accurrerent.*

Lib. I. Cap. 55. *At in superiori exercitu*] MS. non agnoscit Τὸ *exercitu*, & sane nescio, cur id sit infartum. Omnino dele & intellige, Germaniâ. Et paulo ante. *Inferioris tamen Germaniæ legiones*

Lib. I. Cap. 56. *Proinde bellandum.*] Sic MS. non *proinde aut bellandum.*

Lib. I. Cap. 64. *Cohortem* XVIII. *Lugduni*] Ignorat MS. illud *Lugduni*, ut vult Lipsius.

Lib. I. Cap. 69. *Cum Claudius Cossus*] MS. *Cum Cornelius Cossus*. Certe nusquam adhuc Cossi cognomen in Claudia familia reperi. At in Cornelia habes duos Consules apud Tacitum. Est Aulus Cornelius Cossus opimis clarus. Est in Inscriptionibus L. Cornelius Cossus. Est & in nummis in familia Cornelia Lentulus Cossus.

Lib. I. Cap. 74. *Rursus ad utrumque.*] MS. *Rursus alios ad utr.*

Lib. I. Cap. 81. *Modo constantiam simulare modo*] Prius *modo* non existit in MS. & abesse cuperem, ex more Taciti. Lib. III. Hist. Cap. 22. *Prælium atrox; his, rursus illis exitiabile.* Ubi contra libros veteres frustra τὸ *modo* intrudit Acidalius.

Lib. I. Cap. 86. *Sereno & immoto die.*] Rhenanus quia *die* non est in Budensi codice, mavult *cœlo*, mira ratione tractandi libros. Igitur obsistit Gruterus & retinet *die*, ut & Acidalius. Quin omnino auscultemus Mureto ejicienti τὸ *die*, ut est in MS. non solum Rhenani, sed etiam Anglicano. Sic Lib. III. Hist. Cap. 23. *ut tela vacuo atque aperto excuterentur.* Suetonius quoque simpliciter, *sereno.*

Lib. II. Hist. Cap. 3. *Regem Aeriam vetus*] MS. Anglicanus ut alii, *Verianum*. Ne quid pereat, scribe *regem Aërian* (hoc omnes scripti volunt, Græce positum, ut alibi *Ninos*) *ut vetus memoria.* Lib. V. Hist. Cap. 6. *Sic veteres auctores, sed gnari locorum tradunt.*

Lib. II. Cap. 15. *Sidente motu*] MS. *cadente.*

Lib. II. Cap. 19. *Coloniam virium & opum validam*] MS. *virium & opiis validam* in margine cum signo super *opiis* additur *opibus*. Scribendum videtur aut *virium opibus* (ut vice versa apud Justinum *opum vires*) aut *virium copiis* (ut libro seq.) *validam*. Sic cap. 21. hoc lib. *invidia æmulatione*, quod omnimodis mutatum insulse voluut.

Lib. II. Cap. 22. *Dispositos ad ipsum.*] MS. *ad ipsum*. Videndus pater ad Livium Lib. 5. Deinde illa *fama &* plane absunt à MS.

Lib. II. Cap. 23. *Diffisus paucitati.*] MS. *paucitate.*

Lib. II. Cap. 24. *Irritato prælio.*] Ego non inveni illud *prælio* in MS. ut subaudiendum videatur, hoste.

Lib.

Lib. II. Cap. 30. *Rapide agmine Cacina junguntur.*] MS. *Cacina.* Certe ita posuisse veteres hoc verbum probat Scioppius in Verisimil. In hac vero editione erronee repetitum illud *rapido.*

Lib. II. Cap. 32. *Fama, cum Mœsiacis copiis*] Deficit τὸ *cum* in MS.

Lib. II. Cap. 50. *Hunc vita finem* ] MS. tantum, *hunc finem.*

Lib. II. Cap. 59. *Quamvis magna transibat* ] MS. *transibant.*

Lib. II. Cap. 99. *Quantumque hebes miles, tanto ad discordias promtior* ] MS. *tantum.* Scribendum contra, *quantoque hebes miles, tanto ad.* non minus hic, quam Lib. I. Annal. Cap. 68. *Quanto inopina, tanto majora offunduntur.*

Lib. III. Hist. Cap. 9. *Castra permunijt* ] Vox prima aberat à MS. Vide an sit dictum, ut c. 15. hujus lib. *legionibus ad muniendum retentis.*

Lib. III. Cap. 13. *Classem, arcem commeatuum*] MS. *in arcto commeatum.*

Lib. III. Cap. 19. *Rapturi imperium* ] Exponit Freinshem. auctoritatem ducum sibi capturi, nec jussa expectaturi. At MS. clare *rupturi.*

Lib. III. Cap. 32. *Ut incalescerent.* ] MS. *inardescerent.*

Lib. III. Cap. 51. *Tanto acrior apud majores* ] MS. *tanto ardore ap.* Ita Lib. I. Hist. Cap. 36. *Haud dubia jam in castris omnium mentes, tantusque ardor. &c.* Certe videtur Tacitus post narratum Pompejani militis exemplum exclamare tanto olim impetu & animi vehementia virtutes honoratas & flagitiis tam alios quam ipsos qui commiserant, indoluisse, potius quam comparationem instituere, quum in altero ne mica quidem vel minima pœnitentiæ ostensa fuerit.

Lib. III. Cap. 58. *Dantes nomina sacramento adigit.*] Rhenanus in MS. invenit *dat nomina*, & quum verum pœne in manibus, deflectit & vult *dant.* Scribe, *data nomina*, sic plane est in Oxoniensi. Lib. XIV. Annal. Cap. 15. *instituit ludos, in quos passim nomina data.*

Lib. III. Cap. 65. *Vocesque duos testes habebant.*] MS. *duo.*

Lib. III. Cap. 74. *Truncum corpus Sabini.*] Hoc *Sabini* non est in MS. & nil insulsius hac repetitione.

Lib. IV. Hist. Cap. I. *Si quem, &c. prospexerant.*] MS. *conspexerant.*

Lib. IV. Cap. 29. *Nec finem*] MS. *ne finem quidem*, ut voluit pater, nisi quod transponendæ voces.

Lib. IV. Cap. 34. *Minari asseverans.*] Rhenanus addidit literam, cum potius detrahenda esset, legendumque *asserant.*

Lib. IV. Cap. 70. *Per agros palatur.*] MS. *palantur.*

Lib. IV. Cap. 76. *Non juberi, non regi.*] MS. *cogi.*

Lib. IV. Cap. 81. *Cœlestis favor* ] MS. *cœli favor.*

Ibid. *Exposcens gemitu*] MS. *ingemitu.*

Ibid. *Manu ager* ] MS. *manum.*

Lib. V. Hist. Cap. I. *Ut super fortunam crederetur.* ] MS. *ut imperio dignus jam crederetur.* Quod miror nusquam legi in tanta varietate.

Lib. V. Cap. 2. *Petitos ac mox*] Deest in MS. particula *ac*, ut vult Muretus.

Lib. V. Cap. II. *In centenos vicenosque* ] MS. *in centenos quoque.*

Ibid. *In honorem M. Antonii.*] MS. *honore.*

Lib. V. Cap. 12. *Simon* ] MS. *Simo.* item postea.

Lib. V. Cap. 18. *Solidum illa* ] MS. *solidam illam*, n. partem paludis.

Lib. V. Cap. 19. *Quem à Primo Antonio missum in Gallias superius memoravimus.*] Omnes de hac pericope tacent. At ego nunquam putabo Tacitum adeo confudisse regionum nomina & tam indifferenter locutum, ut nunc in Gallias missum dicat, quem in antecedentibus in Germaniam. Nam Lib. III. Hist. Cap. 35. *in Britanniam inde & Hispanias nuncios famamque, in Galliam Julium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinum Montanum præfectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus Æduus.* Rursus Lib. IV. Hist. Cap. 31. *Hac in Germania ante Cremonense prœlium gesta, cujus eventum litera Primi Antonii docuere, addito Cacinæ edicto. Et præfectus cohortis è victis Alpinus Montanus fortunam partium præsens fatebatur.* Quid igitur pronunciabo? nempe non possum melius, quam sequi MS. Anglicanum, in quo ne ἴχνος quidem hujus integri commatis apparet. Quare sine dubitatione induco. Videtur aliquis, quia Cap. 21. de Brigantico talem clausulam inveniebat, existimasse hic quoque apponendam similem mantissam. Certe alias erit insigne σφάλμα politissimi auctoris.

Lib. V. Cap. 20. *Batavoduri irrumpere inchoatum pontem* ] Irrumpere convivium, regionem, &c. intelligi possunt; non item pontem, & multo minus inchoatum pontem. Qui si inchoatus à Germanis fuit, profecto non fuit opus vi, ad illum transeundum, quem præsidiis suis ipsi procul dubio servabant: si a Romanis, ut videtur, non irrumpere voluerunt, quum nulla via absoluta illic esset, sed *rumpere* ut diserte est in MS.

Lib. V. Cap. 21. *Idem Germanis effugium.*] De Germanis jam dixit, eos in amnem actos, sive tum relictis equis, sive cum equis aufugerint; neque tamen omnes videntur fuisse equites. Hoc loco de ducibus narrat, ut evaserint. Lego *Veracis*: quem quartum ducem superius nominavit.

Lib. V. Cap. 22. *Alia navi* ] MS. *alibi.*

# VARIÆ LECTIONES
## IN
# C. CORNELIUM TACITUM
## EXCERPTÆ
## EX
# CODICE MS: BIBLIOTHECÆ BODLEIANÆ.

Lib. XI. Annal. Cap. I. *Suilio*] Codex Bodleianus, *Suillio*. quomodo nomen illud ab Antiquis scriptum fuisse docent nummorum & lapidum inscriptiones, in quibus exstat SVILLIVS & ΣΥΙΛΛΙΟΣ.

—— Cap. 19. *Ideo Claudius adeo novam &c.*] MS. Bodleian. cum Florentino, *Igitur Claudius adeo novam*.

—— Cap 24. *Nunquam adversam nobis aciem struxere*] MS. Bodl. & Flor. *instruxere*. Sup. Lib. IV. Cap. 47. *Receptique subsidio Sugambræ cohortis, quam Romanus ad pericula haud procul instruxerat*. & Lib. IV. Hist. Cap. 69. *Haud perinde bello instruendo intentus*.

—— Cap. 28. *Dum histrio cubiculum principis exsultaverit*] Codex Bodleianus corrupte, *dum industruo cubiculum principis occulit adulteros*. Sed manus secunda emendarat: *dum intus clauso cubiculo principis occulit adulteros*.

—— Cap. 33. *Sedem poscit sumitque*] MS. Bodl. *insumitque*. Unde firmatur scriptura, quam præ se fert MS. Florentinus, *sedem poscit is sumitque*.

—— Cap. 35. *Ad minas prorumpentem*] MS. Bodleianus cum Florentino: *erumpentem*.

—— Ibidem. *Cohortium clamor dehinc continuus*] Ordinem verborum mutat MS. Bodleianus: *Continuus dehinc cohortium clamor*. ut Lib. XIII. Cap. 23. *Deferuntur dehinc consensisse Pallas & Burrus*.

Lib. XII. Annal. Cap. I. *Suam quæque nobilitatem, formam, opes contendere, ac digna tanto matrimonio ostentare*] MS. Bodl. & Florent. *ac dignam tanto matrimonio*.

—— Cap. 5. *Luxui aut voluptatibus ad nefactus*] Scribendum *luxu* ex MS. Bodleiano.

—— Cap. 7. *Vi acturos*] MS. Bodl. & Editio Beroaldi: *vim acturos*. Forte leg. *vim facturos*. Deinde idem MS. *populumque Romanum eadem orare clamitat. Nec Claudius ultra exspectato obvius apud forum*.

—— Ibidem. *Cuncta feminæ obediebant, non per lasciviam, ut Messalina, rebus Romanis illudenti*] MS. Bodl. & Edit. Beroald. *ut Messalinæ*.

—— Cap. 13. *Darium*] MS. Bodl. *Dareum*.

—— Cap. 14. *Barbaros malle Roma petere reges quam habere.*] Cl. Schegkius ad Vell. Paterc. Lib. II. Cap. 102. monet in Herbipolensi Codice legi, *Barbaros malle Romam petere reges, quam habere*.

—— Cap. 16. *Seracos*] MS. Bodl. *Seracos*.

— Cap. 17. *Postero misere legatos*] In MS. Bodleiano legitur: *postremo misere legatos.*

— Cap. 19. *Bellorum egregios fines, quoties ignoscendo transigatur*] MS. Bodl. *transigantur.*

— Cap. 23. *Pomerium urbis*] Postrema vox abest a MS. Bodleiano, eademque omittitur Cap. seq. *Mox pro fortuna pomerium auctum.*

— Cap. 33. *Ut ceteros Britannorum imperatores præmineret*] MS. Bodl. *præemineret.*

Lib. xv. Cap. 34. ex eodem MS. *Ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos præemineret.*

— Cap. 37. *Vinclis exsoluti*] MS. Bodleianus: *vinclis absoluti.* Apulejus Lib. ix. Metamorph. *Nodo cervicis absolutus detractusque.*

— Cap. 41. *Nunc ad temporum ordinem redeo*] Particulam *nunc* non agnoscit MS. Bodleianus. & mox idem MS. *commotus bis tanquam criminibus Claudius.*

— Cap. 45. *Ne Armeniæ donum populi Romani scelere & pecunia venderentur*] MS. Bodleianus & Budensis: *verterentur.*

— Cap. 46. *Oppugnationem quoquo modo accelerare*] Codex Bodl. cum Florentino: *celerare.*

— Cap. 47. *Simul in lucum propinquum trahit, provisum illic sacrificium imperatum dictitans*] Vir doctus ad Phædrum Lib. vi. Fab. 16. malebat, *simul in lucum propinquum trahit improvidum, illic sacrificium imperatum dictitans.*

— Cap. 54. *Manebat metus*] MS. Bodl. addit conjunctionem adversativam: *Sed manebat metus.*

— Cap. 56. *Impetus navium & prœlio solita in ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adsliterant*] MS. Bodleianus: *impetus navium, & prœlio soliti in ratibus prætoriarum cohortium manipuli.*

— Ibidem. *Pugnatum quamquam inter sontes*] Sensus hujus loci postulat, ut legatur *inter insontes*, quam lectionem repræsentat MS. Bodleianus, vel *tanquam inter sontes.*

— Cap. 58. *Aliaque haud procul fabulis vetera facunde exsecutus*] MS. Bodleianus, ut Muretus conjecerat: *aliaque haud procul fabulis, verum facunde exsecutus.*

— Cap. 67. *Socordiane Claudii, an vinolentia*] MS. Bodl. *socordiane, an Claudii vinolentia.* & statim: *simul solutam alvum subvenisse videbatur.*

— Cap. 69. *Comitante Burro, Nero egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adest &c.*] MS. Bodl. & Edit. Beroald. *Comitante Burro, Nero egreditur a cohorte, quæ more militiæ excubiis adest, ibi monente præfecto, festis vocibus exceptus.*

Lib. xiii. Annal. Cap. 1. *Hæc causa necis. ministri fuere*] MS. Bodl. hæc aliter distinguit: *hæc causa. necis ministri fuere.*

— Ibidem. *P. Celer eques Romanus*] MSS. *P. Celerius eques Romanus.* Unde scribendum videtur, *P. Celer, is eques Rom.*

— Cap. 5. *Quod visum arceret, auditus non adimeret*] MS. Bodl. *auditum non adimeret.*

— Cap. 15. *Ruborem illatura.*] MS. Bodleian. *allatura.* & statim, *quod dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitate morarentur.*

— Cap. 16. *Trepidatum à circumsedentibus, diffugiunt imprudentes*] MS. Bodl. *trepidatur à circumsedentibus, diffugiuntque imprudentes.*

— Cap. 18. *Quæ ut conjugi imperatoris olim, tum & ut matri servabantur*] MS. Bodl. *Quæ ut conjugi imperatoris solitum, ut matri servabantur.*

— Cap. 20. *Inscitiæ*] Codex Bodleianus: *insciențiæ.*

— Cap. 22. *At Silana in exsilium acta*] Postremam vocem omittit Bodleianus.

— Cap. 30. *Veneno damnationem antevertit*] MS. Bodleianus cum Florentino. *anteiit.*

— Cap. 32. *Lusius Varius*] MS. Bodleianus & Mediceus, *Lurius Varius.*

— Cap. 34. *Ad hæc Armenii*] MS. Bodl. *ad hoc Armenii.*

Lib.

Lib. XIII. Annal. Cap. 40. *Si laxare ordines, & diversos consectari posset*) MS. Bodleianus: *diversa consectari posset.*
—— Cap. 50. *Avitus scripto ad Curtilium Manciam*) MS. Bodleianus: *Ab Avito scriptum ad Curtilium Manciam.*
—— Ibidem. *Nisi causam suam dissociarent*) MS. Bodl. & Florent. *Ni causam suam dissociarent.* & mox: *aliena pericula defendentibus.*
—— Cap. 57. *Quanto magis profana & usu polluta*) MS. Bodleianus: interserit vocem, quam Lipsius in vetere editione etiam reperit, *usu viliore polluta.*
Lib. XIV. Annal. Cap. 1. *Per facetias incusare principem & pupillum vocare*) MS Bodleian. & Florent. *Per facetias incusaret principem & pupillum vocaret.*
—— Cap 4. *Satis constat exstitisse proditorem*) MS. Bodl. *proditionem.*
—— Cap. 6. *Misit libertum*) MS. Bodleianus: *misitque libertum.*
—— Cap. 7. *An eo descensum credebant, ut nisi præveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset*) Ex vestigiis scripturæ, quam repræsentat Cod. Bodleianus, putarem legendum: *nec tamen eo descensum credebant, ut nisi præveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset.*
—— Cap. 10. *Morti parentis illacrymans*) MS. Bodleianus cum Florentino & Veneto: *morte.* neque aliter scripsisse videtur Justinus Lib. XI. Cap. 12. *In itinere nuntiatur uxorem ejus (Darii) ex collisione abjecti partus decessisse, ejusque morte illacrymatum Alexandrum & exsequias benigne prosequutum.* Ita MS. Florentinus & duo Anglicani, quum vulgo circumfertur *mortem illacrymasse.*
—— Cap. 4. *Ratusque dedecus amoliri*) Bodl. & Florent. *molliri.* Supra Lib. XI. Cap. 25. *Mollire ignominiam.*
—— Cap. 16. *Voce vultuque tristi*) MS. Bodl. a manu secunda & Florent. *ore vultuque tristi.* Vulgatum tamen firmat auctor Lib. III. Hist. Cap. 58. *Nec deerat ipse vultu, voce, lacrymis misericordiam elicere.*
—— Cap. 26. *Quosque nobis ob regem aversos animi cognoverat*) MS. Bodl. & Editio Beroaldi: *adversos.* similiter Lib. II. Cap. 79. *Quosque Germanici memores aut inimicis ejus adversos cognoverat, contrahit.*
—— Cap. 31. *Ratus regnum & domum suam procul injuria fore*) MS. Bodl. & Florent. *ratus regnumque & domum suam.*
—— Cap. 32. *Jam Oceanum cruento aspectu, dilabente æstu, humanorum corporum effigies relictas, ut Britanni ad spem, ita veterani ad metum trahebant*) MS. Bodleianus: *Jam Oceanus cruento aspectu, dilabente æstu, humanorum corporum effigies relictæ, ut Britanni ad spem, ita veterani ad metum trahebantur*: Unde scriptum a Tacito videtur: *Jam Oceanus cruento aspectu, dilabente æstu, humanorum corporum effigies relictæ, ut Britannos ad spem, ita veteranos ad metum trahebant.*
—— Cap. 36. *Is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles, & multa præliorum experientia, ut certus eventus Suetonius daret signum pugnæ.*) MS. Bodleianus, *eventu*, pro *eventi.* quod visum etiam fuit Ferretto & N. Heinsio ad Vellejum Paterc. Lib. II. Cap. 35. qui mox etiam pro *vetus miles & multa præliorum experientia*, malebat *fretus miles multa præliorum experientia.*
—— Cap. 39. *Libertorum potentia*) MS. Bodl. *libertinorum potentia.*
—— Cap. 40. *Sententiæ Cassii ut nemo unus contraire ausus est, ita dissonæ voces respondebant*) MS. Bodl. *ut nemo bonus contraire ausus est.*
—— Cap. 57. *Non se ut Burrum diversas spes, sed incolumitatem Neronis spectare, cui caveri utcunque ab urbanis insidiis præsentia, longinquos motus quomodo comprimi posse*) Dubito num Tacitus scripserit, *cui caveri utcunque ab urbanis insidiis promtum: at longinquos motus quomodo comprimi posse?*
Lib. XV. Annal. Cap. 7. *Familulanus Vectonianus*) MS. Bodl. & Budensis, *Fimisulanus Vectonianus.*
—— Ibidem. *Præter alios assueta bello*) MS. Bodl. & Florent. *sueta bello.* & paullo ante *factaque sæpius eruptione.*
—— Cap. 16. *Vix præ fletu usurpata consalutatio*) MS. Bodl. & Bud. *consolatio.*

Lib. xv. Cap. 19. *Qui magna cum invidia senatum adeunt.*) Pronomen relativum abest à MS. Bodleiano & Florentino.

—— Cap. 21. *Olim quidem non modo prætor aut consul, sed etiam privati*) Particula *modo* omittitur in MS. Bodleiano.

——Cap. 30. *Initia vigiliarum per centurionem nuntiari*) MS. Bodl. & Edit. Beroald. *enuntiari.*

—— Ibidem. *Cuncta in majus extollens*) MS. Bodl. Florent. & Venetus: *attollens.* Lib. III. Hist. Cap. 9. *Simul virtus Germanici exercitus laudibus attollebatur.* & Agricol. Cap. 25. *Ac sæpe iisdem castris pedes equesque & nauticus miles mixti copiis & lætitia sua quisque facta, suos casus attollerent.*

—— Cap. 32. *Sed feminarum illustrium senatorumque plures per arenam fœdati sunt*) MS. Bodleianus: *sed feminarum illustrium senatorumque plures per arenam fædati sunt.* quam vocem addidit Rhenanus haud dubie ex MS. Budensi.

—— Cap. 37. *Ipse quo fidem acquireret, nihil usquam perinde lætum sibi, publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti.*) MS. Bodl. hanc periodum auget voeula *quam: Ipse quo fidem acquireret, nihil usquam perinde lætum sibi, quam publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti.*

—— Cap. 40. *Necdum posito metu, redibat levis rursum grassatus ignis*) MS. Bodl. fere ut Muretus conjecerat: *Necdum posito metu satis credebatur, cum levis rursum grassatus ignis.* At Vir Doctus ad Phædr. Fab. xxv. 6. malebat: *Necdum positus metus satis credebatur, quum levis rursum grassatus ignis.*

—— Cap. 43. *Ceterum urbis quæ domus superessent*) MS. Bodl. *quæ domuum supererant.*

—— Cap. 44. *Et pereuntibus addita ludibria*) MS Bodl. ut Rhenanus correxit: *ea pereuntibus addita ludibria.*

—— Cap. 55. *Urgens periculum, graves conjurationes*) MS. Bodl. *urgens periculum, gravesque conjurationes.* & mox idem MS. cum Mediceo: *multa cum Scevino ac secreta collocutum.*

—— Cap. 56. *Ergo accitus Natalis*) MS. Bodl. & Florent. *Ergo accitur Natalis.*

—— Ibid. *Totius conjurationis magis gnarus*) MS. Bodl. & Florent. *totius conspirationis magis gnarus.* ut Cap. 66. *militaris conspiratio.*

—— Cap. 58. *Idem Subrio Flavio assistenti, annuentique, an inter ipsam cognitionem destringeret gladium, cædemque patraret, renuit*) MS. Bodl. *Idem Subrio Flavio assistenti, innuentique, an inter ipsam cognitionem destringeret gladium, cædemque patraret, renidiut.* infra Cap. 66. *Ergo instanti minitantique renidens Scevinus.*

—— Cap. 63. *Oratque temperaret dolorem æternum susciperet*) MS. Bodl. *oratque temperaret dolorem, ne æternum susciperet.*

—— Cap. 65. *Provisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium judicio exstinguerentur, promeret.*) Bodleianus a secunda manu, *venenum, quo dante damnati publico* &c. Unde suspicor Tacitum scripsisse. *venenum quo quondam damnati publico Atheniensium judicio exstinguerentur, promeret.* Prior enim syllaba voculæ *quondam* absorpta fuit a præcedente particula, posterior vero à prima sequentis vocabuli syllaba.

—— Cap. 66. *Accensis indicibus*) MS. Bodl. *accensis quoque indicibus.*

—— Cap. 69. *Nec nisi provecta nocte emissi sunt*) Bodleianus, & alii MSS. *omissi sunt.*

Lib. xvi. Annal. Cap. 2: *Nova ubertate provenire terras*) MS. Bodl. & Florent. *terram.*

—— Cap. 3. *Consumebanturque veteres opes, quasi oblatis, quas multos per annos prodigeret*) Cl. Priezus in Notis ad Euangelium Lucæ xii. 19. legit: *quasi divinitus oblatis.*

—— Cap. 11. *Mortem sine arbitrio permittens*) MS. Bodl. *sine arbitro.*

—— Cap. 14. *Pammenem*) MS. Bodl. *Parmonem* & statim: *Ventitare ad eum nuntios & consultationes non frustra ratus, simul atque nimiam pecuniam à P. Antejo ministrari cognoscit.*

—— Cap. 17. *Rufium autem Crispinum*) MS. Bodl. & Flor. *Rufrium.*

Cap.

— Cap. 20. *Ludis Cesticis à Trojano Antenore institutis*) MS. Bodl. *ludis Cestatis.*
—Cap. 32. *Cæde insignium virorum*) MS. Bodl. & Edit. Beroald. *cæde illustrium virorum.* Sic *illustres viri* sup. cap. 16. & infra cap. 34. Et *illustres senes* Lib. IV. Hist. cap. 42.
Lib. I. Histor. cap. I. *Præmiis eundem in pace, qui in bello locum*) MS. Bodl. cum Mediceo, *quem in bello.*
— cap. 8. *Germanici exercitus*) MS. Bodleianus adstipulante Florentino, *Germani exercitus.*
— cap. 9. *Ultro etiam accendebantur*) Mediam vocem non agnoscit MS. Bodleianus.
— cap. 11. *Inermes provinciæ, atque ipsa inprimis Italia, cuicumque servitio expositæ, in pretium belli cessura erant*) MS. Bodl. *atque ipsa inprimit Italia, cuicunque servitio exposita.*
— cap. 12. *Donec Octaviam uxorem amoliretur*) MS. Bodl. applaudente Colero: *donec uxor Octavia amoliretur.*
— cap. 14. *Et mihi egregium erat tunc, Pompeji & M. Crassi subolem in penates meos adsciscere*) MS. Bodl. pro *tunc* habet *nunc.*
— cap. 15. *Et judicii mei documentum sint, non meæ tantum necessitudines*) Bodleianus particulam addit, *& ut judicii mei documentum sint.*
— cap. 16. *Neque enim hic, ut in ceteris gentibus quæ regnantur* &c.) MS. Bodl. & Florent. *ut in gentibus*; omissa voce *ceteris.* Mox etiam Codex Bodl. *Hæc atque talia.*
— cap. 31. *Dilapsis speculatoribus, cetera cohors non aspernata concionantem, ut turbidis rebus evenit, forte magis, & nonnullo adhuc consilio, parat signa, quod postea creditum est, insidiis & simulatione.*) Verissime Codex Bodleianus: *pars ingens, quod postea creditum fuit.*
— Ibidem. *Quia non ordine militiæ, sed e Galbæ amicis*) Præpositionem *in* addit Codex Bodl. *quia non in ordine militiæ.*
— cap. 44. *Qui vere qui falso*) MS. Bodleianus & Florentinus; *quive vere, qui falso.*
— Ibid. *Alienus Cæcina*) MS. Bodl. *A. Cæcina.* quod Ursinus maluit.
— cap. 53. *Imponere jam pridem imperatoris dignationem, & auferre privati securitatem*) a MS. Bodleiano abest conjunctio *&*, quam Faërnus etiam omisit.
— cap. 62. *Instructi intentique signum profectionis exposcunt, nomine Germanici Vitellio statim addito*) MS. Bodleianus: *instructi interritique*: quod præstat receptæ lectioni: & dein idem MS. *nomen Germanici Vitellio statim additum.*
— cap. 65. *Reditus Lugdunensium*) Codex Bodleianus, ut Danesius legebat, *redditus Lugdunensium.*
— cap. 68. *Ipsi in medio vagi*) MS. Bodleianus omissa præpositione; *ipsi medio vagi.* ut Lib. XIII. Annal. cap. 38. *medio sextam legionem constituit.* & Lib. III. Hist. cap. 16. ex fide Codd. MSS. *Vacuum medio relinquit iter.*
— cap. 74. *Otho revocatis quos Galba miserat legatis, rursus ad utrumque Germanicum exercitum &c. misit*) Codex Bodleianus: *Otho revocatis quos Galba miserat legatis, rursus alios ad utrumque* &c.
— cap. 79. *Id principibus & nobilissimo cuique tegmen*) MS. Bodl. *tegimen:* quam vocem repetit auctor Lib. II. Annal. cap. 43. & Lib. VII. cap. 71.
— cap. 86. *Secura hujusmodi casuum*) Mediceus & Bodleianus: *ejusmodi casuum.*
— Ibid. *Paranti expeditionem Othoni*) Nomen proprium abest a Codice Bodleiano, & Budensi.
Lib. II. Hist. cap. I. *Loco omnium etiam fortuita*) MS. Bodleianus, sicut Ursino, & Freinsmio placebat: *loco ominum.*
— cap. 2. *Berenices*) Codex Bodleianus: *Beronices.*
— cap. 3. *Regem Aerian*) MS. Bodl. *Veriaum.*
— cap. 10. *Ad hæc terrore & propria vi Crispus*) Bodleianus: *ad hoc terroris.* & sic Rhenanus emendaverat.
— cap. II. *Ex ipsa urbe haud spernenda manus*) MS. Bodl. *Et ex ipsa urbe.*

Lib. II. Hist. cap. 26. *Ceterum ea ubique formido fuit*] MS. Bodl. *ea undique formido.*

— cap. 40. *Non admissuro*] Bodleianus a manu secunda, *non commissuro.*

— cap. 42. *Noscentes inter se, ceteris conspicui in eventum totius belli certabant*] MS. Bodleianus: *ceterum conspicui.*

— cap. 49. *Curas animo voluntantem*] Codex Bodleianus: *volventem.* Supr. Lib. I. cap. 64. *Nec militum animus in gaudium, aut formidinem non permotus, bellum volvebat.*

— cap. 53. *Medio temporis*] Bodleianus: *medio tempore.*

— cap. 54. *Rapidus in urbem vectus*] MS. Bodleianus, *rapide in urbem vectus.*

— cap. 68. *Ludicro initio, nisi numerus cæsorum invidiam bello auxisset*] Conjunctio *nisi* non exstat in MS. Bodleiano.

— cap. 70. *Pars viæ, quam Cremonenses lauro rosisque constraverant*] MS. Bodl. & Florent. *laura.*

— cap. 76. *Simul ipse qui suadet considerandus est, adjiciatne consilio periculum suum*] Cod. Bodleianus: *simul ipsi qui suadet, considerandum est, adjiciatque periculum consilio suo.*

— cap. 95. *Faces Augustales subdidere*] Codex Bodleianus: *faces Augustales subditæ.*

— cap. 98. *Mare quoque Etesiarum flatu in orientem navigantibus secundum, inde adversum erat*] Bodleianus corrupte: *mare quoque Etesiæ flabant. harum flatu in orientem navigantibus secundum, inde adversum erat.* Vir Doctus ad Phædr. Lib. II. Fab. 7. ex MS. Florentini vestigiis legendum censebat: *Mare quoque (Etesiæ flabant) Aquilonis flato flatu in orientem navigantibus secundum, inde adversum erat.*

Lib. III. Hist. cap. 4. *Natura & senecta cunctator*] Codex Bodleianus: *cunctatior.* quam vocem etiam repræsentant libri scripti in Suetonii Julio cap. 60. *Nec nisi tempore extremo ad dimicandum cunctatior factus est.* & Mamertinus in Genethliaco Maximiani cap 7. *Neque tu illi videris promptior, neque tibi ille cunctatior.* Recepta lectio tamen vera videtur, quam firmat auctor Lib. XV. Annal. cap. I. *Cunctator ingenio.* & Lib. II. Histor. cap. 25. *Cunctator natura.*

— cap. 10. *Ut quemque notum & aliquo militari decore insignem*] MS. Bodleianus particulam copulativam & mutat in disjunctivam *vel.*

— cap. 13. *Octo nimirum legiones unius classis accessionem fore. id Basso, id Cæcinæ visum, postquam domos, hortos, opes principi abstulerint, etiam militibus principem auferre, licet* &c.] Vir Doctus ad Phædr. Lib. II. Fab. 7. hæc ita transponebat: *octo nimirum legiones unius classis accessionem fore, licet integras incruentasque, Flavianis quoque partibus viles. Id Basso, id Cæcinæ visum, postquam domos, hortos, opes principi abstulerint, etiam militibus principem auferre. Quid dicturos reposcentibus aut prospera aut adversa?*

— cap. 21. *Statim confossi sunt*] MS. Bodleianus: *Hi statim confossi sunt.* pronomine demonstrativo supra lineam adscripto.

— cap. 31. *Jam legiones in testudinem glomerantur*] Bodleianus, & Florentinus: *glomerabantur.*

— cap. 37. *Cum irrisu accipientis tribuentisque*] Bodleianus. *tribuentis accipientisque.*

— cap. 41. *Ceterorum fides metu intacta*] MS. Bodleianus: *infracta,* ut emendavit Picheua.

— cap. 47. *Artis lateribus, lata alvo, sine vinculo æris aut ferri connexa*] Cod. Bodleianus, & Edit. Beroald. *lata alvum.*

— cap. 51. *Sed hæc aliaque ex veteri memoria repetita*] MS. Bodleian. cum Mediceo, *petita.*

— cap. 56. *Longe nec ubi feriri hostias mos est, confossus*] MS. Bodl. *Longe quam ubi feriri hostias mos est.*

— cap. 58. *Dantes nomina sacramento adegit*] MS. Bodl. *data nomina sacramento adegit.* & statim idem MS. *Ea simulatio officii a metu profecta verterat in favorem.*

— cap. 72. *Fœdissimumque pop. Rom. accidit*] MS. Bodleianus: *Fœdissimum reipublicæ populoque Romano accidit.*

— cap. 74. *Præmia navatæ operæ*] MS. Bodl. & Bud. *enavatæ.*

— cap. 82. *Prolatatione*] MS. Bodl. & Florent. *prolatione.*

Lib. IV. Hist. cap. 4. *Restitui placuit Capitolium*] MS. Bodleianus. *restitui Capitolium placuit.*

quem

quem vocum ordinem exhibet Beroaldus, adjecta conjunctione. *restituique Capitolium placuit.*

— cap. 7. *Ut uniuscujusque vitam famamque penetrarent*] Florentinus & Bodleianus a manu secunda: *ut in cujuque vitam famamque penetrarent.*

— *Occultato interim altiore consilio.*] MS. Bodleianus: *occultato adhuc altiore consilio.*

— 15. *Magontiaci*] MS. Bodl. *Mogontiaci.* & mox: *stolidæ audaciæ Brinno.*

— 21. *Proinde perfuga Batavus arbitrum rerum Romanorum ne ageret*] Codex Bodleianus & Florentinus: *arbitrium rerum Romanarum ne ageret.*

— 31. *Non vultu, neque animo satis affirmans*] MS. Bodl. *non vultu, non animo satis affirmans.*

— 32 *Quod pretium effusi totiens sanguinis*] Codex Bodl. & Mediceus: *quod præmium effusi totiens sanguinis.* Lib. 11. Annal. cap. 70. *Præmia cædis.*

— cap. 55. *Hi secretis sermonibus animos ceterorum scrutari. ubi quos idoneos rebantur, obstriuxere*] Rectius in MS. Bodlejano legitur *obstringere.*

— cap. 56. *Captum & extra conventum amandatum in Frisios diximus*] MS. Bodleianus: *extra commentum amnem amandatum,* sed a secunda manu: *extra continentem amandatum,* sicut emendavit Cl. Boxhornius.

— cap. 74. *Exercitus quibus Germani Britanique arceantur*] MS. Bodleianus: *Germani Batavique.*

— cap. 81. *Alienus manu æger*] MS. Bodl. & Florent. *manum æger.*

— cap. 84. *Memphim*] MS. Bodl. *Memphin.*

Lib. v. Hist. cap. 1. *Atque ipse ut super fortunam crederetur, decorum se promtumque in armis ostendebat*] MS. Bodl.: *Atque ipse ut imperio dignus videretur, decorum se promtumque in armis exhibebat.*

— cap. 12. *Symon*] MS. Bodl. *Symo.* & statim: *aucto in barbarum morem cognomento.*

— cap. 16. *Gallica juventus Alpes transcenderet*] MS. Bodleianus, *transcenderent.*

VARIÆ

# VARIÆ
# LECTIONES
## IN
# C. CORNELII TACITI
## LIBELLUM
# DE MORIBUS GERMANORUM,
## EXCERPTÆ
## EX MS. CODICE
# ARUNDELLIANO.

ap. 1. *Germania omnis à Galliis Rætlisque & Pannoniis*) MS. Arundell. *a Galliis, Rætiis & Pannoniis.*

— *Montis Abnobæ jugo effusus*) MS. Arundell. *Arnibæ.*

Cap. 2. *Tristem cultu aspectuque nisi si patria sit.*) MS. Arundell. a secunda manu, *tristem cultu aspectuque cui non patria sit.*

— *Celebrant carminibus antiquis . . . . . . Tuistonem deum, terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque*) Codex Arundell. *Celebrant carminibus antiquis . . . . . . . . . Tuistonem deum, ejus* (f. *ejusque*) *filium Mannum, originem gentis conditoremque.*

— *Medii Herminones, ceteri Istævones vocentur*) MS. Arundell. *Medii Herminiones, ceteri Histeriones vocantur.* Vetus Editio. *Medii Hermiones.*

— *Quidam autem licentia vetustatis plures deo ortos*) MS. Arundell. *quidam ut licentia vetustatis.*

— *Vandalios*) MS. Arund. & Editio Beroald. *Vandalos.* Vetus Editio, *Vandilios.*

— *Mox a se ipsis invento nomine*) MS. Arundell. addita copula, *mox & a se ipsis.*

Cap. 3. *Virtutis concentus*) MS. Arundell. & Bambergensis, *mentis concentus.*

— *Ab illo constitutum nominatumque*) Codex Arundellianus: *ab illo constitutum nominatumque* ἀενιάγιοι. pro quo Cl. Vossius malebat ἀενφεύγιοι.

Cap. 4. *Aliarum nationum connubiis infectos propriam & sinceram & tantum sui similem gentem*

*tem exstitisse.* MS. Arundell. *aliarum nationum connubiis infectos, propterea & sinceram & tantum sui similem gentem exstitisse.*

—— *Rutilæ comæ, magna corpora, & tantum ad impetum valida*) MS. Arundell. *Rutilæ comæ, corpora tantum ad impetum valida.*

Cap. 5. *Ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit*) MS. Arund. *qua Noricum, qua Pannoniam aspicit.*

—— *Nec tamen affirmaverim*) Codex Arundellianus. *nec inde affirmaverim.* & mox, *aurum argentumve.*

Cap. 6. *Nec regibus infinita aut libera potestas*) MS. Arundell. & vetus Editio. *infinita ac libera.*

Cap. 7. *Ceterum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem*) MS. Arundell. *ne verberare quidem.* & mox, *velut deo inspirante.*

—— *Nec illæ numerare aut exsugere plagas pavent*) MS. Arundell. *nec illæ mirari aut exsugere plagas pavent.*

Cap. 10. *Ejus gentis cum qua bellum est*) MS. Arundell. *cum qua bellum gerunt.*

Cap. 11. *Cum electo popularium*) MS. Arundell. *cum aliquo electo popularium.*

—— *Ut turbæ placuit, consistunt armati*) MS. Arundell. *conveniunt armati.*

Cap. 12. *Qui jura per pagos vicosque reddunt*) MS. Arundell. *qui vita per pagos & vicos excellunt.*

Cap. 13. *Tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinquus scuto frameaque juvenem ornant*) MS. Arundell. *Tum eum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinquus scuto frameaque juvenem exornant.*

—— *Principis dignationem etiam adolescentulis assignant*) MS. Arundell. *principis dignitatem.*

—— *Magno semper electorum juvenum globo circumdari*) Vetus Editio: *magno semper & electorum juvenum globo.*

Cap. 14. *Vocare hostes*) Codex Arundellianus: *hostem.*

—— *Quæ non modo a singulis, sed publice mittuntur*) MS. Arundell. & Vetus Editio: *quæ non modo a singulis, sed & publice mittuntur.*

—— *Quædam loca diligentius illinunt terra*) MS. Arundell. *illiniunt.* & paulo ante, *nostro more*, pro *in nostrum morem.*

Cap. 16. *Eosque multo insuper fimo onerant*) Codex Arundell. *fimo operiunt.*

Cap. 18. *Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert*) τὸ *marito* abest a MS. Arundelliano, & Bambergensi.

Cap. 19. *Ergo septa pudicitia agunt*) MS. Arundell. *septæ pudicitia.*

—— *Quorum pœna præsens, & maritis permissa*) MS. Arundell. & Bamberg. *quorum pœna parentibus & maritis permissa.*

—— *Ac per omnem vicum verbere agit*) MS. Arundell. *verberans agit.*

Cap. 20. *Sordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrescunt*) Codex Arundell. *in hæc corpora nutriuntur, & crescunt.*

Ibid. *In accipiendis obsidibus magis exigunt*) MS. Arundell. *maxime exigunt.*

Cap. 21. *Abeunti, si quid poposceris, concedere moris*) MS. Arundell. *si quid poposcerit.*

Cap. 22. *Aperit adhuc secreta pectoris*) Vetus Editio. *ad hæc.* MS. Arundell. *ad hoc.* ut maluit Colerus.

Cap. 23. *Potui humor ex hordeo, in quandam similitudinem vini corruptus*) MS. Arundell. *in quandam similitudinem vini corrupti.*

Cap. 25. *Raro aliquod momentum*) MS. Arundell. *aliquid momenti.*

Cap. 27. *Tristitiam tarde ponunt*) MS. Arundell. *deponunt.*

Cap. 28. *Rhenumque & Mœnum*) MS. Arundell. *Mœnim.* quam terminationem firmat Pomponius Mela Lib. III. Cap. 5.

Cap. 30. *Quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum*) MS. Arundell. & Bamberg. *nisi Romanæ disciplinæ concessum.*

Cap. 31. *Nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt*) MS. Arundell. *cultu mitiore.*

Cap. 32. *Juxta Tencteros Bructeri olim occurrebant*) MS. Arundell. *Bruteri.*

Cap. 35. *Quando urgentibus imperii fatis*) MS. Arundell. corrupte *quando in vergentibus imperii fatis*. Vetus Editio. *quando jam urgentibus imperii fatis*. Scribendum videtur: *jam vergentibus imperii fatis*. ut Lib. XII. Annal. Cap. 44. *vergentibus jam annis*.

Cap. 36. *Adversarum rerum ex æquo socii*) MS. Arundell. & Veteres Editt. *adversarum rerum ex æquo socii sunt*.

Cap. 37. *Eundem Germaniæ sinum*) MS. Arundell. & Vetus Editio: *situm*.

Cap. 38. *Quod accidit*) MS. Arundell. & Vetus Editio. *quod sæpe accidit*.

—— *Omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coeunt*) MS. Arundell. *nominis ejusdemque sanguinis populi legat. coeunt*.

Cap. 43. *Saltus & vertices montium jugumque insederunt*) MS. Arundell. *jugaque*.

Ibid. *Trans Lygios Gothones regnantur*) Codex Arundellianus, & Vetus Editio: *regnant*.

Cap. 44. *Suionum hinc civitates ipso in Oceano, præter viros armaque classibus valent*) MS. Arundell. & Vetustæ Editiones. *ipsæ in Oceanum*.

INDEX

# INDEX
## IN
# TACITUM
## CONFECTUS
## INDUSTRIA ET LABORE
## MELCHIORIS FREINSHEMII.

*Absolute positi numeri, ad* Annales *referuntur*: H. *præfixum habentes*, *ad* Historias: G. *ad* libellum de moribus Germanorum: A. *ad* vitam Agricolæ: O. *ad* Dialogum de Oratoribus.



Dddd 2 Ad-

# I N D E X.

# I N D E X.

per-

Appia

# I N D E X.



 nem

Avis

B.



Bedria-

# I N D E X.

C.

# I N D E X.

# I N D E X.

# I N D E X.

# I N D E X.

Curtius

D.

Demia-

liti

# I N D E X.



E Pro-

## E.



Elego-

Exar-

F.

Fasti-

Firmus

# I N D E X.

Ædui

G.

Gere-

# I N D E X.

Grex

## I.

Intesta-

amissa

# I N D E X.



L.



Labe-

# INDEX.

ex

# I N D E X.

# INDEX.

M.

teriæ

N.

# INDEX.

O.

plurri-

## P.

Philo-

# INDEX.

# I N D E X.



locus

Q.

R.

# I N D E X.

S.

# I N D E X.

C. Sempr,

# I N D E X.



ob

Sub

# I N D E X.

## T.

vi

Tiiaria

Trofo-

# I N D E X.

 rech-

X.



Z.



INDEX

# INDEX AUCTORUM,

## Qui in Notis explicantur, aut emendantur.

Littera *a* primum, *b* secundum tomum indicat.

### A.



### C.



### D.



### E.



### F.



### G.



### H.



### I.



### L.



### M.



### O.

# INDEX AUCTORUM.



FINIS.

ERRA-

# E R R A T A

## IN CONTEXTU Tomi I.

Pag. 53. l. 8. falsis, l. *falsis.*
122. l. 4. suppellectili, l. *supellectili.*
129. l. 17. fraude, l. *& fraude.*
133. l. 12. amicitia, credebatur, l. *amicitia credebatur.*
134. l. 5. componi, nam suam ætatem vergere, Drusi, nondum, l. *componi: nam suam ætatem vergere, Drusi nondum.*
136. l. 8. ostentabat contra, l. *ostentabat. contra.*
139. l. 2. mittique, ex, l. *mittique ex.*
145. l. 2. peratoria, l. *ratoria.*
165. l. 15. acerbitatibus, dilaceratus, l. *acerbitatibus dilaceratus.*
165. l. 16. infelici, l. *& infelici.*
169. l. 10. urbem moliuntur, l. *urbem. moliuntur.*
170. l. 5. Epidaphnæ. quo, l. *Epidaphnæ, quo.*
172. l. 9 flagitiii, l. *flagitii.*
182. l. 1. faces illic, l. *faces. illic.*
189. l. 4. valere, Haud, l. *valere. Haud.*
l. 8. ut, ovans, l. *ut ovans.*
240. l. 6. que civitatum, l. *civitatum.*
373. l. 17. fretto, l. *freto.*
456. l. 1. ad, l. *ac.*
490. l. 6. Biformes, l. *Biformes.*
508. l. ult. Burrhus, l. *Burrus.*
562. l. 7. cocculrando, l. *ut occultando.*
602. l. 14. præfectus, l. *præfectura.*
672. l. ult. tormenti, l. *tormentis.*
700. l. 2. Socianus, l. *Sosianus.*

## IN CONTEXTU Tomi II.

Pag. 155. l. 11. ut Sueton., l. *ut Sueton.*
164. l. 15. certa, funera, l. *certa funera.*
209. l. 22. Rhætia, l. *Rætia.*
219. l. 5. qui, l. *quis.*
218. l. 9. aliæ, l. *ala.*
313. l. 4. cujusque, l. *cujusquam.*
328. l. 20. fine, l. *sine.*
477. l. 6. juventem, l. *juventutem.*

## IN NOTIS Tomi I.

Pag. 21. col. B. l. 23. oblitaverunt, l. *obliteraverunt.*
22. A. l. 11. aut, l. *autem.*
24. B. l. 10. agitur, l. *re agitur.*
31. A. l. 33. distinguendi, l. *distinguendus.*
47. A. l. 14. injuria, l. *injuriæ.*
48. B. l. 15. Facilius, l. *Facilius.*
54. B. l. 32. tendebat. Adde, *Jac. Gronovius.*
36. Idem, l. *Lipsius.*
69. B. l. 7. Ober. l. *Observ.*
85. A. l. 3. pag. 564. Adde, *Jac. Gronovius.*
7. Idem, l. *Lipsius.*
107. A. l. 19 acquiscere, l. *acquiescere.*
118. A. l. 7. verum, l. *paverum.*
121. A. l. 17. exemplaria. Adde, *Jac. Gronovius.*
47 Publius, l. *Publilius.*
124. B. l. 11. & libro 3. Hist 74. Nacti, l. *ex libro 3. Hist. 74. nacti.*
15. unum, l. *verum.*
132. A. l. 8. in, l. *en.*
133. B. l. 27. Ariorabza-, l. *Ariobarza-*
136. A. l. 7. Idem, l. *Lipsius.*
138. B. l. penult. ὁρμωτάτι, l. ὁρμωτάτη.
151. A. l. 7. πιι, l. πει.

Pag. 168. B. l. 8. Metalli, l. *Metelli.*
240. B. l. 12. neris, l. *netis.*
355. A. l. 23. Riberius, l. *Tiberius.*
B. l. 5. Idem, l. *Lipsius.*
355. B. l. 21. libidem, l. *libidinem.*
359. B. l. 19. cum, l. *eum.*
371. B. l. penult. Meretus, l. *Muretus.*
372. A. l. 29. ἡ πρωτη, l. ἡ πρώτη.
375. B. l. 6. Auro, l. *Euro.*
379. B. l. 25. corruperat. Sejanus, l. *corruperat Sejanus,*
389. A. l. 1. τὸν, l. τῆς.
390. A. l. 6 Afiaticium, l. *Asiaticum.*
392. B. l. 16. curcumegit, l. *circumegit.*
397. A. l. 55. ræpetundatum, l. *repetundarum.*
B. l. 3. antiquia, l. *antiqua.*
l. 31. ullom, l. *illum.*
399. B. l. 7. dona, l. *dena.*
421. A. l. 42. sComatam, l. *Comatam.*
424. B. l. 19. stio, l. *dio.*
425. B. l. 22. sentoribus, l. *senitoribus.*
410. B. l. 50. dele, *sed veterem lectionem tacentibus.*
432. A. l. 43. Χοὶ, Χιὸ.
433. B. l. 12. fortuna. Neroni, l. *fortuna, Neroni.*
438. B. l. 9. Antonius, l. *Antoninus.*
440. B. l. 29. fine, l. *fine.*
32. voces, l. *voce.*
445. A. l. 10 Bsfporani, l. *Bosporani.*
B. l. penult. creatibus, l. *cranibus.*
446. B. l. 1. cerse, l *certe.*
449. B. l. 11. fella, l. *sella.*
455. A. l. 5. loco, l. *loca.*
462. A. l. 13. gleria, l. *gloria.*
465. B. l. 21. constitui, l. *constitu.*
466. A. l. 22. eum, l. *cum.*
476. B. l. 24. *perpellunt.* Adde, *Pichena. Rectius perpellunt.*
479. B. l. 10. venalitii, l. *venalitiis.*
485. A. l. 18. προσδιεσμετ, l. προσδιεσμετο.
30. Callistratus. De, l. *Callistratum de.*
487. A. l. 36. stivigamus, l. *stigavimus.*
487. B. l. 42. obliquia, l. *obliqua.*
50. Traperuntem, l. *Trapezuntem.*
491. B. l. 25. proprior, l. *propior.*
502. B. l. 11. *parvum ductu*, dele.
504. B. l. 2. obsidium, l. *obsidum.*
506. A. l. 4. jusjurandi, l. *jurisjurandi.*
516. B. l. 12. nutricu, l. *nutricu.*
517. B. l. 18. Calvius, l. *Calvisius.*
21. adimplatur, l. *adimpleatur.*
518. A. l. 22. simpl cer, l. *simpliciter.*
521. B. l. 5. ad, l. *ab.*
525. B. l. 25. πρὸς, l. πρὶς.
528. B. l. penult. Eo Helvidius, l. *& Helvidius.* Gronov.
530. A. l. 33. τὸν, l. τὴν.
536. B. l. 21. Picheua. Adde, an *exsertam.* Gronov.
543. B. l. 38. oculis, l. *oculos.*
547. A. l. 30. Idem, l. *Acidalius.*
548 B. l. 5. quadragefima, l. *quadragesima.*
556. A. l. 29 חום, l. חרם.
559. A. l. 14. initrio, l. *initio.*
B. l. penult. Auctores, l. *Auctor est.*
560. A. l. 3. *integrum.* Adde, *sed absque dubio integra.*
565. B. l. 42. cumulatos, l. *cumulatus.*
568. A. l. 15. Tacitis, l. *Tacite.*
574 B. l. 31. eduxit, l. *edixit.*
575. A. l. 24. cunia, sene, l. *cunia.*
578. B. l. 22. ite, l. *ita.*
584. A. l. 1. incessietant, l. *incessitant.*

Pag. 590. A. l. 24. ad, l. *ab*.
592. A. l. 31. eodem. Tac., l. *eodem Tac*.
594. A. l. 19. ὑπατὸς, l. *ὑπατὸς*.
21. ἐξέωσεν, l. ἐξεώσατο.
595. A. l. 10. voces, l. *voce*.
590. B. l. 24. Haut., l. *Heaut*.
597. A. l. 4. Tesseratum, l. *Tesserarium*.
B. l. 30. sonoras, l. *sonores*.
599. B. l. 13. remotus, l. *remotus*.
601. B. l. 31. Cripus, l. *Gripus*.
606. A. l. 6. adsensus, l. *adsensa*.
13. tribunica, l. *tribunicia*.
608. A. l. 4. dele *si*.
l. ult. Idem. l. *Pichena*.
610. A. l. 8. Lipsius. e., l. *Lipsius e*.
612. l. penult. Lipsius. Adde, *Quomodo in militia, admi-nistratum*, id est, causarum missionem, non optiones Lipsii. *Nixam fastigii regimen*, an est facili & clementi adscensu. Gronov.
622. A. l. 7. victa, l. *vita*.
630. A. l. 27. distinguendo, l. *distinguendo*.
631. A. l. 13. Cæsari, l. *Casaris*.
B. l. 25. exhuerat, l. *exhauserat*.
644. B. l. 11. Magi, l. *Magi*.
647. A. l. 10. τοι, l. τοῦ.
648. A. l. antep. imperiti, l. *imperiti*.
649. A. l. 12. quædam, l. *quadam*.
651. A. l. 5. ista, l. *isti*.
B. l. 43. tiotes, l. *tiones*.
653. B. l. 11. ἄλεω σίτω, l. ἄλεσι τῷ.
656. A. l. ult. Macenatiana, l. *Mecanatiana*.
661. A. l. 15. &, l. *& aquis*.
664. A. l. 12. Dioni. Chrys., l. *Dionis Chrys*.
666. B. l. 3. vanos, l. *vanum*.
674. B. l. 6. qus, l. *qui*.
l. 14. ἀντικείμῳ, l. ἀντικειμένῳ.
l. 16. κυρίῳ, l. *κυρίῳ*.
686. A. l. 22. ἐπέλαπεν, l. ἐπέλαμψε.
704. B. l. 17. PRISCIO, l. *PRISCO*.
707. A. l. 13. qui, l. *cui*.
709. B. l. 4. audiendi, l. *audiendi*.
714. A. l. 34. incurro, l. *in cursu*.
715. A. l. 35. ostens, l. *ostendens*.
716. B. l. 5. perfectus, l. *perfectus*.

IN NOTIS Tomi II.

Pag. 50. A. l. 16. Gadii, l. *Gad'i*.
52. B. l. 1. nas, l. *nus*
229. A. l. 18. Uranum, l. *Uranium*.
230. A. l. 30. honoribue, l. *honoribus*.
255. B. l. 7. Grenovius, l. *Gronovius*.
257. A. l. 22. petineret, l. *pertineret*.
268. A. l. 22. Idem, l. *Lipsius*.
231. A. l. 22. vius, l. *ipsius*.
283. A. l. 19. honotificum, l. *honorificum*.
290. B. l. 17. frequentilimum, l. *frequentissimum*.

Pag. 344. A. l. 10. integrate, l. *integrare*.
l. penult. Quomoto, l. *Quomodo*.
347. B. l. 24. minutimam, l. *minutissimam*.
351. B. l. 3. impelleris, l. *impelleris*.
358. A. l. 27. Hareb, l. *Horeb*.
371. B. l. 58. scilicet, l. *scilicet*.
377. B. l. 40. vel-, l. *val-*.
379. A. l. 10. Theuronicos, l. *Theutenicos*.
387. A. l. 42. &, l. *ex*.
l. 48. aque, l. *aque*.
B. l. 51. Regionem, l. *Reginonem*.
398. B. l. 25. adopisvit, l. *adaptavit*.
399. B. l. 29. poteterat, l. *poterat*.
406. A. l. 12. αὐτόθι, l. αὐτόθι.
407. B. l. 25. -nis, l. *-nas*.
411. B. l. 34. Βοίκημιν, l. Βουίαιμον.
l. 45. Parerculus, l. *Paterculus*.
413. B. l. 5. ills, l. *ille*.
415. A. l. 1. posteriobus, l. *posterior bus*.
425. A. l. 22. fronticulos, l. *fonticulos*.
424. A. l. 14. Rauricos, l. *Rauracos*.
427. A. l. 49. ἐκπεπτάκασι, l. ἐκπεπτώκασι.
B. l. 20. Idem, l. *Colerus*.
430. B. l. 33. *non Roxolani apud Tacitum*, dele.
l. 36. Murium, l. *Mutium*.
431. A. l. 40. Σιγημαντίς το, l. Σογημάντίς τε.
432. B. l. penult. Latina, l. *vox Latina*.
439. A. l. 2. *vere desertus*, dele.
l. 13. subdiatium, l. *subdititium*.
440. B. l. 45. detertebat, l. *deterrebar*.
442. B. l. 13. exsoluto, l. *exsoluta*.
444. B. l. 15. nominibus, l. *nominis*.
445. B. l. 36. ambigem, l. *ambiges*.
448. A. l. 16. Tacici, l. *Taciti*.
B. l. 26. boc, l. *hac*.
449. A. l. 35. ἰυτεῖτε, l. *εὑρεῖτε*.
451. A. l. 27. ille, l. *illi*.
l. 28. præerat, l. *praerant*.
B. l. 13. clementius, l. *Malcmentius*.
461. B. l. 19. πάς, l. πᾶς.
l. 20. σρατιῶ, l. σρατιᾶ.
461. B. l. 21. ἐπαγομένας, l. *Sine* ἐπαγομένας.
463. A. l. 21. conturiones. Aliter, l. *centuriones. Aliter*.
l. 39. quidam, l. *quidem*.
466. A. l. 25. describit, l. *adscribit*.
478. B. l. 7. Macriano, l. *Macrino*.
480. A. l. 11. esse, l. *esse*.
l. 12. censetis, l. *censemus*.
481. B. l. 12. sentientiæ, l. *sententia*.
485. B. l. 9. alii, l. *alius*.
498. B. l. 5. appeteres, l. *appeteres*.
510. A. l. 40. ἀμειμένη, l. ἀνειμένη.
512. A. l. 16. sententiat, l. *sententia*.
521. A. l. 4. monuit, l. *monui*.
526. A. l. 6. ὑπεχλῦτες, l. ὑπεχλῦντες.
572. l. 11. 52. l. 32.
l. 12. *senatoremque*, adde *filiorum*.
573. l. 49. mio, l. *hemio*.